
NAZIONALE
8
21 — K
19
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
ROMA

MENSA MYSTICA
CVM FRAGMENTIS
FRATRIS PHILIPPI
A SANCTO COLVMBANO.



FRVMENTVM ELECTORVM
VINVM GERMINANS VIRGINES
MENSA MYSTICA
IN QVA EVCHARISTICVS CIBVS
SVAVITATE VARIA
QVINQVAGINTA SERMONVM
DEGVSTANDVS PROPONITVR
Collectis insuper Mensę fragmentis
Trecentis quinquaginta
Cum quadruplici Indice
Per Fratrem Philippum a Sancto
Columbano Laudensi
Ordinis Minorum Strictioris Obseruantię
Prouincię Mediolani.
FACTORI DESERVIENTES
DE FORTI DVLCEDO
Cum Priuilegio.
PVLCHRIORI
C. Bassanus F.
Mediolani, ad instan. Francisci Mognagę. Typis Io:
Petri Ramellati. M.DC.XXXIX



EMIN.[MO] ET REV.[MO] CARDINALI FRANCISCO BARBERINO ORDINIS S.[TI] FRANCISCI Protectori Vniuersali.



Auctor &c. foelicitatem.



NVNQVAM sanè ausus fuissem, Eminentiss. Princeps, exiguum hunc de Eucharistia libellum in conspectum tuum proferre, nisi id animum dedisset, quod apud probatissimos Scriptores persępe legeram, proiectum hocce non semel in Apum aluearia Sacramentum augustissimum, ab ipsis non modò solicitè sublatum, sed etiam constructo ex cera sua veluti Templo, perhonorifica fuisse in theca reconditum, & murmure prætereà earundem, festiuo quasi carmine, ac pio circumuolatus obsequio ingeniosè habitum ad miraculum, vt & ipsa libri facies satis ostendit. Conspiciebam enim Eucharistiæ sacrosanctà mysteria humili nimium loco, Operi, scilicet, meo commendari. Itaque summum, quem ijs optare cultum licebat, è gẽtilitijs Apibus tuis peti posse, certò prospiciens, earundem Apum tutelæ credere decreui. Annuat igitur Eminentia tua minimi alumni Franciscanæ familiæ studio, atque animi offerentis votum non ex operis mole, aut stylo, qui certè incomptus est, ac rudis, sed ex argumenti sanctitudine metiatur. Tuæ nanque protectioni debetur tale clientis studium, talis maiestati materies. Tuam interim ipse purpuram pronus venerans, Panem vitæ, quem hic offero, pro tuæ vitæ diuturnitate, ac fęlicitate, etiã atque etiam exorabo, ad maius Ordinis Seraphici, atque Ecclesiæ ornamentum. Vale. Romæ in D. Petri in Monte aureo.



AD AVCTOREM

Epigramma.

DVM ſtudioſa teris veterum monumenta virorum:
Delibas dulces, docte Philippe, thymos.
Nec non Narcyſsi lachrymas, gemmaſque Hyacinthi,
Hyblæas & opes ſedula ſugis apis.
Hinc ſtillans calamo rorantia mella ſuaui,
Diuino melli mellica tecta paras.
O bene Mel dictum, iugi dulcedine manans:
Vnum mel tantùm plurima mella parans.
Mellica ſed cur tecta quoque? Ah, ſic congruit eſſe:
Non niſi condantur dulcia mella fauo.
Ipſe es: quæ Chriſto olim mellica Templa dicarunt
Prudens prudentes arte ſecutus Apes.



MENSAM Mysticã, in qua Eucharisticus cibus suauitate varia quinquaginta Sermonum degustandus proponit per Patrem Fratrem Philippum à S. Columbano Ordinis Minorum Strictioris Obseruantiæ Prouintiæ Mediolani, Theologo, compositam, de mandato Reuerendiss. Patris Fratris Thomæ à S. Agatha, eiusdem Ordinis Vicarius Generalis in Cismontanis partibus, attentè percurri. Quapropter, cùm nihil in ea Orthodoxæ Fidei, & moribus repugnans, sed omnia non minus piè, quàm doctè conscripta repererim, prælo dignissimam exoptando arbitror. Dat. in Cœnobio nostro S. Francisci ad Ripas pridie nonas Ianuarij 1637.

Fr. Angelicus Verulanus Reformatorum
Prouintiæ Romanæ Theologus deputatus.

PRO Reuerendiss. Padre Fratre Thoma à S. Agatha Strictioris Obseruantiæ S. Francisci Refor. Cismontanæ familiæ Vicario, ac Procuratore Generali, vidi librum per Reu. Patrem Philippum à S. Columbano, Reformationis Mediolanensis Concionatorem, & Lectorem, compositum, cuius titulus est, Mensa Mystica, in qua Eucharisticus cibus suauitate varia quinquaginta sermonum degustandus proponit, & nihil fidei insonum, nihilq. Christianis moribus aduersum reperi, quinimmo Sanctorum Patrum doctrina valde refertum, & copiosum. Quare vt prodeat in lucem, dignum existimo: In quorum fidem &c. Ex domo Pœnitentiarior. apud Sacrosanctam Lateranensem Basilicam, die 29 mensis Ianuarij 1637.

Ego Fr. Ioseph de Valletelina Reformationis Thusciæ Theologus,
& Sanctiss. D. Papæ Pœnitentiarius, qui supra, manu propria.

FR. Thomas à S. Agatha Strictioris Obseruantiæ S. Francisci omnium Reformatorum Cismontanæ familiæ Vicarius Generalis. Habita relatione nostrorum Theologor. nẽpe, Patris Fratris Angelici à Verulo Reformationis nostræ Prouintiæ Romanæ, & Patris Fratris Ioseph à Valletelina Reformationis nostræ Prouintiæ Tusciæ, quòd opus, cuius titulus est, Mensa Mystica, in qua Eucharisticus cibus suauitate varia quinquaginta sermonum degustandus proponitur, Patris Fratris Philippi à S. Columbano Reformationis nostræ Prouintiæ Mediolanensis Concionatoris, ac Sacræ Theologiæ Lectoris, sit sana doctrina contextum, & dignum, vt ad fidelium vtilitatem Typis mandetur: his nostris facultatem facimus, vt (seruatis seruandis) imprimatur. Dat. Pisauri in Conuentu nostro S. Ioannis Baptistæ, die 9. Martij 1637.

Locus ✠ Sigilli.

Fr. Thomas à S. Agatha Vic. Generalis.

ACcuratè iussu Reuerendiss. Patris Inquisitoris Mediolani Fratris Ioannis Michaelis Plodij de Bononia, Ordinis Prædicatorum, perlegi opus, cuius titulus est, Mensa Mystica, in qua Eucharisticus cibus &c. edita à Reu. Patre Fratre Philippo à Sancto Columbano, Ordinis Minorum Obseruantium Reformatorum, nihilque in eo fidei contrarium, vel bonis moribus dissonum reperi; quinimmo Ecclesiarum Rectoribus, Prædicatoribus, cæterisque Ecclesiasticis, omnibus etiam Christi fidelibus maximo profectui iudicaui, præcipuè vero deuotis Eucharisticæ Mensæ, diuinissimi, nimirum, Sacramenti Altaris: nam in isto libro, tanquam in mensa refertissima, in vnum abundantius reperitur, quicquid sparsim in alijs inuenitur: In quorum fidem, his propria manu subscripsi. Mediolani in Conuentu S. Mariæ Gratiarum, die 22. Aprilis 1638.

Ita est, Frater Bart. Conradus Laudensis Sacræ
Theologiæ Magister Ordinis Prædicatorum.

IMPRIMATVR.

Fr. Io. Michael Inquisitor Mediolani.

Io. Paulus Mazuchellus pro Eminentiss. D. Cardinali Archiep.


7. Iulij. 1638. V.D. Io. Arias Maldonado R. Med. S.

Index primus quinquaginta sermonum, qui in hoc volumine continentur.

Co.

Indicem secundum, qui est titulorum generalium trecentorũ quinquaginta Fragmentorum, inuenies post finem Sermonum ante ipsa Fragmenta. Tertium autem, qui est locorum Sacræ scripturæ, & quartum, qui est rerum notabilium, in fine Libri.

AD LECTOREM.



SCRIPTVM est Prou. 18. Iustus prior accusator est sui. Prior itaq; & ego, benigne Lector, meipsum, & hoc meum opus accusabo, nō minus syncerè, quā apertè fatendo, materiæ tractandæ parem in me certè non esse doctrinam, & eloquentiam, vt, quod olim de libro suo, qui est de corpore, & sanguine Domini non erubescebat B. Paschasius, de meo quoq;, qui de eodē est argumēto, & ipse debeā protestari, & sanè validiori ratione: Nihil in eo legentibus dignū scripsi, quē cuilibet puero dedicarē. Hoc vnum saltē ex eadē scriptura enuntiare potero. Iusti sunt omnes sermones mei: non est in eis prauū quid, neq; peruersum: recti sunt intelligentib., & æqui inuenientibus scientiam. Iustos dicam inprimis sermones hos meos, quippè, qui, licet fortasse nihil lectoris aurib. dignū habeant, nihil mirabile, tamen cū iustitia sunt, & ad iustitiam erudiunt. nec est in eis prauum quid cōtra fidē, neq; peruersū contra mores: etsi .n. fortè in aliquo defecisse deprehendentur, errorē tñ intellectus, non voluntatis haberi volunt, & S.R.E. iudicio, atq; censuræ spontè se submittunt. Recti sunt preterea, quia recta ad Dei gloriā, & proximi vtilitatem, omni humano fastu spreto, diriguntur. Et tandem æqui sunt pariter, hoc est plani, & faciles intelligentibus, & Eucharistiæ, de qua sunt, scientiam inuenientib., vel inuenire desiderantib. Multi sunt aūt, & varij: multi, quia multa de eadē Eucharistia tractare contingit, & multiplex ēt datur opportunitas de ea sermone habendi, & præcipuè in hac Mediolanēsi nostra Prouincia, cuius vtilitati præsertim meū hoc opus desudaui, & in qua viget laudabilis consuetudo Sanctiss. ac ter venerandū SACRAMENTVM solemniter proponendi exorandū quadraginta Horarū spatio. Varij sunt ēt, & multipliciter, nā etsi in eodē cōmuni subiecto, quod Eucharistia est, omnes conueniant, differunt tamen in argumento proprio, in dicēdi stylo, in methodo, & in alijs multis: hoc aūt factum est, cum allatis rationibus, tum ēt, quia, cum appetitus facilè satietur, varietate nisi alliciatur, in medio lectionis cursu tædio affectus plerumq; subsistit. Vnde & Plutarchus dicebat: Sermonem vno contentum esse membro, non autem varijs distinctum clausulis, non parum imperitiæ ac dissonantiæ signum facio. Id præterea ad exercitationem fastidiosum, ac passim intollerandum arbitror: Et rursus: Amena verò vbiquequaq; varietas. Quare autem has meas elucubrationes maluerim sermones inscribere, superfluum duco edissere. Nec enim quemquam puto, vel mediocriter in Sanctorū Patrum lectione versatum, hoc à me requisiturum. Incusabunt fortè aliqui nimiam prolixitatem, nimiam breuitatem alij. Breuitatem excusabit inita ratio tūm sermonis ipsius, tūm etiam euitandi tædij. Prolixitatem verò quis accusabit, sacra dicente pagina: Conceptū sermonem tenere quis poterit? & potissimum, cum id à cęlesti numine, & verbum Euangelizantibus dante virtute multa, prouenire iudicetur: Et quia præterea, ipso Hieron. teste. Nihil longum est, quod finem habet. Ipsum etiam subiectū prolixitatē aliquando poposcit, prout æquus Lector æstimabit. Vlterius eandem excusabit necessitas illis satisfaciendi, quib. Sanctorum Patrum codices non facilè sunt præ manib.: ne .n. eorum auctoritatib. illos defraudarē, integrè, ac satis fideliter, & ex probatiorib. impressionib. eas transcribere non piguit, & vt etiam in tam multis, ac varijs, quæ cōgessi, oēs, qui legerint, & ij maximè, qui ipsos libros non habent, aliquid saltem inueniant, quod eis placeat, vel inseruiat, sollicitè considerans, non idem cuique delectabile esse, vel opportunū. Aliqua fortassis repetitio offendet: sed ne, quæso, statim inopiæ imputetur, quod opportunitati magis est tribuendū, nam affluentiam potius Mensæ Fragmenta testantur. Quamplurima in hoc libro meo nō erunt sine morsu, & nota, & aliquorum etiam fortassis ex eis, qui in illius defensionē calamum deberent acuere: Hæc tamen non curo, in omnibus quærens, non quod mihi vtile est, sed quod multis, vt salui fiant, vt inquit Apostolus, & vt sint examinata & casta hæc eloquia mea, ad vtilitatem, & ædificationem populi, prout in regula sua statuit Seraphicus Fr. noster S. Francisc. Propter hoc ipsum vtiliora semper totis viribus tradere curaui, super omnia illud Isa. 48. altà mēte repositum habens. Ego Dominus Deus tuus docens te vtilia. Vtilia siquidem nos docuit, & docere alios etiam nos voluit Iesus Christus Dominus noster tam facto, quam verbo, dum Euangelium prædicauit, & prædicari præcepit omni Creaturæ. Sicut ergo vtilia solum prædicanda sunt, sic etiam, solum vtilia sunt scribenda, quæ prædicentur. Vtilia, non subtilia, non futilia: Vtilia, non noua, non vana: Vtilia, non curiosa, non tędiosa: Vtilia, non chimerica, non phantastica. Vtilia, non placentia, non prurientia auribus.

auribus. Vtilia deniq; secundum Christi exemplum, & præceptum, nempe, docendo (vt tradit cum eodem Patre nostro ibidem Tridentinum Concilium sess. 5. cap. 2.) quæ scire omnibus necessariũ est ad salutem; annunciandoq; eis cum breuitate, & facilitate sermonis vitia, quæ eos declinare, & virtutes, quas sectari oportet, vt pœnam æternam euadere, & cœlestem gloriam consequi valeant. Vtilia ergo & ego sermo; quia (vt vno verbo dicam) sicut Eucharistia sola est omnium sermonum horum commune obiectum, siue subiectum, sic etiam eorumdem est principale intentum, & finis, vt, videlicet, per eorũ lectionem, ac studium ipsa & dignius colatur, & frequentetur deuotius ab omnibus semper magis, ac magis ad salutem, in vitam æternam. Et hęc de eiusdem operis ratione iam dixerim. Reliquum est modo, vt de eiusdem nomine, siue titulo, quod *Mensa* est, subijciam. Pro hoc sane, licet hoc solum afferrem, quòd, nimirum, sic placitum fuit ante me, hoc ipsum solum fortasse sufficere videretur: nam, nomina esse ad placitum, nemo est, qui ignoret: Veruntamen, vt & qui legerint sibi plenius satisfactum sentiant, & ego quoq; temeritatis, vel leuitatis, aut aliam quampiam euitem notam, quæ mihi ob hoc inuri posset, dicam primò, quòd Mensam appellaui hunc sermonum meorum de Eucharistia librum, quia sicut in mensa cibus, & potus sumitur, sic & ego hos edens sermones, quasi mensam quandam propono, in qua per lectionis studium, Eucharistia, quæ verè est cibus, & potus, mentaliter (vt ita dicam) gustari possit. Mensa .n. (vt Varoni placet) quasi Mesa dicta est, quomodo illam Hispani vocant, idest, Media, quòd inter duos olim media statueretur. Et Mensam hanc meam sermocinariam, inter me & lectorem similiter, quasi mediam statuo, cum Ezech. dicens illi de ea. Mensa ornata est ante te: ornata non quidem splendore eloquentiæ aut venustate verborum sed multiplici sanè tum diuinarum inprimis, tum humanarum litterarum etiam doctrina. Non tantùm verò hoc modo ornata est mensa ista, sed est etiam plena (quod multum plus refert) secundũ illud Iob. 36. Requies autẽ mensæ tuæ erit plena pinguedine. Sicut enim Altare, quod est Eucharistiæ mensa vera, quia in se habet panem, qui pinguis est, idest, Christi corpus sub panis specie, vt Ecclesia canit, & similiter vinum pingue, vt scribit Ezech. hoc est, Christi sanguinem sub specie vini, impinguat gratia, ac spiritualibus donis eos omnes, qui Eucharistiã sumentes, in illius pia consideratione requiescunt, sic etiam hæc Mensa mea, quæ de eodem pane, ac vino pinguis est, impinguabit, procul dubio, eiusdem Eucharistiæ cognitione, ac scientia eos pariter, qui in illa requiescent diligenti, ac perseueranti studio: Vnde idcirco etiam Mysticam nominaui eam, ad altaris .f. differentiam, quod vera mensa est, vt dicebam. Pręterea ad hunc Mensæ titulum ipsa etiã Mensa me mouit, de cuius cibo, & potu est ipse titulus, & intitulatus liber: ipsa dico lignea Mensa, in qua Dominus noster Iesus Christus eandem Eucharistiã, & instituit, & sumpsit, & sumendam Discipulis suis tradidit. Quia .n. Eucharisticam hanc Mensam frequenter & vidi, & perspexi, & manus meæ contrectauerunt Romæ in Sacrosancta Lateranensi Ecclesia, dum in illa Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. diuina prouidentia Papæ Vrbani VIII. Pænitentiarium agerem, hunc de eadem Eucharistia librum componens, propter hoc, sicut Patres nostri hanc intulerunt Christi Mensam in Ecclesia illa, quæ Ecclesiarum omnium totius Vrbis, & Orbis est mater, cunctarumq; prorsus principatum obtinet, & imperium, sic & ego librum, quem in eadem Ecclesia confeci, Mensam nominare decreui, vt sic, ex ipsa, & per ipsam, & in ipsa, & in omnes alias Ecclesias etiã, Mensam aliam, nempe Mysticam hanc meam, eorumdem Patrum factum attendens, velut inferrem. Memorans præterea Domini præceptum Leuit. vltimo exaratum, vt omnes, nimirum, qui votum emisissent perpetuæ seruitutis Dei in templo (quod solum dicebat Leuitis) si votum suum postmodum redimere, siue permutare vellent, à vigesimo anno, vsq; ad sexagesimum, quinquaginta argenti siclos in eodem templo offerrent, cum in Franciscanæ Religionis templo, perpetuum, & ego Deo vouerim famulatum, intra eandem constitutus ætatem, pro eiusdem voti, non redemptione, vel permutatione vlla, sed perfectiori potius obseruantia, pro quinquaginta siclis, (quia argentum, & aurum non est mihi) quinquaginta sacros sermones, quasi mensam quandam ibidem sacram in eodem Franciscano Templo offerre statui, quæ insuper, ob quinquagenariũ ipsum sermonum numerum, non abs re fortassis, vel incongruè, quinquagenaria etiam Mensa dici poslet. Alius equidem insignis Pater, & multæ eruditionis, eiusdemq; Religionis, ac Prouinciæ, de eadẽ Eucharistia sermones edidit vernacula lingua, sicut, & alia multa. Verũ etsi *Quinquaginta* nomen, vel cognomen haberet, non tamen quinquaginta sermones dedit, vt essent secundum nomen eius, ita, & laus eius in fines terræ, sed quadraginta solum, prout sibi aliàs bene visum est. Quare cum de eadem Eucharistia sermones, & ego proferre decreuerim, quasi abundantius æmulator existens Paternarum mearum traditionum, Deo propitio, non quadraginta solum, sed quinquaginta omnino tradere malui. At non ex hoc solum ipsum quinquagenarium sermonum numerum in puncto (vt vulgo dicit) mihi

præfixi

præfixi, sed multo magis ob eiusdem numeri quam multiplex mysterium. Etenim inprimis ipse Saluator noster, quasi de hoc ipso specialiùs mihi relinquens exemplum, vt sequar vestigia eius, cum tam miraculosum illud Conuiuium, in quo Eucharistiæ præludebat, quinq. millia viris (exceptis mulieribus, & paruulis) in deserto exhibere vellet, dixit ad suos Discipulos: Facite illos discumbere per conuiuia quinquagenos; & ita fecerunt; sic .n. c. 9. habet Lucas, etsi Marcus narret, alios etiã aliter discubuisse. Cum ergo secundum Domini præceptum, per conuiuia, idest, per mensas (vt quidam grecè interpretantur) quæ erant herbosæ illius terræ spatia, quinquageni discubuerint, ipsæ etiam mensæ consequenter, quinquagenæ, siue quinquagenariæ fuerunt. Et ego itaque Mensam hanc meam, quæ de eadem, Eucharistia est, & ratione illius per easdẽ mensas quodammodo adumbratur, quasi quinquagenariam feci, dum quinquaginta sermonibus, quasi quinquaginta eiusdem Mensæ partibus constare volui; Vnde non immerito prorsus, quinquagenaria (vt dicebam) nuncuparetur. Tandem, cum quinquagenarius numerus ad pœnitentiam pertineat, & ad remissionem pariter, quia & quinquagenarius Psalmus penitentiæ est, & Iubileus similiter, qui remissionem significat, in quinquagesimo anno celebrabatur, iuxta illud Leuit. 25. Sanctificabis annum quinquagesimum, & vocabis remissionem cunctis habitatoribus terræ tuæ: ipse .n. est Iubileus: idcirco librum meum, quinquagenarium hoc modo reddidi, vt sicut re ipsa frequenter, ac multipliciter docet, pœnitentiam, ac remissionem peccatorum super omnia ad Eucharistiã accedentibus necessariam, esse, sic pariter ipso quinquagenario sermonum eius numero, de hoc ipso cunctos vel tacitè admoneret. Post remissionem enim peccatorum tribuitur alimonia cœlestis, inquit Glossa mysticè explicans de Eucharistia deserti conuiuium iam narratum. Et rursus. Quinquagenarij (inquit) qui in pœnitentia peccatorũ positi: nam quinquagesimus pœnitentiæ psalmus. His ergo, amantissime lector, pro operis ratione, ac nomine allatis, sic te tandem verbis S. Hieronymi alloquar. Quidquid vel ingenio, vel doctrina, minus tua expectatione possumus, amici fauore sustenta, illud te, & cæteros qui lecturi sunt, deprecantes, vt non vires nostras, sed votum considerent, quorum alterum, fragilitatis humanæ, alter, sanctæ est in Domino voluntatis. Amici fauore sustentabunt pij omnes, ac discreti quidquid vel ingenio, vel doctrina minus eorum expectatione potuimus (sicut illos vehementer rogamus, & speramus etiam,) non autem critici nonnulli fortassis, siue censores, super quos (vt verum fatear) nollens peccare, bene irascor, sicut de seipso fatebatur Ionas Propheta: super hos, nimirum, iusta est ira mea, vt habetur in Hebreo. Hi enim (vt ait idem Hier.) ignorantes quid audiant, quid loquantur, de eo audent iudicare, quod nesciunt; & ante despciunt, quam probent, eruditos se existimantes, & disertos, si de cunctis scriptoribus detrahant: qui cum bona imitari non queant, quod solũ facere possunt, inuident. Hinc idem Doctor obsecrat, vt sic illis respondeatur, slz. vt sigan. ipsi stylum iteria (vt ita dicam) verba coniungant, sudent paululũ, experiantur semetipsos, & ex labore proprio, discant ignoscere laborantibus: Hæc S. Hier. Sed quia censoribus nihil sufficit, vel satisfacit, non pro me tantum, qui de illis (vt dixi) non curo, sed pro alijs etiam scriptoribus, alia adhuc seorsim adducam ex prohemijs varijs commentariorum eiusdem Hier. in varios similiter scripturæ libros (ex quibus etiam iam relata desumpsi,) & ex eis quasi catenã quandã conficiam, qua constringantur, vel confundantur saltem illi, quos ipsa ratio per se non reprimit, vel conuicit. Vale, mei (quæso) memor in tuis orationibus.

DICTA S. HIERONYMI.

CErtè nos studiosis scribimus, & Sanctã Scripturã scire cupientib. non fastidiosis, & ad singula nauseãtib. Et quomodo ego non reprehendo, non damno, & faciant, ita illi ineptias meas mihi deberent concedere. Parum eloquens sum, quid ad te? disertiorem lege: noli de gratuito munere iudicare, &, vt vulgare prouerbiũ est, equi dentes inspicere donati. Nunquid te manu conserta in ius trahe, quia nostra non scribas. Me imperitior quisq; lecturus est tua forsitan dicta, si scripseris. Nisi & parua fuerint, magna eminere non possunt. Primum non dicitur, nisi & secundum sequatur. Ad summa non scandimus, nisi per ima gradiamur. Scimus in tabernaculo Dei, & aurum, & pilos caprarum similiter oblatos. Legimus in Euangelio, Vidua pauperis duo minuta, magis quam diuitum substantias approbata. Dedimus quod habuimus, & nunc, si tamen aliquid proficimus, Domino suum reddimus: gratia enim eius sum id, quod sum, Saltem socraticũ illud habeo. Scio quòd nescio. Dicit & Tullius tuus, adolescentulo sibi incohata quadam, & rudia excidisse. Æmulorum dicta præuenio, qui, non quid ipsi possint, sed quid ego non possim, considerant: & cum nostra dijudicent, sua iudicanda non præbent: Nunquam in agone pugnantes, sed de pugnantibus, otioso, imò superbo animo iudicãtes. Egregia doctissimi oratoris est sententia: Fœlices esse artes, si de illis soli artifices iudicarent. Nullius tam imperitus scriptor, qui lectorem non inueniat similem sui. Non quod hæc dignetur legere Doctorum Senatus, & Bibliotecis Veterum ascribere. Difficile, immò impossibile est placere omnibus: nec tanta vultuum, quanta sententiarum diuersitas est. Hæc omnia Sanctus Hieronymus.

SERMO PRIMVS.

Pro festo Corporis Christi: De Institutione Eucharistiæ.

Dominus Iesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens, benedixit, ac fregit, deditq; Discipulis suis dicens: Accipite, & manducate: hoc est enim corpus meum: &c. 1. Cor. cap. 11.

ARGVMENTVM.

Eucharistiæ per Christum institutio, quæ hodie potissimùm ab Ecclesia recolitur, modus eius, & tempus explicantur: quodque in memoriam mortis suæ instituerit illam: ideoq; & nos illius memorari debemus, hac ipsa die præsertim, & quotiescunque illam conficimus, vel sumimus.

1 EST pia multum proculdubio, feruida atque deuota: sicut etiam læta valde solemnis, ac magna pompa, & apparatu decora corporis Domini nostri Iesu Christi festiuitas, quàm hodierna die cũ Ecclesia celebrat eius filij fideles omnes: quia talis fuit pariter eiusdem Eucharistiæ institutio, quàm ipse dies festus recolit, ac repræsentat. Exterius quidẽ, in opere solemnitatis huius insignis vbique splendor, & magnificentia monstratur: vera autem erga illam pietas ac deuotio fidelium interius in corde consideratur.

2 Hinc sicut celebrat illã per se Ecclesia primo modo, sic etiam eamdem celebrare deberent Christiani omnes secundo. Verùm, etsi nõ egeat Ecclesia, vt hoc festum celebret noua admonitione, egent tamen multi, vt illud dignè colant, consueta prædicatione: Vt autem ad deuotionem ac feruorem accẽdantur, qui me audiunt, nihil fortè vtilius, & efficacius, atque ad rem magis possem referre, quam ea omnia, quę protulit singulari prorsus feruore ac eloquentia ipse Christi Vicarius Vrbanus Quartus festiuitatis huius primus auctor.

De tãta enim solemnitate, nec silere deuotio patitur, nec dignum, aliquid sterilis concipere cogitatio, aut incruditа potest loquutio mea parturire.

3 Multa ergo de ipso Põtificio Sermone, hac de causa in hoc meo sermone referam, in quo præsertim explicabo primò Eucharistiæ Sanctissimæ institutionem per Christum. Secundo loco verò, eiusdem institutionis tempus, tempus nempe suæ passionis. *Dominus Iesus* (inquit Paulus de vtroque) *in qua nocte tradebatur, accepit panem: &c.* fidelis sermo, & omni acceptione dignus: Attẽdamus verba singula: *Dominus*: Hoc primum verbum est de Eucharistiæ institutione: Hoc enim timorem, ac reuerentiam primò in nobis requirit: *Iesus*: hoc est secundum verbum in scriptura: hoc amorem postulat, ac deuotionẽ erga ipsum Saluatorẽ: *Accepit panẽ, & benedixit: &c.* Hoc est tertiũ verbũ: & attentionẽ, ac studiũ exigit proculdubio.

Cœna itaq; disposita (inquit Sanctus Cyprianus de eadem Cœna Domini) *inter sacramentales epulas, obuiauerunt sibi instituta antiqua, & noua: & consumpto agno, quem antiqua traditio proponebat, inconsumptibilem cibum magister adponit discipulis: nec iam ad elaborata impensis, & arte conuiuia populi inuitantur; sed immortalitatis alimonia datur, a communibus cibis differens, corporalis substantiæ retinens speciem, sed virtutis Diuinæ inuisibili efficientia probans adesse præsentiam.* Sic S. Cyp. pro Eucharistiæ institutione: ipsam porrò institutionem sic Paulus narrat. *Dominus Iesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, & benedixit:* Sic certè clara, distinctaque sunt hæc Pauli de ipsa Eucharistiæ institutione verba, vt clariori vel distinctiori non videantur explicatione indigere. 4

Verumtamen obseruatione dignũ videtur, quòd ex his, quę hic scribit Apostolus de Christo circa Eucharistiæ institutionẽ, quædam facta sunt, quædam verò dicta: Hoc est quædam fecit, & quædam dixit Dominus Eucharistiam 5

A institituens.

instituens. Hæc sunt quæ fecit, & quatuor prorsus distingui videntur: *Accepit*: Hoc, primū est: *Benedixit*: Hoc est secundum: *Fregit*: tertium: *Dedit Discipulis suis*: Quartū. Quæ dixit simpliciter quatuor videtur. primò gratias egit, secūdò dixit Discipulis: *Accipite, & manducate*: tertiò subiunxit: *Hoc est enim corpus meum*: quartò & vltimò addidit: *Hoc facite in meam commemorationem*. Et quæ de pane diximus, & de ipsa Eucharistia sub panis specie, de vino etiam, & de Calice, & de eadem similiter sub vini specie suo modo intelligenda sunt: Quia, sic sub vtraque specie ipsam Eucharistiam instituere voluit, vt in vtraque idem verus, & totus Christus personaliter, realiter, ac præsentialiter verè contineatur: & sic sub qualibet minima parte vtriusque speciei, sicut sub tota ipsa specie: etsi ex vi verborum cōsecrationis, corpus quidem sub specie panis, & sanguis sub specie vini: reliqua verò omnia quæ in Christo sunt hic & ibi, per cōmitantiā, de quibus aliàs fusius.

6 Nunc iterum dicamus: *Dominus Iesus accepit panem: &c.* Mysteriosa videntur verba ista pro Eucharistiæ institutione: *Dominus*: In Dominio potentia innuitur, quæ tribuitur Patri: *Iesus*, Idest, Saluator: In saluatione bonitas indicatur, quæ Spiritui sancto appropriatur: *Accepit panē, & benedixit: &c.* quæ narrantur de Christo circa ipsam institutionem Eucharistiæ.

7 Hæc omnia (dico) sapientiam demonstrant, quæ eidem Dei filio assignatur: sicque nimirum in verbis istis tacitè saltem tota trinitas eamdem institutionem operata esse ostenditur, cum opera eiusdē trinitatis ad extra sint indiuisa, vt Theologi loquuntur, etsi filium in humana natura illam specialiter instituisse narret Apostolus, dicens: *Dominus Iesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, & benedixit: &c.*

Et præcessit institutionis huius imago quædam, siue descriptio, & quidem satis expressa in scripturis 4. Reg. nempè, cap. 4. Ibi enim legitur, quòd: *Vir quidam detulit Elisæo panes primitiarum, viginti panes ordeaceos, & frumentum nouum*: Quæ omnia, iussit illi Propheta, vt populo daret ad commedendum, certum illum reddens, quòd ex his non solùm omnes saturarentur, sed quòd etiam superesset. *Da populo* (ait) *vt comedat, hæc enim dicit Dominus, comedent & superest*: Vnde scriptura subdit statim: *Posuit itaque coram eis, qui comederunt, & superfuit iuxta verbū Domini*: Frumētum enim nouum, corpus Christi adumbrat, secundum statū incarnationis: quòd verè tunc nouum dici poterat: vnde de Incarnatione ipsa scribit Ier. 31. *Nouum faciet Dominus super terram: & mulier circumdabit virum*: Panes verò Ordeacei quia Ordeum aculeatū est, & asperum, ipsum Christi corpus repræsentat secundum statum suæ passionis: Et tertio, ijdem panes hordeacei in quantum primitiarum vocantur, quia hordeum ante alia grana maturescit, idem Christi corpus significat, secundum statum resurrectionis: scribit enim Apostolus ad Corinthios: *Christus resurrexit à mortuis primitiæ dormientium*: Hi panes verò & frumentum, quia Diuina virtute multiplicantur, transubstantiationē panis frumētacei in ipsum Christi corpus manifestè præsignarunt, quæ ab eodem Christo facta est, quādo ab eodem est instituta Eucharistia: Per Elisæum enim, cui delatum est frumentum & panes illi, qui postea iussu eius populo dati sunt, & multiplicati Xps ritè figurat: Elisæus enim, Deus Saluator, & Deus saluas interpretatur: Christus verò, sicut verus homo est, sic etiam est verus Deus, & verus mūdi Saluator, qui per passionem suam mundum saluauit, quando triticeum panem tàm mirabiliter transubstantiando multiplicauit, in illo, sicut & in vino Eucharistiam instituens, illamque similiter mundo tradēs ad salutem: De illa siquidem ipse testatur. *Qui manducat meam carnē, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.* Et hoc est, quod hodierna die potissimum omnes colimus, & cum Paulo prędicamus dicentes de illo: *Dominus Iesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem &c.*

Vt alter Ioseph Patriarcha nimirū, sicut Patres tradunt, qui in Ægypto fratribus suis conuiuium exhibuit, sic mādans primo dispensatori domus suæ, vt legimus Gen. 43. *Introduc viros domum, & occide victimas, & instrue conuiuium quoniam mecum sunt commesturi hodie*: Fratres Domini, ijdem Discipuli dicebantur: *Nuntiate fratribus meis*, quibus ille primo Eucharisticum cōuiuium exhibuit in hoc mūdo, quasi in Ægypto: Ægyptus enim, angustiæ, siue tribulationes interpretatur, quibus sic mundus abundat, vt vallis etiam dicatur lachrimarum: In Ægypti conuiuio fit mentio de victimis, quæ ad sacrificium pertinent, & de earum occisione pro ipso conuiuio, & si in illo cōuiuio non fuerint sacrificia: sed quādo primò fecit Christus in hoc mundo omnibus hominibus Eucharistiæ conuiuium, se etiam fecit pro eisdem æterno Patri in Cruce sacrificiū: quia: *Dn̄us Iesus, in qua nocte tradebatur*. (Ad mortē slz.) *accepit panem*, & de pane, & vino, quę tunc in suū corpus & sanguinem conuertit, hoc conuiuiū toti mundo præpata- 8

parauit, & insuper ipsum conuiuium, sacrificiũ est, sicut etiam Sacramentum: ideoque, & vt sacrificium tunc similiter pro nobis obtulit, & vt Sacramẽtum nobiscum sumpsit idem nobis omnino faciendum mandans in sui memoriã: *Hoc facite in meam commemorationem.*

9 Vidimus in diuinis litteris adũbratã Eucharistiæ institutionẽ: videamus nũc quæso etiam in humanis aliquo modo repræsentatã. Augustus Cæsar etiam magnam aliquando cęnam Clãdestinam magno sumptu, studioque fecerat, vt narrat Theatrum vitæ humanæ, qua ipse quidem Apolinis habitu, cæteri conuiuæ duodecim Deorum Dearumque gestu discubuerunt: Et Rex regum, & Dominus dominantiũ Iesus Christus, Deus verè, vt homo etiam, fecit cœnam magnam, in qua summo studio seipsũ in cibum & potum impendit duodecim Discipulis suis, qui quidem, etsi puri homines, non Dij essent, nec etiam Deorum gestu vel habitu in illa cœna, vt illi duodecim cum Cæsare discubuerint, in illa tamen discũbendo, quasi Dij facti sunt, sicut & alij omnes in eadẽ, sic digne discumbentes, quòd etiam testatus est (inter alios) ille, qui, vt homo moriens in eadem mẽsa discumbere voluit, vt hoc modo Deus tunc præsertim fieret, Sãctus nimirum Hieron. illam statim sumpturus.

Sic enim illam affatum recenset to. 9. Euseb. *Tu, te manducantẽ, vt condecet, in te transmutas, vt tui participatione efficiatur Deus:* Sic ille: Quia (vt breuiter dicamus) ad hoc hodie, *& Dominus noster Iesus Christus in nocte*, qua similiter ad mortẽ tradebatur, in vltima sua cęna, hanc nouam Eucharisticam cœnam instituit, vt per illam homines Deos faceret, de quo Paulus: *Dominus Iesus in qua nocte, &c.*

10 Sed ex quo vnam vidimus in prophanis historijs huius institutionis imaginẽ, aliã quoq; attẽdere nõ grauemur: prima fortè expressiorẽ. *Ælius verus Imperator, quandam cœnam duodecim conuiuis exhibuit sumptuosissimam: singuli cõuiuæ sunt singulis pincernis donati, eleganti forma, & structoribus singulis, quorum ministerio in cæna vsi sunt: His semper Calix variabatur, modo aureus, modo argenteus, modo Onichinus: quot ciborum genera, tot vina animalia ex omni genere, omnibus data. Postremò abeũtibus triclinio, mula quibus sedentes domum abirent & muliones dati:* Hæc inter alia narrat Sabellicus de illa cęna. Figura quidem Christi cœnę ista cœna videtur, sed illa Christi est manifestè præstãtior, ac dignior incomparabiliter: non plures cibi, vel potus, nec plures Calices in Christi cęna: quia sola caro sua datur, in illa, quæ est verè cibus, & solum vnicus Sanguinis sui Calix, qui est verè potus: ideoque etiam ipse structor, est ipse pincerna; qui hodie vtrumq; porigens duodecim conuiuis suis Sanctis Apostolis, ait illis: *Accipite, & manducate ex hoc omnes: Hoc est enim corpus meum: Bibite ex hoc omnes: Hic est enim Sãguis meus:* Et præterea, in hac cœna, non terrena animalia, sed cœlestis cibus ac potus dantur; & per ipsam cœnam pariter, ad domum nostram, quæ Cœlum est, peruenimus, eiusdẽ testimonio, qui eamdem cœnam præbet: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.*

Sed quãdo hanc cœnam suã fecit Christus? 11 *In qua nocte tradebatur: Dominus Iesus* (inquit Paulus) *in qua nocte tradebatur, accepit panẽ, &c. Nam per hoc mysterium, passio Domini, & mors prædicanda erat, ideò magis congruit in ipso passionis articulo, hoc tradere, quàm post resurrectionem: quia ad hoc immolatus est agnus, vt nos eius carnẽ comedamus: Vnde Paulus: Pascha nostrum immolatus est Christus: Itaq; epulemur:* Sic ait S. Pasch. de Corp. & Sang. Domini cap. 18. & postea, sic etiã progreditur ad huius rei declarationẽ: *Cæterum ipse transiturus de hoc sæculo, ad Patrem, de hac mortalitate ad immortalitatẽ, fecit adhuc mortalis, quòd nos post eum, & in illo facturi eramus simili modo mortales: quatenus tali nos refecti pabulo, & inebriati poculo faciamus nos pro illo securi de immortalitate, quòd ille pro nobis prior fecit mortalibus: ad hoc quippe immortalitatis præstitit alimoniam: vt mortem non timeamus: At verò (quòd vltimum est) si post resurrectionem dedisset, dicturi essent hæretici, quòd incorruptibilis iam Christus, & in cœlo positus, non posset in terris eius caro à fidelibus vorari, &c.* Hoc S. Pasch.

Et hoc est, quòd secũdo loco iuxta promis- 12 sionem dicẽdum nobis erat: In qua nocte tradebatur ad mortẽ Dominus Iesus hoc Sacramentum & Sacrificium simul nobis tradidit: quia sicut in memoria suę mortis illud instituit, sic, & nos illud similiter in memoriam eiusdẽ suæ passionis illud offerre debemus, vt sacrificium, & illud etiam sumere, vt Sacramentum, sicut idem tunc mãdauit nobis, dicens: *Hoc facite in meam commemorationem:* quòd aliàs etiã clarius ac distinctius explicamus, hæc ipsa Domini verba de hac memoria explicantes: *Hoc facite in meam commemorationem.*

Et docet nos ista ẽt, qui oẽs docet fideles, ea 13 quæ oẽs sic re debent, nimirum, Ecclesiæ Sãctę Pastor iam prædictus, Vrbanus Quartus, qui sicut Eucharistiæ feruentissimus cultor erat, sic

hoc Eucharistiæ festũ primus ordinauit; quòd postea a Pastore alio, nempe Clemẽte Quinto in Viennensi Concilio confirmatum est. Sicut patet in Clem. Si Dominus. De reliqu. & Ven. Sanct. Sic verò primũ de hoc ipso ibi loquitur, & magno feruore, vt ipsa eius verba indicant. *Transiturus de hoc mũdo ad Patrem Saluator noster Dñus Iesus Christus, cũ tẽpus suæ passionis instaret, sũpta cœna in memoriã mortis suæ instituit sũmũ, & magnificũ sui corporis & sãguinis Sacramẽtũ: corpus in cibũ, & saguinẽ in potũ tribuẽdo: Nã quoties hunc panẽ manducamus, & Calicẽ bibimus, mortẽ Dñi annunciamus: In institutione quidẽ huius Sacramenti, dixit ipse Apostolis: hoc facite in meã cõm-morationẽ, vt præcipuum, & insigne memoriale sui amoris eximij, quo nos dilexit, esset nobis hoc præcelsũ, & venerabile Sacramentũ, memoriale inquam mirabile, ac stupendũ, delectabile, suaue, tutissimũ, ac super omnia pretiosum.* Sic summus ille, & S. Pontifex.

14 Hinc alius quidã apud Bern. de cęna Dñi: hęc eadẽ Dñi verba cõsiderans, de sui memoria in Eucharistia, sic & ille magno affectu exclamat. *O verba nimis affectuosa: o verba pungitiua & penetratiua vsq; ad animã: Hoc facite in meã cõmemorationẽ. Propheta ẽt dicit: memoriã abundantiæ suauitatis tuæ eructabunt. O summa, pia, & verè suauis memoria, annunciare mortẽ Dñi, donec veniat: Mors Christi, opus sine exemplo, humilitas sine modo, donũ sine pretio, & gratia sine merito: hãc propter nos subire voluit, qui peccata nostra super lignum sustinuit in Cruce sua, s. poenã peccatoris*
15 *cuius liuore sanati sumus*: Sic ille.

Verè enim sicut Dñus noster in suę passionis memoriam hoc sui corporis, & sanguinis instituit Sacrificium, & Sacramentũ, & eiusdẽ suæ passionis nobis recordari tunc pręcepit, quando hoc ille pręstitit: Sic etiam in ipso vltimo vitæ suæ termino, eadẽ de causa id præstare voluit: vt nempè hæc memoria cordi nostro firmius imprimeretur, ac impressa, tenacius semp in eodem custodiretur: *Quo, vehementius commẽdaret mysterij illius altitudinem, vltimũ hoc voluit infigere cordibus, & memoriæ Discipulorũ, a quib. ad passionẽ digressurus erat*: ait S. Aug. Sicut refertur ẽt de Consec. d. 2. c. liquido apparet.

16 Et posset ad cõfirmationem doctrinæ Pontificiæ adduci, id quòd habet ẽt doctrina Cæsarea ff. de acquir. vel amitt. poss. leg. si quid potius: *Hoc procedere videtur, quòd nouissimè factum est*: Sed linquamus codices legum: legamus Patrũ libros pro hac vltima sui memoria, quãm nobis Christus reliquit in Eucharistia de qua tunc dixit: *Hoc facite in meã cõmemorationẽ.*

17 Hanc S. Hiero. per similitudinem declarat: *Vltimam nobis commemorationem siue memoriam dereliquit, quemadmodum, si quis peregrè proficiscens aliquod pignus ei quem diligit, derelinquat, vt quotiescunq; illud viderit possit eius beneficia, & amicitias memorari, quòd ille si perfectè dilexit sine ingenti desiderio non potest videre, vel fletu*: & sequitur Hier. Bern. in eadem similitudine persistens, pro eisdem Domini verbis: *Hoc facite in meam commemorationem. In quo, quàm impiũ sit, hominẽ tantæ pietatis Dei esse immemorẽ, palã est omnibus, cum amici morientis, vel peregrè proficiscentis, commendata sibi sub aliquo signo memoriam nefas sit obliuisci.*

Eia iam satis (vt mihi videtur) explicauimus & commendauimus hanc Christi, & passionis 18
suæ memoriam in Eucharistia, ab ipso primitus etiam satis explicatam, & commendatam, & verbo, & exemplo, dùm viz. Eucharistiam instituit, & ministrauit Apostolis, eamdem illis potestatem tribuens, & ipsum in sui memoriã facere mãdãs. *Hoc facite in meã cõmemorationẽ.* Itaq; iam sermonis nostri appropinquemus ad terminũ, sic cũ sũmo illo Pontifice dicẽtes, & præ deuotione exclamãtes iterũ, & de Eucharistia, & de Christi morte, cuius, est memoria: *O digna, & nunquam intermittenda memoria, in qua mortẽ nostrã recolimus mortuã, nostrũque interitum interijsse, ac lignũ viuificum ligno Crucis affixum, fructũ nobis attulisse salutis: Hæc est cõmemoratio gloriosa, quæ fideliũ animos replet gaudio salutari, & cum infusione lætitiæ, deuotionis lacrymas subministrat; exultamus nimirum, nostrã memorando liberationem, & recolendo passionem dominicã, per quã liberati sumus, vix lacrymas cõtinemus: In hac itaq; sacratissima cõmemoratione adsunt nobis suauitatis gaudiũ simul & lacrymæ, gaudemus in eo cõgaudentes, lacrymantes, & lacrymantes deuotè gaudẽtes, lætas habendo lacrymas, & lætitiã lacrymãtẽ: nã & cor ingẽti perfusũ gaudio dulces* 19
per oculos stillas guttas: Sic Vrb. IV. & deinde; nõa nullis interiectis, sic statuẽdo, sua verba cõcludit: Audiamus, & ipsũ ẽt nostra verba cõcludamus. *In ipsa quinta feria (ait) deuota turba fideliũ propter hoc ad Ecclesiã affectuosè cõcurrãt, & tã clerici, quã populi gaudẽtes, in cãtica laudũ surgãt: tunc eorũ omnium corda, & voces, ora, & labia hymnos persoluãt lætitiæ salutaris: tũc psallat fides, spes tripudiet, exultet charitas, deuotio plaudat, iubilet Chorus, puritas iocundet, tũc singuli alacri animo pronaq; volũtate cõueniãt, sua studia laudabiliter exequẽdo, tãti festi solemnia celebrãtes, & vtinã ad Christi seruitiũ, sic eius fideles ardor inflãmet, vt per hæc & alia proficientibus ipsis meritorũ cumulis, apud eum, qui sese dedit pro eis in pretium, tribuitq; se ipsis in pabulum, tandem post huius vitæ decursum, eis se in præmium largiatur. Amen.*

SERMO

SERMO SECVNDVS.

Pro Feria secunda in Cœna Domini: De amore Christi in Eucharistia.

Desiderio desideraui, hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar. S. Lucas cap. 22.

ARGVMENTVM.

Eximius Christi amor, quem hominibus in Eucharistia exhibuit, in verbis istis indicatur, quæ tunc protulit, quando vltimum pascha cum Discipulis suis celebrans, eamdem Eucharistiam instituit: & hoc ipsum manifestant ipsa etiam verba sigillatim.

1 FErè innumera sunt, quæ post Patres, & Ecclesiæ Doctores, quàm plures ex recentioribus, & ipsi piè multum, & eruditè de Eucharistia scripserũt, & de amore Christi præsertim, qui in eadem tam mirabilirer eluxit, sicut in ipsis codicibus est videre: Horum exempla, cum & ego sequar eodem Domino præstante (etsi multum a longe, tanquam illis omnibus satis etiam inferior) varia nimirum de eadem Eucharistia scribens, nonnulla etiam de ipso amore in medium proferam, breuiter tamen, tùm quia eadem de causa ad illa remitto legẽtes, tùm etiam, ne prolixitate nimia fastidiant, quæ suauitate delectare deberent.

2 Ergo Christi amorem aliqualiter explicabimus, verba Domini de eodem simul exponentes, quæ de hoc ipso protulit, cum ipsam Eucharistiam instituit: *Desiderio desideraui, hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar.* O dulcia verba Saluatoris nr̃i de Eucharistia: O suauia verba: O amorosa verba amorẽ Domini erga homines, vbique spirantia. *Desiderio desideraui*, inquit, primo, idest, summopere desideraui: Hoc enim significat illa gemminatio phrasi Hebraica. *Desiderio desideraui* (ait) *manducare*: Manducare quid simititer ad amorem pertinet: vnde docebat & Plato, mensam parentem amicorum esse: *Manducare vobiscum*, addit: Deus vehe nenter desiderabat manducare cum hominibus, vt homines valde sibi amicos faceret: *Hoc pascha*, insuper subdit; quia non cibum quẽmlibet ordinarium cum hominibus mãducare desiderabat Deus, sed cibum illum, qui ipse Deus erat, qui charitas appellatur, qui Dei (nempè) est filius, & Mariæ Virginis simul, qui Deus & homo est, caro eius inquam, quæ verè est cibus, & sanguis eius, qui verè est potus, fidelissima eiusdem attestatione, & hunc panem suum manducare, & hunc suum bibere potum nobiscum, idem summè concupiuit, sicut ipse dixit: *Desiderio desideraui, hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar.*

Et clarius, ac firmius hæc ipsa iam demõstrare incipiamus. Multi enim ex Patribus verba hæc Christi. *Desiderio desideraui, &c.* de Eucharistia intelligunt, sic Eusebius, prout citatur a D. Thoma in cathena sua: *Hoc pascha* (inquit ille) *nouum mysterium, noui testamenti*: In eadẽ sententia esse videtur S. Hier. exponens siquidem illa Matthæi 26. post biduum pascha fiet, sic habet. *Et finem carnali festiuitati volens imponere, vmbraque transeunte pascha reddere veritatem, dixit; desiderio desideraui, hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar: etenim pascha nostrum immolatus est Christus: si tamen comedamus illud in azimis synceritatis, & veritatis*: Hæc S. Hieron. Tertullianus apertè declarat, Dominũ, verba hæc de nouo paschate, idest Eucharistia protulisse: Hæc .n. scribit inter alia lib. 4. aduersus Marcionẽ: *An ipse erat, qui tanquam ouis ad victimam adduci habens, & tanquam ouis coram tondente, sic os non aperturus: figuram sanguinis sui salutaris implere concupiscebat*: Et post pauca; *Ideò, & affectum suum ostendit. Concupiscentia cõcupiui pascha edere vobiscum.* Sic Tertulianus. Roffensis etiam, & multi alij eodem modo sentiũt, nempe de Eucharistia hæc verba Domi- 3

ba Dominũ protulisse significans, se vehementissimè desiderasse, illam pro hominib. instituere, sicut eosdem homines etiam vehementissime amabat.

4 Siue verò hæc verba de Eucharistia sint, siue de ipso legali paschate, quòd fortè communius est, sicut etiam hoc loco tenet Iansenius Prædicatorum etiam placita referens, in communi nihilominus sententia, eodem Iansenio testante, asserendum est, Christum Dominum desiderasse esum paschæ illius veteris antequã pateretur, non propter ipsum pascha, quo non ita magnopere delectabatur, quòd annis superioribus frequenter, iam comederat: sed quia pascha illud nouissimũ pascha erat, immò nouissimum conuiuium, quòd cum suis in mortali corpore erat acturus, in quo proinde cõuiuio, abrogato veteri paschate, noua suis mysteria pro fidelium omnium salute commendare debebat, & cupiebat: *Si ergo propter vnum quòd, vnumquodque tale, & illud magis*: vt Aristoteles docet in logica, si tãtopere desiderauit Dominus pascha illud Iudeorum, quia tunc ipso veteri paschate abrogato, noua suis mysteria pro fidelium omnium salute commẽdare volebat, & cupiebat, vt ait in omnium sententia Iansenius, multo magis procul dubio desiderauit ipsum pascha Christianorum, Eucharistiam nimirum, sicut etiam Christianos ipsos satis plusquam Iudeos amabat: Ita sanè, & proinde, si de Iudeorum paschate verba illa protulit, propter pascha nostrum hoc fuit: *Desiderio desideraui, &c.*

5 Et sunt de hoc ipsa verba Psal. 20. *Super salutare tuum exultabit vehementer*: Eucharistia enim sicut, & passio Christi salutare Dei dicitur, sicut latius etiam in alio sermone demonstramus: quia per illam, salutem magnã in hoc sæculo nobis confert Christus, & salutem æternam in Cœlo: Idcircò cum tempus huius salutaris siue salutis aduenisset, super hoc ipso exultauit vehementer Dominus, sicut etiam id ipsum vehemẽter desiderauerat: vnde & cordis eius et desiderium idem Propheta nominat in immediatis verbis: *Desiderium cordis eius tribuisti ei*: Quia ex immenso eius ad homines amore, sic pascha hoc nouum pro eorũ salute desiderabat mãducare cum illis, vt nihil aliud ipsum cor eius desiderare, quàm hoc solum videretur: ideoque, cordis sui desiderium absolutè vocabat, ad Anthonomasiam nimirũ & excellẽtiam: quasi hoc solum, hoc vnicum, hoc summum desiderium esset cordis filij Dei & antiquissimum etiam & ardentissimũ, quòd ei Pater æternus tribuit, quando hoc ipsum suum desiderium impleuit ipsam instituendo Eucharistiam, quàm cum eisdem hominibus manducauit: Sicut in Psal. sequitur immediatè: *Desiderium cordis eius tribuisti ei*, propter hoc (dico) super hoc salutare Eucharisticũ, exultauit vehementer: quia: *Desiderium, si compleatur, delectat animã*, vt est in prouerbio, & similiter: *Lignum vitæ desiderium veniens.*

Et sicut desiderium cordis Christi vocatur, 6
Eucharistiæ prima institutio, in qua primum illam cum Apostolis sumpsit, sic etiam ab eodem psalte volũtas labiorum eius appellatur, qua subiunxit eundem a Patre non fuisse fraudatum: *Et volũtate labiorũ eius, nõ fraudasti eũ:* Voluntas labiorum dicitur, sicut & cordis eius desiderium, qui hoc idem, quòd ardẽter in corde desiderabat, per labia frequẽter manifestabat, sæpè de ipsa Eucharistia verba faciens, vt patet in Euangelio Ioannis, præsertim, 6. c. ex multis, quæ de illa ante eius institutionem docuit, & potissimum in laudem eius: nempe, quòd sit panis de Cœlo descendens, quòd sit panis vitæ, quòd, qui manducat hunc panem, viuat in æternũ: quòd habeat vitã æternã &c. *Ex abundantia enim cordis os loquitur*, vt ipse Matth. 8. dixit. Verè voluntas erat labiorũ, quòd etiam cordis sui desiderium erat, dum, quòd diu desiderabat, statim consecuturus, præ lætitia, & gaudio dixit: *Desiderio desideraui, hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar.* Pro his omnibus, notabilia valdè sunt, quę tradit S. Laur. Iustinian. in libro de Triũph. Christi Agone cap. 2. primò enim de verbis illis. Desiderio desideraui, &c. ait. *Vulnerati cordis & flagrantissimæ charitatis est vox hæc.* Deinde ipsa verba, & seipsum clarius explicãs, paulò inferius inter alia sic subijcit de Eucharistia. *Corpus illud visibile, passibile, palpabile, & mortale, quòd susceperat verbum, Communicauit in cibum, tale siquidem munus, taleque dilectionis pignus sua iturus ad Patrem, Ecclesia dereliquit: Hoc autem illis solatium præstitit: hoc ardentissimæ charitatis indicium demonstrauit, quatenus visibilis humana eius absentia illi fieret tolerabilis.* Sic Iustinian. ad rem nostram: & rursus de anima Christi loquens, hęc ait: *Tota feruore ebria, feruida charitate, iucunda exultatione in lætissima iubilationis voce prorupit*, & ait: *Desiderio desideraui, &c.* Et iterum de eisdem Domini verbis subinfert: *Istiusmodi eloquia de cellario ardentis pectoris, ideò mediator ipse protulit, vt in amorem sui sanctam excitaret Ecclesiam, traheret ad se, copularet sibi: illam siquidem nimium diligens, corporis sui*

poris sui

poris sui pabulo saginare cupiebat, quatenus indissolubilis charitatis pace firmata, sanctissimi cõnubij celebrarentur insignia : Hæc ille, & S. Chrisost. similiter hom.46. in 6.caput Ioannis, & alibi hoc ipsum sic explicat per exemplum etiam seruorum Iob, ipsum Dominum suum vehementer amantiũ : *Cum enim* (ait de Christo)' *Suum in nos amorẽ indicare vellet, per corpus suũ se nobis cõmiscuit, & in vnũ nobiscũ redegit, vt corpus cũ caput vniretur. Hoc n. amãtiũ maximè esse Iob significabat de seruis, a qb⁹ maximè amabatur, qui suũ amorẽ præseferẽtes, dicebãt. Quis daret nobis, vt eius carnibus impleremur, quòd Christus fecit, vt maiori nos charitate adstringeret, & vt suum in nos ostenderet desiderium, non se tantũ videri permittens desiderantibus, sed, & tangi, & manducari, & dentes carni suæ infigi, & desiderio sui omnes impleri*.

8 Hęc S.Chris. quibus subscripsit etiam S. Inn. Papa, his verbis : *Vt ergo suam erga nos charitatem ostenderet, & nostrã erga se charitatem accẽderet, qui se dedit pro nobis in pretium, ipse tribuit se nobis in cibum, vt per pretium redimeret nos a morte, per cibum aleret nos ad vitam*. Et addit insuper sic exclamare. *Quid amplius vnquam potuit pro nobis efficere? pretium se dedit pro nobis in mortem, & cibum se tribuit nobis ad vitã, vt mortem nostram, sua morte perimeret, & vitã nostrã, sua vita nutriret*.

9 Et elucet in hoc magis Christi amor erga nos respectu Eucharistiæ, quòd slz. ipsam tunc nobis tradidit, quando etiam pro nobis mori voluit : Id quod & ipse pariter verbis suis insinuauit dicens. *Desiderio desideraui, hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar*: Vnde solum pridie quam pateretur, hęc verba loquebatur, ex amoris sui nimirum vehementia, & ardore.

10 Quod etiam apud Ioannem Spiritus sanctus significare voluit, cum eadem breui sententia, & mortẽ eius, & Eucharistiã, sub paschę nomine, & amorẽ eius vtriusq; caulam simul cõmemorauit dicens Ioan. 13. *Ante diẽ festũ paschæ sciẽs Iesus, quia venit hora eius, vt transeat ex hoc mũdo ad patrẽ, cũ dilexisset suos, qui erãt ĩ mũdo, in finem dilexit eos* : Quia, vt inquit Chrisost. *Nos quoque pascha comedimus, nempe Christum. Pascha enim nostrum Christus est*: Et idem iterũ illud explicans: *Vbi vis eamus & paremus tibi comedere pascha? Illud quidem Discipuli parabant, illud autem, quòd nostrum est, ipse constituit, & non solum constituit, sed, & ipse factus est pascha*: Sic ille: siue enim dicamus hoc nomen pascha, Hebraicum esse, siue Græcum, siue Latinum, secundum diuersorum sentẽtias: certum est tamen, transitum significare : Est enim Phalè, id est transitus Domini, vt scribitur Exodi ca.12. & etiam, idem quòd pati, siue passio, vt Græcum est, vt quidam tenent : Ob mysterium ergo (vt diximus) de paschate, & de morte Christi simul, quãm ipsum nomen paschæ significat, fit sermo, sicut de vtroque simul idem loquitur: *Desiderio desideraui, &c.* quia slz. desiderio desiderauit Eucharisticum pascha nobiscum manducare, quando etiam voluit pro nobis mortem tolerare: Tunc sub panis, & vini specie transiuit, quã do etiam per mortem suam ad patrem transire voluit; tunc panem se fecit, qui de Cœlo descendit, quando per passionem suam, ad Cœlos ascendit: tunc transijt ex hoc mundo moriendo, quando in mundum modo nouo venit, hoc Sacramentum instituẽdo. denique, quia tunc transijt a nobis, quando nobiscum in Sacramento esse cœpit omnibus diebus vsque ad consumationem seculi.

Propter hoc (dico) cum de Eucharistia idẽ 11 loquitur, etiam de passione sua mentionẽ facit: *Desiderio desideraui* : Idcircò ad mysterium ēt pro vtroque, dixit. *Ante diem festũ paschæ, sciens Iesus, quia venit hora, vt trãseat ex hoc mundo ad Patrem. Cum dilexisset &c.*

Propter immensum suum nimirum erga nos amorem : Vnde, & Ecclesia in Tridentino Concilio: *Transiturus ex hoc mundo ad patrem, hoc Sacramentum instituit, in quo diuitias diuinĩ sui erga nos amoris velut effudit*: prout, slz. vehementer desiderauit : Vnde etiam dixit de eodem Sacramento : *Desiderio desideraui &c.*

Certè de Iosia rege Israel primo scriptum 12 est in lib. 3. Esdræ cap. 1. *Omnes reges Israel nõ celebrauerunt tale pascha, quale egit Iosias, & sacerdotes, &c.* Sed postea de Iesu Domino nostro scriptum est, quòd nec ante, nec post, nec reges omnes Israel, nec omnes homines, nec eorum quisquam celebrauit vel celebrare vnquam poterit in futurum nullo modo tale pascha, quale celebrauit idem rex regum omniũ Iesus Christus, cum primis Sacerdotibus, suis scilicet Discipulis : quia in quocunque paschate iam celebrato, vel celebrando in futurum in quacunque orbis terræ parte, cibus & potus communis semper sumitur, quantumcumque magnifica, ac solemnia sint huiusmodi paschata, & ab hominibus etiam illa parata sunt. Pascha autem Christi idem Christus parauit, & ipse insuper factus est pascha, vt inquit Chrisost. quia scilicet in eo, sumitur caro eius, quæ verè est cibus, & bibitur sanguis eius, qui verè est potus:

potus: Nec ante ergo celebratum est, neque postea celebrabitur vnquam tale pascha, quale egit non Iosias, sed Iesus, quia etiam, nec ante Iesum, nec post Iesum, talis vel tantus amor fuit, qualis vel quantus Iesu amor infuit erga homines, qui cū ad tale pascha cum eisdem celebrandum traxit, vnde & dixit, *Desiderio desideraui &c.*

13. Vere simul homines comedere amoris semper causa, & effectus simul fuit, & amoris manifestum indicium: Hinc, Plato mensam parētē amicorum appellauit, vt dicebamus: Hinc in conuiuijs amicitias facere, & inimicitias dirimere semper in more fuit. Hinc similiter, in conuiuijs matrimonia apud varias nationes celebrabantur, & maximè, dùm dabant sibi inuicem futuri sponsi de cibo, vel de potu suo, aut simul in eodem vase comedebant, vel bibebant, sicut legitur de magno illo Alexandro cum Roxane, & de multis alijs: Si ergo sola materialis cibi vel potus communicatio magnum semper indicauit amorem, qualem dicemus in Christo fuisse erga homines amorem, qui cum hominibus in paschate manducans, seipsum in cibum & potum simul apposuit, dicens eis. *Accipite & manducate: Hoc est enim corpus meum: Bibite ex hoc omnes, Hic est enim sanguis meus?*

14. Et quis hunc explicare poterit amorem, vel saltem comprehendere? Nullus certè, quia omninò inexplicabilis est, & incomprehensibilis, quia, vt scripsit quidam. *Hoc sane excedit omnem admirationem, omnem mentem, omnemque sermonem, quòd fecit nobis vnigenitus filius Christus. Saluator noster, ignem & spiritum manducandum, ac bibendum præstitit mihi, corpus scilicet & sanguinem suum:* Quando nempe, pro hoc ipso sic loquebatur: *Desiderio desideraui*: Nam certè amor Dei, quo homines dilexit est nobis, & ipsis etiam Angelis indicibilis, & incōprehensibilis.

15. In tribus vero præsertim Deus hominibus suum amorem exhibuit, nempè, in Incarnatione filij sui, in passione eius, & in Eucharistia, & de his tribus etiam, & de illorum quolibet intelliguntur eiusdem filij Dei verba: *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret*: Hoc tanquam certissimum supponens, sic modo vlterius infero pro Eucharistia: si talis tantusque est Dei amor ad homines & in Incarnatione, & in passione, vt nulla ratione, a nobis, nec ab ipsis etiam Angelis, sed tantùm ab ipso solo Deo explicari & comprehendi possit, multò magis id asserendum videtur de amore eiusdem in Eucharistia: quia nimirum, in illa, amplius, vel specialius, quàm in Incarnatione, & in morte sua homines dilexisse similiter videtur idem Deus & ipse Dei filius, & etiam multipliciter: primò enim, quia semel tantùm; *propter nos homines, & propter nostram salutem, descendit de Cœlis. & incarnatus est de Spiritusancto, ex Maria Virgine, & homo factus est*: & similiter, *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis*, vt inquit D. Petrus 1. ca. 3. Verùm, nòn sic est de Eucharistia: postquam enim illam pro hominibus instituit, & eisdem proprijs etiam manibus ministrauit, millies & infinities quotidie illā nobis præbet: Vnde ob hoc etiam, a Chrisostomo & ab aliis ipsa Eucharistia extensio vocatur: quia scilicet ad omnes fideles semper, & vbique extenditur, dùm ab omnibus illis suscipitur indifferenter.

Et ex hoc ipso, alia adhuc præcellentia, vel 16
prærogatiua specialis Eucharistiæ quo ad amorem Christi apparet, quia Incarnatio, & mors Christi in vno loco solùm facta sunt, sicut & vna vice tātùm, nempè in ciuitate Galileæ, cui nomen Nazareth illa, & in Hierusalem ista: Sed Eucharistia in locis innumeris totius orbis, sicut & infinitis vicibus quotidie conficitur, & sumitur ab hominibus, quibus tamen in Incarnatione & in morte se dedit semel tantùm, & in vno loco solùm: si ergo infinitus & immensus, ideoque & innenarrabilis & incomprehensibilis prorsus est Christi amor erga homines solùm semel seipsum, & in vno solùm loco dare, dùm scilicet pro nobis homo factus est, & pro nobis etiam est mortuus vna vice, & in vno loco tantùm, quid erit, vel qualis dicetur eius amor, qui eumdem impulit, vt seipsum, toties, & vbique, & semper, se hominibus daret? & præterea, in cibum & potum eorumdē, & ipsorum etiam hominum opere ac ministerio, nempe per Sacerdotes & non per seipsū, tantùm, quomodo se dedit in Incarnatione, & in passione.

Eia, hoc vno verbo dicamus: dicamus verò, 17
nec quòd dicere, nec cogitare possimus hunc amorem: sed de illo, & pro illo admirari solùm, & præ admiratione ac stupore exclamare: Simili enim modo admirans ac stupens exclamabat de hoc ipso amore loquens idem etiam Christi Vicarius Vrbanus Quartus solemnitatis huius corporis Christi primus institutor: sic itaque, & nos exclamemus cū illo: *O diuini amoris immensitas: O diuina pietatis superabundantia: O diuina affluentia largitatis;*

dedit

dedit enim nobis Dominus omnia, quæ subiecit sub pedibus nostris, & super vniuersas terræ creaturae contulit nobis dominij principatum: ex ministris etiam spiritualis superiorem nobilitas, & subleuat hominis dignitatem: administratorij namque spiritus sunt omnes in ministerium missi, propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis destinati: & cum tàm copiosa fuerit erga nos eius munificentia, volens adhuc ipse nobis suam exuberantem charitatē præcipua liberalitate monstrare, semetipsum nobis exhibuit, & transcendens omnem plenitudinem largitatis, omnem modum dilectionis excedēs, attribuit se in cibum: O singularis & admiranda liberalitas, vbi donator venit in donum, & datum est idem penitus cum datore; quàm larga & prodiga liberalitas, cum tribuit quis, seipsum: Hæc omnia sunt ille Pontifex.

18\. Et quid amplius pro Eucharistia proferre possumus, vt Christi amorem in ea specialius etiam, quàm in Incarnatione, & in morte, & in quocunque alio demonstremus, amplificemus, & extollamus? Sufficiat tandem pro sententia nostra sententiam Chrisostomi adducere, hom. 26. in Math. quæ videtur manifestè illam confirmare. *Reuerenda ac salutaria illa mysteria, quæ in omni certè Ecclesia Congregatione celebramus, Eucharistia, idest gratiarum actio nuncupatur:* Sic primò ait ille: Notentur modò quæ immediatè subiungit pro ratione prædictorum: *Sunt enim* (ait) *beneficiorum recordatio plurimorum, caputque ipsum Diuinæ erga nos charitatis ostendunt, nosque faciunt debitas Deo gratias semper exoluere*: Sic S. Chrisost. de Eucharistia: quòd non reperio de Incarnatione, nec de passione: idcircò de eadem cum Christo modò toties repetimus: *Desiderio desideraui &c.*

19\. Sic præstet nobis idem Dominus, qui in Eucharistia tantùm nos dilexit, vt amorem ipsum studiosè & nos considerantes, eodem nos dignos reddamus, illum & nos vicissim ardenter amantes, qui sic ardenter nos amauit, vt nobiscum pascha manducare voluerit, & seipsum nostrum, sicut & suum pascha faciens, corpus suum in cibum, & sanguinem suum in potum etiam nobis dando, sicut ante magno desiderio desiderauit, vt idem testatur: *Desiderio desideraui, hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar.*

Erit autem hoc, si eidem in hoc ipso nos 20
conformemus: si nimirum ad Eucharistiam accedentes & nos, nostro modò transeamus, quòd ipsum nomen pascha (vt dictum est) significat: vt sicut ille per mortis transitum ad Patrem transiuit, quando Eucharistiam instituit, & nos, a vitijs ad virtutes, a peccato ad gratiam, inde transeamus: *Itaque, monet vos* (vt inquit in serm. de Pasch. S. Ambrosius) *vt pascha celebretis: vt transitum faciatis:* Quia, inquit alius: *Bonus transitus, transire de peccatis ad iustitiam, de vitijs ad virtutes.* De quo transitu sic etiam scribit S. Paschas. de Corp. & Sang. Domini cap. 19. *Idcircò, & nostra accipientium præparanda sunt corda, vt tali epulo refecti ad altiora in fortitudine transeamus: Nemo igitur dignè accipit, nisi qui transit, sicut & Christus transiuit de hoc sæculo, vt totus iam spiritualis, spiritualia ista condignè percipiat:* Sic ille.

Et videtur pro hoc ipso facere illud August. 21
dùm ipsum Christi transitum declarans, in verbis illis Ioannis iam citatis: *Quia venit hora, vt transeat ex hoc mundo ad patrem.* Sic de illo ait, *Ergo ille transiuit, vt pasceat: nos sequamur, vt pascamur:* Ait enim idem August. iterum, sicut etiam citatur a Sancto Bernardo de modò beneuiuendi ad sororem: *Qui castè corpore, & mundo corde, cum pura conscientia, atque deuota mente, ad istam altaris Communionem venit, ad illud altare, quod est Christus in Cœlis, ante oculos Dei fœlici transmigratione perueniet:* sic Augustinus. Concedat nobis Dominus, primam transmigrationem siue transitum in Sacramento, & per primam secundam etiam in Cœlo. Amen.



SERMO TERTIVS.

Quòd Eucharistia est vera animæ refectio.

Caro mea verè est cibus: & sanguis meus verè est potus S. Ioan. cap. 6.

ARGVMENTVM.

Sententijs varijs Sanctorum Patrum, & multis etiam rationibus & congruentijs explicatur, in Eucharistia carnem Christi verè esse cibum: & Sanguinem eius verè potum: simulque ostenditur, quòd daturus seipsum Dominus hominibus in cibum, & potum animarum, valde conuenientius non in propria, sed in aliena forma se dedit, & sub specie panis & vini, magis quàm sub quacunque alia.

1 DE Deo scribitur in Deuteronomio 32. *Dei perfecta sunt opera*. Pascit Dei filius Christus Iesus Dominus noster hominem seipso in Altaris Sacramẽto: Opus est hoc potentiæ, sapientiæ, ac bonitatis eius, & singulare nimis: & propterea etiam perfectum vndequaque comprobatur: & non vna ratione tantùm, vel causa, sed multis ac varijs, præsertim verò, quia, cum duo ad completam refectionem necessaria sint, cibus nempè, & potus, cibum ac potum simul in eadem Eucharistia nobis ille præbet, carnem nempè, & sanguinem suum: secundò, quia adhoc, vt sit perfecta refectio, ipse cibus, & potus etiã perfectus ac bonus esse debet, idcircò de eadem carne sua etiam testatur, quòd verè sit cibus, & de sanguine suo, quòd verè sit potus, dùm ait: *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*: si verus est cibus, & verus similiter est potus, quo nos cibat, & potat Christus in Sacramento, nempè caro & sanguis eius: vera est etiam atque perfecta hæc refectio eius, qua sic nos reficit. Quia procul dubio *Dei perfecta sunt opera: Dei vera sunt opera*: vt Septuaginta legunt.

2 Hinc etiam in Psalmis nostrum quilibet fatetur. *Dominus regit me*: id est, secundùm alias translationes: *Dominus pascit me*: vel *Dominus pastor meus: & nihil mihi deerit*: quia nimirum, pascit me carne sua, quæ verè est cibus, & sanguine suo, qui verè est potus, & consequenter verè atque perfectè pascit: *& nihil mihi deerit*: Quia: *Dei perfecta sunt opera: Dei vera sũt opera*: Nam quemadmodum cibus, & potio, quæ diuersæ res sunt, ad eamdem tamen rem adhibentur, vt scilicet vires corporis reficiantur, ita etiam duas illas diuersas Sacramenti species respondere consentaneum fuit, quæ cibũ, & potum spiritalem significarent, quo mentes sustinentur, & recreãtur: Quare a Domino Saluatore dictum est: *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*: Et sic habet Catechismus Roman. hæc ipsa Domini verba pertractans.

Itaque hæc ipsa in præsenti sermone distinctius, ac planius & nos pertractabimus, multifariam multisq; modis demonstrantes in illis, quòd Eucharistia est vera animæ refectio, quia nimirum est caro Christi, quæ verè est cibus, & sanguis eius, qui verè est potus: secundò verò, quòd daturus se Christus nobis in cibum & potum, non sub propria, sed sub aliena forma conuenientius se dedit, & sub forma panis & vini magis, quam sub quacunque alia. 3

Ait ergo ille de Eucharistia: *Caro enim mea verè est cibus: & sanguis meus verè est potus*: In primis verò obseruanda est illa dictio *enim*: *Caro enim mea*, inquit: Indicat enim causam & rationem præcedentium immediatè verborum in Euangelico textu: horum videlicet: *Qui mãducat meam carnem, & bibit meum sanguinem habet vitam æternam: & ego resuscitabo eum in nouissimo* 4

nouissimo die: Ad hęc enim statim subditur ibidem: *Caro enim mea verè est cibus: & sanguis meus verè est potus*: Effectus enim proprius ac præcipuus cibi ac potus est vitam tribuere, ac conseruare: Cum ergo Christi caro sub panis speciebus in Sacramento Altaris verè sit cibus animarum, & cum pariformiter eiusdem Christi sanguis sub vini forma sit verè earumdem potus, similiter ergo astruendum est, ac firmiter tenendum, quod, qui mãducat Christi carnem, & bibit eius sanguinem, habeat etiam veram vitam; qualis est æterna præsertim. De qua cum in alio sermone plenius disseramus, sicut & de vita spirituali animæ, q̃ et specialiter ipsa Eucharistia cõfert, & de vita pariter corporali, q̃ eadẽ aliquãdo donat, vel conseruat, de vita nil aliud modò dicemus, cõtẽti ipsã solũ animæ refectionẽ ex Eucharistia nũc explicare, & illustrare magis: etsi ex his ẽt ea, q̃ de vita ipsa ibidẽ tradimus, clariora reddanẽ.

5 Porrò Christi verba hæc non vno tantùm, sed multiplici sunt sensu referta. *Caro mea verè est cibus; & sanguis meus verè est potus*. Relinquo enim modò cum Ecclesia aduerbialem particulam, *enim*, ratione allata: Quid est dictu: *Caro mea verè est cibus?* Verè: idest veraciter, certè, sine hesitatione, sine dubio vllo: *caro mea*, quàm in Altaris Sacramẽto fidelibus meis sumendam tribuo per Sacerdotum ministerium *cibus est*, animarum suarum: *& sanguis meus* item, quem eisdem in eodem Sacramento propino, eodem modo *est potus*: Et proinde, vtrumque veram vitam tribuit hominibus, Spiritualem quidem in hoc mundo, æternam verò in Cœlo.

6 Item: *Caro mea verè est cibus &c. Vere*, idest, realiter, actualiter, substantialiter, subsistenter: Non apparenter, non imaginarie, non sophisticè, non phantasticè. Rursus: *Caro mea verè est cibus, &c.* Idest: Ad litteram, & historicè: nõ insigno, vel in figura solùm, vt hæretici cauillantur: non mysticè, non typicè, non tropicè, non adumbratè. Item *Caro mea, &c.* Idest: Vere intrinsecè est cibus animæ: sicut extrinsecè videtur cibus corporis, & sanguis similiter potus est.

7 Item: *Caro mea, &c.* quia, manna cibus erat, qui solùm, Eucharistiam præfigurabat, non tamen erat cibus verus, quia nec veram vitam sumentibus conferebat, vt illa: *Non sicut manducauerunt patres vestri manna in deserto, & mortui sunt*; inquit ille de manna primùm, & postca de Eucharistia statim subiungit. *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum*: Et simili modò: Aqua, quæ de petra fluxit, potus erat corporalis, Christi sanguinẽ solùm præsignãs: Ipse Christi sanguis verè est potus, & per aquã illam petræ præfiguratus.

[illegible]: *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*: Quia, vt inquit D. Hilarius, de Trinit. *De veritate carnis, & sanguinis; non relictus est ambigendi locus. Nunc enim, & ipsius Domini professione, & fide nostra verè caro est, & verè sanguis est*: Et Chrisostomus: *Aut quòd is est verè cibus, qui saluat animam, dixit, vt eos in prædictis confirmet, ne obscurè locutum in parabolis arbitrarentur.*

Alij, alio etiam modò hęc eadem verba exponunt, quòd, scilicet, caro Christi, verè cibus, & sanguis eiusdem, ideò verè potus dicantur, quia vtrumque in se diuinitatem habet, quia nempè, Christũ Dominum, qui verus est Deus, sicut etiã verus est homo: Modò res quæcumque creatæ respectu Dei, ac diuinitatis eius, non verè propriè sunt, sed potius apparentes solùm, vel fictæ, aut rerum verarum vmbrę, vel figuræ, & Deus solus est qui verè ait: *Ego sum qui sum*, vt scribitur 3. Exodi.

Item alij, carnem Christi, verè cibum, & 10
sanguinem eius verè potum dici volunt ab eodem ratione vitæ, & præsertim vitæ æternæ, quàm habent, qui hoc cibo, & hoc potu dignè reficiuntur: Hinc August. tract. 26. in Ioan., & legitur ab Ecclesia in officio eiusdem Corporis Christi: *Cum cibo, & potu id appetant homines, vt non esuriant, neque sitiant: hoc verò non præstat, nisi ille cibus & potus, qui eos, a quibus sumitur, immortales & incorruptibiles facit, idest societas ipsa Sanctorum, vbi pax erit, & vnitas plena, atque perfecta*: Sic August. eadem est sententia Teophilati, his verbis: *Caro Christi verè est cibus, eo quòd, non ad paruum tempus duret, neque corrumpatur, sicut corruptibilis cibus, sed æterna vitæ sit subsidium, & sanguis Domini verè est potus, quia non ad tempus sufficit siti, sed semper absque siti conseruat.*

His cõsentanea sunt omninò, quæ scripsit S. 11
Paschasius in suo libro de Corp. & Sang. Domini c. 19. hic remanẽtib. *Valdè pernecessarius est ad vitam ille cibus Cœlestis, & potus, quatenus, sicut aluntur cibis terrenis ad tempus, vt viuant, sic alantur spiritualiter renati per hæc ad perpetuã vitam, ne deficiant in via, donec transeant per mortem carnis ad perpetuum; vbi nullus defectus est, & sempiternam vitam: Interim tamen iustum, & necessarium, vt redemptus alatur ad incorruptionem, & potetur ad vitam: Propterea mox Saluator intulit: Caro enim mea, verè est cibus, & san-*

guis meus, verè est potus: ac si diceret: Quia generaliter homines cibo, & potu id permaximè appetunt, vt non esuriant, neque sitiant, & ne moriantur: Hoc itaque communis iste non præstat [illegible] *mortales & incorruptibiles facit, & ideò verus cibus, & potus nominantur. Constat igitur & liquet omnibus, quòd in hac mortali vita sine cibo & potu non viuitur, sic itaque ad illam æternam non peruenitur, nisi duobus istis ad immortalitatē spiritualiter nutriatur: & bene in Calice simul redduntur, quia de Calice vno passionis Christi hæc duo nobis ad vitam manarunt:* Hæc S. Paschasius.

32 Nunc audiamus Sanctum Ambrosium, pro eadem sententia de verbis eisdem Christi. *Caro mea verè est cibus: & sanguis meus verè est potus;* Sic enim ille: *Christus mihi cibus, Christus, mihi potus: Caro Dei cibus mihi. & Dei sanguis est potus: Non iam ad satietatem mei annuos expecto prouentus: Christus mihi quotidiè ministratur: Meus cibus est, quem si quis manducauerit, non esuriet: Meus cibus est, qui non corpus impinguat, sed confirmat cor hominis: fuerat mihi antea mirandus panis de Cœlo: scriptum est n. Panem de Cœlo dedit eis manducare: Sed non erat verus ille panis, sed futuri vmbra: Panem de Cœlo illum verùm mihi seruauit pater: Mihi ille panis Dei descendit de Cœlo, qui vitam dat huic mundo. non Iudeis descendit, non Sinagoga descendit, sed Ecclesia descendit, sed populo Dei iunuiori descendit: Denique, si accepissent panem, verùm, non dixissent: Domine semper da mihi hunc panē; Quid petis Iudea, vt tribuat tibi panem, quem dat omnibus, dat quotidiè, dat semper? In te ipso est, vt accipias hunc panem: accede ad hunc panem, & accipies eum: De hoc pane dictum est: Qui elongāt se abs te, peribunt: Si te elongaueris ab illo, peribis: si appropinquaueris ad illum, viues: Hic est panis vitæ: Qui ergo vitam manducat, mori non potest: Quomodo ergo morietur, cuius vita est? quomodo deficiet, qui habuerit vitalem substantiam? Accedite ad eum, & satiamini, quia panis est. Accedite ad eum, & potate, quia fons est. Accedite ad eum & illuminamini? quia lux est, Accedite ad eum, & absoluimini, quia remissio peccatorum est: qui sit iste quæritis: Audite ipsum dicentem, Ego sum panis vitæ: Qui venit ad me, non esuriet: & qui credit in me non sitiet vnquam.* Vsque modo S. Ambrosius pro explicatione verborum Dñi: *Caro mea verè est cib⁹, & sāguis meus verè est pot⁹.*

33 Tandem sic breuiter dicamus: Caro Christi verè est cibus, & sanguis eius verè est potus: Quia verè id præstant animæ, quæ dignè hoc cibo cibātur, & hoc potu potatur, quòd corpori præstare solet corporalis cibus ac potus & multò perfectius quam, atque vtilius, absq; comparatione vlla: sicut enim cibus, & potus [illegible] rant, viuum conseruant, delectant, & alia ei bona præstant, sic Eucharisticus cibus & potus, corpus & sanguis Christi animam spiritualiter nutriunt & conseruant, augent virtutibus, ac donis spiritualibus, roborant contra vitia, & peccata, & contra Diabolum præsertim, diuinarum rerum delectatione recreant, & vitā dant ei spiritualem in hoc mundo, & æternam in Cœlo, cum qua habentur omnia bona simul: Hinc gratia Eucharistiæ rectè & verissimè tribui dicitur, sicut etiam bona gratia interpretatur.

Item quia; *Qui manducat meam carnem* (in- 14
quit Christus) *& bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo:* Hoc est, sicut cibus, & potus a corpore sumptus, eidem sic vnitur, vt vnum & idem cum ipso fiat, vna & eadem cum illo vita viuens, sic dùm Christi corpus, & sanguinem suscipimus, eidē incorporamur, & vnimur, vt vnum & idem cum illo deueniamus eadem vita sua viuentes, præsertim per amorem & gratiam, quæ specialiter in hoc Sacramento augetur. Hinc tradit S. Bernardus, quòd corpus Christi mādūcare, nihil est aliud, quàm corpus Christi effici: Et idem docet S. Chrisostomus ante illum, & insuper, quòd, per hoc ipsum, facti sumus cum illo vnum corpus, & vna caro: sicut etiam idem Chrisostomus docet nos per Communionē cum Christi corpore fieri vnam massam.

Hinc idem Christus ait: *Sicut misit me viuē* 15
pater, & ego viuo propter patrem, & qui manducat me, & ipse viuet propter me: Id est, secundum Interlinealem glossam: *Sicut ego homo viuo propter Patrem viuum, cui vnior; sic, qui me manducat, & mihi vnitur, viuet propter me.* Sed de hac vita, in proprio sermone, vt iā dixi. Solùmmodò nunc obiter notasse sufficiat, quòd sicut caro Christi est verè cibus, & sanguis eius verè est potus, sic vtrumque nos verè nutriendo, ac reficiendo, veram etiam nobis vitam tribuit, quia nempè talis est cibus, & talis potus: Hoc est ipse Dei, & Virginis filius, qui solus animam nostram perfectissimè pascere, ac conseruare potest, & veram illi vitam donare.

Vnde de Christianis videntur, ad literam 16
verificari verba Exodi 24. quæ de Hæbreis olim dicta sunt: *Videruntque Deum, & comederunt,*

derunt ac biberunt: Sic enim de Moyse, & nonnullis alijs historicè scriptum est, quod scilicet, cùm Dominus eis apparuisset, nec, ex huiusmo di visione mortui essent, nec vllo modò ex hoc læsi, sicut timuerant, ex ijs, quę aliàs in ijsdem scripturis leguntur, insignum lætitiæ ac pro festiuitate omnes simul epulati sunt: illi enim, quia Deum viderunt in apparitione quadam tñ solũ, comederunt, & biberũt: & aliud fuit q̃ viderunt, & aliud q̃ comederũt, & q̃ biberunt: At nos vere Dei filium videmus in Sacramento Sacramentalibus accidentibus panis & vini velut coopertum: *Ipsum vides:* inquit Chrisost. Sed prætereà, ipsum etiam tangimus, & manducamus, vt idem subdit: *Ipsum tangis, ipsum manducas:* Ab ipsa enim prima Eucharistiæ institutione, viderunt homines ipsum Deum, etiam hominem factum, eumdemque comederunt, ac biberunt: Et non semel tantùm, vt illi, sed continuè ac quotidiè eundem Deum, & hominem in eodem Sacramento videbunt, & manducabunt, ac potabunt: siquidem de seipso idem ait. *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus, verè est potus.* Nec ex ipsius visione, sicut nec etiam ex ipsa comestione, & potatione pariter mortem, vel malum aliud timemus, nec timere debemus, vel possumus, sed potius certò expectare summo gaudio ac festo pro hoc ipso vitam æternam, cum qua sunt omnia bona simul, sicut nobis promisit idem Dei & Mariæ filius: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.*

17 Hoc ipsum enim tanquam certissimum lætus cantat vnusquisque fidelium in Psalmis: *Dominus regit me.* Scilicet *Dominus pascit me.* Vel *Dominus pastor meus:* secundùm aliàs lectiones, vt iam dicebamus: *Et nihil mihi deerit,* sequitur: id est nullum bonum; quia non est pastor, vt pastores ouium, qui oues suas fœno, non proprio pascunt cruore: *Hoc autem ipse non est passus,* inquit Sanctus Chrisostomus: *Sed ipse nos proprio sanguine pascit, & per omnia nos sibi coagmentat.* ait enim: *Caro mea verè est cibus: & sanguis meus verè est potus.*

18 Vnde & nos cum psalmista de eodem pastore adhuc subiungimus: *In loco pascua, ibi me collocauit,* idest in Ecclesia: quæ locus pascuæ simpliciter, & absolutè dicitur, & sine vlla additione vel limitatione istius, vel illius pascuæ specialis, anthonomasticè scilicet, & per excellentiam. Quia hęc pascua, sunt corpus eius verè cibus, & sanguis eius verè potus: pascua proculdubio suauissima, hubertima, ac pinguissima nimis: Est enim ille bonus pastor, qui animam suam dedit pro ouibus suis, quando etiam eisdem ouibus suis hæc pascua parauit: *Nos autem populus eius, & oues pascuæ eius.*

Eadem pascua multis antea sæculis eisdem 19
repromisit, quando dixit Ezech. cap. 34. *Pascam eas in montibus Israel:* idest, in Altaribus Sanctæ Ecclesiæ: Nam Altaria per montes Israel significantur, sicut Ecclesia per Israel: Etenim, *Israel* videns Deum interpretatur: quia ibidem Ecclesia Deum videt iugiter in Sacramento: & vbique etiam mentis oculis fidei lumine illustratis: Vnde ibidem subdit de his pascuis: *In pascuis vberrimis pascam eos: & in montibus excelsis Israel erunt pascua eorum: Ibi requiescent in herbis virentibus: & in pascuis pinguibus pascentur, super montes Israel. In pascuis bonis pascam eas,* ait Vatablus ex Hebreo.

Hinc insuper: quia, ad hoc vt pascua perfe- 20
cta sint, non solùm herbas in cibum habere debent pascendarum ouium, sed etiam aquas in potum: ideò etiam de earumdem potu meminit apud eundem Prophetam, vbi potũ commemorat, vtrumq; simul suis ouibus promittens: *Pascam eos in montibus Israel, in riuis, & in cunctis sedibus terræ.* Sic enim in scriptura, postea immediatè: *In pascuis vberrimis pascam eas.*

Et sicut vtrumque hoc loco distinguit, sic 21
etiam in præcitato Psalmo: Cum enim ibidem dixerit: *In loco pascua, ibi me collocauit,* subiungit statim: *Super aquam refectionis educauit me.*

In alio sermone satis prolixè demonstro 22
Eucharistiam, & Eucharisticum Sanguinem specialius, aquam mysticè dici: Ideò de hoc modo breuiter pertransiens, solùm hoc dicã, eamdem hoc loco dici aquã refectionis, idest aquam reficientem, siue refectiuam, substantiuum pro adiectiuo accipiendo, phrasi Hebræorum adiectiuo carentium, quia non est, vt aqua communis, quæ cum elementum sit, reficere, siue nutrire non potest, quia, nutrire, nutrire, vel reficere mixtorum est, ratione secundarum qualitatum, quibus pollent, non autem elementorum, quæ primas tantùm habent, vt Phisici tradunt, de quorum numero est aqua: Hæc verò Eucharistica aqua, meritò, ac veraciter aqua, & aqua reficiens, siue refectiua nuncupatur, quia verè etiam est potus animæ nostræ refectiuus ac nutritiuus.

Vnde, idem Psalmista, cum de Christi San- 23
guine etiam signanter dixerit pro quolibet fideli: *Super*

deli: *Super aquam refectionis educauit me*: Statim infulit: Cuiufnam fit aqua refectionis Chrifti Sanguis: *Animam meam conuertit*, inquit: Et ficut animam potando reficit Chrifti fanguis verè potus, fic eamdem cibando pariter nutrit eiufdem Chrifti caro verè cibus. *Caro enim mea verè est cibus, & fanguis meus verè est potus*, inquit ille. *Ergo, & de corpore, & de fanguine fuo dedit nobis Christus falubrem refectionem*, inquit Auguftinus ferm. 2. de verb. Apoft. & iterum ftatim. *Manducent ergo, qui manducant: Bibant, quibibunt: Efuriant, & fitiant: Vitam manducent, vitam bibant: Illud manducare refici est: fed fic reficeris, vt non deficiat, vnde reficeris: Illud bibere, quid est, nifi viuere: manduca vitam, bibe vitam, habebis vitā, & integra est vita: Tunc autem hoc erit, id est vita vnicuiq, erit corpus, & fanguis Christi, fi quòd in Sacramento vifibiliter fumitur, in ipfa veritate fpiritualiter māducet fpiritualiter bibat. Audiui mus n.ipsū Dominū dicentē. Spiritus est, qui viuificat, caro autē non prodest quidquā: Verba qua locutus fum vobis fpiritus, & vita funt*: Hæc Aug. Verè potus ergo eft caro Chrifti, & verè potus eius fanguis: & de vtroque falubrem dedit ille nobis refectionem, vt inquit Auguft. quia, & veram vitam: fi tamen fpiritualiter comedatur ifte cibus, & fpiritualiter bibatur ille potus, caro, & fanguis eius. Ideò eiufdem Domini etiam voce laudatur cum ait: *Caro mea verè est cibus, & fanguis meus verè est potus.*

24 Hinc alio, etiam modo hæc eadem verba explanare liceat: Quòd nimirum quicumque alius mundi cibus, & potus a natura datus, vel vel ab arte inuentus, etfi verè cibus, vel verè potus videatur, vel dicatur, nihilominus Chrifti carni, & fanguini comparatus, talis verè nō eft, nec tale nomen meretur: Certè Britani populi inter alios quædam fibi pro refectione conficiunt cibi & potus fimul vicem fupplentia, quorum etiam valdè modica quantitas fine alio quocumque cibo vel potu illos diu fuftentat. Refert etiam Pontanus, cum alijs nō vllos huiufmodi cibis, & potibus fimul fanctitatis famam & abftinentiæ inprimis concepi-tos effe, cum tamen re vera effent hypocritæ triftes, exterminantes facies fuas, vt apparerent hominibus iciunantes, qui etiam receperunt poftea mercedem fuam: Vnus ex eis (vt Panorm. narrat de geftis & dictis Alphōfi) fuit quidam Antoninus de Marchia, qui per Italiam, & Hifpaniam etiam, vt fanctus diuulgabatur, quòd omnibus potiffimum perfuafiffet, fe etiam quadraginta diebus, & quadraginta noctibus fine vllo prorfus cibo vel potu ieiunare: tandem compertus eft in candelis arundines fiue cannas quafdam paruulas habere plenas farina ex caponibus, phafianis, & alijs aromaticis confecta, ficut etiam in cingulo, vinum quodam optimum, quòd hypocraticum dicitur, quibus fecretiffimè fe reficiebat: Vnde tandem tanquam hæreticus extinctus eft, qui fanctus habebatur, & confumptus a vermibus expirauit.

Etfi ergo huiufmodi cibi, & potus, verius 25 quam alij communes tales dici poffint, quia magis nutriunt, diutiufque conferuant hominem, quā communes, tamen quia folùm corpus reficiunt, non animam, nec ipfum corpus etiam femper conferuare poffunt, & alijs etiā rationibus, quas iam retulimus, idcircò non verè cibi, vel potus funt dicendi, fed caro Chrifti folùm eft verè cibus, & eius fanguis verè potus: Qui etiam femel tantùm dignè fumpti perfectiffimè in hoc mundo animam reficiunt, & vitam æternam animæ, & corpori fimul conferunt in Cœlo: Nam: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum fanguinem, habet vitam æternam, & ego refufcitabo eū in nouiffimo die.*

Et quod de artificiali cibo, & potu demonf- 26 trauimus, nimirum Chrifti carni & fanguini collatum, non effe verè cibum, nec verè potū, idem etiam de naturali facilè oftendemus, & de eo infuper, qui perfectiffimus reputatus eft ab ipfa mundi Creatione: de ligno dico fcientiæ boni, & mali, quòd erat in medio Paradifi terreftris, de quo fcriptura teftatur, quòd Eua vidit, *quòd bonum effet lignum ad vefcendum, & pulcrum oculis, afpectuque delectabile, & tulit de fructu illius, & comedit, deditque viro fuo, qui comedit*: quòd tamen, de nullo alio cibo, vel potu tunc narratur: cibum enim hunc Diabolus ferpens calidior cunctis animantibus terræ perfuafit hac de caufa, effe verùm cibum, dicens illi, tanquàm de verè cibo: *Scit enim Deus, quòd in quocumque die comederitis ex eo, eritis ficut Dij, fcientes bonum, & malum: fed in veritate non ftetit* Diabolus (vt inquit Chrifoft.) *quia non est veritas in eo: Cum loquitur mendacium, ex proprijs loquitur, quia mendax est, & pater eius:* Mendacium enim expreffiffimum locutus eft, dicens, quòd perfumptionem cibi illius, (qui etiam vice potus erat, nempè fructus ligni illius,) futuri effent vt Dij fcientes bonum, & malum, & immortales confequenter: quia immò oppofitum omnino illis euenit, quia, nō vitam, vt verus cibus eis atullit, fed mortem, vt falfus:

falsus: Sicut etiam a Domino, qui semper veritatem loquitur, & est ipsa veritas. Ad æantea fuerat prænunciatum: *Ex omni ligno paradisi comede: de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas: In quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris*: Si mortem ergo attulit iste cibus, & potus pro vita, ergo non erat verè cibus, vel potus, etsi talis videretur, vel putaretur: fortè à patribus nostris: sicut talis etiam falsò nimis eisdem a Diabolo prædicabatur. *Caro Christi vere est cibus, & sanguis eius vere est potus*, nam qui digne hunc cibum manducat, & hunc bibit potum, a morte liberatur, *& habet vitam æternam*.

27 Vnde, & scriptura in Prou. cap. 23. postquā ad Christi cibum, & potum Eucharisticum nos hortatus est, docens etiam modum summendi eum verbis illis. *Quando sederis, vt comedas cū principe, diligenter attende, quæ apposita sunt ante faciem suā, &c.*] quæ alias pro hoc explicamus, statim a cibis, & potibus mundi nos dissuadet, non quidem absolutè. quia, quamdiu in mundo viuimus, necesse est, vt ijs, quæ in mundo sunt, nutriamur, & sustentemur, sicut, & omne animal, quamdiu viuit, nutritur, vt docet Philosophi: Sed ne sumamus mundialem & corruptibilem cibum vel potum, (siue his naturalis sit, siue artificialis) verè cibum, vel verè potum æstimantes: Quia verè talis non est: nec ille etiam potus vel cibus, qui inter alios omnes præstantissimus, & substantialissimus (vt sic loquamur) videtur, vel reputatur: Quia non est verè cibus, nec verè potus: sed falsè: quia solùm, *Caro Christi est vere cibus: & sanguis eius vere potus*: Verba verò Salomonis de mundi pane sunt hæc immediata ad illa de Christi cibo, & potu: *Ne desideres de cibis eius, in quo est panis mendacij*: Et rursus infra, de mūdo loquens. *Comede & bibe, dicet tibi: & mens eius non est tecum*. Pro prioribus verbis verò de cibo & pane, in quo tamen etiam potus intelligendus est. Sic legit Hebraicus textus in translatione Vatabli: *Noli desiderio cibi eius capi: nam cibus fallax est.* Græcus verò, in septuaginta interpretibus: *Noli concupiscere escas eius: Hæc enim obtinent falsam vitam*. Et recensuimus iam pro hoc exempla de ipso mundi pane, & potu.

28 Mendax fuit sanè, & fallax cibus, & potus hypocrita illius, vt narrauimus: & falsam vitā illi obtinuit, & veram mortem: Et cibus similiter; ac potus paradisi terrestris mendax, & fallax fuit, sicut, & mendax est, & fallax, inprimis Diabolus, qui per eum mentitus est, & fefellit primos parentes nostros. Falsam immortalitatem eis promittens pro vera morte, quam illis machinabatur, sicut experti sunt, vt diximus.

Itaque non desiderandus multùm, nec tanquam verus, mundi huius cibus, & potus, quia est cibus, & potus mendacii, & fallax, & falsam vitam obtinens: at solùm caro Christi est vere cibus: & sanguis eius verè potus: Idcirco obtinet etiam veram vitam, nempe æternā, ipso Domino asserente: *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem habet vitam æternam.*

Et quid vlterius de Christi carne, & sangui- 29
ne addere iam valemus? De excellentia Eucharistiæ, vt Sacramentum est, specialem sermonem edimus: Et aliàs frequenter de ea, sicut & de effectibus, ac fructibus eius varia referimus, Idcirco, de his cessabimus, postquam solummodò adnotauerimus, quæ ad hanc rem scripsit inter alios multos: Sanctus Laurētius Iustinian. dùm differit de Disciplina & perfectione monasticæ conuersationis c. 9. *Ex ipso quippe digne sumentes* (inquit de Eucharistiæ Sacramento) *maximum consequuntur spiritualem fructum: nam viuificantur internis, corpori Christi incorporantur, spiritualiter reficiuntur, deuotione augmentantur, dulcedine nutriuntur, charitatis scilicet ad Deum & dilectionis ad proximum, & suauitatis in seipsos: fit quoque ex ipsa sumptione illis fomitis mitigatio, gratiæ collatio, virtutum roboratio. peccatorum remissio, contra Diabolum armatio. spei eleuatio, amoris exaltatio, fidei commendatio, Angelica conuiuatio, regni Cœlestis largitio, intellectus illuminatio, & omnium bonorum participatio*. Sic S. Iustin. & & paucis interiectis: Hæc rursus: *fit feruentior in dilectione, fortior in labore, promptior in opere, in tentatione prudentior, sollicitior in virtute, in administratione alacrior, nec non, in ipsius frequentatione efficitur ardentior*. Hæc ille.

Tandem vno verbo dicamus. Verè est ci- 30
bus caro Christi, quia caro Christi est: & verè est potus sanguis eius, quia sanguis eius est: Cum verò dicimus eius carnem verè cibum esse, & eius sanguinem verè potum, dicimus, quòd illa omnia, quæ operatur, vel operari potest, verè cibus, & vere potus corporis (eo tamen modo, quò verè tales dici possunt) operatur hic cibus, & potus in anima: Et multò præstantius, ac dignius omninò incomparabiliter: Hoc iam diximus: Iterum hoc ipsum audiamus ab ipsa Ecclesia in Concilio Florentino. Ait ergo:

Ait ergo: *Huius Sacramenti effectus, qui in anima operatur digne sumentis est adunatio hominis ad Christum. Et quia per gratiam homo Christo incorporatur, & membris eius vnitur, consequẽs est, quòd per hoc Sacramentum in sumentibus dignè gratia augeatur, omnemque effectum, quem materialis cibus & potus, quo ad vitam agunt corporalem, Sacramentum hoc quo ad vitam operatur spiritualem.* Hæc concilij verba, quibus Christi verba declarantur. *Caro mea vere est cibus & sangui meus vere est potus.*

31 Sed nunquid decens, vel conueniens erat, vt Christus prout erat, nempe in propria forma vel specie carnem suam nobis præberet, comedendam, & similiter sanguinem suum bibendum? Absit: *Quid enim valeret fides tua* (inquit Seraphicus doctor noster S. Bonauentura cap. 3. de præparatione ad missam) *si in propria forma visibilis tibi appareret: certè, & coactè eum adorares: aut quomodo carnales oculi tantam gloriam ferre possent.* Hinc Sanctus Augustinus de sermone Domini loquens, in quo idem docebat, carnem suam esse verè cibum: & sanguinem suam verè potum: &, quòd, qui manducat suam carnem, & bibit suum sanguinem, in illo maneat, & Christus in eo, &, quòd habeant vitam æternam, & alia huiusmodi: De his omnibus (dico) sic scribit. Tract. 27. in Ioan. *Multi itaque audientes non ex inimicis, sed ex Discipulis eius dixerunt. durus est hic sermo: & quis potest eum audire? Si Discipuli durum habuerunt istum sermonem, Quid inimici? Hi enim putabant* (vt subinnigit interius idem Augustinus) *quòd carnem, quam indutum erat verbum, veluti concisam distribueret credentibus in se. Quia horrendum eis, & nefarium videbatur* (inquit Sanctus Cyprianus de Cœna Domini) *vesci carne humana, existimantes hoc eodẽ modo dici, vt carnem eius elixam, vel assam, sectãque mẽbratim edere doceret: cum illius persona caro, si in frustra partiretur, non omni humano generi posset sufficere: qua semel consumpta, videretur interisse religio, cui nequaquam vlterius victima superesset.* Sic de Hæbreis S. Cyprian. cum Augustino.

32 Et si verò nos ista non cogitemus, nec dicamus, qui sufficienter his diuinis mysterijs initiati sumus, nihilominus, nobis etiam, non solùm inhumanum quid & crudele multum videretur, Christi Domini, sic carnem comedere, & eius bibere sanguinem, sed insuper horrendum nimis, necnon impium supra modum sacrilegum, atque execrandum prorsus. præter alia inconuenientia etiam quæ ex hoc ipso consequerentur: Vnde S. Bonauentura etiam loco citato, post prædicta subdit: *Quis verò nisi insipiens dicat, vt carnem crudam, & hominis cruorem, in propria forma sua comedere, & bibere debeas?*

His itaque de causis, & alijs etiam, quas omnitto, non in propria, sed in aliena specie dare voluit Dominus carnem suam hominibus ad comedendum, & sanguinem suum ad bibẽdum: Non in alia verò, nisi in specie panis carne, & in specie vini sanguinem, & multis pariter alijs rationibus, & congruentijs, quas idẽ S. Bonauentura egregiè satis inter alios multos recenset eodem loco, ca. 2. sic primò scribens. 33
Sed vide, quàm pulcrè Christus sub his tantùm duabus speciebus continetur: Primò, quia panis & vinum optimum sunt nutrimentum totius hominis: nam panis nutrit carnem, & vinum transit in sanguinem, qui est sedes animæ: Secundò, quia, eorum vsus est hominis principalior, communior: & mundior, & minus fastidiosus habetur: Ideo puritas spiritualis refectionis opportunè per ista significatur. Tertiò, quia optime figurant passionem Christi, quæ quotidie per hoc Sacramentum memoratur. Nam panis significat corpus illud trituratum, molitum, pistum in passione, decoctum & assum igne diuini amoris in camino .i. in ara Crucis: Vinum verò, significat sanguinem, qui de vua, scilicet, Christi corpore in torculari Crucis à calcantibus Iudæis expressus est: Quartò pulcrè significat corpus Christi, mysticum, scilicet Ecclesiam collectam ex multis fidelibus prædestinatis ad vitam, tanquam panis, & vinum ex multis granis, & racemis: Sic Sanctus Bonauentura.

Auctor sermonis de cœna Domini, inter 34
Bernardi opera aliàs affert rationes, propter quas, velari quidem, & palliari (vt inquit ille) voluit Christus Carnem suam & sanguinem in Sacramento: Et hoc non tamen sub speciebus carnis, & sanguinis, sed panis potius, & sanguinis, his verbis: *Odor, species, sapor, pondus, remanent ad mysterij ritum, & ad gustus suffragium, vt horror pœnitus tollatur, & meritum sortiatur, & ne humana infirmitas esum carnis, & potum sanguinis in sumptione horreret, Christus velari & palliari illa duo voluit speciebus panis & vini, quæ inter humani generis victualia, quodammodò tenent principatum: Nam ad litteram quidem, præ cibis omnibus cor hominis confirmat panis, & vinum lætificat: Sic itaque corpus & sanguinem suum sumenda proposuit, vt sensus in vno foueretur, in altero fides ædificaretur: fouetur enim sensus in vno, dùm solita tantùm &*

tùm &

tùm, & consueta proficit: ædificatur fides in altero, dùm oculo carnis videtur aliud exterius, oculus cordis aliud sentit, & veneretur interius: Aliud enim latet, aliud patet. Posuit enim tenebras latibulum suum. Quemadmodum enim, illic species videntur, quorum res vel substantia ibi esse nõ creduntur: sic res veraciter & substantialiter creditur, cuius species non cernitur: Videntur enim species panis, & vini: & substantia panis, & vini non creditur: Creditur autem substantia corporis & sanguinis Christi, & tamen species non cernitur: Proponitur igitur species panis & vini, vt doceatur plena, & perfecta esse refectio in sumptione corporis, & sanguinis Christi: plena refectio cibi, & potus: Cibi aũt & potus substãtia principales sunt panis & vinum: Sic Doctor ille.

35 *Sed iam videndum est hæc duo panis, & vini symbola, quàm apta sint ad eas res declarandas quarum Sacramenta esse credimus, & cõfitemur:* Sic ait Catechismus: & postea prosequitur hoc explicare, quòd promittit. Hæc & nos hic fideliter transcripta attendamus, & his ipsis sermonem nostrum claudamus: est enim Sanctę Ecclesiæ Doctrina, qua nil aliud ad rem nostram solidius, nec vtilius referre possumus: Sic ergo docet ibi Ecclesia de panis scilicet, & vini symbolis in Eucharistia loquens.

Primùm enim Christum nobis significant, vt vera est hominum vita: ipse enim Dominus ait: Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Cum igitur Corpus Christi Domini vita æternæ alimentum illis præbeat, qui eius Sacramentum purè & sanctè suscipiunt, rectè ijs potissimum rebus conficitur, quibus hæc vita continetur, vt fideles facile possint, intelligere pretiosi corporis, & sanguinis Christi Communione mentem, animumque saturari: Nonnihil etiam hæc ipsa elementa ad id valent, vt eam cognitionem accipiant homines, esse in Sacramento corporis & sanguinis Domini veritatem. Nam, cum panem & vinum in humanam carnem, & sanguinem vi naturæ quotidie immutari animaduertamus, faciliùs adduci possumus hac similitudine, vt credamus panis & vini substantiam in veram Christi carnem, verumque eius sanguinem Cœlesti benedictione conuerti. Affert etiam aliquid adiumenti hæc admirabilis elementorum mutatio ad adumbrandum quod fit in anima: Vt enim, etsi nulla extrinsecus panis & vini mutatio apparet, tamen eorum substantia in carnem, & sanguinem Christi verè transit, ita etiam, tametsi in nobis nihil immutatum videtur, interius tamen ad vitam renouamur, dum veram vitam Eucharistiæ Sacramento accipimus. Accedit ad hæc, quòd, cum vnum Ecclesiæ corpus ex multis membris compositum sit, nulla re magis elucet ea coniunctio, quàm panis vinique elementis: Panis enim ex multis granis conficitur, & vinum ex multitudine racemorum existit: Atque ita nos, cum multi simus, huius diuini mysterij vinculo arctissimè colligari, & tanquam vnum corpus effici declarant: Hæc Catechismus: Quæ cum alijs sufficiant pro verborum Domini declaratione: *Caro mea verè est cibus: & sanguis meus verè est potus.* Amen.

SERMO QVARTVS.

Pro Dominica infra octauam Corporis Christi: Quòd Eucharistia est cœna magna.

Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos, &c. **S. Lucas cap. 14.**

ARGVMENTVM.

Cœna magna Euangelica Eucharistiam significat: & diuersi ad cœnam vocati diuersos similiter vocatos ad Eucharistiam: alia prætereà, quæ de cœna hac narrantur, Eucharistiæ conueniunt.

1 De Celesti beatitudine communiter interpretantur Doctores ea, quæ de cęna hac magna in Euangelio dicuntur: Nonnulli tamen de Doctrina scripturarum, & Euangelica potissimum hęc intelligunt: Quidam etiam fidei Christianæ illa accomodant: alij itè aliter hæc ipsa exponũt: Nos oẽs & approbamus, & veneramur: sequimur aũt nũc eos, qui Eucharistiæ hęc omnia tribuunt, cęnã magnã illã vocãtes. Hoc distinctius, ac diffusius modò explicemus, & qui nã sint ẽt ex multis vocatis, qui ad ipsã cęnam venerunt, & qui venire noluerunt, & horum varias excusationes, & alia multa.

2 De Eucharistia ergo dicere incipiamus: *Homo quidam fecit cœnam magnam. Quis est iste homo* (inquit hoc loco Augustinus serm. 33. De verbis Domini) *nisi mediator Dei, & hominum, homo Christus Iesus? Qui scilicet cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se equalē Deo: sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, & in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus, vt homo:* Ideoque etiam filius Dei semper cum esset, filium tamen hominis se vocare consueuerat. *Homo iste* (inquit Cyrillus) *Deus est Pater, qui magnam in Christo cœnam parauit, qui nobis dedit proprium corpus comedere.* Eucharistia ergo hæc magna cœna est, quàm homo quidam, qui etiā Deus est, Iesus Christus Dominus noster, videlicet, instituit, quando etiam vltimam cœnam suam cum Discipulis suis fecit: Vnde & Paulus eandem Eucharistiam Dominicam cęnam appellauit: de illa enim ad Corinthios scribens, ait: *Iam non est Dominicam cœnam manducare: Eos ad illam trasmittens vesperam* (ait hoc loco Chrisost.) *in qua Christus reuerenda tradidit Sacramenta: Credite igitur omnes* (inquit idem hom. 51. in Matth.) *quia nunc etiam illa cœna celebratur, in qua Christus recumbebat: nihil quippe interest inter illam, & hanc: Non enim hæc ab homine, illa ab ipso conficitur: sed & hanc & illam ipse efficit:* Sic Chrisostomus de Eucharistica cœna ibi: Vnde clarius etiam sic de ipsa colligit ex prædictis: *Quando igitur Sacerdotem corpus tibi præbere videris, noli Sacerdotis, sed Christi manum ad te porrigi arbitrari.* Hinc, & Augustinus sermone citato, ait: *Cœnam manibus suis consecratam Discipulis dedit, sed nos in illa conuiuio non discubuimus, & tamen ipsam cœnam fide quotidiè manducamus.*

3 Dicitur verò magna hæc cœna primùm à magnitudine cibi, & potus eius: Quia caro Christi, quæ verè est cibus, est huius cœnę cibus: & sanguis eius, qui est verè potus, est eiusdem cœnę potus. Magna cœna etiam dicitur, quia, qui hanc cœnam fecit, sic magnus est, *quòd magnitudinis eius, non est finis:* Ideoque illum *totus non capit orbis.* Homo quidam certè, sed, & Deus simul, vt dictum est: filius quidem hominis, Idest Mariæ Virginis, sed filius etiam Dei, qui de seipso, & de hac magna cęna sua Eucharistica sub methaphora pronūciauit: *Homo quidam fecit cœnam magnam:* Et addidit item: *Et vocauit multos.* Multos per se ad hanc cœnam suam vocauit, nempè Discipulos suos specialiter, quos ipsa cœna refecit, quando illam in vltima sua cœna fecit: Et cum Discipulis etiam Iudeos alios personaliter inuitauit, cum quibus, vt cum illis de Eucharistia sœpè disseruit: Per hos verò multos, quos sic ad magnam suam cęnam in persona propria vocabat, omnes omninò homines vocare intendebat: sicut omnes etiam ad eam per Discipulorum eorundem successores continuò vocat, & vocabit semper: Vnde ex hoc etiam rectè magna cęna dicitur, quia ex eo tempore, quo cępit, vsque ad mundi finem, continuò, & in toto orbe perdurabit. *Nec solot Sacerdotes* (inquit Sanctus Cyprianus, de cœna Domini,) *ad panes huius dignitatis lauirici prerogatiua admittit: Vniuersa Ecclesia ad has epulas inuitatur: æqua omnibus portio datur: integer erogatur: distributus non diuiditur: incorporatur, non iniuriatur: recipitur, non includitur, &c.*

4 Aliàs quidem magnas cœnas prophani scriptores celebrant: verumtamen est differentia etiam magna nimis inter hominum cęnas magnas, & cœnam magnam illam, quàm quidam homo fecit, qui etiam Deus est: Scribit Atheneus (vt alia omittamus) *quòd Alexander magnus sexaginta, aut septuaginta amicos apud se in cœna frequenter habebat: At Rex Persarum cum quindecim millibus virorum cœnabat, vterque magnis impensis, sed inter se æqualibus.* Amicos verè solum ad cœnam suam Christus vocat, dicens eis: *Comedite amici, & inebriamini charissimi:* Verùm hi, nec magni Alexandri, nec Persarum regum, nec alio quocumque maiori præscribuntur numero: quia: *Vniuersa Ecclesia ad has epulas inuitatur,* vt inquit Cyprianus. *Magnis expensis* (vt inquit Atheneus) *& Alexander, & rex Persarum cœnas suas faciebant:* at sine vlla quidem expensa suam fecit, & facit Christus cœnam: verumtamen, ipsa cœna super omnes cœnas valet, & ęstimatur, quia in ea Dei filius impenditur, *in quo sunt omnes Thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi:* Col. 2. Et quia cibus, & potus eius est ipse Christus, eiusdem etiam cœnæ factor, & institutor: Quòd omninò singularissimum est, ac mirabile nimis, & inauditum, & in quo etiam præsertim hæc cœna cœnas aliàs omnes in immensum antecellit: Vnde Incertus apud Bernard. de ipsa cœna Domini ait: *Nota: Christus in cœna illa munerans, & munus, cibans & cibus, conuiua & conuiuium, offerens & oblatio.*

5 Verùm ex quo de Persarum Regibus nunc mentionem fecimus, aliud hic ad rem nostrā, de eisdèm referamus exemplum, quòd scribit

Herodotus

Herodotus: *Reges Persarum* (inquit) *quottannis regiam cœnam instruunt, quam sua lingua Tictam, scilicet perfectam vocant, in qua Rex solum caput ornatur. Persas strenis donat. & quidquid oratus fuerit, concedere cogitur.* Vere regia cœna, ac omninò perfecta dicenda est Eucharistica cœna. Hanc enim, & Rex regum omnium Christus Dominus instruxit, & in illa idem est, (vt iam dicebamus) munerans & munus, cibans & cibus, conuiua & conuiuiũ: In illa, non solùm nobis dona dat, & quidquid a nobis rogatus fuerit, vt Rex Persarum suis: Sed seipsum preterea nobis donat, cum quo insuper iam omnia Pater nobis donauit: Et quia denique, (vt ait Sanctus Cyprianus de eadem ipsa cœna: *Non iam ad elaborata impensis exactè conuiuia populi inuitantur: sed immortalitatis alimonia datur, a communibus cibis differens: corporalis substantia retinens speciem, sed virtutis Diuinæ inuisibili efficientia probans adesse præsentiam.*

6 Vnde huius tàm magnæ cœnæ factor, non solùm post quàm illam fecit, ad illam homines inuitauit, sed multis etiam antea sæculis in figura, priusquàm illam faceret in veritate: & signanter Ezech. 39. in verbis istis. *Conuenite, properate, concurrite vndiq; ad victimam meam quàm ego immolo vobis, victimam grandem super montes Israel: vt comedatis carnem, & bibatis sanguinem.* Cœna hæc magna est etiam victima siue sacrificium, & victima: & sacrificiũ grande siue magnum: Ideò victimam illam appellat, & sacrificium grande: *Ad victimam grandem, quàm ego immolo vobis*: inquit, vulgata lectio nostra: *Ad sacrificium meum, quòd sacrifico vobis, sacrificium grande*: inquit Hæbraica: Itẽ quia nõ solùm sacrificiũ grãde hęc cęna magna est, sed ẽt Sacramẽtũ, & Sacramẽtum grãde, siue magnũ similiter, cõtinẽs carnẽ, & sanguinem eiusdem cœnæ factoris Iesu Christi Domini nostri, quæ sunt huius magnæ cœnæ cibus, & potus: Ideò cum sacrificium magnum hanc cœnam magnam dixerit, vt indicaret, etiam esse Sacramentum magnum similiter, statim eiusdem cęnæ magnæ cibum, & potum explicauit, qui in illa sumitur ab his, qui ad illam vocantur: *Vt comedatis* (inquit) *carnem, & bibatis sanguinem*: Illã nempe carnem, de qua idem Christus testatur: *Caro mea verè est cibus*: & illũ similiter sanguinẽ, de quo idem immediatè subdit: *& sanguis meus verè est potus.*

Et nõ solùm hæc oĩa in hoc inuitatu singulari ad Eucharisticam cœnam explicantur, sed locus præterea, in quo homo ille quidam postea fecit hanc cœnam magnam, in quo hoc magnum sacrificium primò sacrificauit, & in quo hoc Sacramentum magnum primò confecit: Ait enim: *Ego immolo vobis victimã grandem super montes Israel: sacrifico vobis sacrificiũ grande super montes Israel*: Vnus enim vere ad litteram ex montibus Israel fuit mons Sion, in quo Christus Dominus Eucharistiam instituit. Montes etiam Israel dici possunt Altaria nostra, in quibus Eucharistiam & nos conficimus, in eiusdem Christi memoriam. Israel enim videns Deum interpretatur & ideò Israel fideles dicuntur, quia, hi per fidem Deũ, vident super quorum Altaria hoc grande sacrificium sacrificatur: Et quia in eisdem mõtibus Altarium suorum Dei filium humanatum, etiam per speciem vident: Et non solùm vident, sed etiam tangunt, & manducant corpus eius, & sanguinem eius bibunt, huius magnæ cęnæ verè cibum & potum. 7

Vnde cum propter hæc omnia, tàm magna cœna hæc sit, etiam antequam fieret, ad illam, qui illam fecit, omnes inuitauit, & præterea notabilibus etiam, ac iteratis verbis istis: *Conuenite, properate, concurrite vndique ad victimam meam: ad sacrificium meum*: *Conuenite*: Idest (secundùm aliorum lectionem) *congregamini*, vel *congregate vos*: *Properate*: Idest, *cito venite*: *Concurrit vndique ad victimam*: Idest, *congregate, vel colligite vos ab omnibus per circuitum ad sacrificium meum, ad Sacramentum meum: denique, ad cœnam meam, homo* enim *quidam fecit cœnam magnam: & vocauit multos.* 8

1

9 Pro cęna hac magna animaduersione dignum videtur, quòd cum quatuor sint potissimum in magna aliqua cœna inter alia, quæ etiam magnam illam reddunt, nempè ille, qui cœnam facit secundò hi, pro quibus cœna fit tertiò cœnæ locus, in quo fit, & quartò denique, & vltimò eiusdem cœnæ cibus, & potus, duo tantùm ex his expressa sunt (vt audiuimus) in Ezechielis Prophetia, nimirùm cœnę locus, scilicet montes Israel, & cœnæ potus & cibus, scilicet Christi caro & sanguis. In Apocalypsi verò Ioannis, vbi alia ad eandẽ cœnam inuitatio auditur, alia duo nominantur quæ apud Ezechielem tacentur, videlicet, ille, qui cœnam magnam fecit, & illi, quos ad eã factor eius inuitauit: Attẽdamus Apoc. 19.

Et vidi (inquit Ioannes) *vnum Angelum stantē in sole: & clamauit voce magna omnibus auibus, qui volabant per medium cœli: Venite: & congregamini ad cœnam magnam Dei.* Angelus testamenti (vt notum est in scripturis) Christus est qui, & vnus est: Hic in sole, nempè diuinitatis posuit Tabernaculum suum: ideoque in sole stare dicitur: In splendoribus enim Sanctorum ante Luciferum à Patro genitus est: Ipse candor lucis æternæ, speculum sine macula, & imago Dei maiestatis. Hic cum Eucharisticam cœnam suam fecisset, voce magna, sicut etiam magno affectu clamauit, omnes homines ad suam cœnam inuitando, qui hoc loco aues dicuntur, quia agiles, & leues esse debent, tanquàm aues in promotione bonorum operum, secundùm Lyrani expositionē, quum ad ipsam cœnam accedunt, & tanquàm aues, per medium cœli volare consideratione, & affectu Cœlestium, quasi duabus alis, vt in veritate dicant id, quod dicebat, qui simili modò in Cœlum volabat, & raptus est etiam vsque ad tertium Cœlum: *Nostra autem con-*
9 *uersatio in Cœlis est. Clamauit voce magna* (inquit Ioannes de Angelo testamenti) *omnibus auibus, qui volabant per medium cœli.*

10 Modo quid dicit voce magna clamans Angelus testamenti Christus Dominus auibus omnibus per medium Cœli volantibus, idest pijs omnibus fidelibus? En: sequitur statim: *Venite, & congregamini ad cœnam magnam Dei:* Eucharistia enim magna cœna Dei, (vt dictum est) vocatur, quia Deus, qui etiam hoc loco homo dicitur, quia etiam homo est, hanc magnam cœnam fecit: & quia idem in illa est cibus nempe, & potus eius: Et quia denique, idem etiam Deus, & homo, ad eandem vocauit multos: Et hoc idem de seipso per similitudinem expressit, dicens: *homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos:* quòd Discipulus eius postea sic replicauit, *Venite, & congregamini ad cœnam magnam Dei.*

Vnde, & de eadem cœna scripsit iterum,
11 idem Ioannes: *Beati qui ad cœnam nuptiarum agni vocati sunt:* agni videlicet illius, de quo ait Sacerdos ostendens, & porrigens eum in ipsa cœna cœnantibus, *Ecce agnus Dei, Ecce qui tollit peccata mundi:* Agnus Dei, qui Deus & homo est, idemque peccata mundi tulit, quando etiam hanc magnam cœnam fecit.

12 *Et vocauit multos,* subiungitur in Euangelio: *In Euangelio* (inquit Sanctus Augustinus vbi supra) *ad cœnam vocati sumus: Immò alij vocati: Nos non vocati, sed ducti: Non solùm ducti, sed etiam coacti: sic enim audiuimus, quia homo quidam fecit cœnam magnā:* Et paulò infra idē: *Misit, vt venirent inuitati: quia hora iam erat, vt venirent.* Et quidem pro Eucharistia, hoc ipsum, quòd indicat Augustinus ex Euangelio, & id etiam, quòd sequitur immediatè ad prædicta, & de cœna, & de inuitatu multorum ad eam, hoc scilicet: *Et misit seruum suum hora cœnæ dicere inuitatis, vt venirent, quia iā parata sunt omnia,* videtur non vacare mysterio pro eadem Eucharistia: Quia, quando Christus cœnam hanc magnam fecit, Eucharistiā nimirum instituendo, multos, nempe Discipulos specialiter, & alios etiam Iudeos, vt iam explicauimus, ad eam vocauit, & inuitauit: sed tunc statim non misit seruum suum, hoc est ordinem Prædicatorum Euangelicorum (vt Gregorius, & alij exponunt) ad inuitatos, sed hora cœnæ tantùm: *Et misit seruum suum hora cœnæ* (inquit) *dicere inuitatis, vt venirent: quia iā parata sunt omnia:* Hora cęnę generalis ergo pro omnibus inuitatis, vt ad illam venirent, non fuit, quando ipsa cœna facta est, & quādo solùm a Christo ore tenus inuitati specialius, scilicet Discipuli eius, ad illam venerūt cœnam, & cum illo cœnauerunt: sed hæc hora fuit post Christi Passionem, & Resurrectionem, quandò nimirum Spiritus sanctus super Discipulos eosdem descendens, & seipso eos replens, eorum corda edocuit ad plenè cognoscenda huius Sacramenti mysteria: & tūc etiam per eorundem prædicationem, de ipso Sacramento plenius edocti primi illi Christi fideles cœperunt cum Apostolis ipsum frequētare: *Erāt autem* (inquit Apostolorum historia) *perseuerantes in doctrina Apostolorum, & Communicatione fractionis panis, & orationibus.*

Et videntur illa quę dicimus de hora cœnæ 13
Eucharisticæ, in qua sola seruum suum misit Christus vocare inuitatos ad eam, esse non tantùm de mente Angelici Doctoris in suo sermone de Eucharistia, feria sexta octauæ eiusdem festi, sed etiam de mente Augustini in supracitato loco: eius verba sunt hæc: *Parata iam cœna, immolato Christo post Resurrectionem Christi, commendata quam sciunt fideles cœna Domini, eiusque manibus, & ore firmata: missi sunt Apostoli, ad quos missi ante fuerant Prophetæ. Venite ad cœnam.* Hæc Augustinus de Eucharistiæ cęna, & de hora eius, de qua, & Dominus factor eius: *Et missit seruum suum hora cœna dicere inuitatis, vt venirent: quia iam parata sunt omnia,*

14 Et

14 Et vos inuitati estis, fratres: seruus sum ego eiusdem inuitantis, etsi indignus, & de eodē ordine Prædicatorum Euangelicorum: sicut magna est cœna hęc, sic magna etiam, & longissima hora eius est: Nam per multos iam annos hæc vna hora perdurauit, & perdurabit etiam vsque ad mundi finem: Et parata semper erunt omnia, quæ ad cœnā pertinent: Ad vos modò me misit Dominus noster Iesus Christus eiusdem cœnæ factor, & inuitator, tanquàm ad inuitatos; vt dicam vobis etiam tanquam inuitatis: Venite ad cœnam. Itaque inuitationem cœnę audiuimus, eius euentum nunc audiamus.

15 *Et cœperunt simul omnes excusare*: En euentus inuitantium simul, & inuitatorum ad cęnā magnam: Non venerunt ad illam, qui inuitati fuerant, & vocati, nec omnes, nec eorum aliqui, *Sed cœperunt: simul omnes excusare, Excusauerunt* (inquit Augustinus) *qui venire noluerunt*: Quomodò? quænam sunt, & quot sūt horum inuitatorum excusationes, quominus ad cęnam venirent? *Tres fuerunt excusationes*, ait idem Augustinus enumerans eas, ex ipso Euangelio: Sic enim Euangelium: *Primus dixit ei: Villam emi & necesse habeo exire, & videre illam: Rogo te, habe me excusatum*: Hæc primi se excusantis prima quoque excusatio est: sequitur secunda secundi excusatoris excusatio: *Et alter dixit: Iuga Boum emi quinque, & eo probare illa: Rogo te, habe me excusatum*: sequitur adhuc excusatio tertia tertij excusatoris: *Et alius dixit: Vxorem duxi, & ideò non possum venire*.

16 Rectissimè cœnam hanc magnam esse Eucharistia prædicamus: quia qui se excusant ne ad hanc magnam cęnam veniant, se excusant etiam, ne ad Eucharistiam sumendam accedāt, & eisdem prorsus tribus excusationibus: *Putamus nō istæ sunt excusationes, quæ impediunt omnes homines, qui ad istam cœnam venire detrectant*: Sic ait Augustinus, & postea subdit statim: *Quæramus eas, discutiamus, inueniamus: sed vt caueamus*. Tres excusationes tria sunt peccatorum genera generalia, & communia, quæ (vt tradit idem Augustinus) impediunt omnes homines, qui ad Eucharisticam cęnam venire recusant, Superbia scilicet, Auaritia, & Luxuria: His enim declinant homines cor suum *in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis*: Vnde Nicolaus noster de Lyra has ipsas exponens excusationes, ad primam: *villam emi, &c.* sic ait: *Notantur superbi per Dominium Villæ emptum, quia superbi volunt alijs dominari*: Ad secundam similiter: *Iuga Boum, &c.* ait: *Per hoc autem intelliguntur cupidi terrenis nimis intenti, finem suum ibi constituentes*: tertiò ad tertiam excusationem: *Vxorem duxi*: sic ait similiter. *Per hoc intelliguntur carnales, & lasciui*.

Eodem modò hæc verba moraliter interpretantur hoc loco Augustinus, Gregorius, & alij communiter: Hinc Aug. hic sic cū Ioan. exclamat: *O qui ad cœnā Domini venitis, nolite diligere mundum, nec ea quæ in mundo sunt*: Et infra: *Quisquis dilexerit mundum, non est charitas patris in illo: Quoniam, omnia quæ in mundo sunt, concupiscentia carnis sunt, & concupiscentia oculorum, & ambitio sæculi*, Et posteà Ioannis doctrinam Euangelij huius doctrinæ adaptans, statim subdit de Ioannis doctrina, & de Euāgelio illo: *Ab vno cœpit, quo Euangelium terminauit: Inde ille cœpit, vbi Euangelium terminum posuit: Concupiscentia carnis: Vxorem duxi: Concupiscentia oculorum: Quinque Iuga Boū emi: Ambitio sæculi: Villam emi*: Sic August. 17

Manifestum est ergo, charissimi, quòd peccata nostra ex prauis cupiditatibus nostris, & ex mundi huius sollicitudinibus ac molestijs præsertim prouenientia, sunt excusationes nostræ vel illarum principalis causa, quibus nos excusamus, ne ad hanc cenam magnam Eucharistiæ veniamus, vel saltem tardè multum ac indeuotè, Superbia, scilicet, Auaritia, & Luxuria, generalissima vitia, ad quæ omnia alia reducuntur, Vnde rectè, ex his omnibus inferre possumus, sicut infert Sanctus Gregorius de Cęlesti gloria, de qua (vt ab initio dicebatur) communius hæc Euangelij parabola interpretari solet. *Ad cœnam ergo nos æterni conuiuij summus pater inuitat*: Sic ait Gregorius de æterno conuiuio Beatitudinis: Nos verò, sic ex illo, & cum illo dicamus. *Ad cœnam ergo conuiuij Eucharistici summus pater familias inuitat*. Posteà prosequamur pro Eucharistia similiter. Gregorij verba: *Sed dùm alius Auaritiæ, alius curiositati, alius voluptati carnis est deditus: simul reprobi simul oēs excusāt: Dū hūc terrena cura occupat, illū alieni actus sagax cogitatio deuastat, Alterius mentem voluptas carnalis inquinat, fastidiosus quisque ad æternæ vitæ epulas non festinat*. Vnde de his omnibus contestatur Dominus: *Dico autem vobis: nemo virorum illorum qui vocati sunt, gustabit cœnam meam*: idest. *Nemo virorum illorum excusātium*, vt exponit Interlinealis: Quia peccatores quicunque, & præsertim hi, quos commemorauimus, nempè Superbi, Auari, & Luxu- 18

riosi, per



riosi, per tres in Euangelio se excusantes a cęna figurati: quia seipsos pariter se excusare solent, ne ad cęnam Eucharistiæ veniant: hanc minimè gustat vllo pietatis vel deuotionis affectu, sed mundialia solùm, ac terrena appetentes auiditate nimia, propriis semper curis ac sollicitudinibus multipliciter implicati sunt ac detenti.

19 Vnde, etsi sępius inuitentur, ac vocentur, & interiori inspiratione, & sacrorum librorum lectione, & præcipuè Prædicatorum & aliorum voce, incipiunt tamen omnes simul se excusare, quòd Villam vel Boues emerint, vel quòd Vxorem duxerint, & quòd, ideò non possunt, vel nolũt venire: Ideoq; vocãtes pastores & alios rogant, vt seipsos excusatos habeãt. *Rogo te habe me excusatum:* Vnde si intrant aliquando, scilicet in Paschate saltem post annum, vel etiam post annos ad hanc Christi cęnam, non voluntariè, vel libenter intrant, sed compelluntur intrare metu, vel pudore, aut censurarum comminatione, vt impleatur Christi Domus Ecclesia, & impleatur simul, vel compleatur communicantium numerus cuiuscunque particularis Ecclesiæ vel Parochiæ.

20 Vnde de ijs, alio etiam modò liceat nobis pro eadem Eucharistia Euangelij explicare verba, quæ Dominus protulit de superbis potissimum, de Auaris, & de Luxuriosis a cœna eius se excusantibus. *Nemo virorũ illorũ, qui vocati sunt gustabit cœnam meam:* Idest a cęna mea illos omnes arceo, ac prohibeo, ne illam gustent? Quia, illa & indigni sunt prorsus, & indignos se comprobant, corde, ore, & opere, Vnde hæc audiens, etiam irascitur: *Et reuersus seruus, nunciauit hæc Domino suo: Tunc iratus paterfamilias, dixit seruo suo, &c.* Audiamus Patris familias seruum quendam, & seruũ Sanctum, nempè Sanctum Cyprianum voluntatem Domini sui exprimentẽ in sermone suo iam citato de cęna Domini: Sic enim ad vnũquemque prædictorum de Eucharistia: *Abi retrò cum fasellis tuis, qui lucris inhias, & mercedes sectaris, qui opulentus in Syon quotidiè crapularis, qui in lectis eburneis recubas, & in stratis segmentatis lasciuis, qui vestiris mollibus, & in terra suauiter viuentium conuersaris: Cuius manus plena sunt sanguine, cuius lumbi discincti sunt, & sine balthei discurris ligamine: Non est tibi pars in sermone isto, quia quòd Dei est, aufers Deo, & imaginem Dei consecras Idolo:* Sic Sanctus Cyprianus de indignis cenæ Domini, qui sicut ab illa se excusant, sic ab illa illos excludit idem Dominus, dicens de illis: *Nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cœnam meam.*

Sed quinam, sunt, qui non se excusauerunt, 21 & cęnam illius gustauerunt? Prosequamur Euangelium: *Tunc iratus Paterfamilias* (contra se excusantes scilicet) *dixit seruo suo: Exi citò in Plateas, & vicos ciuitatis, & pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc:* Euangelium legimus: Legamus modò Cyprianum Euangelium exponentem. *Pauperes quidem spiritu* (inquit ille statim post prædicta) *ad hoc mysterium eligit, & diligit Spiritus sanctus, & eorum, qui pompaticè & gloriosè sacris se Altaribus ingerunt obsequia detestatur:* Et progreditur adhuc exemplo suam, & Euangelicam etiã confirmare doctrinam dicens: *Ozias licet Rex, ob præsumptionem, lepra percussus, a sanctuario ingressu repellitur: Et eius oblatio, quasi sordida refutatur, incensi odor de immundorum manibus reputatus est profœtore: Et iram non gratiam præsumptio meruit: quia contra fas rem vsurpans illicitam, temerariè in sancta conscendit:* Sic S. Cyprianus.

Et homo quidã, qui fecit cœnam magnam, 22 sic de ea ad seruum suum: *Pauperes ac debiles, cæcos & claudos introduc huc:* *Per pauperes* (inquit Lyranus in morali) *intelliguntur verè humiles, qui sunt pauperes spiritu, vt exponit Augustinus: Beati pauperes spiritu, idest, non habẽtes inflantem spiritum: Per debiles, nihil sibi virtutis attribuentes: Per cæcos, visum ab illicitis reprimentes: Per claudos, defectus proprios considerãtes: Omnes isti sunt ad cœnam Dominicam introducendi,* Et Sanctus Augustinus. *Veniant medici (ait) quia ille inuitat, qui propter nos, pauper factus est, cum diues esset, vt illius paupertate mẽdici ditaremur. Veniant debiles, quia non est opus sanis medico sed male habentibus: Veniant claudi, qui ei dicant: Compone gressus meos in semitis tuis: Veniant, qui dicant: Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte: Tales venerunt ad horam, illis prius inuitatis sua excusatione reprobatis, venerunt ad horam.*

Sed vnde isti omnes venerunt? De duobus 23 locis qui secunda uice vocati sunt tantùm, nẽpè de plateis, & de vicis ciuitatis: *Dixit Paterfamilias seruo suo, exi citò in uicos, & plateas ciuitatis:* In duobus alijs locis erant, qui tertia vice vocati sunt ab eodem, & etiam compulsi, *Exi in vias, & sepes, & compelle intrare:* Quid est hoc? Est ne in his aliquod mysterium? Profectò. Audiamus illud, ex ordinaria glossa horum verborum: *Moraliter* (ait) *mittit ad plateas, cum peccatores, de latioribus vijs vocat ad*

angustam

angustam, quæ ducit ad vitam: *Mittit ad vicos, cum illos vocat, quos temporalium rerum coarctat inopia*: *Mittit ad vias, cum illos vocat, qui iam in quodam bonæ voluntatis tramite constituti sũt: nullis cupiditatibus temporalium occupati. Mittit ad sepes, cum eos vocat, qui culta ab incultis secernunt, & incursus arcent bestiarum*: *Idest bona a malis distinguunt, & munimenta fidei aduersus Diaboli tentamenta obtendunt*: Sic glossa.

24 Et quorsum ista pro Eucharistia referimus? Ad hoc certè, vt & vos qui hęc auditis, horũ documento & exemplo ad cęnam Eucharisticam venire non differatis, cum ad hanc, non semel tantũm, vel bis, vt illi, sed pluries, & quotidiè vocati sitis, per magnipatrisfamilias seruum Euangelicum Prædicatorem, & hoc, siue pauperes sitis modò exposito, siue debiles, siue cęci, siue claudi: Et præterea, siue in plateis sitis, siue in vicis ciuitatis, vel in vijs, aut in sępibus: quia, hi omnes, magna Domini cęna digni facti sunt. *Notandum enim* (inquit ipsa glossa.) *quòd sicut peccatores fuerunt qui venire noluerunt, ita a peccatores sunt qui veniunt, sed superbi peccatores respuuntur, humiles eliguntur*.

Peccatores, om nes sumus: *Omnes enim* Rom. 3. *peccauerunt, & egent gloria Dei*: sufficit verò, vt ex peccatoribus pęnitẽtes deueniamus, vt ad Eucharistiæ cęnã veniamus: *Tollamus ergo de medio* (inquit Augustinus) *excusationes vanas, & malas, & veniamus ad cœnam, qua intrinsecus saginemur*: *Non nos impediat extollentia superbiæ*: *Nõ nos extollat, vel nos terreat curiositas illicita, & auertat a Deo*. *Nõ nos impediat voluptas carnis a voluptate cordis*: *Veniamus, & saginemur*: Sic Augustinus. Hæc quæso diligenter obseruemus, vt ad cęnam promptè veniamus, & dignè accedamus, ac verè gustemus illam: Nam (vt ait idem Augustin.) *Quam multi & modò in ipsa cœna, quamuis illam tunc mensam non viderint, nec panem quem Dominus gestauit in manibus, oculis suis non aspexerint, vel faucibus gustauerint, tamen, quia ipsa nunc præparatur, quã multi etiam nunc in ipsa cœna iudicium sibi manducant & bibunt*.

Itaque qui serui sunt, scilicet Prædicatores omnes, & vbique & semper vocare non desistant in nomine Domini, vt impleatur domus eius Ecclesia: Quia adhuc locus est, & erit semper, vsque ad mundi finem in hac sacræ mensa cęnæ: Vocemus iterum atque iterum, & compellamus exemplo etiam, ad illam intrare: compellemus enim præsertim pauperes, ac debiles, cęcos, & claudos: Quia, ait Sanctus Gregorius hoc loco: *Qui huius mundi aduersitatibus fracti, ad Dei amorem redeunt, atque a præsentis vitæ desiderijs corriguntur, quid isti fratres mei, nisi compelluntur, vt intrent?* Sic Gregorius. Eia intremus omnes ad cęnam agni prouidi, sed stolis albis candidi. Amen. 25

SERMO QVINTVS.

Pro Aduentu: De paranda via Eucharistiæ ad nos venienti.

Parate viam Domini: *Rectas facite semitas eius*: *& videbit omnis caro salutare Dei*. S. Lucas 3. cap.

ARGVMENTVM.

Eucharistia salutare Dei dicitur, quia eam instituit, & in ea est Dei filius Saluator mundi, veram nobis tribuens animæ & corporis salutem, quòd in seipsis experiuntur omnes homines, si tamen ad eius susceptionem dignè se præparant, dùm præsertim eiusdem Christi aduentum in mundum per carnem celebrant: Hoc est parare vias Domini, & rectas facere semitas eius, & latius explicatur.

1 VEre dignum, & iustum est, æquum, & salutare, de salutari Eucharistia, quæ & salutare Dei dicitur, sermonem edere specialem pro hoc aduentus filij Dei tempore, quòd nunc celebramus, ex quo tot alios edimus, pro varijs alijs de Eucharistia opportunitatibus, & cum ipsa Eucharistia etiam aduentus quidam eiusdem

dem Christi in mundum, qui salutare & Saluator noster est, dici possit, qui in ea ad nos veniens, veram nobis salutem confert. Vnde, sicut de eodem in carnem aduentu cantamus: *Et videbit omnis caro salutare Dei*: Sic de Eucharistia quoque idem procul dubio cãtare poterimus, & in eiusdem natalis die præsertim iam vicino, in quo ipsum mentis oculis videbimus de Virgine ad nos venientem in præsepio: Et oculis carnis etiam eundem intuebimur venientem ad nos de Cęlo in Altari: Sicque multifariam, multisque modis iam recitata ex Euangelio prophetia: *Et videbit omnis caro salutare Dei*, in nobis adimplebitur: Si tamen & nos, (vt par est) id præstemus prius, quod in eadem etiam pręmittitur: si paremus nimirum *viam Domini*: & *rectas* faciamus *semitas eius*.

2 Eia, hæc sunt ergo verba, fratres, quę loquar ad vos, cum sim vobiscum: *Parate viam Domini: Rectas facite semitas eius*: Hæc prima pars in prima parte nostri sermonis: *Et videbit omnis caro salutare Dei*: Hæc est secunda in secũda parte eius, In quibus clarius demonstrabimus primùm quonam modò, nos præsertim ad Eucharistiam præparare debeamus, instante scilicet iam Domini nostri natali: Deinde, quòd hoc modo dignè videbimus Saluatorẽ eundem nascentẽ in stabulo, & ad nos venietẽ in Altari.

3 Itaque iam incipiam, & illinc incipiam, vnde, & Sanctus Augustinus primum sermonem suum similiter de aduentu Domini incepit. *Appropinquante iam sacratissima solemnitate, qua Saluator noster inter homines nasci misericorditer voluit, fratres charissimi attentius considerate, qualiter oporteat nos in aduentu tanta potentia præparari, vt regem, & Dominum nostrum læti atque gaudentes, cum gloria, & laudibus mereamur suscipere, & in conspectu eius, inter coetus foelices Sanctorum gratulando exultare, magis quàm ab eo propter foeditatem nostram repulsi, inter peccatores æternam confusionem mereri.* Hæc Sanctus Augustinus tunc prædicauit ad suos, quasi pro commento eorum, quæ prius Ioannes prædicauit ad Iudæos, & nũc ego ad vos: *Parate viam Domini: Rectas facite semitas eius*: quæ ex dupplici vaticinio ab Euangelista sunt desupra, scilicet, Isaiæ, & Malachię & de Baptista litteraliter sunt intelligenda: Hic enim secundùm Patris sui Zachariæ aliam similiter Prophetiam; *Praibis enim ante faciem Domini parare vias eius*, Christi Domini nostri præcursor ac nuncius, ante illum in Iudæa prænuit parare vias eius, verbo atque exemplo: Tam scilicet vitæ suæ eximia sanctitate, quam etiam feruenti prædicatione & Baptismo: vt nempe eundem Saluatorem nostrum statim, ibidem manifestandum omnes audirent, illi crederent, illique omninò parerent ad salutẽ, de qua re modo non agimus: Vias nunc eidem Domino in Eucharistia ad nos venienti parandas prædicamus, dicentes omnibus.

Parate viam Domini: & ego enim inprimis viam Domini, quantùm scio & possum nunc vobis prædicando paro: Nam secundùm Greg. *Parat viam Domino, qui rectam fidem, & bona opera prædicat*: *Quia, fides est via, qua verbum ad cor ascendit*: Sic enim ait Interl. ad hæc ipsa verba: Quia secundùm eorundem verborum glossam, *Via Domini ad cor dirigitur, cum sermo eius diligenter auditur*: De via ergo Domini, non de via hominis prædicam[us], & consequenter, non de corporis via, sed de via cordis tantùm, per quam ipse Dominus ad cor nostrum venit: quia sicut scribit quidam: *Non terrenam semitam carpit, sed per secreta mẽtium incedit*. 4

Via itaque Domini ad homines venientis (inquit Diaacus stella Franciscanæ nostræ familię hæc verba pertractans) *est voluntas nostra: Ipse homo est domus, in qua Deus habitat, in quantum iustificatur, & est via in quantum disponitur ad iustificationem*: Et addit idem Doctor: *Sicut via est necessaria venienti, ita dispositio, & voluntas est necessaria ad iustificationem*: Ergo ad rem nostram, cum ad nos & in nobis venturus sit idem Dominus in Sacramẽto Eucharistiæ, quando præsertim etiam aliũ eius aduentum in mundo per natiuitatem celebrabimus, in nobis ipsis, hoc est in cordibus, in animabus nostris, per veram conuersionẽ & deuotionem viam parare debemus: & hęc ipsa erit ad eandem Eucharistiam sumendam digna præparatio, conueniensque dispositio, de qua re potissimũ agimus, scum prædicamus: *Parate viam Domini*. 5

Parate viam Domini (inquit Sanctus Hieronimus) *hoc est pœnitentiam agite & prædicate*: Via enim Domini, per quam ad homines venit est poenitentia: Per hanc ad nos Deus descendit, & nos ad illum ascendimus: Pęnitentia itaque, est prima via, quàm in nobis parare Domino pro Eucharistia debemus, his maximè diebus, vt dixi: Hinc & Ioannes, qui hoc idem, quòd nos prædicabat, scilicet: *Parate viam Domini*, in primis pęnitentiam & ipse prædicabat, & fructus dignos poenitentiæ 6

Vnde

Vnde Sanctus Matthæus cap. 3. *In diebus aūt illis venit Ioannes Baptista prædicans in deserto Iudeæ, & dicens: Pœnitentiam agite: appropinquauit enim regnum Cælorum:* Et statim, huius suæ prædicationis causam reddens, subiungit: *Hic est enim, de quo dictum est per Isaiam Prophetam: Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini.*

7 Et rursus de eodem scribit, quòd prædicabat similiter: *Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ:* & ad eandem pœnitentiā refertur, quòd subditur statim post prædicta verba. *Parate viam Domini, hoc nimirum: Rectas facite semitas eius:* Idest, secundùm Interlinealem: *Mores in melius mutate: Et sic fient semitæ rectæ bene viuendo;* Nam: *Rectas facit semitas* (inquit Beda) *qui mundas cogitationes in animo per prædicationem format:* Vel: *Rectas facere semitas eius;* Siue *dirigere,* vt apud alios legimus, est intentionem nostram in omnibus ad Deum dirigere, quæ secreta est, sicut, & semitæ secretiores sunt, & occultiores, quàm communes & publicæ viæ. Hæc sunt ergo quæ & ego suadeo, dùm pro digna susceptione proxima Eucharistiæ nunc ex Euangelio prædico: *Parate viam Domini: Rectas facite semitas eius.*

8 Et hæc ipsa sunt (subijcio) quæ Sanctæ Ecclesiæ Doctores, & contionatorum omnium magistri appropinquante iam Domini natiuitate populis suis prædicauerunt, & nostris pariter a nobis prædicanda exemplo suo ostenderunt, & Sanctus Chrisostomus in primis, os aureum ob eius eximiam eloquentiam & facundiam appellatum, & hic enim, cum quinque diebus ante Natiuitatem Domini, orationem ad populum de Beato Philogonio haberet, sicut in quinto tomo operum suorum legimus, ad hoc ipsum argumentum, quòd & nos modò tractamus, digressus est, dimidiam ferè sermonis sui partē in hoc ipso insūmēs. *Verùm ad aliam necessariam materiam nobis festinat oratio,* ait primo ad populum de Natiuitate Domini loquens, & de sancta Communione in eadem facienda: Et prosequitur: *Igitur, ne faciamus ad detrimentum, & condemnationem animæ nostræ, sed ad salutem: Iam nunc obtestor, obsecroque, vt omnibus modis repurgatis animis vestris, ita demū sacra adeatis mysteria:* Hæc S. Chrisost.

9 Similia S. Augustinus in præcitato sermone: *Rogo, & moneo, vt quantùm possumus, cum Dei adiutorio laboremus, vt in illo die, cum syncera, & pura conscientia, & mundo corde, & casto corpore ad Altare Domini possimus accedere, & corpus, & sanguinem eius non ad iudicium, sed ad remedium animæ nostræ mereamur accipere. In Christi enim corpore vita nostra consistit, sicut ipse dixit: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis: Mutet ergo vitam, qui vult accipere vitam: nam si non mutet vitam, ad iudicium suscipiet vitam: & magis ex ipsa corrumpitur, quàm sanetur: magis occiditur, quàm viuificetur:* Sic enim dixit Appstolus: *Qui manducat corpus Domini, & bibit sanguinem eius indignè, iudicium sibi manducat, & bibit.* Hæc omnia Augustinus, quæ tamen, sicut & totus ipse sermo, etiam inter opera Ambrosij reperiuntur. His consentanea multùm scripsit idem Ambrosius in quodam alio sermone, de Natali Domini loquens, quæ, prolixitatem euitans, omitto.

Ad Chrisostomum potius redeamus: com- 10
munem quandam excusationem multorum, cum illo referentes, & reijcientes simul, qua, scilicet, excusant se, ne impleant quæ eis modò prædicamus, ad dignam se Eucharistiæ perceptionem per veram pœnitentiam præparantes, vt dignè et Christi natiuitatē possint celebrare: Sic enim ad quēlibet ait Chrisost. *Neque mihi quisquam dixerit: Vereor: habeo conscientiam peccatis oppletam: sarcinam circumfero grauissimam: sufficit enim horum quinque dierum tempus, si sobrius fueris, si attentus, si vigilaueris, vt multitudinem peccatorum reddas cōtractiorem: Nec illud perpende, quòd breue tempus sit, sed illud considera, quòd benignus sit Dominus: quandoquidem & Niniuitæ tridui spacio tantum iram Dei a se depulerunt: nec obstitit illis tēporis angustia; sed animi promptitudo amplectēs Domini benignitatem, totum peragere valuit.* Vsque modò Sanctus Chrisostomus: Et adiungit etiam ad hoc ipsum de Magdalenæ pœnitentia, & de Zacheo, quæ apud eundem legi poterunt.

Post hæc verò idē repetens, sic concludit: *Hæc non egent multis diebus, annisue, sed solo animi proposito, & vnico die perficiuntur: Discede a malo, virtutem amplectere, desiste a prauitate, pollicere, te post hæc ista non commissurum, & istud sufficiet ad excusationem: ego testificor, ac fidei iubeo, fore, vt si nostrum quisque, qui peccatis obnoxij sumus, recedens a pristinis malis, ex animo, vereq; promittat Deo, se postea nunquam ad illa rediturum, nihil aliud Deus requirat ad excusationem maiorem.* Hæc omnia, ex Chrisostomo referre volui,

quia, fortè nihil aliud ex Patribus ad rem magis, & pro praxi ipsa opportunius, & pro eo, quòd modo prædicamus, cum Ioanne: *Parate viam Domini: Rectas facite semitas eius.*

11 Ad hoc ipsum enim faciunt sequẽtia verba: *Omnis vallis implebitur: & omnis mons, & collis humiliabitur: & erunt praua in directa: & aspera, in vias planas:* Futurum enim hoc loco pro imperatiuo capitur, more Hebreorum: vt sint hæc verba explicatio præcedentium: quo modò, scilicet, sit paranda via Domini, & rectæ faciendæ semitæ eius: Cum enim viæ parantur, partes eius humiliores ac depressiores, vt foueæ, & valles, repplentur, elatiores verò, & eminentiores humiliantur, ac complanantur: Similiter, si indirecta sit, vel contorta in aliqua sui parte via, dirigitur: Et tãdem, siquid etiam in ea sit, quòd asperam illam reddat, vel difficilem, vt lapides, ligna, lutum, spinę, vel quid tale, de ea tollitur, & omninò plana, & expedita viatoribus paratur.

12 Hæc in terrenis vijs fiunt, hæc etiam in cordis nostri vijs suo modò perficienda sunt, cum ad nos venturus sit Dominus per Sacramentum, & per natiuitatem suam: Additur enim statim post viæ apparatum: *Et videbit omnis caro salutare Dei:* Itaque vallis primò impleatur, idest, nos ipsi impleamur bonis operibus, & Spiritus sancti fructibus, secundùm Origenem. Item, qui vallis est per humilitatem, ac timorem, exaltetur per spem, & confidentiam in Deum: Qui verò mons est, vel collis per superbiam, & arrogantiam, per sui cogitationem, ac despectum, humilietur, ac deprimatur, attendens, quòd, *omnis, qui se humiliat exaltabitur: & qui se exaltat, humiliabitur:* Hæc enim, est glossa horum verborum, quàm affert Interlinealis.

Hinc & Gregorius hom. 7. in Euangelia illa Ioannis verba explicans: *Dirigite viam Domini, sicut dixit Isaias;* ait: *Quisquis ergo in superbiam mente se eleuat: Quisquis Auaritiæ æstibus anhelat: Quisquis se Luxuriæ inquinationibus polluit, cordis Ostium contra veritatem claudit, & ne ad se Dominus veniat, claustra animi seris vitiorum damnat.* Vitia ergo quæcunque viam Domini impediunt, propterea, cum dixerit de Superbiæ vitio tollendo: *Omnis mons, & collis humiliabitur,* protinus additum est: *Et erunt praua indirecta: & aspera, in vias planas:* Quia ex doctrina eiusdem Gregorij: *Praua fiunt directa, cum deteta per iniustitiam corda ad iustitiæ regulam diriguntur: Aspera verò plana, cum immites ad mansuetudinem redeunt.*

His modis omnibus ergo viam Domini parandam suadeo, dum cum Ioanne clammo: *Parate viam Domini, &c.* Si sic enim illam paremus, illum dignè videbimus mentis oculo, & in præsepio natum, & in Sacramento quasi renatum: *Et videbit omnis caro salutare Dei.* 13

Vnde idem Isaias etiam, de cuius prophetia præsertim hæc verba sumpta sunt, vt alias dictum est, de hac ipsa viæ Domini præparatione rursus agens 62. cap. eiusdem libri sui, eamdem denuò inculcat his vocibus: *Præparate viam populo.* Vel secundùm hebraicam litteram: *Expurgate viam populi,* Idest, conscientiam a peccatis: Addit Isaias: *Planum facite iter; eligite lapides:* Vel: *lapides de via proijcite.* Secundum 70. interpretes vel *Repurgate eam lapidibus:* Secundum Vatablum, Vt, scilicet, duræ obstinationis, & consuetudinis inueteratę vitiorũ lapides de nobis ipsis diligenter tollamus.

Sequitur adhuc Propheta: *Eleuate signum ad populos:* Hoc est: *Leuate signum in gentes,* vt placet 70. Vel: *Eleuate vexillum ad populos:* siue *super populos:* vt legunt Hebrei: Signum hoc, siue vexillum, quòd eleuandum præcipit Dominus ingentes, & ad populos, siue super populos, quando ad eosdem est in Eucharistia venturus, est signum siue vexillum Crucis Christi, secundùm Hieron. Cyrill. Procop. & alios: de hoc enim & Ecclesia in tempore passionis Christi canit: *Vexilla regis prodeunt fulget Crucis mysterium, quo carne carnis conditor, suspensus est patibulo.* Dicitur verè Crux Christi, signum, & vexillum Christianorum, quia debent ipsum, vt vexillum Christi ducis Christiani omnes, quasi milites eius in seipsis eleuare, eius exemplo in passione ipsa sibi exhibito, contra animæ hostes viriliter dimicando, & aduersa omnia patienter, pro amore eius sustinendo, eiusdem passionis memorantes: Et hoc vexillum eleuare debemus, præsertim quando ad Eucharistiam accedimus, pro digna præparatione: Nam hoc speciali modò dicimur via Domini parare, quòd, & ipse Christus Dominus iussit, quando illam nobis primitus tradidit sumendam, dicens: *Hoc facite in meam commemorationem.* Reliqua verò, quæ de hac præparatione viæ Domini hic dicuntur eodem modò intelligẽda sunt, sicut & alia primæ prophetiæ verba. 14

Parate

Parate viam Domini: Rectas facite semitas eius, &c.

15 Hinc, sicut in prima, cum docuisset Isaias, quo modò hæc via Domini in Eucharistia sit paranda, vt audiuimus, subintulit statim: *Et videbit omnis caro salutare Dei*, ita hoc loco pariter, post eamdem de via hac instructionem, subiungit: *Ecce Dominus auditum fecit in extremis terræ: Dicite filiæ Syon. Ecce Saluator tuus venit*: Ecclesia enim vsque in extremis terræ diffusa, hæc a Domino audiuit iam, & audit quotidie, scilicet, Saluatoris Christi aduentum in mundo per assumptam carnem, & in nobis ipsis per Sanctam Communionẽ: Vnde de vtriusque aduentus fructibus, & de eius gratia præsertim, & de alijs spiritualibus donis, etiam hoc loco subijcitur: *Ecce merces eius cum eo: & opus eius coram illo*: Pro quo Græcè 70. interpretes: *Ecce Saluator tuus venit habens mercedem suam, & opus suum ante faciem suam*: quo sensu pariter accipi possunt & illa, quæ iam explicauimus, hanc viæ præparationem explicantes: *Parate viam Domini*: quam cum iam satis nobis explicasse videatur, restat solùm vt hæc omnia exemplo quodam confirmemus, quod, quia Diui Augustini est, & Sancti Ambrosij etiam, prætermittere omninò non possumus.

16 *Considerate quæso fratres* (sunt Augustini verba in eodem sermone) *quando aliquis homo potens, aut nobilis natalem aut suum, aut filij sui celebrare desiderat, quanto studio ante plures dies, quidquid in domo sua sordidum inuenerit, ordinat emundari, quicquid ineptum, & incongruum, proijci; quicquid vtile & necessarium, præcipit exhiberi: Domus etiam, si obscura fuerit, dealbatur, pauimenta scopis mundantur, & diuersis respersa floribus adornantur: quicquid etiam ad lætitia animæ, & corporis delitias pertinet omni sollicitudine prouidetur. Vt quid ista fratres charissimi nisi vt dies natalitius cum gaudio celebretur hominis morituri? Si ergo tanta præparas in natalitio tuo, aut filij tui, quãta, & qualia præparare debes æterno? Quicquid ergo non vis inueniri in domo tua, quantùm potes labora, vt non inueniat Deus in anima tua.*

17 Hæc Augustinus cui adstipulando Ambrosius, sic ait: *Si ergo fratres sæculi istius homines propter præsentis honoris gloriam terreni regis sui natalis diem tanta apparatione suscipiunt qua nos accuratione æterni Regis nostri Iesu Christi natalem suscipere debemus, qui pro deuotione nostra, non nobis temporalem largitur gloriam, sed æternam, nec terreni honoris administrationẽ dabit, quæ successore finitur, sed cœlestis imperij dignitatem, quæ non habet successorem?* Hæc Ambrosius inter alia pro eodem exemplo de Natiuitate Domini serm. 14. & Augustinus iterum in eadem similitudine persistens, hæc addit.

Certè si Rex terrenus, aut quicumque paterfamilias, te ad suum natalitium inuitares, qualibus vestimẽtis studueris ornatus incedere? quàm nouis, vel nitidis, quàm splendidis, quorum nec vetustas, nec vilitas, nec aliqua fœditas oculos inuitãtis offenderet? Tali ergo studio, in quantùm præuales, Christo auxiliante contende, vt diuersis virtutum ornamentis anima tua composita, simplicitatis gemmis, & sobrietatis floribus adornata, ad solemnitatem regis æterni, idest ad Natalem Domini Saluatoris, cum secura conscientia procedat; castitate nitida, charitate splendida, eleemosinis candida: Christus enim Dominus, si te ita compositum natalitium suum celebrare cognouerit, ipse per se venire, & animam tuam nõ solùm visitare, sed etiam requiescere, & in perpetuum in illa dignabitur habitare, sicut scriptũ est: Et inhabitabo in illis, & inambulabo. 18

Hæc omnia Augustinus pro digna præparatione ad vtrumque Domini aduentum.

Quibus omninò concordant, quæ etiam apud Diuum Gregorium legimus, pro eodem pariter exemplo: *Certè* (ait) *si domum nostrã quisquam diues, aut præpotens intraret, omni festinantia domus tota mundaretur, nequid forta sse esset, quòd oculos amici intrãtis offẽderet: Tergat ergo sordes praui operis, qui Deo præparat domum mentis*. Ecclesia pariter sic præcipit: *In aduentu summi regis mundentur corda hominum*: Item sic orat: *Excita Domine corda nostra ad præparandas vnigeniti tui vias*: Quas vias & ego hodiè parare suadeo vobis prædicans: *Parate viam Dñi: Rectas facite semitas eius.* 19

Verùm, non vno tantùm modò regi, vel insigni, siue magno cuicumque ad nos venturo, via paratur, eam nempe mundando, & de ea omnia impedimenta tollendo solùm, sed etiam variè eamdem ornando: Vnde inter varios viarum ornatus, de Eliogabalo Imperatore legimus, quòd viam sibi sterni iussit purissimi auri limatura: Vespasianus item Augustinus per viam varijs floribus respersam Romam redire voluit: In nobis ipsis statim venturus est Dominus, vt sæpè diximus, in corporibus scilicet, & in animabus 20

D 2 nostris,

nostris, in die proxima natalis sui: quandò ad Altare ipsum recipiemus: Ideò, quantùm possumus, varijs virtutum ornamentis, tanquàm floribus quibusdam nos ornare debemus, vt Augustinus ait, quibus, proximis etiā per exemplorum odorem suauiter oleamus: Quòd postulabat illa, quæ dicebat, Cant. 2. *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.*

21 In primis autem Dei, & proximi amore, quasi auro viam Domini ornemus nosmetipsos, de quo idem Dominus vnicuique nostrū sic ait Apoc. 3. *Suadeo tibi emere a me aurum ignitum:* Nempè ad animæ tuæ ornamentū: Ad illos enim libentissimè Christus venit, & in eis manet, quos huiusmodi amoris sui ptiosissimo auro ornatos videt: sicut idem testatur: *Si quis diligit me, & Pater meus diliget eū: & ad eum veniemus: & mansionem apud eum faciemus:*

22 Ad hunc ipsum spiritualem ornatum hortatur quemlibet Sanctus Chrisostomus in præallegata oratione sua de Diuo Philogonio eodem fere exemplo Sanctorum Ambros. Augustin. & Gregor. hoc modo: *An non enim absurdum, tantam habere curam rerum corporalium, vt appetente festo, multis ante diebus vestem e scrinijs deprompta diligenter appares, emas calceamenta, mensa largior, splendidiorque paretur: Denique variam vndique rerum copiam excogites, omnibusq; modis teipsum ornes, nitidumq; reddas, anima verò neglecta sordescentis, squalida, fame contabescentis, nullum habere respectum, quum sola maneat impura, ac corpus quidem nitidum huc adducere, animā verò nudam, incultamque: Atqui corpus quidem videt conseruus: neq; quicquam est detrimenti, quomodocunque fuerit habitum, illam autem videt Dominus, qui grauissimè punit negligentiā: An nescitis, q hac mensa, plena est igni spiritali:* Sic Chrisostomus: Et paulò inferius hec quæ dixerat applicando, post nonnulla alia, sic concludit in exemplo allato persistens: *Regem enim excepturus es per Communionem: quum autem rex ingreditur animam, oportet magnam esse tranquillitatem, multumq; silentium, profundam cogitationum quietem:* Hęc S. Chrisost.

23 Verùm, ex quo ad exempla defluximus Sanctorum, adhuc aliud exemplum Sancti Ambrosij adducamus pro eodem instituto nostro: quòd, quia est de mulieribus, illis potissimum, & pijs maximè (vt puto) placebit, & proderit etiam, *Oportet ergo esse nos sanctitate puros*, inquit primo Sanctus Ambrosius, *mundos pudicitia, nitides honestate, vt quo diem festum aduenire propinquius cernimus, eo accuratius incedamus: Si enim mulierculæ solent aliquas suscepturæ maculas vestium suarum aqua diluere, cur non magis nos, accepturi Natalem Domini maculas animarum nostrarum fletibus abluamus? Et illa quidem, si adeò infecta, & obscura sordibus fuerint, vt maculas sola aqua non purget, adducunt mollitiem olei, saponis etiam acrimoniam: Nos quoque, si tam graue peccatū fuerit, vt minimè solis fletibus abluatur, addamus misericordiæ oleum, acrimoniam ieiunij: nullum enim tam graue delictum est, quòd non purgetur abstinentia eleemosinis extinguatur:* Hoc est Ambrosij exemplum, quòd cum alijs retulimus, vt clarius explicaremus, id, quòd prædicamus, *Parate viam Domini:* Subditur verò statim in Euangelio.

Et videbit omnis caro salutare Dei: Pulcra 24 quidem, ac conueniens omninò connexio verborum horum posteriorum: *Et videbit omnis caro salutare Dei*, ad præcedentia illa: *Parate viam Domini:* Qui enim dignè se ad Eucharistiam parat, salutarem certissimè eam sibi sentiet: nec potest esse salutaris, nisi paranti in seipso viam eius, vt docuimus.

Digna sanè ac liberalissima retributio, vt qui laborant pro Domino, parando Domini viam, laboris sui præmium consequantur ipsum Dominum: Vt ipsum (dico) Deum in seipsis videant, & experiantur. Sibi salutarem, ac Saluatorem, nempè in Sacramento, ad quod dignè quantùm potuerunt, se præparauerunt: Ait enim S. Augustin. in Psal. 33. *Christus in corpore, & sanguine suo, voluit esse salutem nostram:* Et Sanctus Innoc. Papa III. de myst. Euang. hanc explicans salutem, quā in nobis salutare Dei operatur, ipsum, scilicet, corpus, & sanguis Saluatoris: Sic ait de eodē Sacramento: *Dedit ergo nobis hoc Sacramentū salutis, vt quia nos quotidiè peccamus, & ipse iam mori non potest, per hoc Sacramentum, quod in memoria mortis eius accipimus, remissionem peccatorum quotidiè consequamur.*

Non solùm verò hic veram nobis confert 25 Eucharistia salutem, idest, remissionem peccatorum per gratiam in hoc sæculo, sed etiā veram salutem in futuro per gloriam, hoc est vitam æternam, secundùm veracem filii Dei promissionem: *Qui manducat meam carnē, & bibit meum sanguinem* (dignè, scilicet) *habet vitam æternam: Et ego resuscitabo eum in nouissimo*

simo die. Proinde vnumquemque sic monet Sanctus Paschasius cap. 10. de eodem corpore & sanguine Domini. *Ideò fili ista debes cogitare, quasi cælestia, sic contingere, quasi diuina, sic accipere vt salutaria: In quibus vita æterna repromittitur.*

26 Propter hoc & Ecclesia, ad ipsum Sacramentum, tamquam ad verùm salutare Dei, quod veram confert in mundo & in cœlo salutem, sic orat: *O salutaris Hostia, quæ cœli pandis Hostium: bella premunt hostilia, da robur, fer auxilium.* Hinc rursus Sacerdos in Missa sanguinē sumpturus: hæc præmittit ex Psal. 15. *Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo: laudans inuocabo Dominum, & ab inimicis meis saluus ero:* Postea ipsum sumens sanguinem, statim prosequitur: *Sanguis Domini nostri Iesu Christi custodiat animam meam in vitam æternam.* Hinc aliàs sæpè in Missa ab Ecclesia ipsa Eucharistia appellatur absolutè, & simpliciter salutare Dei, salutare Domini, salutare nostrum, Sacramenta salutis nostræ &c. quia verè, ac realiter Eucharistia est ipse Deus & Dominus noster Iesus Christus filius Dei, sicut etiam filius hominis, idest Mariæ, Saluator noster, & salus nostra: & saluamur in hoc Sacramento, & per hoc Sacramentum præsertim.

27 Quia, vt tradit idem Innocentius Papa loco citato: *Per Eucharistiæ Sacramentum liberat nos a potestate peccati, nam si dignè sumitur, a malo liberat, & confirmat in bono venialia delet, & cauet mortalia: Vnde cum in oratione Dominica præmittimus: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie: statim adiungimus: Et dimitte nobis debita nostra: & ne nos inducas in tentationem: sed libera nos a malo: quia per panem istum Cœlestem liberamur a malis, præteritis, præsentibus, & futuris:* Sic D. Innocent. & hoc idem significatur, dùm prædicatur *salutare Dei*, quàm salutem experitur in seipsa *omnis caro*, idest omnis homo, si antea tamen eidem prius, vt docuimus, in semetipso viam parat: Primò enim scriptura ait: *Parate viam Domini. Rectas facite semitas eius:* Et postea immediate subdit: *Et videbit omnis caro salutare Dei.*

28 Et videtur hæc omnia nos docuisse idem Saluator noster, & verbo, & facto suo simul, quando nimirum ingrediens Zachei domum in qua idem Zacheus *excepit illum gaudens:* de illa dixit: *Quia hodie salus huic domui facta est, eo quod & ipse sit filius Abrahæ: Venit enim filius hominis quærere, & saluum facere, quod perierat:* Vt, scilicet hoc exemplo suo nobis ostenderet, quòd, si & nos mysticè Zachei sumus, vt sic loquamur, hoc est, mente puri & mundi: siue, iusti, vel iustificati, vt ipsum nomen sonat, (quòd est etiam parare viam Domini) dùm eumdem in Eucharistia excipimus: Si cum gaudio spirituali hoc facimus, cum Maria dicentes: *Exultauit spiritus meus in Deo salutari meo*, & si insuper, & nos filij Abrahæ sumus, idest, *imitatores Abrahæ, per obedientiam fidei*, vt explicat Vatablus: Fiet absque dubio, huic domui animæ, & corporis nostri salus: Et præsertim in die festo Natalis eiusdem Saluatoris nostri Dei, iam propinquo, in quo *videbit omnis caro pariter, quod os Domini locutum est:* Ipsum nimirum Saluatorem, de Virgine nascentem, secundùm Ecclesiæ Sanctæ piam repræsentationē: Ideoque pro vtroque aduentu eius, deuotè nos præparare debemus, vt vtroque modò etiam salutare Dei, & salutem Dei in nobis ipsis videamus omnes, secundùm eiusdem promissum: *Et videbit omnis caro salutare Dei.*

Et hæc, charissimi, sunt, ad quæ Sanctus Chrisostomus in hoc ipso tempore, appropinquante iam eodem natali, suum instanter hortabat populum: Eundem audite omnes in eodem citato sermone de S. Philogonio. 29
Rogo vos omnes obsecroque, vt summo studio, summaq; cū alacritate, velitis adesse, sed prius suam quisq; domū repurget, vt videamus Dñum nostrū in cunis iacentē, ac fascijs inuolutū, tremendum, ac stupendū spectaculū: Quid enim excusabimus, aut quā veniā obtinebimus, si cū ipse nostra causa descēderit è Cœlis, nos ad illū vel ex ædibus ire grauemur: cū alienigenæ, Barbariq; magi, ex Perside occurrāt, vt illū videāt in præsepi iacētē? Tu verò qui Christianus es, ne breue quidē spatiū emetiri sustineas, vt hoc fœlici spectaculo perfruaris: Nā si cū fide accesserimus, procul dubio videbimus illū in præsepi iacentē. Siquidē hæc mēsa vicē explet præsepis: Nā & hic ponitur corpus Dominicū, nō quidē fascijs inuolutū, sed vndiq; Spiritu sancto conuestitū. Ac magi quidē nihil aliud quam adorarunt, tibi verò, si cū pura accesseris consciētia, permittemus vt sumas, & sūpto domū abeas. Hæc Chrisost. ibidem.

Ex quibus omnibus tandem sic concludit: 30
Dimittamus igitur macerā atq; ex hoc iam tēpore festū amplectamur, hosce dies quinq; negotijs omnibus valere iussis: Valeat forum, valeat curia: facessant mundana cura, cum pactis & contractibus: Animam meam seruare cupio: Quid lucrifeceris in-

fecerit homo, si totum mundum lucrifaciens, animæ suæ iacturam faciat? Sic Sanctus Chrisost. ad suos: Sic & ego ad meos: Nihil enim magis ad rem, hac die præsertim, & pro Natali Domini, & pro Eucharistia vobis eloqui scirem: Reddit iterum ille ad exemplum Magorum: Vtilissimum etiam nobis erit: Proinde audiamus illud: *Egressi sunt* (ait) *a Persi. de: egredere tu e temporarijs negotijs: Ad Iesum proficiscere: Non est longum interuallum, si velimus: Non enim necesse est traijcere mare, neque montium superare cacumina: sed domi sedens: Si pietatem exhibeas, multamque cordis compunctionem, potes illum videre: potes totam diruere maceriem, totum submouere obstaculum, abbreuiare via longitudinem: Deus enim; (inquit) appropinquans ego sum: Non Deus procul: Et: Dominus propè est omnibus inuocantibus ipsum in veritate.* Hucusque ille.

31 Sed attendite modò diligentius, quòd subijcit, & apud se quisque seriò cogitet, an de illorum numero sit de quibus hæc scribit. *Nunc autem multi Christianorum in tantam vecordiam; tantumque venere contemptum; vt cum innumeris scateant malis, nullam tamen vitæ suæ curam habeant: Sed in diebus festis negligenter, ac temerè ad mensam accedant, haud intelligentes, quòd Communionis tempus non est festum, neque celebritas, sed conscientia pura, vitaque à peccatis repurgata: Quemadmodum enim, qui sibi nullius mali conscius est, hunc oportet singulis diebus accedere, sic, qui peccatis occupatus est, nec pœnitet eum, nec in festis quidē accedere tutum est: Neque enim semel in anno accedere liberat nos a peccatis, si indignè accesserimus: Quin hoc ipsum potius auget damnationem, quòd cum semel tantùm accedamus, ne tū quidē purè accedimus.*

32 Egregia certè ac singularis tanti magistri doctrina, & huic loco opportuna nimis, ideoque studiosè obseruanda: Sicut & illa, quam ex eodem adhuc adijcimus, qua eodem Magorum exemplo nos docet, qualiter ad Eucharistiam accedendum sit, & proximis diebus præcipuè Epiphaniæ Domini: *Accede igitur* (inquit) *tu quoque munera offerens: Non qualia deferebant illi, sed multo, religiosiora: Obtulerant illi aurum, offer tu temperantiam, ac virtutem: Obtulerunt illi thus, offer tu puras preces, quæ sunt odoramenta spiritualia: Obtulerunt illi mirrham, offer tu humilitatem, & cor submissum cum eleemosina: Quòd si hisce cum muneribus accesseris, multa confidentia particeps eris huius sacræ mensæ.*

Verùm de accedendi modò, satis iam diximus cum viam Domini parandam diceremus: Nunc enim dignè accedentibus, & sic parantibus viam Domini, cum Domino sic promittimus: *Videbit omnis caro salutare Dei.* Hoc est enim, quòd & Ecclesia promittit, dùm iā iam eiusdē Domini Natiuitate imminente, & quasi incipiente cantat, in eiusdem nempè vigilia *sanctificamini hodiè. Et estote parati: Quia die Crastina videbitis Maiestatem Dei in vobis:* Iterumque: *Hodie scietis, quia veniet Dominus, & mane videbitis Maiestatem Dei in vobis:* Et rursus: *Crastina die delebitur iniquitas terræ, & regnabit super nos Saluator Mundi:* Et iterum Sanctus Augustinus in eadem vigilia Natiuitatis Domini serm. 19. ad fratres in heremo, quasi hęc ipsa verba nostra: *Et videbit &c.* commentando, & pro Eucharistia etiam: Sic ait: *Accingimini ergo filij potenter: & estote parati, vt videre possitis cum Ezechiele portam sacratissimam: perpetuò clausam, Crastina enim die videbitis Regem regum mentalibus oculis, & humanis, sub forma panis visibilis panem inuisibilem, alimoniam cœlestem, refectionem beatam, cibum æternæ vitæ pignus nostræ redemptionis, hostiam salutarem, quam die crastina toto affectu manducare debemus.* 33

Sic Augustinus: Et pergit etiam in laudibus eiusdem Eucharistiæ, & Virginis Mariæ simul dicens. *Iste est ille panis & cibus datus Israelitico populo, manna dulcissimum, habens in se omne delectamentum, & saporis suauitatem: Iste est ille cibus, quem vidit Pharao, in quo spicæ pulcræ erant: Iste est ille panis datus Eliæ, in cuius fortitudine ambulauit quadraginta dieb⁹, & quadraginta noctibus, vsque ad montem Dei: Iste est ille panis, quo cibantur Angeli, quo saginantur Apostoli, quo reficiuntur Martires, quo pascuntur Confessores, quo nutriuntur Virgines, & satiantur electi omnes. Panem autem hunc, si quis dignè mādūcauerit, nō morietur in æternū: Quoniam spiritus vita, & ipsa vita est: Hic est panis, qui de Cœlo descendit, quem Virgo nobis cras præsentabit, quem in gremio portabit, quē in ventre baiulauit sine grauamine, quem & peperit sine corruptione: Cuius mater inuenta est Virgo ante partum, Virgo in partu, & Virgo post partū; Ipsa quem genuit, adorauit: Sed prius mente, quā ventre & priusquam filius in vtero conciperetur.* 34

Hæc est Aug. doctrina, qua Euangelij doctrinam explicamus: *Videbit omnis caro salutare Dei:* Verè tandem salutare Dei videbimus, Eucharistiam videntes, maximè in Natali eiusdem salutaris, siue Saluatoris: Nam de illo ait 35

illo ait, & Sanctus Cyprian. in cęna Domini: *Panis iste supersubstantialis, & Calix venedictione solemni Sacratus, ad totius hominis vitam salutemque proficit, simul medicamentum, & holocaustum ad sanandas infirmitates, & purgandas iniquitates existens.*

36 Tandem, sermonem obsignabimus, & sigillo duplici, quorum vnum ex D. Chrisost. petemus, alterum verò ex Diuo Francisco. Aiebat Chrisost. in preallegata Oratione sua de festo die Natalis Domini: *Potissimum amplector, diligoq; diē hunc, & amorē eius in mediū propone, vt vos huiusmodi pharmaci participes reddā.* De Seraphico Patre autem propodem Domini Natali scribit Pater Lucas noster Vuadingus Hibernus in primo tomo suorum Annalium Minorū, quod *anno eiusdem Christi 1215. cum peruenisset ad quoddam Monasterium S. Mariæ de monte Martis quemadmodum Monachorum; & in interiori claustro Paulisper cum eisdem confabularetur, & illi de quibusdam virum, tamquā à Deo illuminatū interrogarent, percunctati sunt etiam, quid faciendum incidente Natalis Domini festiuitate in diem Veneris? An vescendum esset carnibus, an ab eis abstinendum? Quòd eo curiosius quæsierant, quo teneriùs viderant hominem semper loquentem de Verbi Diuini Incarnatione, & Natiuitate, neque absq; cordis & corporis iubilo audire potuisse, Verbum carnem factū. Ille autem, non solùm, inquit, homines puto illa die carnes manducare posse, verùm & si parietes eas vesci possent, abundanter eis ministrandas velim, vel de foris carnibus liniendos in die, quo Verbū caro factū, natū est nobis, & ad mūdi salutē. Immo cuperem, quòd etiam in Regijs vijs diuites & Principes carnes & frumentum proijcerent, vt Bestiæ campi, & volucres Cœli haberent, quibus abunde suis satisfacerent necessitatibus, & suo modo tali, tamque festiuo die iubilarent.*

37 Hæc omnia Pater Vuadingus: & rursus ibidem sub anno Domini 1223. narrat, quòd *idem Pater noster Franciscus volens apud Castrū Grecij, quòd est in valle Reatina, memoriam natiuitatis pueri Iesu, ad vicinorum epidonorum deuotionem excitandam, maxima qua posset solemnitate celebrare, per litteras admonuit sui propositi Ioānē Grecij militem, rogauitque, vt quæ tantæ rei erant necessaria, sedulò, & solemniter præpararet. Ne verò hoc leuitati posset adscribi, summo Pontifici mentē aperuit, qui pium approbauit opus. Indulgentiasq; largitus est deuotis spectatoribus. Vt ventum erat ad Grecij Castrum sub natiuitatis vigilia, inuenit omnia ad votum præparata: à pio illo milite & amico aduocari fecit plures ex fratribus ex locis vicinis, inuitauit populum frequentem ad solemnia infantuli Regij natalitia, & tantam posuit in eis celebrandis operam & opem, vt ex melodia, & efformatis cantibus sylua in voces resonarēt sonoras, atque ex copiosis facutis, & cereis luminibus, nox illa sicut dies illuminaretur. Stabat vir Dei coram præsepio pietate replētus, respersus lacrymis, & gaudio superfusus. Celebrantur Missarum solemnia super præsepe, Leuita Christi Francisco sacrum Euangelium decantante. Prædicat deinceps populo circumstanti de natiuitate Regis pauperis, quem cum nominare vellet, puerum de Bethlehem præ amoris teneritudine nuncupabat. Præfatus autem miles Dominus Ioannes de Grecio se vidisse asseruit puerulum quendam valde formosum in illo præsepio dormientem, quem B. Pater Franciscus strictè brachijs amplexans, excitare videbatur à somno: Hanc deuoti militis visionem plura verā probarūt: cùm videntis explorata sanctitas, cùm miracula subsecuta. Nam fœnum, super quo iacuit viuus infantulus propellebat mirabiliter pestes omnes, & languores animalium, & locus iste accedentium corda in obsequio Christi torpentia excitabāt ad diuinum amorem. Mutatus est post sancti viri mortem in pium sacellum, & super præsepis locum erectum est Altare, non sine mysterio, vt vbi illa nocte animalia verè fœni pabula comederunt, ibi de cætero ad sanitatem animæ & corporis manducent homines carnem agni immaculati, & incontaminati. Amen.*



Sermo Sextus

SERMO SEXTVS.

Pro Dominica Palmarum: De ingressu Christi in nos per Eucharistiam.

Cum Appropinquasset Iesus Hierosolymis,& venisset Betphage ad montem Oliueti,tunc misit duos Discipulos suos. S. Matth. cap. 21.

ARGVMENTVM.

Duo Christi Discipuli qui hodierna die asinã,& pullum iussu præceptoris soluunt, super quos ille sedit Ierusalem intrans, turboque plurima, quæ vestimenta sua prosternit in viam: nonnulli etiam, qui cedentes ramos de arboribus palmarum, & oliuarum in via similiter proijciunt, & illi tandem, qui eosdem in manibus gestant, multipliciter nos docent, quid nos pariter pro digna dispositione agere debeamus, cum in nobis etiam, quasi in noua Ierusalem per Eucharistiam ingreditur idem Dominus: Sicut etiam ipsorum Iudæorum gaudium de Christi aduentu, & eorum voces, quibus Deum laudant, eidem gratias agentes, veramque ab eo salutem postulantes, nobis itidem indicant,quid ante, & post ipsam Communionem faciamus.

1 

Concors est Sanctorum Patrum, atque Theologorum sententia, ea omnia, quæ Iesus Christus Dominus noster vel gessit, vel circa eum quoq; modò gesta sunt, mysteriosa valde esse, ac propterea diligenter etiam [illegible]is consideranda. Tradunt verò ex historicis nonnulli, introitum hodiernum eiusdem Ierusalem, significare posse inter alia ingressum ipsius ad nos in Eucharistia, & proinde etiam ea omnia,quæ in ipso ingressu a Discipulis,vel ab alijs circa eũ, vel pro illo quocumque modò facta sunt, ea adumbrasse,quæ nos facere debemus, dùm eundem ad nos ex altari venientem recipimus. Hæc itaque modò attendemus,vt in hoc tempore Communionis, de Communione etiam tractemus.

2 Considerabimus verò ad rem nostram potissimum Christi ingressum, secundò præparationem ac dispositionem nostram ad ipsum, tertiò eorundem Hebreorum gaudiũ, & voces illas præsertim, *Osanna filio David*, quibus Deum laudant,eique gratias referunt, veram ab eo postulantes salutem, ad exemplum nostrum pariter: Omnia verò ex ipso hodierni Euangelij textu,& secundum eiusdẽ ordinem.

3 *Cum appropinquasset Iesus Ierosolimis,&c.* En,statim incipiunt mysteria pro nobis de Eucharistia: Idem Iesus, quem Ierosolimis appropinquantem legimus festo Paschali iã imminente, animæ nostræ etiam, quæ Ierusalem mysticè dicitur in hoc ipso Paschæ tẽpore iam vicino appropinquat, vt ad illam

per

per Sacramentum ingrediatur: Verè quando Eucharistiam instituit Dominus in Ierusalem, hoc est in monte Sion, quasi iterato quodam ingressu in mundum venit: Nam primus ingressus fuit in Incarnatione eius: Vnde de hoc ipso secundò ingressu per Sacramentum in mundum, multi illud Pauli ad heb. cap. 6. interpretari solent: *Et cum iterum introducit primogenitum suum in orbem terræ dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei:* Angeli enim Dei Eucharistiam humiliter, ac reuerenter ex tūc adorare cœperunt, sicut & continuò illam adorant, & in ea Dei, & Virginis Mariæ primogenitum, & vnigenitum: Et maximè, cum conficitur, & offertur, sicque Ierosolimis appropinquare, & illuc ingredi Dominus dicitur: Sicut etiam ingressu alium eiusdem Christi in os nostrum nominamus Communionem.

4 Vnde ad mysterium, (vt mihi videtur,) & pro ipsa Eucharistia mysteriorum omnium maximò huiusmodi ingressu eius in Ierusalē descripturus Sanctus Matthæus, primo dicit, illum Bethphage venisse ad montem Oliueti: *Cum appropinquasset* (inquit Euangelium) *Iesus Ierosolimis, & venisset Bethphage ad montem Oliueti*: Ibidem scilicet aliquantulum consistens, vel saltem morosè vadens, misit duos Discipulos suos Ierosolimam, pro Asina & pullo filio subiugalis, in quibus equitans, Discipulis, & plurima turba comitatus, Ierosolimitanam ciuitatem ingressus est: Quid enim Bethphage significat, quo Christus venit, antequam Ierusalem perueniat? Bethphage, domus oris, vel buccę interpretatur. Rectè ergo Bethphage venit Christus Ierusalem venturus: quia, antequam veniat per Eucharistiam in animabus nostris, quæ mysticè Ierusalem dicuntur, in Ecclesia materiali venit, quæ est Bethphage, hoc est domus oris, vel buccæ: Quia in illa ora fidelium omnium Eucharistiam de manu Sacerdotum recipiunt: vt per corporis ingressum, in animam etiam ingrediatur idem Christus in Sacramento.

5 Hinc, sicut Bethphage domus oris dicitur, sic verè etiam domus Sacerdotum erat, hoc est (vt tradit Remig.) Viculus Sacerdotum in latere montis Oliueti, vno milliario distans ab Ierusalem, in quem se recipiebant Sacerdotes expleto ministerio: Quia Ecclesia materialis, quam etiam Bethphage adumbrat, domus propria Sacerdotum Christianorum esse debet: in qua potissimum consistant Dei seruitio, & animarum saluti vacantes in oratione, in prædicatione, in sacrarum litterarū lectione, in Sacramentorum administratione, & potissimum in Eucharistiæ oblatione, & in pijs alijs sui status ministerijs: Quia Bethphage est, hoc est domus oris: nam ori fidelium Eucharistiam admouent, vt per corpus ad animam, quæ Ierusalem est, veniat: & in ea Christus Dominus, tanquam per Bethphage, & per Oliueti montem, vbi Bethphage erat, ad Ierusalem: Nam ad hoc ipsum presignandum in Euangelio dicitur: *Cum appropinquasset Iesus Ierosolimis, & venisset Bethphage ad montem Oliueti &c.* De ipso enim Eucharistico eiusdem Christi ad nos aduentu cantat Ecclesia in ipsius Eucharistiæ festo: *Non est alia natio tàm grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest nobis*: Sicut & nos hodie de eodem prædicamus: *Cum appropinquasset Iesus Ierosolimis*: idest fidelibus in ipsa Eucharistia.

Vnde ad mysterium fortassis, pro nobis 6
mons Oliueti hoc loco ab Euangelista nominatus est, etsi per Bethphage, quæ in ipso monte erat (vt iam diximus) sufficienter intelligi potuisset: quia nimirum per ipsum Oliueti montem Ecclesia significatur: Ait enim hoc loco Interlinealis glossa: *Mons Oliueti significat Ecclesiam, vel celsitudinem Dominicæ dilectionis*: Ipse enim Christi aduentus in Ecclesia per Eucharistiam, celsitudinem dilectionis eius apertè monstrauit: De illa siquidem scribitur: *cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos*: De qua tamen dilectione, modò non agimus: Sed de aduentu solùm Eucharistico ad nos, in quo dilectio ipsa tàm mirificè resplenduit: & hoc, quatenus per eius transitum per Bethphage in mōte Oliueti adumbratur, cum dicitur: *Cum appropinquasset Iesus Ierosolimis, & venisset Bethphage ad montem Oliueti, &c.*

Et quidem iam satis ipsum aduentum, & 7
aduentus viam etiam attendimus. Attendamus nunc ea, quę in ipso aduentu fiunt, & occasione eius, ad nostram doctrinam: vt sciamus, nimirum, quæ in nobis præstanda sint, tanquam in noua quadam Ierusalem, quando videlicet, in Eucharistia ad nos venturus est Dominus, qui Ierusalem similiter sumus, & ratione animæ præsertim, ad quam principaliter ille per Communionem venit: Hæc verò tria sunt, si generaliter loquamur: quædam enim præstitit Christus pro hoc aduētu suo in Ierusalem, & ante ipsum: Alia verò

fi[?] , quæ fecerunt Apostoli, & alia denique, quæ egerunt hebrei, quæ suo ordine explicabimus.

8 . Id porrò quòd Christus fecit, *cum appropinquasset Ierosolimis, & venisset Bethphage ad montem Oliueti*, statim immediate subijcitur: *Tunc* (inquit Sanctus Matthæus) *misit duos Discipulos suos dicens eis: Ite in Castellum, quòd contra vos est, & statim inuenietis Asinam alligatã, & pullum cũ ea: soluite, & adducite mihi.* Primo enim vtriusque sexus iumenta, Asina nempè, & pullus eius hominum vtrumque sexum, viros nimirum ac mulieres manifestè repræsentant: Vterque enim in Psalmo cum Deo fatetur: *Vt iumentum factus sum apud te. Nam quantum ad Deum* (inquit Sanctus Paschasius hoc loco hoc ipsum Psalmi referens) *Iumenta sumus, non solùm nos, verùm etiam nobis multò prudentiores*: Et Chrisostomus: *Homines ante Christi aduentum, vt Asini immundi, irrationabiles, stulti, ignobiles & erroribus onerati, ligata verè Asina, idest Diaboli erroribus impedita: & nisi Deus soluat peccatis ligatum, vsque ad mortem in herum vinculis permanebit*: Hæc Chrisost. Salomon etiam Prou. 5. ait: *Iniquitates sua capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur*: Quia ergo iniquitates nostræ nos impios capiunt, & funibus peccatorum nostrorum constringimur, idcircò, vt ad nos in Altaris Sacramẽto Christus veniat, & in nobis, quasi in Iumentis sedeat necesse est, vt prius a vinculis peccatorum nostrorum absoluat nos omnipotens & misericors Dominus, per Sacerdotum ministerium, qui sunt Apostolorum successores, quibus omnibus dixit: *Quæcumque solueritis super terram, erunt soluta & in Cælo*: Sicut, et de iumentis hodiè, qui homines referebant eidem dicit Apostolis: *Inuenietis Asinam alligatam, & pullum cum eo: soluite, & adducite mihi.*

9 Vnde ad hoc fortè clarius nobis indicandum, hoc mandatum Christi de soluendis iumentis in Bethphage, quæ domus Sacerdotum erat, & Ecclesiam significabat, datur a Christo. Et insuper primis etiam Sacerdotibus, nempè Sanctis Apostolis, qui Sacerdotum omnium figurã, & personã in se gerebãt. *Tunc Iesus misit duos Discipulos suos dicens eis: Inuenietis Asinam alligatam, & pullum cum ea: soluite, & adducite mihi*: Sanctum Paschasiũ audiamus hæc ipsa sic exponentem: *Ipsi peruenerunt ad domum Sacerdotalem, vel patientia vt inde ascendat Iesus super eos, quos secundum præceptum Domini, & Saluatoris Dei soluerunt Discipuli eius, & perduxerunt ad eum: Mons autem, in quo sita sunt ea loca, est Christi Ecclesia*: Sic S. Paschas. Ad mysterium ergo, pro Eucharistia hodie legimus: *Cum appropinquasset Iesus Ierosolimis, & venisset Bethphage ad montem Oliueti, tunc misit duos Discipulos suos*: Quia, scilicet, cum idem Iesus animæ nostræ appropinquat in Eucharistia, ab Ecclesia, quę per montem Oliueti figuratur, Sacerdotes Apostolorum successores ad nos mittuntur Domini præcepto, vt scilicet, nos a peccatis nostris prius absoluant, & solutos ad ipsum Dominum ante Altare adducant: (Sicut soluerunt Apostoli iumenta illa, quæ nos pariter repræsentabant) vt in nobis ipsis idem sedere dignetur eundem in Eucharistia recipientibus.

10 Vnde etiam hac eadem de causa, cum venitur Bethphage ad montem Oliueti, tunc mittuntur qui soluant iumenta, in quibus Dominus equitaturus erat: Quia Bethphage, quæ est domus Sacerdotum in monte sita Oliueti interpetratur (vt diximus) dom⁹ oris, quia Ecclesia, per Bethphage significata, quã do futura est pro nobis domus oris, quando, nimirum, in ore a Sacerdotibus tanquam in domo sua, Eucharistiam sumere disponimus; Tunc præsertim ab illis, vt alligata iumenta soluendi necessariò sumus a vinculis peccatorum nostrorum, vt dicebamus: Ait enim ad Sacerdotes idem Christus de nobis: *Quæcumque solueritis &c.* sicut ad primos Sacerdotes pariter, eosdẽ slz. Apostolos dixit; *Soluite, & adducite mihi*: Hinc enim subditur in Euangelio: *Euntes autem Discipuli fecerunt, sicut præcepit illis Iesus, & adduxerunt Asinã, & pullum.*

11 Sed an sic solutam, nudam tamen vt erat ad Iesũ adduxerunt Discipuli Asinã & pullũ? Absit: *Et imposuerunt super eos vestimenta sua, & eum de super sedere fecerunt*, inquit Euangelica historia ibi immediatè post prædicta, vt sic, videlicet, Dominus, commodius, ac honorificentius in illis equitaret: *Vestis Apostolica, doctrina virtutum*, inquit Hieronimus, aliás etiam significationes mysticas assignãs de eisdem vestibus: Non sufficit ergo, vt a peccatis nostris soluamur per Sacerdotes in Confessione, quando Christum in Eucharistiæ Sacramento suscepturi sumus.

Sed insuper virtutum vestibus ornari debemus, & illis præsertim, quas ijdem Sancti Apostoli verbis, & exemplis nobis commendarunt,

darũt, charitate nimirum, humilitate, castitate, patientia, temperantia, timore, reuerentia, deuotione, feruore. &c. *Quibus* (subdit Hieronimus ibidem) *nisi anima ornata sit, sessorem habere Deũ non meretur: Panis quippe iste* (inquit Aug. de Eucharistia tract. 26. in Ioan.) *interioris hominis quærit esuriem:* Vnde alio loco dicit. *Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiã: quoniam ipsi saturabuntur.*

12 Iustitiam verò intelligit hic Augustinus, non illam solùm specialem, quæ vna ex quatuor Cardinalibus virtutibus statuitur: Sed iustitiam generalem, quæ omnes in se virtutes Christianas claudit, quæ etiam ab alijs vocatur: *Omnium mandatorum perfecta custodia: Iustitiam enim nobis esse Christum, Paulus Apostolus dicit*, vt subiungit hoc loco Augustin. Et idcircò Christi iustitiam esurire debemus, cum Christum nobis iustitiam factum in Communione recipimus: Et hoc est, quòd alijs his verbis monet Damasc. lib. 4. de fide Ortodoxa cap. 14. de Sanctis & immaculatis mysterijs. *Cum itaque* (ait) *tanta sit huius Sacramenti sublimitas, tàm augusta dignitas, & celsitudo, ad ipsum non nisi summo cum timore, reuerentia, & fide accedendum est.*

13 Et hoc modò ex his, quæ hodie circa iumenta contingunt discimus præparationem nostram ad Christum excipiendum in Eucharistia: Et hanc quoque (subiungo modò) discere possumus ex his, quæ similiter accidũt circa homines, illa nimirum, quæ Ierosolimitani faciunt, eorum ciuitatem ingrediente eodem Christo Domino, sicut in Euangelio narratur: *Plurima autem turba strauerunt vestimenta sua in via: Alij autem cædebant ramos de arboribus, & sternebant in via.*

Primò enim, vt ait hoc loco Iansenius: *Turba multa honoris causa Christi Dñi partim illũ à Bethania, quo pridie multi conuenerant, secuta est, partim e Ierusalem obuiam venit, cum audissent de aduentu Domini, vt habet Ioannes: Secũdò honoris causa plurimi imitantes, & superantes Apostolorum deuotionem, substernebant vestimenta sua in via: Alij ramos & frondes, oliuarum, scilicet, & palmarum, quarum copia erat in monte Oliueti sternebant in viam*, vt postea dicemus: Idem enim (vt mihi videtur) moraliter edocemur, in facto hominum illorum, quòd & in solutione animalium suorum: Vnum Asina & pullus dimittunt, & aliud recipiunt: Dimittunt vincula, quibus antea ligata erant, recipiunt vestimenta Apostolica, sine quibus erant nuda: Et similiter homines illi vestimenta sua in via sternunt, sicut & ramos, quos de arboribus cædunt, & ipsos et in manibus assumunt, vt Ioannes narrat. 14

Vnum ergo tantùm est (generaliter loquendo) quòd abijciendum est, cum ad nos Dominus ingressurus est in Altaris Sacramento: Et vnum solùm pariter est, quòd tunc est assumendum: debemus abiicere, quibus ligamur, & virtutes assumere, quibus ornamur. Peccata repræsentantur per soluta vincula, & per stratas vestes: Virtutes significantur per vestimenta imposita, & per acceptos ramos. 15

Sed iam satis vidimus animalia a vinculis suis absolui & vestimentis alienis ornari, nêpè Apostolicis: Nunc ergo attendamus etiam homines proprias sternentes vestes, & ramos de arboribus cędentes: *Plurima autem turba* (inquit Euangel. primò) *sternebant vestimenta sua in via:* Vestimenta ergo abiiciamus, habitus nempè vitiorum, Dominum recepturi in Eucharistia, vt diximus, & simul vestimenta recipiamus habitus virtutum nimirum: Et docet primùm Sanctus Petrus 1. Ep. 2. c. *Deponentes igitur omnem malitiam, & omnem dolum, & simulationes, & inuidias, & omnes detractiones, sicut modò geniti infantes, lac concupiscite, vt in eo crescatis in salutem.* Per hoc enim lac sine dolo Eucharistia ex multorum sententia intelligitur, vt in duobus alijs sermonibus latè demostram[a]: Ideò hoc modò solùm suppono[a]: Docent verò & satis apertè multi ex Patribus cum ipsa Ecclesia hanc vitiosi habitus depositionem ad Hebreorum exemplum necessariam esse illis, ad quos Christus in Sacramento venit, & Sanctus Ambrosius præsertim: De ijs, qui initiantur mysterijs: Sic enim ibi piam animam laudat, quæ deposita peccatorum veste ad Eucharistiam accedit. *Depositis autem inueterati erroris exuuijs, renouata in aquila iuuentutem, Cœleste illud festinat adire conuiuium: Venit igitur, & videns sacrosanctum Altare cõpositum exclamans, ait: Parasti in conspectu meo mensam.*

Sicut per oppositum Sanctus Cyprianus 16
eos vehementer vituperat, eis etiam comminando, qui oppositum faciunt, his verbis: *Verùm, his qui verbo tenus, corde sicci, & mente aridi sacris intersunt: vel etiam participant donis, lambunt quidem petrã, sed inde nec mel sugunt, nec oleum: qui nec aliqua charitatis dulcedine, nec Spiritus sancti pinguedine vegetantur, nec se iudicant, nec Sacramenta dijudicant: Sed sicut cibis communibus irreuerenter sacris vtuntur muneribus, & dominica mensa in veste lutulẽta*

se ingerunt imprudenter: quibus melius erat, mola asinaria collo alligata, mergi in pelagus, quam illota conscientia de manu Domini buccellā accipere: qui usq. hodie hoc veracissimū, & sanctissimū corpus suū creat, & sanctificat, & benedicit, & piè sumentibus diuidit. Hæc S.Cyp.

17 Et sicut in doctrina Patrum, & in exemplo hebreorum vestimenta vitiorum alijcienda à nobis monstrantur pro digna ad Eucharistiam dispositione, sic idem etiam ostenditur in figura regis cuiusdam ipsorum Iudeorum, nempe Ioachim, de quo 4. Reg. c. vlt. legimus, quod cum detinuisset eum captiuū diutius in carcere Euilmerodach rex Babilonis, & postea de carcere liberasset, comedebat panem semper in conspectu eiusdem regis cunctis diebus vitæ suæ: sedante hoc immediate præmittitur de eodem rege Babilonis: *Et mutauit vestes eius, quas habuerat in carcere: Ioachin.* enim *Domino præparatus:* Vel *vbi est præparatio Domini* interpretatur; Ideo vnumquemque fidelem manifestè demonstrat in quo, vt sit præparatio Domini, vt scilicet, præparatus sit ad Dominum excipiendum in Eucharistia, & dignè possit manducare panem illum viuum, qui de cœlo descendit in sancto altari cunctis diebus vitæ suæ, mutare debet vestes, quas habuit in carcere, vestes nempe vitiorum, in quibus, quasi in carcere captiuus sub Diaboli potestate tenebatur; *Ipse enim est rex super vniuersos filios superbiæ*, vt inquit Iob. 41. De quo carcere liberari à Domino postulamus, dum in psalmo 141. cantamus: *Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo*: Quia nimirum, & carcer mortalis est, & ab eo sola Christi gratia nos liberare potest; sicut testabatur, qui sic conquerebatur: *Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum*: Rom. 7. Iesus Christus ergo vestes vitiorum nos mutare iubet, quas sic incarcerate detenti habebamus, in uestes virtutum: Et hoc in mysterio nos Hebrei docent, dum & ipsi Dominum recipientes, in via sua vestimenta prosternunt: *Plurima autem turba* (inquit) *prosternebant vestimenta sua in via*: Et Apostoli similiter, dum sua vestimenta imponunt super iumenta illa, super quæ sedit Dominus Ierusalem ingrediens, vt iam satis explicauimus.

18 Et legimus hoc pariter adumbratum Zach. cap. 3. Ibi enim Dominus de quodam sibi præsenti præcepit alijs sibi similiter astantibus: *Auferte vestimenta sordida ab eo*: & immediate subditur, quæ nam essent hæc vestimenta sordida, nempe iniquitas: sic enim statim illi subiungit idem Dominus: *Ecce abstuli à te iniquitatem tuam*: Et præterea addit de eo: *Et indui te mutatorijs*: si priora vestimenta ab illo iussu Domini tolluntur, & hæc sunt iniquitas, vt Interlinealis exponit, & pro his, alijs induitur, ergo posteriora gratiam, & virtutem significabunt: procul dubio sic res se habet: sicque hæc posteriora verba explicat Lyranus noster: hæc in figura (vt dixi) contingebât illi, sicut Zachariæ Prophetæ à Domino ostensum est: *scripta sunt autem ad correctionem, siue monitionem nostrā*: vt quando, scilicet, coram Christo astamus, ipsum in Sacramento sumpturi, vestimenta sordida nostrarum iniquitatum, ab eodem Domino per Sacerdotes auferri à nobis curemus, & gratiæ & virtutum mutatorijs indui: Quod etiam explicat S. Chrisost. hom. 2 r. ad popul. Antioch. alludens exemplo noto illius qui ad nuptias cum intrasset, ab illis eiectus est confusione magna, quia non habebat vestem nuptialem, quæ Dei gratiam in primis representat, quam habere debent, qui ad Eucharisticas nuptias intrant: sic enim ait: *Ad nuptias vocatus es, dilecte, ne intres sordidis indutus vestimentis*: *Sed nuptijs congruam cape vestem*: Hæc primò ille: & fere idem quod nunc ex Zacharia referebamus: *Auferte vestimenta sordida ab eo, & ecce abstuli a te iniquitatē tuā: & indui te mutatorijs*: scilicet gratiæ, & virtutum, vt Lyr. exponebat.

Hinc in humanis historijs legimus de alio 19 quodam ad nuptias similiter amici sui inuitato, quod cum quotidiana, & sordida vestimenta à se abstulisset, & mundis ac pulcris mutatorijs se ipsum induisset, de hoc ipso interrogatus, respondit. *Vt pulcher ad pulcrum vadam*: Quod pro nobis etiam deseruire potest: Vt nimirum diuinæ gratiæ, & cæterarum pulcherrimis vestimentis pulcri facti ad pulcrum, & speciosum forma præ filijs hominū Dominum nostrum Iesum Christum eamus pro altaris nuptijs: *Si enim ad nuptias sensibiles homines inuitati* (subiungit ibidē S. Chris.) *etsi omnium pauperrimi sint, mutuo sumentes sæpè, vel ementes vestimentum mundum, sic ad se vocantes conueniunt: & tu ad nuptias spirituales, & prandia vocatus regalia, consideres, quam dignum sit, te nuptiale vestimentum comparare. Verum enim verò, nec opus est comparare: sed ipse, qui vocat, tibi dat gratis, ne vel pau-*

peratem pretendere valeas: serues itaq; quod accepisti vestimentum: si namque perdideris, amplius emere non poteris, aut mutuare. Nusquam enim venditur tale vestimentum: Hæc S. Chris. de vestimentis charitatis & virtutum, quibus indui debemus; vestimentis vitiorũ nos spoliantes, dum ad nos Christus in sancta communione ingreditur: & hoc exẽplo Hebreorum, ad quos similiter eundem Dominum ingressum legimus hodierna die in Euangelio: *Plurima autem turba strauerunt vestimenta sua in via: alij autem cadebant ramos de arboribus, & prosternebant in via.*

20. Verum iam diutius vestimenta varia pertractauimus: Accipiamus & nos modo ramos cum Hebreis: *Alij autem* (inquit Euangelista de eis) *cadebant ramos de arboribus, & prosternebant in via*: Illi ramos Palmarum, & Oliuarum, quibus mons Oliuetus abundabat; prosternebant in via, & in manibus etiam portabant (vt S. Ioannes notauit) *Lætitiam animi sui hac ratione protestantes* (vt inquit hoc loco Iansenius) *Et victoriosum Regem Christũ ipso facto profitentes: Palma enim etiam apud Romanos, & Grecos, in victoria signum præferri, & dari solet*: Et Iudæi etiam (vt idem subdit) in publicis, & solennibus gaudijs, Palmarum ramos manibus gestare solebant: Ita enim præceptum fuit eis, vt facerent lætitiæ causa in festo tabernaculorum. *Leuit. 23.* quem morem deinde, & alias in solemni lætitia seruauerunt, sicut præsertim in libris Machabeorum legimus, quæ pro nobis modò non faciunt, sed Palmarum solum, & Oliuarum mysteria: *Palmarum igitur rami* (cantat Ecclesia hodie) *de mortis Principe triumphum expectant: Surculi vero Oliuarum, spiritualem vnctionem aduenisse quodam modo clamant*: Hæc sunt mysteria Palmarum, & Oliuarum ad instructionem nostram, pro digna communione: Palma quidem de mortis Principe, scilicet diabolo in nobis expectat triumphum, cum Christum in Sacramento excepturi sumus; Vnde de Iudæis similiter legimus 1. Mach. 13. *Cum Laude, & ramis Palmarũ: &c. intrauerunt in arcem: Quia contritus est inimicus magnus ex Israel*: Quia vt in Ecclesiam ad communionem intrare possimus, aduersarius noster Diabolus, qui *tanquam Leo rugiens circuit, quærens quem deuoret*, prius per victoriam conterendus est, quod nobis desiderat Paulus, Rom. vlt. dicens: *Deus autem pacis conterat Satanam sub pedibus vestris velociter.*

21. Hinc Apoc. 7. Ioann. de ijs, quorum vidit stantes ante trhonum, & in conspectu agni amictos stolis albis, testatur etiam, quòd palmæ erant in manibus eorum: Quia, quando ante Dei trhonum, & nos stamus, quod est Altare, in conspectu agni, quem, & Sacerdos nobis ostendens, & porrigens ait. *Ecce Agnus Dei, Ecce qui tollit peccata mundi*, stolis albis virtutum indui debemus, vt dictũ est: Et præterea victoriæ palmam de Satana iam reportasse: sic enim (dico) Iudeos Christum excipientes imitamur, Palmarum ramos accipientes: sicut in Oliuis pariter, quæ (vt iam diximus) *spiritualem vnctionem aduenisse quodammodo clamãt*: Idest vnctionẽ gratiæ in nobis, ita vt de vno quoque nostrum pro hac in veritate cantetur: *Vnxit te Deus, Deus tuus oleo iustitiæ*; Nam idem Psalmista ait rursus de veris omnibus fidelibus communicantibus *filij tui, sicut nouellæ Oliuarum in circuitu mensæ tuæ*; mensa etenim Ecclesiæ Altare Eucharistiæ est: Eius filij omnes nos sumus qui: Quando in circuitu huius mensæ sumus, esse debemus vt nouellæ Oliuarum in circuitu Eucharisticę mensæ, idest, *similes plantulis Oliuarum*, vt Vatablus ex hebreo transfert: sicut enim nouellæ plantæ Oliuarum sunt viridiores, fortiores, & vberiores, sic, & fideles quando in circuitu mensæ huius esse volunt, panem illum cœlestem sumpturi, viridiores esse debẽt per gratiam, & virtutes alias; Fortiores cõtra Diabolum, ac peccata, & vitia omnia: Et denique vberiores per fructum bonorum operum.

Etiam S. Chris. hom. 61. ad pop. Antioch. de hac ipsa ad Eucharistiam præparatione loquens, hæc ipsa psalmi verba adducit: *Filij tui sicut nouellæ Oliuarum in circuitu mensæ tuæ*: Et postea illa explicans, subiungit. *Nihil vetus, immite nihil, nihil crudele: Tales enim nouellæ sunt ad fructum idoneæ, fructum mirabilem, Oliuæ dico: & fortes: Ita vt omnes stant in circuitu mensæ: & nec temere, nec à casu huc conueniant: Sed cum metu, & timore*: sic ille: Alij etiam, quia Oliua Symbolum est pacis, & amicitiæ pacem ipsam, & amicitiam cũ proximo communicaturis in primis necessariam aiunt per Oliuas etiam significari: Item, per has Oliuas pias ac deuotas considerationes intelligunt alij tempore communionis habendas, inter quas S. Bonauent. (vt alibi obseruamus) illam quæ est de passione Domini, vel de propria vilitate, ac indignitate, ab humilitatem procedentẽ summè comendat: Et de vtraque habemus singulare exemplum 22

in Ber-

in Bernardo, qui etsi sanctissimus, ac feruentissimus, nihilominus sic loquebatur de conscientia scribens: *Hoc verò mihi est omni infelicitate miserius, quòd ita opere peruersus, ore pollutus, corde immundus, ad Altare accedo, & Christi Corpus pertractare manibus meis non pertimesco: Accedo elatus ad humilem, iratus ad mitem, crudelis ad misericordem: Accedo seruus ad Dominum, Non amore, sed timore, non deuotione, sed vsu: Ad Dominum accedo, cuius percussi seruum: Ad patrem accedo, cuius occidi filiũ: Percussi verbo, occidi exemplo:* Hæc ex Bernardo, & alia etiam, quæ adduximus nos imitari studeamus, quando ad nos Dñus per Cõmunionẽ est ingressurus, quasi in noua quadã Ierusalẽ, q̃ nimirũ de Hebreis in Euãgelio hodierno narrãtur, cũ ad eos Dñus ingrederetur.

23 Reliquum est modò, vt ea etiam, quæ in ipso ingressu, & post illum quoque de eisdem scribuntur diligenter non minus obseruemus ad nostram pariter doctrinam: *Turba autem quæ præcedebant, & quæ sequebantur clamabant dicentes: Osanna filio Dauid: Benedictus qui venit in nomine Domini.* Sic Euangelica historia: Hebrei cædentes ramos de arboribus palmarum, & oliuarum, & deferentes in manibus, dùm Christo obuiant, & illum comitantur, lætitiam animi sui hac ratione protestabantur, vt iam cum Iansenio recensuimus. Sicut ergo in alijs mysticè Hebreos imitari diximus, cum Dominum ad nos venientem in Eucharistia suscipimus, sic etiam in hoc eorũ gaudio de Aduentu eius: & similiter in Dei laudibus, & gratiarum actionibus, pro tãm ingenti beneficio, cum illis sẽt dicentes: *Osanna filio Dauid: Benedictus qui venis in nõe Domini.*

24 Et docent nos sacræ paginę omnia, quæ hic scribimus, de imitatione Hebreorum in aduentu Dñi, in libro nimirũ Ecclesiastices cap. 9. in verbis istis: *Vade ergo, & comede in lætitia panem tuum: Et bibe cum gaudio vinum tuum, quia Deo placent opera tua: Omni tempore sint vestimenta tua candida: & oleum de capite tuo non deficiat:* Ad duo enim potissimum iam exortabamur, pro digna præparatione ad Eucharistiæ Sacramentum, nempè ad vestimentorum mysticorum mutationem & ad ramorum spiritualium assumptionem: Quia nimirum de Hebreis præcipuè legimus, quòd veniente ad illos Domino, *prosternebant vestimenta sua in via,* & quòd *acceperunt ramos de arboribus:* Nunc verò, ad gaudium, & ad Dei laudes pariter suademus, eorumdem exemplo, quia, vt Sanctus Lucas narrat: *Cum appropinquaret Dominus ad descensum montis Oliueti, cœperunt omnes turbæ Discipulorum gaudentes laudare Deum voce magna, super omnibus, quas viderant virtutibus:* Scriptura etiam ad hæc omnia nos monet in prædictis verbis. Primò enim ad Eucharistiæ sumptionẽ sub vtraq; specie in spirituali lætitia & gaudio: Vnde ad Dei laudes, & gratiarũ actiones incitamur, nos sic animat: *Vade ergo & comede in lætitia panem tuũ: & bibe cum gaudio vinũ tuũ:* Deinde secundò, pro vestimentis virtutum, quibus indui debemus, subdit: *Omni tempore sint vestimenta tua candida:* Deinde tertiò, quia etiam oliuę cõmẽdantur nobis (sicut & palmæ) in quibus gratiæ spiritualis vnctio significatur, & pariter bonorum operum fructus: Idcircò, subditur pro oliuis: *Oleum de de capite tuo non deficiat,* & de operibus præmittitur: *Quia Deo placent opera tua.*

Et habemus in hac doctrina magistrum Cyrillum Hierosolim. Catechesi mystagogica 4. de Corpore, & Sanguine Christi: 25
De hoc enim sic ait ibi inter alia pro Eucharistia: *Idcircò & Salomon, cum in Ecclesiaste hāc eamdem gratiam in ænigmate significaret: Age (inquit) manduca in lætitia panem tuum: Videlicet panem spiritualem: Et bibe vinum in corde bono, spirituale scilicet vinum, & oleum super caput tuum effundatur:* Deinde paulò inferius de vestibus, sic subiungit: *Ita sanè exutis vestibus antiquis, & vsque sunt secundùm spiritũ alba indutis, perpetuò in albis incedere oportet: Non hoc ideò dicimus, quasi albata semper vestimenta habere sit necesse: Sed quòd his, quæ verè alba, splendida, & spiritualia sunt vestiri te oporteat, vt cum Isaia possis dicere: Exultet anima mea in Domino: induit me Dominus veste salutis, & tunica lætitiæ circumdedit me:* Hæc Cyrill.

Sed de tunica, & de vestibus alijs, & de ramis iam diximus: De spirituali gaudio, itaque modò, & de Dei laudibus in aduentu eiusdẽ Domini ad nos, dicere pergamus, & primum dicamus, quòd, ad hoc ipsum etiam Ecclesia nos cum scriptura hortatur, dùm nos cantare docet hoc canticum ex eadem etiam scriptura desumptum: *Ecce venit ad templum sanctum suum Dominator Dominus: gaude & lætare Sion occurens Deo tuo: Templum enim Dei Sanctum est, quòd estis vos,* inquit Paulus 1. Corinth. 3. 26

Si ergo templum Dei sãctum sumus, & ad nos tanquam ad hoc templum suum ipse venturus est Dominus in hora Cõmunionis, ergo gaudere & lætari debemus, hoc spirituali gaudio, ac lætitia eidem Deo & Domino Iesu

Christo

Christo in Sacramento existenti,& in eo ad nos venienti occurrẽtes: Cantat enim hodiè Ecclesia, & sæpè repetit: Pueri Hebreorum tollentes ramos oliuarum,obuiauerunt Dño: Et in hoc satis apertè docemur,vt nolimus quidem pueri effici sensibus, idest, prudentiæ & iudicij defectu tales esse:Sed quidẽ,vt malitia paruuli simus, vt docet et Paulus, idest, sine malitia,sed cũ puritate conscientiæ,ex qua verum gaudiũ oritur,sicque& nos,tanquã pueri Christianorum,læti ac iubilantes corde,Dño in Sacramento dignè obuiabimus.

27 At quia ij,qui gaudent, cantant etiam libẽter: Vnde & Ierosolimitani ciues Christo occurentes, *cœperunt gaudentes laudare Deũ voce magna super omnibus, quas viderant virtutibus*, vt iam ex Euangelio Lucæ adnotauimus,propterea & nos,sicut gaudere debemus in Domino,ad nos Eucharisticè (vt sic loquamur) venienti: Sic etiam ipsum Dominum laudare debemus & presertim propter ipsamEucharistiam, quàm paulò post gloriosum ipsũ in Ierusalem ingressum pro nobis instituit: & cum ipsa etiam,sit virtus virtutum eius:Hoc est *miraculorum ab ipso factorum maximum*, vt inquit Doctor Angelicus in officio eiusdẽ Corporis Christi:Sic .n.& Hebrei gaudẽtes laudabant Dominum *super omnibus,quas viderant virtutibus*,idest,super omnibus miraculis:Et habemus de his laudibus, quibus Christum laudemus, quando Eucharistiam sumimus eiusdem Christi præceptum,quòd nobis dedit, quando ipsamEucharistiam instituit,*Hac quotiescũque feceritis,in mei memoriam facietis*: Idest cõmemorabitis,annunciabitis,prędicabitis,laudabitis, celebrabitis me,& ea, quæ ego feci, vel sustuli pro vobis, & præcipue passionem ac mortem, quàm expressiùs ipsum Eucharistiæ sacrificium repræsentat.

28 Hinc Sanctus Basilus magnus in Ethica nõnullis quæ de Eucharistia scribit Reg. 21.c. 4. hunc titulum imponit: *Quòd qui sancta Communicat, is canere Deo laudis debet*: Præterea capitis tertij eiusdem regulæ,hic est titulus similiter. *Quòd ratio, quamobrem corpus Domini manducari, & sanguis bibi debeat, commemoratio sit obedientia Domini*, Vsque ad mortem. Hinc & S.Paschasius de hoc ipso agens ait: *Hoc nãque est,quòd in psalmis legimus: Manducauerunt,& adorauerunt oẽs pingues terræ:Quoniam nemo adipe frumẽti satiatus,neq; huius dulcedine sanguinis Christi ebrius, iam repletus cessat a laude Dei.*

29 Non solùm autem hoc modò, nimirũ cõmemorantes ac celebrantes Christi passionẽ præsertim.& alia etiam præcipua eiusdẽ mysteria,vt dixim⁹,De⁹ laudãdus,est a nobis,quãdo ipsum in Sacramento recipimus, sed eo modò, quo Deum hodiè Hebrei laudabant, & simul etiam orabant dicentes : *Osanna filio Dauid : Osanna in altissimis*: Quia .n. illi Christum vt hominem solùm, non verò etiam vt Deum agnoscebant:*Osanna filio Dauid,Osanna in altissimis*,vel *in excelsis canebant*: Idest:O Domine,saluum fac regem nostrum,& per illum nos,non tantum in terris,sed etiam in excelsis: Vt,scilicet, salus,quàm præcamur, ad Cœlos etiam vsque pertingat: Hic enim sensus conuenit verbis illis, quæ habet Lucas; *Pax in Cœlo, & gloria in excelsis*: Atque in hũc modum ferè illa interpretatur Diuus Hier.

30 Verùm nos qui non Iudei, sed Christiani sumus, & perfectè cognoscimus, ac confitemur Christum Deum verùm etiam esse,sicut hominẽ verum, alio modò hæc verba intelligentes, nempè per acclamationem, sic eundem etiam Christum oremus,& orare intendamus: Salua nos,quæsumus,in excelsis, Hoc est salute Cœlestu,& æterna nos dona; Quo sensu etiam oramus, cum in Missa cantamus; *Osanna in excelsis*. Nec fraudabimur petitione nostra, nam idẽ, quẽ sic oramus, iã nobis promisit id ipsũ,de quo illũ rogam⁹,ẽt anteq̃ rogem⁹: & hoc per ipsã similiter Eucharistia in cuius perceptione sic orandum docemur: *Osanna in excelsis*, vel *in altissimis*. En postulatorum nostrorum certa promissio. *Quis mãducat meã carnẽ,& bibit meũ sãguinẽ,habet vitã æternã*:Habet, ait,nõ *habebit*, ab infallibilẽ certitudinẽ,quasi habeam⁹ iã de facto verã salutẽ,vitã,slz.ęternã, Et q̃a hic ẽt incipit salus, q̃ per Eucharistiã habem⁹,p p maxima,ac innumerabilia,quæ p eã habemus,ẽt in hoc mũdo bona,& Dei gratiã,& alia spiritualia,ac diuina dona potissimum.

De quibus,cũ multa satis scribamus in multis sermonib, nil aliud de his hoc loco referemus, sed ea solũ,quę habet p eodẽ argumẽto cõmẽtũ Damasceni,de fide Ortod. in ca.14. digna sanè iudicio meo,quæ hic ponerentur. 31
hæc ꝯ mirũ. *Re vera Cœlesti præsidio illi⁹ anima & corp⁹ custodit, q manẽtẽ in se Dñũ Cœli, & habitãtẽ habet hospitẽ, aduẽtu suo benedictionẽ & salutẽ domui,q̃ ingreditur copiose afferentẽ, Si .n.benedixit Dñus domui Ægipti propter Ioseph, & multiplicauit tã in adib.,q̃ agris cũctã ei⁹ substantiã,nõ multò magis ad introitũ Regis gloriæ, & Dñi virtutũ,q maior est,q̃ Ioseph dabit benedictio pijs mẽtib. ipsũ cũ syncero affectu suscipiẽtib.,& cõferetur multiplicatio gratiæ,diuinorũq;, & spiritualiũ donorũ? Cũq; habitaret Arca Dñi in domo Obededen Gethei trib. mẽsib.,benedixit (vt ait scriptura) Dominus Obededen,& omnem domum eius propter Arcam Dei.*

Nonne

Nonne igitur longior benedictionis copia illis concedetur, qui Arcam Domini viuam, Cœlestem, & primitiuam, in qua continetur bonorum omniũ affluentia, habent in se manentẽ, & sacrorum mysteriorum susceptione secum habitantem? Rursus ingressus Dominus ex dignatione sua Zachei Domum contestatus est, quòd salus illi domui tunc facta sit, eo quod ipse esset filius Habrahæ: quidni ergo per ingressum benigni Saluatoris in animi nostri domicilium dignè quantum sinit imbecillitas nostra præparatum, salus, vita, & gratiarum dona nobis communicabuntur? Reuolue diligentius omnem Euangelicæ lectionis contextum: lege in illo, quid egerit Dominus noster, & quid docuerit: & rursum lege, non inuenies ipsum subijsse domum aliquam, ad quã pro aliorum affectu, & studio fuit vocatus, quin aliquid ibi beneficium sanitatis, aut doctrinæ benigniter impenderit: siquidem ingressus domum Simonis, socrum eius grauiter febribus æstuantem solo verbi imperio sanauit, alioquequæ loco paralyticum in domo oblatum, attendens offerentium fidem admiranda virtute sanitati restituit: Denique filiam Archisinagogi mortuam in domo iacentem suscitauit: & (quod maius est miserationis inditium) Pharisæorum domos ingressus, maligno animo ipsum, vt accusarent, obseruantium, beneficentiam curationis, & doctrinæ nequaquã subtraxit, hidropicumque, & arida manu dextra manum integræ sanitati reddidit, confutatis aduersarijs, Sabbatho non licere curationem languidis adhiberi falsò existimantibus.

Quid ergo facies humanæ mentis domum per communicationem huius sacri mysterij ingressus? omnem planè morbum animæ depellet, ardentem concupiscentiam, ignauiam, mortem quam intulit culpa, rerum terrenarum cupiditatem, rectè operandi impotentiam & Cœlestibus eam muneribus, vita, gratia, luce affatim cumulabit, si modò studium adhibeatur ad rectè præparandum tanto regi hospitium? Hæc omnia ibi.

32 Et quid his amplius desiderare possumus, pro instituto nostro? Hæc & his similia sunt quæ petimus in sancta Communione, dùm salutem veram a Deo petimus dicentes ei cum Hebreis: *Osanna in altissimis: Osanna in excelsis*: Si tamen cum eisdem etiam dignè tunc Christum recipimus in nobis ipsis: Verùm, vnum adhuc obseruandum est, nempè, quòd laus Dei est gratiarũ actio ipsi Deo: Laudabant Hebrei gaudentes Deum, & simul eidem referebant gratias, maxime pro miraculis a Christo in eis operatis: *Cœperunt omnes turba Discipulorum gaudentes laudare Deũ voce magna super omnibus, quas viderant virtutibus*, vt sæpe diximus. Vt scilicet, & nos ab eisdem discamus gratias reddere Christo pro miraculo miraculorum, & ab ipso factorum maximò, nimirum Eucharistia, quam nobis dedit, & per quam ad nos, vt tunc ad illos venit: & post ipsam etiam Communionem, quod aperte ex ipso nomine *Eucharistia* infert Sanctus Chrisostomus hom. 26. in Matth. cap. 8. & alibi, hoc modò: *Optima quippe beneficiorum custos est ipsa memoria beneficiorum & perpetua gratiarum actio: Propterea & reuerenda ac salutaria illa mysteria, quæ in omni certè Ecclesiæ congregatione celebramus, Eucharistia, idest gratiarum actio, nuncupantur: sunt enim beneficiorum recordatio plurimorum: Caputque ipsum diuinæ erga nos charitatis ostendunt: nosque faciunt debitas Deo gratias semper exoluere.*

Hinc idem Chrisostomus, explicans illa 34
verba Domini de eadem Eucharistia: *Accipite, & manducate: Hoc est enim corpus meum. Si tu igitur* (inquit) *accedas propter Eucharistiã, idest gratiarum actionem, tu quoque nihil facias indignum Eucharistia, seu gratiarum actione.* Et idem ferè monet Sanctus Hieroninius in eisdem verbis dicens: *Agnoscere se debet quisque Christi aut corpus edit, aut sanguinem bibit, ne quid indignũ ei faciat, cuius corpus effect⁹ est:* Hinc & Sanctus Cyprianus in cœna Domini de pijs sic scribit: *Inter sacra mysteria ad gratiarum actionẽ conuertitur: & inclinato capite mundìtia cordis adepta, se intelligens consummatum restitutus peccator sanctificata Deo animam, quasi depositum custoditum fideliter reddit, & deinceps cũ Paulo gloriatur, & lætatur, dicens: Viuo iam non ego: Viuit verò in me Christus, &c.* Hinc Sancta etiam Ecclesia sic ad parochum quemcumq; in suo Rituali Sacramentorũ ait. *Moneat præterea Communicantes, vt sumpto Sacramento, non statim ab Ecclesia discedant, aut colloquantur, nec statim vagis oculis circumspiciant, aut expuant: neque de libro statim orationes recitent, ne Sacramẽti speciem de ore decidãt: Sed, quæ pars est deuotione, aliquantisper in oratione permaneant, gratias agentes Deo datam singulari beneficio, atque etiam de Sanctissima passione Dominica, in cuius memoriam hoc mysterium celebratur, & sumitur.*

His similia dat monita Communicatis Sanctus Chrisostomus vbi supra, quæ subijcio: 35
Audisti sacros hymnos: Vidisti spirituales nuptias: mensa regia es exceptus: repletus es Spiritu

funcito: duxisti chores cum Seraphim: fuisti socius supernarum potestatum. Ne abijcias tantam letitiam, ne effundas thesaurum, ne inducas ebrietatem matrem animi egritudinis, laetitiam Diaboli, qua mala parit innumerabilia: Hinc enim est, & somnus morti similis, & crapula, & morbi, & obliuio, & mortis imago.

35 Hæc Sanctus Chrisostomus digna sanè obseruatione magna, sicut & quæ consulit Ecclesia, præsertim, & ab his maximè, qui ex mala nimis ac deprauata consuetudine præstant oppositum, quos pariter hac de materiali cibo similitudine ab illa reuocare conatur idem Chrisostomus, ibidem dicens.

Si boni quidem quid pransus, tibi caues, ne aliquo alio malo cibo priorem cor-umpas: Cum autem in conuiuio spiritus sis pastus, Satanicas inducis delicias: Et præterea adducit etiam pro hoc ipso exempla singularia, nempè Sanctorum Apostolorum: Hæc etiam audiamus, & his sermonem ipsum consignemus.

Cogita quid fecerint Apostoli, quando sacrarum illarum mensarum fuerunt participes: An non conuersi sunt ad preces, & hymnos canendos? Non ad sacras vigilias? Non ad sacram illam doctrinam, & plenam multa philosophia? Tunc enim illis res magnas, & admirabiles narrabat, & præcipiebat cum abijsset Iudas ad vocandos eos, qui ipsum acturi erant in Crucem: Non audiuisti quomodo illa tria millia, qua perceperat Communionem, perseuerabant in oratione, & doctrina, nō inebrietatibus, & commessationibus? Tu autem, priusquam quidem Communices, ieiunas, vt quomodocumque dignus appareas: quando autem Communicaueris, cum te oporteret magis augere temperantiam, omnia perdis: At qui non sunt paria esse sobrium ante, & postea? Nam in vtroque quidem oportet esse sobrium, & temperantem: maximè autem, postquam sponsum excepisti: Antea quidem, vt sis dignus accipere, postea autē ne appareas indignus, ijs qua accepisti.

Hæc omnia Sanctus Chrisost. pro exemplò Apostolorum: Hæc iam sufficiant, cum exemplis alijs eorumdem, & aliorum etiam Iudeorum hodie Christum in sua ciuitate suscipientium, quæ prolixè iam satis explicauimus, Amen.

SERMO SEPTIMVS.

Pro Dominica Tertia Mensis: Quòd Tertia Dominica Mensis sit mystica solemnitas Azimorum.

Quintadecima die Mensis huius solemnitas Azimorum Domini est. Leuit. cap. 23.

ARGVMENTVM.

Solemnitas Azimorum, quàm quintadecima die Mensis Hebrei celebrabant, solemnitatem repræsentat Corporis Christi, quàm celebrant Christiani Tertia Mensis Dominica, & simul etiam modum, quo eam celebrare debent: Multi ex eis tamen, pro solemnitate hac Domini, solemnitatem aliam, quæ est Diaboli, potius celebrant.

1 EXhibent nobis varijs in locis sacræ paginæ de Eucharistia, modò figuras, modò prophetias, modò etiam veras historias, sicut vnanimiter nos docet cum Patribus Theologorum Scola: Verùm id singulare, quòd ex eisdem modò desumpsimus in Vigesimotertio, libri Leutici capite, iure meritò (vt mihi videtur) in dubiū verti potest, an de eadem Eucharistia, non solùm figura sit, vel prophetia, sed potius, an quasi etiam vera historia de eadem simul, & semel dici meritò possit aliqua ratione.

Hoc, inquam, quòd prænotauimus:

Quintadecima die mensis huius solemnitas Azimorum Domini est: Non solùm enim figura, vel prophetia, sed etiam historia de Eucharistia Sanctissima mihi videtur: & non tantùm de Eucharistia in se: sed de ijs etiam, quæ inter Eucharistiam eamdem, & fideles contingunt, & de tempore simul, quo hæc fiunt. Audiamus iterum: *Quintadecima die mensis huius solemnitas Azimorum Domini est*: Hæc sunt sacri textus verba. Quædam, scilicet, solemnitas (inter aliàs) ab Hebreis iussu Domini celebrabatur in dimidio mensis primi apud illos, quem Nisan vocabant, quique partim nostro Martio, & partim Aprili respondet, in qua illi Azimum panem solùm, per septem dies continuos manducabant: proindeque, solemnitatem Azimorum vocabant: *Septem diebus comedetis Azima*, inquit textus.

2 Quod Hebrei Dei iussu præstabant, manifeste hoc figurauit, quòd Christiani diuino instinctu pariter faciunt quintadecima die, nõ huius mensis tantùm, vel illius, sed mensium singulorum, totius anni circa eamdem Eucharistiam, dùm scilicet quolibet anni mense tertia mensis cuiuslibet Dominica dies, quæ vel quintadecima dies mensis est, vel saltem non multum ab ea distat, sacræ eiusdem Eucharistiæ solemnitatem peculiarem celebrant, quam eidem consecrant, ex antiquo, pioque, ac Religioso Ecclesiæ ritu: dùm nimirum eãdem Eucharistiam, in qua est Christus Dominus, in hac quintadecima die, præsertim præ alijs mensis diebus sub pane Azimo illam cõficientes, eam singulari pietate, reuerentia, ac deuotione adorant; honorant, sumunt, & per vias, & plateas suas solemni processione deferunt: Ideòque iure meritò ipsa tertia Mensis Dominica, solemnitas Azimorum dici potest, non Iudeorum, quidem, sed Christianorum: De Eucharistia enim, ait Diuus Cyprianus in serm. De cœna Domini: *Panis hic Azimus, cibus verus, & synceras per speciem, & Sacramentum, nos tactu sanctificat.* Ergo præfigurauit illa solemnitas Azimorum Iudeorũ, solemnitatem Azimorum Christianorum, & illa de Iudeorum solemnitate verba etiam eiusdem nostræ solemnitatis quasi prophetia fuerunt: Et quia insuper vtrumque, tàm euidenter, & expresse, ideò, quòd figura verè est, vel prophetia nostræ festiuitatis, eiusdem etiam historiam, vel quasi historiam possumus aliquo modò appellare.

3 Itaque figuram hanc hodiè, vel prophetiam verificantes, & quasi in historiam conuertentes, & adimplentes, de hac ipsa solemnitate nostra dicamus id, quod de Hebraica prædictum est nostram prædicendo, ac præsignando: *Quintadecima die &c.*

Sic enim, hæc verba pro nobis glossa declarat: *Festum agere præcipit in quintadecima, in qua Pascha nostrum immolatus est Christus. Quintadecima die mensis*. En tempus propriũ solemnitatis, tertia nempè mensis Dominica, circa quintam decimam diem mensis occurrens: *Solemnitas Azimorum &c.* Ecce solemnitas ipsa, & id, de quo est, quia est de Eucharistia, quæ Azima Domini dicitur: quia in ea verè Dominus sub pane Azimo speciali deuotione colitur.

4 Extat de hac nostra Azimorum solemnitate, quodam Isaiæ Vaticinium, quod historia itidem videtur de ipsa nostra Eucharistiæ solemnitate: sicut de eisdem Leuitici verbis demonstrauimus.

Porrò hoc est Isaiæ Vaticinium in fine eiusdem libri sui exaratum: *Erit mensis, ex mense, & Sabbatum ex Sabbato: veniet omnis caro, vt adoret coram facie mea, dicit Dominus.* Certè de eodem Propheta scribens Sanctus Hieronymus ad Paulam, & Eustochium, de eo signanter ait, quòd non tam Propheta dicendus sit, quàm Euangelista: & statim huius rei rationem sic assert: *Ita enim vniuersa Christi, Ecclesiæq; mysteria ad liquidum prosequutus est, vt non putes eum de futuro vaticinari, sed de præteritis historiam texere*: Hæc Hieronymus.

Si ergo vniuersa mysteria Christi, Ecclesiæque ad liquidum sic prosequutus est, vt historiam quasi Euangelista, non prophetiam, vt Propheta de eisdem texisse videatur, hoc præcipuè asserendum, videtur, de Eucharistiæ mysterio mysteriorum Christi, & Ecclesiæ, quod idem Christus instituit, & in quo etiam veraciter continetur: & specialius etiam de eo, quòd fideles semper in Ecclesia, & maximè *quintadecima die mensis*, tertia nempè cuiuslibet mensis die Dominica, circa eamdem piè exequuntur in Ecclesia nimirum omnes conuenientes ad eamdem Eucharistiam deuotius venerandam, atque sumendam: Sicut Hebrei similiter in sua solemnitate Azimorum, in templo conueniebant ad sua sacrificia, & alia ex legis præscripto peragenda.

5 Ecce prophetia: Vos iudicate, an historia, & Euange-

Euangelium aliud potius videatur. *Erit* (inquit) *mensis ex mense, & Sabbathum, ex Sabbatho: veniet omnis caro, vt adoret coram facie mea dicit Dominus.* Quid est. *Erit mensis ex mense?* Explicat Hebraicus Textus clarius, ex Pagnino: *Erit de mense in mense eius,* scilicet, *de Sabbatho in Sabbatho,* ex eodem, qualibet, nempè, Dominica tertia mensis, post aliam tertiam Dominicam. Nam Sabbathum Hebræorum in Dominicam Christianorum mutatum est. Modò quid erit quolibet mense, & qualibet tertia Dominica mensis? *Veniet omnis caro, vt adoret coram facie mea dicit Dominus.* 70. legunt: *Veniet omnis caro, vt adoret in cõspectu meo in Hierusalem dixit Dominus.* Hebrei verò apud eundem Pagninum: *Veniet omnis caro, vt incuruet se coram me dixit Dominus:* Ecce adimpletam hodie nimis patet prophetiã: En prophetia historia videt, vel historia facta. *Omnis caro,* scilicet, omnis natio, omnis terra, omnis lingua, omnis Vrbs, omnis ciuitas, omne oppidum, omne Castellum, omnis Masculus, omnis fœmina, omnis status, omnis ætas: *De mense in mense,* de tertia Dominica in tertiam Dominicam mensis venit in nouam Hierusalem, Ecclesiam scilicet.

6 Et propter quid? Idem Dominus, cui hæc mensis cuiuslibet solemnitas consecratur, & qui hoc ipsum per Isaiam prædixit, explicauit etiam, dicens: *Veniet, vt adoret coram facie mea, in conspectu meo: vt incuruet se coram me,* quando nimirum nos incuruantes coram Eucharistia, adoramus eam, & in ea eundem Dominum nostrum Iesum Christum omni qua possumus humilitate, reuerentia, ac deuotione: læti cantantes insuper vna voce: *Tantum ergo Sacramentum, veneremur cernui:* Hæc enim Christi Domini Azima: Hæc Christianorum Azimorum festiuitas est, quàm quintadecima die mensis cuiuslibet ijdẽ vbique celebrant: Ad, quod figurandum scribit: *Quintadecima die mensis huius solemnitas Azimorum Domini est.*

7 Hinc de hac eadem solemnitate Azimorũ, & de prima die eius, ex septem, quibus durabat, sic ibidem subijcitur: *Dies primus erit vobis celeberrimus, sanctusq;*: Quia etiam valde celeberrima est, & sancta hæc vnica dies Azimorum nostrorum, & pijs præsertim & erga ipsa Azima deuotione peculiari affectis: Hinc lectio Chaldaica habet: *Vocatio sancta pro dies celeberrimus*: Hebraica verò. *Conuocatio sancta*: Quia ad hanc solemnitatem vocamur, & conuocamur a Deo, a pastoribus, a concionatoribus ab ipsa Ecclesiæ deuota consuetudine, & a propriæ salutis zelo.

Sed ad quid, vel popter quid potissimum, sic vocamur, vel conuocamur, in hac quintadecima die mensis, idest in hac solemnitate Azimorum Domini Eucharisticorum? Non solùm certè, vt eandem Eucharistiam in pane Azimo confectam speciali cultu, ac pietate veneremur, & in Altari stantem, & in processionibus nostris a nobis delatam & associatam: sed inprimis, vt illam sic sub Azimi panis specie deuotè sumamus: Sicut enim solemnitas illa Hebreorum, solemnitas Azimorum dicebatur, celebranda primo illo anni mense: *Quintadecima die mensis huius solemnitas Azimorum Domini est*: Quia, scilicet, per septem dies continuos Azima tantùm comedebant Hebrei. Vnde statim sequitur in textu: *Septem diebus comedetis Azima*: sic & Christiani, in hoc ab Hebreis edocti, suum Azima comedere debent Eucharisticum. 8

At quæret aliquis fortasse hic: quomodo figura vel prophetia, & (quod plus est) etiã quasi historia esse potest solemnitas hæc Azimorum huius nostræ solemnitatis (vt iam diximus) quàm hac die tantùm, hac Dominica tertia solùm mensis celebramus, pro Eucharistia, cum hac ipsa die tantùm duret nostra solemnitas: & hac die Dominica sola Azima nostrum Eucharisticum comedamus, Hebreorum vero festum septem diebus continuis durabat, & in eisdem etiam suum Azima semper comedebant? Rectè quidem hoc, respondeo: Immo propter hoc speciale, de comestione septem dierum asserendũ est, illud festum Azimorum festa nostra hæc de Eucharistia manifestè expressisse. *Quia enim septem diebus omne tempus comprehenditur, rectè septenario numero vniuersitas significatur.* Inquit Sanctus Gregor. hom. 33. in Euangelia; Christiani verò omnibus septimanæ diebus Eucharistiam sumunt in Azimo pane confectam, & maximè Sacerdotes: Ideo, figuratè prophetice & ferè historicè simul de illis, & de Eucharistia scriptũ videtur: *Septem diebus Azima comedetis*: scilicet, quolibet ex septem hebdomadæ cuiuslibet diebus. Vel *septem diebus*, idest, omnibus omnis hebdomadæ diebus, quia, omnibus diebus illam promisit Dominus dicens, Matth. 28. *Ecce vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad* 9

consumationem sæculi. Hinc enim & Hippocrates in libro de carnibus scripsit: *Vita hominis est septem dierum.*

10 Verùm, etsi omnibus septem diebus Eucharistiam sumere possimus, tamen, *Quintadecima die mensis, solemnitas Azimorū Domini est*: dies nempe Dominica, quę quintadecima est mensis, vel circumcirca, est Sanctissimæ Communioni principaliter dedicata: Quia hic primus dies est inter septem: quia magis celebris inter alios omnes, propter ipsam Eucharistiam: Quia magis sanctus. Ideoque, cum dixerit Dominus: *Septem diebus comedetis Azima*, statim, fortè ad hoc ipsum indicandum, subdidit: *Dies primus erit vobis celeberrimus, sanctusque*: Vel aliter dicamus: Et si primam diem, nempè quintādecimam, in qua hæc Azimorum solemnitas incipiebat, voluit esse præ alijs celeberrimam, atque sanctam: comestionem tamen Azimorum non magis illi primæ diei ex septem, vel alteri determinauit, vt Christianos tacitè doceret, in qualibet ex ipsis diebus septem posse suum Azima Eucharisticum comedere: si tamen ad dignè illud comedendum se disponant: & si in hac die præcipuè se disponere debeant, & consueuerint: quia quintadecima mensis est præ alijs celebrior, atque sanctior: quia, non tam festum, quàm dignā præparationem pro Cōmunione attendere debemus: Si bene dispositi sumus, semper festum hoc Azimorum celebrare possumus: sine dispositione verò nunquam. Nullo scilicet septem dierum, & si sit ipsa dies quintadecima, tertia, nempè mensis Dominica, vel aliud quodlibet anni festum: cum multi tamen oppositum præstent, absq; vlla dispositione deuotionis hoc Azima Euāgelicum comedentes: & solùm, quia festum est, vel, vt cum alijs concordent.

11 Verè enim. N. id liberè asseuerare possum, quòd Diuus Chrisostomus hom. 61. ad Pop. Antioch. de suis scripsit: *Multos video Domini corporis participationem, temerè sumentes, vt à casu, & consuetudine potius, & lege, quam cogitatu, & mente: Si superuenerit (inquit) sancta tēpus quadragesima, qualiscūq; sit aliquis, mysteria sumit: Si superuenerit Epiphaniorū dies, licet.* Hic multorum Communicantium abusus, & mulierum præsertim: sed vultis scire veram Communionis sanctæ regulam? Ex eodem Chrisostomo ibidem immediatè hāc discite: *Tempus aduentus, vel Epiphania, vel quadragesima, dignos accedere non facit: sed animæ synceritas, & puritas: Cum hac igitur, semper accede: sine hac, nunquam.*

12 Et hoc ipsum ex hodiernæ festiuitatis re, & nomine aperte edocemur. *Quintadecima die mensis huius, solemnitas Azimorum Domini est*, in qua, vt diximus, septem diebus Iudei Azima comedebant. Quid hoc significat? legamus verborum horum significationem in glossa: *Si vere pascha celebrare volumus septem diebus, semper ab omni malitia Azimi esse debemus, & maximè ab Iudaico errore: Vnde ait 1. Corinth. 5. Apostolus: Non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, & nequitiæ, sed in Azimis synceritatis & veritatis.* Nam hęc Azimorum solemnitas etiam Pascha dicebatur, & incipiebat quartadecima die ad vesperam, in qua Agnum paschalem Hebrei comedebant, & sequenti quintadecima die, Azima per septem dies. Hinc Act. cap. 12. de hac solemnitate legitur: *Erant autem dies Azimorum*: & statim de eisdem subditur: *Volens post pascha producere eum populo*: Ergo cum Azimorum dicatur festum hoc nostrum, Azimaque nouum in eo comedamus, Azimi etiam esse debemus, idest puri, & synceri, sine peccato: *Non oportet esse fermentarios noui testamenti ministros: puras syncerasq; mentes requirit hoc conuiuium*: inquit Sanctus Cyprianus eodem citato loco de cœna Domini: *Quia sola animæ puritas, et synceritas nos dignos accedere facit*, inquit Chrisostomus.

13 Quòd etiam ipsa Leuitici allegata scriptura, non obscurè indicat, post prædicta sic immediatè subijciens: *Omne opus seruile non facietis in eo*: Seruilia opera solùm prohibebantur Hebreis in illa solemnitate suorum Azimorum: In hac nostra autem solemnitate, non solùm opera seruilia interdicuntur nobis, sicut & in alijs festis, sed opus illud inprimis, quòd magis seruile est quàm alia communia seruilia opera, nempè peccatum: Sicut & glossa hæc ipsa verba declarans ex ipsis Christi verbis Ioannis cap. 8. *Omnis qui facit peccatum seruus est peccati*, ad hæc verba subiungit: *Non debemus seruire peccato, cum Pascha celebramus, in quo a peccato nos liberauit Christus.*

14 Quòd si seruientes peccato, Eucharisticum Azima comedimus, iam non solemnitatem Azimorum Domini celebramus, sed aliam huic quidem similem, non tamen Domini, sed Diaboli: Attendamus ex scriptura hoc ipsum, scilicet 3. Reg. cap. 12. Narrat enim, quòd: *Rex Ieroboam constituit diem solemnem in mense octauo,*

octauo, quintadecima die mensis, in similitudinem solemnitatis, qua celebrabatur in Iuda: Vt diuerteret Rex ille impius & sacrilegus Israeliticum populum ab Hierusalē, ne iret nimirum, illuc ad sacrificia offerenda, & ad alia ex legis præscripto, aliam solemnitatem instituit similem solemnitati Azimorum, quæ in Hierusalem celebrabatur, alibi tamen celebrandam: Et quid pro hac solemnitate fecit? audiamus. *Excogitato consilio fecit duos Vitulos aureos* (inquit ibi scriptura) *& dixit eis: Nolite vltra ascendere in Ierusalem*: Vel secundùm Hebraicam translationem. *Nimis est vobis, vt ascendatis in Ierusalem. Ecce Dij tui Israel, q te eduxerūt de terra Egipti.* Modò audiamus, quid de his vitulis insuper ibidem dicatur: *Posuitq; vnum in Bethel, & alterum in Dan, & factum est hoc verbum populo in peccatum: Ibat enim populus ad adorandum vitulum vsque in Dan.* Clara est de se littera, nec alia indiget expositione.

15 Audiant Christiani, ad quos scribimus, pro historia Iudeorum mysticam historiæ expositionem: Ieroboam Rex Diabolus est: *Ipse est rex*, assertore Iob cap. 41. *super vniuersos filios superbiæ:* Ieroboam interpretatur, *Diuisio populo*: Vel: *Diuidens populum*: Diabulus, qui a simia Christi dicitur, instituit in Christi solemnitate, aliam solemnitatem similem solemnitati Christi, vt a Christo populum diuidat: Vt diuisionem inter Christum, & Christianū populum faciat: Et ad hoc, Vitulis vtitur: Vitulus a vitulando, siue lasciuiendo dicitur, vt inquit Calepinus: nam, & Oseę cap. 4. legimus: *Sicut vacca lasciuiens declinauit Israel.* Lasciuiam, & lasciuiæ occasiones populo Christiano proponit Infernalis Ieroboam, vt eum a Christo diuidat, & a Christi corpore suscipiendo diuertat, ac sibi ipsi iungat & vniat.

16 Et vbinam hos lasciuiæ vitulos ponit? *Posuitque vnum in Bethel, & alterum in Dan* Bethel domus Dei dicitur: Ideò Ecclesiam materialem repræsentat, de qua ait Christus: *Domus mea, domus orationis vocabitur:* Ibi enim mulierum species, & aspectus illarum, cum ad Luxuriam multos incitent, vituli dici possunt in Bethel: Et quam frequens est hoc, & quam commune? Etenim eas in eadem Ecclesia etiam multi, vt Deos, vel quasi Idola sua illas adorant, quasi pro festo: sicut etiam Idola, & Deos suas illas appellare consueuerunt, de quibus Infernalis Ieroboam ijsdem adoratoribus suggerit: *Hi sunt Dij tui.* Sed hoc dimittamus modò.

Alter vitulus est in Dan: locus enim pecu- 17
liaris est litteraliter, sicut & Bethel, scilicet duo montes oppositi, secundùm aliquorum sententiam. Dan causam significat, vel, iudicium: Iudicium, pro condemnatione accipitur aliquando in scriptura: quia est causa cōdemnationis, & ad iudicium condemnatio sequitur: Vnde illud Domini apud Ioan. 3. c. *Hoc est autē iudiciū, quia lux venit in mūdū, &c.* Hebraica vertitur trāslatione. *Hoc est condemnatio:* Et glossa similiter exponit: *Hoc est autē iudicium, idest, causa condemnationis:* Ergo uitulus alibi, quam in Bethel, scilicet extra Ecclesiam, est quodcumque luxuriæ obiectū, vel occasio: Quia est de facto causa condemnationis æternæ; & causa communior, ac frequentior alia quacunque. Vnde Doctores multi tradunt, quòd propter nullum aliud peccatum tot damnantur, sicut propter luxuriam: Et ad hos vitulos adorandos trahit Diabolicus Ieroboam, Christianum populum: sicque festum suum, celebrare facit in similitudinem solemnitatis, quæ in noua Ierusalem, hoc est in Ecclesia celebratur, quòd Azimorum dicitur, in qua Christi corpus sub Azimi panis specie sumere deberent: *Et factum est Verbum hoc populo in peccatum* (inquit scriptura:) *Ibat enim populus ad adorandum vitulum vsque in Dan*: Vnde (vt dixi) non solemnitas Azimorum Domini, sed vitulorum, ac Demorū solemnitas est appellāda: Cum tamen dicat scriptura: *Quintadecima die mensis huius solemnitas Azimorum Domini est.*

Nec nouū hoc videatur, vel paradoxum: 18
Psalmi enim sententia est 74. *Dixerunt in corde suo cognatio eorum simul*: nempe demonum cognatio, vt multi interpetrantur: *Quiescere faciamus, omnes dies festos Dei a terra:* idest tollamus, vel cessare faciamus: *omnes dies festos Dei a terra.* Deus ipse ore proprio hoc docet: Nam festa statuens, & quomodò ritè colenda sint, sua vocat: *Sabbata mea custodiatis.* Leuit. 19. cap. Sed cum malè obseruata damnat, non sua festa, sed hominum festa, nominat Isa. 1. cap. *Solemnitates vestras, odiuit anima mea: facta sunt mihi molesta laboraui sustinens.* *Non enim* (inquit Hieronymus hoc discrimen explicans) *Deus instituit festa, quæ hoc modò celebrarentur: ea namque inuenta sunt ab hominibus, qui quemadmodum loca sacra violare solent, sic etiam dies sacros.*

19 Eia

19. Eia mementote, fratres, quod sępè iam de hac nostra Eucharistici Azimi solemnitate diximus. *Quintadecima die mensis huius, solemnitas Azimorum Domini est*: Non sit ergo solemnitas vitulorum Diaboli: Azima comedere debemus, nempè in Azimo Christi corpus, non ergo Vitulos Ieroboam adorare: Domini est hæc festiuitas, Non fiat ergo nostra, vel Diaboli: Nec quòd in salutem ordinatum est in hac vita, fiat in Dan, idest in iudicium, & in condemnationem in altera: Nam cum dixerit scriptura, *factum est, hoc verbum populo in peccatum*, statim addit: *Ibat enim populus ad adorandum vitulum vsque in Dan.*

Tandem, scitote, quòd non solùm diuinæ 20 leges hos lasciuiæ ac voluptatis damnosos vitulos detestantur, ac prohibent Christianis populis, sed etiam humanæ, Cæsareæ nimirum. Has attendamus, & ijsdem sermonem nostrum terminemus: In Codice, de ferijs, lege finali, sic primò de diebus festis in communi statuit Imperator: *Dies festos Maiestati altissimæ dedicatos, nullis volumus voluptatibus occupari*: Et postea a generalibus ad particularia descendens, ait: *Dominicum itaque diem ita semper honorabilem decernimus, & venerandum*: Et infra *Nec huius tamen Religiosi diei ocia relaxantes, obscenis quempiã patimur voluptatibus detineri. Amen.*

SERMO OCTAVUS.

Pro Processione Sanctissimi Sacramenti in eius festo.

Dauid, & omnis domus Israel deducebant Arcam testamenti Domini in iubilo, & clangore buccinæ. 2. Reg. cap. 6.

ARGVMENTVM.

Arca Testamenti Eucharistiam expresse significat: & deductio Arcæ solemnis de domo Obededom in Tabernaculum Dauid ipsius Eucharistiæ Processionem in eius festo principali.



1 EVcharistiam præfigurauit sacrificium Melchisedec, Panis Azimus, manna deserti, Pasqualis agnus, subcinericius panis, & multa talia: Inter hæc omnia autem, manifestè satis, ac multipliciter Arca fœderis eamdem repræsentasse videtur: Sicut, & consequenter eiusdem Arcæ deductiones variæ ab Hebreis factæ, varias similiter videntur figurasse processiones, quas cum eadem Eucharistia Christiani faciunt. Deductio porrò solemnis eiusdem de domo Obededom in Tabernaculum Dauid, quandò nimirum ipse Rex *Dauid, & omnis domus Israel deducebant eamdem Arcam Testamenti Domini in iubilo, & clangore buccinæ*, illam potissimum processionem nostrã de eadẽ Eucharistia prænuntiauit, quã nos Christiani, tàm solemniter celebramus in hoc solẽnissimo eius festo, eãdem solemnissimè etiam, ac magna cum reuerentia, & honore portantes, & associantes, per vicos, & plateas nostras.

Clarius ac distinctius nunc hæc duo potissimum demonstrabimus: primùm quòd per Arcam Eucharistia manifestè figuretur, ex his, quæ de ipsa Arca in scriptura dicuntur: 2 secundò loco verò, quòd ex illa Arcæ processione, processionem hodiernam Eucharistiæ discere debemus, tamquam per illam simili modò adumbratam, de qua iam dicere cœpimus: *Dauid, & omnis domus Israel deducebant Arcam testamenti Domini in iubilo, & clangore buccinæ.*

Imprimis ergo supponendũ est, quòd Arca Testamen-

Testamenti Domini vt capsa quædam erat de lignis setim, nempe inputribilibus, auro vndequaq; intrinsec⁹, forinsecusque cooperta: Quadrangularis erat: habebat enim latitudinis cubitum, & dimidium: & tantundem altitudinis: longitudinis verò duos cubitos, & semis: Hanc in summitate per girum cingebat corona, vel potius coronix aurea: & in quatuor Angulis ad latera longitudinis, inserti erant quatuor circuli similiter inaurati, per quos duo vectes itidem inaurati mittebantur, vt sic posset facilius Arca portari. Hæc licet desuper aperta esset, habebat tamen operculum non ligneum, sed ex auro purissimo in laminam eiusdem longitudinis, ac latitudinis productum, quo tegebatur, & hoc communiter Propitiatorium vocabatur: quoniam cũ de ipso loqui soleret Dominus ad Moysen, ab ipso quodammodò propitiationes populo impetrari, ac reportari videbantur: Et hac eadem de causa, nonnunquam Oraculi nomine signari consueuerat, quod ab ipso oracula, hoc est diuina responsa haberentur.

In huius Propitiatorij summitatibus, erãt duo Cherubim ex auro ductili fabrefacti, se mutuò, Propitiatoriumque respicientes, atque alas suas, contra se inuicem expandẽtes: ita vt ala dextra vnius alam sinistram alterius tãgeret, & leua dextram, totumque Propitiatorium sic reuerenter operientes.

3 Hæc summa est eorum, quæ de Arca in scripturis habemus: Ipsã Arcam, & nos vidimus, & mensi sumus pluries, in sacrosancta Lateranensi Basilica de Vrbe, pœnitentiarum Sanctissimi DD. N. Vrbani Papæ VIII. in ea agentes, & cum ea etiam Virgam Moysis, & Virgam similiter Aron fratris sui, quæ fronduerat, sine Propitiatorio tamen, & sine Angelis: Arcæ veritatem hic suppono: non autem inquiro, vel disputo de ea pro instituto meo, quòd est de ipsa solùm, quatenus Eucharistiam figurauit, & de deductione eius in Tabernaculum Dauid processionem hodiernã eiusdẽ Euchar. similiter repræsentante, vt dixi: Et quidem expressè satis vtrumque, & multipliciter, sicut statim demonstro.

4 Docent primum Sanctus Gregorius, Sanct. Cyrillus, Sanctus Thomas, Rup. Abb., & alij ex recentioribus quamplures: Eucharistiam porrò adũbrabat Arca Testamẽti Domini, dupliciter: Primò secundùm se, vel respectu sui: Secundò respectu eorum etiam, quæ in se cõtinebat: Duæ erant Arcæ materiæ, ex quibus facta erat, lignum, nempe, & aurum: quia ex lignis setim erat, & tota inaurata intus, & foris, vt dictum est: *Arcam de lignis setim compingite, cuius longitudo habeat duos, & semis cubitos, latitudo cubitum & dimidium, altitudo, cubitum similiter, & semissem: & deaurabis eam auro mundissimo intus, & foris:* Sic Exod 25. de Arca statuit Dominus: Duo etiam Eucharistia habet, species, nempe panis, & vini, & corpus sanguinemque Christi, sub eisdem speciebus: Hinc Com. in Damasc. lib. 4. de fide Orthodoxa cap. 14. ait: *Erat autem Arca quadam vmbra dumtaxat, & figura horum mysteriorum, quæ in se proportione, excellentiam habent maiorem: Siquidem sacratissimum Christi corpus, vera est illa Arca, in qua habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter: & in qua omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ sunt absconditi:* Hæc Doctor ille.

Erat Arca *ex lignis setim*: hoc est *ex lignis imputribilibus*: Secundùm septuaginta interpretum versionem: Quòd enim in vulgata legimus *Arcam de lignis setim compingite*, illi transferunt: *Facies Arcam testimonij ex lignis imputribilibus:* Aurum etiam quo intus, & foris Arca operiebatur, multum durabile est procul dubio: Quare ratione multæ durationis vtriusq; materiæ, Eucharistiam repræsentare videtur, quæ vsque ad mundi finẽ in Ecclesia perseuerabit. Sicut verò Arca secundùm se, Eucharistiam etiam secundùm se praefigurauit; sic et ea, quæ in Arca erant, ea pariter, quæ in Eucharistia verè sunt, præfigurasse videntur, & multò clariùs: Etsi verò quo ad contenta in Arca, graue oriatur dubium, propter diuersa inter se scripturæ loca potissimum: Hoc ipsum tamen dubium, & solutio eius non parum deseruire videntur pro certitudine omnimoda eorum, quæ in Eucharistia sine dubio vllo sunt. 5

Dubium verò de contentis in Arca, hinc est: 3. Reg. cap. 8. legimus: *In Arca non erat aliud, nisi duæ tabulæ lapideæ, quas posuerat in ea Moyses.* Sanctus Paulus vero ad Heb. ca. 9. de eadem Arca loquens, ait: *In qua vrna aurea habens manna, & Virga Aron, quæ fronduerat, & tabulæ Testimonij erant:* Siin Arca non erat aliud, nisi duæ tabulæ lapideæ, quas posuerat in ea Moyses, vt tradit Regum historia, quomodo verùm erit id, quòd Paulus scribit, quòd scilicet vltra duas tabulas testimonij prædictas, erant etiam in Arca Vrna aurea habens manna, & Virga Aron, quæ fronduerat? 6

Videtur

Videtur enim in hoc manifesta contradictio, quòd in sanctis scripturis nec imaginari, nec somniare etiam licet.

7 Multifariam multisque modis, multi etiam apparentem contradictionem tollere, vel soluere nituntur: quidam enim dicunt, tempore Moysis in Arca solas fuisse tabulas legis, sed postea a Hieremia Vrnam quoque cum manna, & Virgam Aaron in Arcam repositam fuisse, vt, scilicet, in ea melius seruarentur: idq; Paulum a Gamaliele traditione accepisse addunt: Verùm Paulus hic loquitur non de tempore Hieremiæ, sed Moysis, & de eius Tabernaculo: asseritque hæc omnia tempore Tabernaculi Moysis in Arca fuisse: Respondet idcircò alij, tempore Moysis omnia hæc quidem fuisse in Arca, sed tempore Salomonis solas tabulas; Verùm nec istud subsistit: nam ex scriptura, & ex Iosepho lib: 3. cap. 6. & ex Philone l. 3. de vita Moysis deducitur tempore Moysis solas tabulas in Arca fuisse: Alij etiam alio modò prædicta scripturæ loca cõcordare laborant, quos omitto.

8 Dicendũ videtur cũ Cornelio a lapide, & alijs. præpositionem: *In*, hic more Hebreo sumi, & complecti tam ea, quæ propriè in Arca erant, vti erant tabulæ legis, quàm ea, quæ erant iuxta Arcam, vti erant, Vrna, & Virga: sicut enim sunt varij modi habendi, ita sunt & inexistendi: sic dicunt & Hebrei nobiscum, nos habere calceamenta in pedibus, idest iuxta, vel circa pedes. Sic Christus dicitur passus in Ierusalem, cum iuxta eam sit passus: sic vulgo dicitur: Romæ, vel Mediolani contigisse, quòd iuxta illas Vrbes cõtigit. Idem ergo hic de Vrna, & de Virga vult dicere Paulus, quod etiam de libro Deuteronomij dicit Moyses, Deut. 31. *Tollite librum istum, & ponite enim in latere Arcæ fæderis*: Sicut ergo liber Deuteronomij positus fuit, non in Arca, sed in latere Arcæ, ita quoque ibidem positæ sunt, Vrna, & Virga: Rectèque dici potest, hæc omnia fuisse posita in Arca, idest, in latere Arcæ: Vno ergo essendi, vel existendi modò, nempe proprio, solùm duæ legis tabulæ in Arca erant: alio verò modò, minus proprio, etiam Vrna habens manna, & Virgam Aron, quæ fronduerat cum duabus tabulis in eadẽ Arca erãt. Et hoc modò solutũ de cõtẽtis in Arca dubiũ ea egregiè declarat, quæ in Eucharistia contineri credimus.

9 Quia in Eucharistia etiam, quam Arcam mysticam modò prædicamus illo primo mo-dò est solus Dei filius, tanquã modò essendi, vel existendi in ea sibi proprio, nẽpe nõ solũ secundùm diuinitatẽ, secundùm quã sunt in ea etiam Pater, & Spiritus sanctus, hoc est secundò modò solùm, quasi minus proprio, sed etiam secundùm humanitatem, quam ipse solus assumpsit: filius enim, cum sit Patris sapientia, per legis tabulas figuratur, quæ ad sapientiam pertinet; & ille solus per diuinitatem, & humanitatem simul in Eucharistia est, sicut solæ legis tabulæ illo proprio essendi, vel existendi modò in Arca fuisse dicuntur: Pater verò per Virgam intelligitur, quæ symbolum potentiæ est, quæ Patri tribuitur: & Spiritus sanctus similiter per manna ob dulcedinem repræsentatur, de quo canimus in ipso Eucharistiæ festo. *O quam suauis est Domine spiritus tuus*: & in festo ipsius Spiritus sancti: *Consolator optimè, dulcis hospes, animæ dulce refrigerium*: Ideò sicut Virga & manna quæ Patrem & Spiritum sanctum indicant, non erant primò modò in Arca, sic illi non sunt eodem modò primò, nempe etiam per humanitatem, vt Filius in Eucharistica Arca, sed per diuinitatem secundò solùm: Hinc S. Thomas 1. 2. quæst. 102. artic. 4. *Per hæc tria significantur tria Dei attributa, scilicet, sapientia in tabulis: potentia in Virga: bonitas in manna.*

10 Si verò tria Dei attributa per illa tria in Arca existentia significabantur: Vtiq; ẽt tres personas diuinas, vt alij scribunt, per eadem repræsentari asserendum est, quibus ipsa attributa, assignantur, etsi tũ inter contenta in Eucharistia, & contenta in Arca latum nimis sit discrimen: quia legis tabulæ, Vrna mannæ, & Virga Aron, sicut omninò distinctæ res inter se sunt, sic etiam omninò distinctæ, ac separatæ ab inuicem manebant in Arca: solæ tabulæ enim erant verè in Arca, hoc est intra Arcam, manna verò, & Virga erant iuxta Arcam solùm, vel cum Arca, sed verè extra Arcam. At sanctæ triadis personæ, sicut inter se, vnum sunt, vna, scilicet, essentia, & vnus Deus, vt dictum est, ideoque omninò ab inuicem inseparabiles, sic etiam omninò inseparabiliter sunt in Eucharistia verè secundùm diuinitatẽ sibi communem essentiam & naturam; & : si solus sit in eadem filius, secundùm sibi propriam humanitatem: Vnde ex his omnibus satis manifestum relinquitur Iudeorum Arcam Christianorum Eucharistiam expressè figurasse.

Verùm

11 Verùm non Arca solùm Eucharistiam adumbrabat, sed etiam ipsum Arcæ nomen: non enim Arca simpliciter, sed Arca testimonij, idest, legis dicebatur, quia tabulas legis continebat, vt sæpe dictum est: lex enim frequenter dicitur testimonium, aut testificatio, quia attestationem continet voluntatis Diuinæ, eaque Deus testatum reliquit, quid velit ab hominibus fieri, nempe datæ legis obseruantiam: Hinc de eadem Arca, & de lege simul præcepit Moysi Dominus Exod. 25. *Ponesque in ea testificationem*, idest legem: Dicebatur etiam Arca fœderis, seu testamenti Domini, quia mediante illa lege, quam continebat, fœdus, siue pactum pepigerat Deus cum filijs Israel reciprocum, vt, nimirū, illi eam obseruarent, ipse verò vicissim eisdem multa bona conferret, vel debitas de transgressoribus pœnas sumeret: fœdus autem & pactum, etiam testamenti nomine in scripturis sacris significari constat, vt in Psalm. 82. *Simul aduersum te testamentum disposuerunt Tabernacula Idumeorū, & Ismaelitæ*: Idest, simul aduersū te fœd' inierūt Idumei & Ismaelitæ: Hinc insup Iudeorū Tabernaculū ab Arca, q̄ cōtinebat, vocatū est Tabernaculū fœderis, & Tabernaculū testimonij: Immò hinc, & ipsa Arca vocatur similiter testimoniū, idq; metonymice, quia, slz., Arca ipse cōtinebat testimonium, idest tabulas legis.

12 Rectè ergo, ac iure magno Arcam mysticam appellamus hoc loco Eucharistiam, etiā propter Arcæ veteris nomina, non quidem lapideas tabulas legis continentem, sed legum omnium conditorem Christū Dominū: *Petra autem erat Christus*, inquit Paulus: Qui de seipso testimonium perhibet: *Per me reges regnant, & legum conditores iuxta decernunt*: Ipsa Eucharistia euidentissimum testimonium, est immensi Christi erga nos amoris, sicut alias integro sermone, & fragmētis plurimis demonstramus: Ipsa pariter Arca fœderis, siue pacti eiusdē cū hominibus dici potest: Hoc est autem fœdus, siue pactum, & duplex certe, quòd de Eucharistia cum hominibus idem Christus pepigit, primùm est cum dignè sumentibus eam: nam promisit eis vitam æternam: Hoc est primùm pactū: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam*. Secundùm pactum est, cum indignè accipientibus eamdē, quòd, nēpe, habeant æternā damnationē. *Qui enim manducat, & bibit indignè iudiciū sibi manducat, & bibit*.

13 Tandem dici potest Eucharistia, etiam Arca testamenti: at non veteris, & transitorij testamenti, vt Arca illa Iudeorum, sed noui, & æterni testamenti Christi, eodem testatore de illa testante: *Hic est enim Calix sanguinis mei noui, & æterni testamenti*: Vt, scilicet, intelligamus Christi Domini sanguinē in ea, non figura solùm, quemadmodum in veteri testamento fiebat, sed verè ac realiter hominibus tradi, quòd ad nouum, & æternum testamentum pertinet: quare Apostolus de Christo ait ad Heb. 9. *Ideò noui testamenti mediator est vt morte intercedente in redemptionem earum præuaricationum, quæ erant sub priori testamento, repromissionē accipiant, qui vocati sunt, æternæ hæreditatis: Vbi enim testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris: testamentum enim in mortuis confirmatum est: alioquin nondum valet, dùm viuit qui testatus est. Vnde, nec primùm quidem sine sanguine dedicatum est.* Quæ quidem æterna hæreditas æterni Christi testamenti ab eodem promissa est corpus & sanguinem suum dignè sumentibus, vt iam diximus: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam*: Ideoque etiam ipsam Eucharistiam Arcam noui, & æterni testamenti non immeritò hodie prædicamus, id illi tribuentes, quòd de veteri Arca in libris regum nos modo pro eadem ex professo declaramus. *Dauid & omnis domus Israel deducebant Arcam testamenti Domini*.

14 Denique, super Arcam illam testamenti, vel fœderis erat Propitiatorium, siue Oraculum, & duo Cherubim, hinc inde se respicientes, & alis suis Arcam ipsā cooperientes: Super Propitiatorio vero inter ipsos Cherubim stabat Deus, vel potus Deum repræsentans Angelus inde dans Iudeis Oracula, vel responsa: Vnde Num. 7. & alibi legimus: *Cumque ingrederetur Moyses Tabernaculum fœderis, vt consuleret oraculum, audiebat vocem loquentis ad se, de Tabernaculo, quod erat super Arcam testimonij inter duos Cherubim*: Atque ideo Deus dicebatur sedere super Cherubim: Non super, vel extra, sed intra Arcam Christianorum Eucharisticam est verè Deus, & Dei filius, & nō Angel' solū Deū repræsentans, vt ibi (etsi multi Angeli etiam sint semper vbi Eucharistia est) & idem similiter, verū Propitiatoriū est in ipsa Arca, nō extra illam, hoc est sup illā: ille, slz. verè *quem proposuit Deus Propitiatorem*, siue Propitiatorē,

vt alij legunt, *per fidem, in sanguine ipsius: Ipse enim est Propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mũdi:* In Eucharistia namque ipse signanter propitiatur omnibus iniquitatibus nostris: Nam vt dicit Innoc. Papa III. de myst. &c. cap. vlt. *Per Crucis mysterium eripuit nos à potestate peccati: per Eucharistia Sacramentum liberat nos à potestate peccandi: Nam Eucharistia, si dignè sumatur, à malo liberat, & confirmat in bono, venalia delet, & cauet mortalia:* Sic Inocentius, & postea immediatè obseruat, quòd in oratione Dominica postquam præmisimus: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, statim adiungimus: *Et dimitte nobis debita nostra: Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo. Quia* (inquit ille) *per panē istũ cœlestem liberamur à malis præter. præsentib. & fut.* Sic ille de Eucharistia: quia Arca mystica est, in qua est propitiator, & ipsa propitiatio pro peccatis nostris Christus.

15 Verùm crescunt adhuc mysteria de Arca veteri, quæ magis confirmant pariter ea quæ de Eucharistia asserimus, nouam Arcam illã demonstrantes: Cum Arca veteri duo Cherubim erant (vt dictum est.) Super Propitiatorium illud, & super Arcam consequenter alis suis illam cooperientes præ reuerentia: Cum Eucharistia similiter semper Angeli sunt: & non solùm Cherubim, sed Seraphim etiam, troni, & dominationes, Principatus, & potestates, & virtutes, & alij: Non duo tantùm Angeli, vt in Mosayca Arca, sed *Millia millium ministrabant ei* (Dan. cap. 7.) *& decies millies centena millia assistebant ei:* Audiamus Sanctum Paschasium hoc ipsum etiã ex Pauli doctrina confirmantem cap. 8. De Corp. & Sanguine Christi: *Ceterum* (inquit) *de Angelorum præsentia dubitare omninò non debes: quia adhuc secundùm Apostolum Paulum administratorij spiritus positi sunt in ministerio, propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis: Administratorij spiritus*, (inquit cum Apostolo Paschasius) *positi sunt*, quia: *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei*, nempè Eucharistiæ, eam, scilicet, summa cum reuerentia colentes, & adorantes: de quo aliàs abundantius.

16 Hoc solùm de eisdem Angelis hoc loco annotare sufficiat ad ędificationem nostram, quòd statim infert ex prędictis idem Paschas. *Idcirco inter Angelorum frequentiam* (inquit) *quam terribile sit indignè ad Communionem accedere; debet quisque cogitare: immò quam terribile sit, ipsum corporis, & sanguinis Sacramentum, vbi plenissimè virtus Christi accipitur: & neque ab alio, quam ab ipso Christo Pontifice porrigitur. licet visibilis Sacerdos assistere, & singulis tribuere videatur:* Sic Paschasius cum Paulo de Angelis Eucharistiæ assistentibus, & ministrantibus, quos duo Cherubim alis suis Arcam velantes præsignabant: sicut & Arcã ipsam eiusdem Eucharistiæ figuram apertam dicimus: Quòd adhuc clarius demonstrare pergimus.

Super Arcæ Propitiatorium, siue Oraculũ inter duos Cherubim stabat Dominus: hoc est pro Domino Angelus dans Oracula, & responsa Hebraico populo: In Eucharistia verò stans Christus inter Angelorum millia millium, & decies millies centena millia, responsa, & Oracula dat Christianis, loquens ipse per semetipsum immediatè, & non per Angelum, vt in Arca fœderis, ad cor eorum, multipliciter, nimirum illos, illuminando, & consolando, & quamplura alia eisdem beneficia, & dona conferendo, de quib. pro nunc silemus. 17

Tandem pro corona eorum omnium quæ vsque modò de Arca illa scripsimus, hoc etiã addamus, quòd, scilicet, Arca illa coronam similiter in superiori parte habebat auream, qua cingebatur, quo indicabatur Arcam nostram Eucharisticam, sacrum sacrorum esse, Sacramantum Sacramentorum, & sacrificium sacrificiorum, scilicet, omnium dignissimum, excellentissimum, sanctissimum, ac celeberrimum; sicut etiam Arca illa Iudeorum inter alia omnia, quæ habebant, sanctissima, ac celeberrima reputabatur, & summa apud eosdem religione, ac veneratione colebatur. Ideoque etiam in omnium sanctissimo loco, nimirum in Sancto Sanctorum collocabatur: & propter hoc etiam Forsitan corona cingebatur, & ad hoc ipsum innuendum: Hinc tandem, gloria Israel dicebatur ipsa fœderis Arca: vnde Heli Sacerdos non gemina filiorum morte, non tanta populi clade, sed Arcæ captæ nuntiò perculsus corruit, nurusque eius parturijt, dicens de ea: *Traslata est gloria de Israel.* 18

Hinc rursus vocatur virtus, & pulcritudo Israel Psalm. 77. *Et tradidit in captiuitatem virtutem eorum, & pulcritudinem eorum in manus inimici*, nempè, Arcam in manus Philistinorum tradidit. Eucharistia verè gloria Christianorum 19

ftianorum est: De hac super omnia sibi à Christo tradita gloriantur, & gloriari debet Christiani: De hac etiam scribitur Eccli. 42. *Gloria Domini plenum est opus eius.* Opus enim Christi authonomattice Eucharistia dicitur. Hinc de ipso opere, tam glorioso cantat Ecclesia: *Pleni sunt cœli, & terra maiestatis gloria tua.* Ipse namque illam instituit, in illa est, illamque nobis tribuit: vt quantùm scimus, & valemus, glorificemus eam omni gloria dignissimam, & super omnia, quæ in Ecclesia habemus sanctissimam, gloriosissimam, ac venerabilissimam. Hæc virtus nostra, a qua omnem habemus virtutem, nam continet Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam: Hæc tandem verè pulcritudo nostra est: *Quid enim bonum eius est* (inquit Zach. 9.) *aut quid pulcrum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* Denique nos Christiani iure potiori de Arca nostra Eucharistica, magis quam Hebrei de sua fœderis Arca propter supradicta omnia cãtamus gloriãtes: *Non est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquãtes sibi sicut Deus noster adest nobis:* In hac enim Arca nostra verè Deus noster Christus Iesus Dei filius adest sẽper nobiscũ *omnibus diebus usq; ad consummationem sæculi*, gloria, virtus, & pulcritudo nostra: ideoq; veriusquam illi, Arcam nostram, gloriam nostram, virtutem nostram, nostramque pulcritudinem prædicamus: Nam in Arca illa, non Deus verè, vt in nostra, sed Angelus pro Deo, & Deum repræsentãs illis aderat, vt diximus: & non omnibus diebus, quia non adest modò illis in Arca, nec extra Arcam, nec Deus, nec Angelus, immò nec Arcam illam habent, sed habent illam Christiani Romæ, in Lateranensi Ecclesia, sicut iam dictum est.

20 Vltimo loco non prætermittendum videtur pro ipsa Eucharistia id, quod vltimo loco similiter de Arca ex scriptura refferebatur, quòd, nempè, quattuor annulos inauratos habeat in longitudine, binos, nempè ex vtraque parte; & duos vectes similiter inauratos, qui semper in ipsis annulis erant, vt statim, & promptè semper, ac sine difficultate, vel impedimento aliquo, per eosdem a Leuitis huc, atque illuc, prout opus erat, portari posset: Hi annuli, quattuor Euangelia, vel potius, quatuor libros eiusdem Euangelij designare possunt: Duo vectes verò, sanctitatem, & doctrinam; Apostoli enim, & successores eorũ verbo atque exemplo quatuor Euãgelijs velut inserti, & quasi iuncti, Eucharisticam Arcam per totum orbem portauerunt, & portant continuò: Inaurati erant Arcæ annuli, & vectes, quibus à Leuitis portabatur, quia charitatis aurum, vbique apparet in quattuor Euangelij libris: & quia, si secundùm Gregor. *Qui charitatem erga alterum non habet, prædicationis officium suscipere nullatenus debet:* Multò magis, qui Eucharistiam vinculum charitatis appellatam, quasi portando prædicat, eodem charitatis auro omninò ornatus esse debet: itaut etiam in ipsa prædicatione illam auditoribus suis, & omnibus exemplo imprimis ostendat: Et hæc de vtraque Arca iam diximus: Modò de vtriusque processione dicere procedamus,

Procul dubio Arcæ processio, quàm Hebrei faciebant, Eucharistiæ processionem repræsentabat, quam nos Christiani modò facimus: Sicut & ipsa Arca pariter Eucharistia, & multipliciter: Est enim iuris regula in 6. *Accessorium naturam sequi congruit principalis:* Principale verò est Arca; Arcæ deductio eius accessorium dici potest, per quam huc atque illuc deducta accedit: Si ergo Arca, quod est principale, Eucharistiam figurauit, quæ itidem principale est, ergo & accessoriũ Arcæ, accessorium Eucharistiæ, nempè, processionem eius, qua huc illucque a nobis portata accedit: itaut verè de vtroque accessorio dicamus: *Dauid, & omnis domus Israel* (vt inquit sacer textus) *deducebant Arcam testamenti Domini in iubilo, & clangore buccinæ.* 21

Notate verba: Signate mysteria: Prima verba scripturæ, quæ etiam primò notare debemus, hæc sunt: *Dauid, & omnis domus Israel, deducebant Arcam:* Ad Arcæ processionem conuenit Dauid, & omnis domus Israel: Rex cum toto regno ad fuit ad deducendam Arcam, vt sic Arcam venerarentur, & in Arca Deum, quem illa expresse repræsentabat, & potissimum quia stans ipse super Arcam, idest super Propitiatorium opertorium eius, responsa dabat Hebreis, vt sæpe iã dictũ est: Vnde ad maiorem eiusdem Arcæ gloriam, & honorem, & Dei consequenter, ipse Rex *Dauid, & omnis domus Israel deducebant eandem Arcam testamenti Domini in iubilo, & clangore buccinæ.*

Hinc de eadem Arcæ deductione scribitur in libro 1. Par. cap. 15. *Dauid congregauit vniuersum Israel in Ierusalem, vt afferetur Arca Dei in locum suum, quem præparauerat ei, nec nõ* 22

& filios Aaron, & Leuitas: Et hæc sunt verba prioribus similia, quæ pariter notare debemus, vt verborum eorundem etiam mysteria signare possimus: Et quęnam sunt mysteria in verbis istis notanda, & pro mysterio etiam Eucharistiæ omnium mysteriorum maximo? hæc, vt mihi videor: *Dauid, & omnis domus Israel deducebant Arcã testaměti Dñi.* Rex, scilicet, & cum rege totum regnum suũ: Omnes qui eiusdem erãt regni cũ Rege suo Dauid conuenerunt ad Arcæ processionem, ac venerationem: Vt ex hoc discamus, in ijs, quæ sunt ad Deum, Deique gloriam, honorem, ac seruitium concernunt, cõuenire debere, eos inprimis, qui alios regunt, vel illis quocumque modò præsunt: & cum eisdem illi pariter, qui reguntur ab eis, vel eis quoquo modò subsunt, vel obediunt: Rex, nempe, cum regno: Duces populorum, cum populis suis: Superiores cum inferioribus: Maiores, cum minoribus: Prælati cum subditis. Pastores, cum ouibus: senes deniq; cum iunioribus: vt omnes simul: *Laudent nomen Domini: quia exaltatũ est nomen eius solius*: Præsertim autem sic conuenire debent ad ipsum Dominum immediatè, & per se laudandum, & honorandum in Eucharistia, sicut fit in eiusdem processionibus, quæ ob hoc potissimum ab Ecclesia ordinatæ sunt: & ad eiusdem Eucharistiæ honorem, & ad deuotionẽ etiam, ac reuerentiam circa eam incitandam, exercendam, & augendam, & hodierna die potissimum: Et simul propter tanti beneficij, gratam memoriam, dignamque gratiarũ actionẽ.

23 Propter hoc, dico, non solùm scribitur ꝙ: *Rex Dauid, & oẽs domus Israel deducebãt Arcã*: Sed primò dicitur *Dauid*, & postea, *omnis domus Israel*: & præterea, scribitur etiam, quod idem *Dauid cõgregauit vniuersum Israel in Ierusalem, vt afferetur Arca Dei in locum suũ*: Non solùm superiores cum inferioribus, & rectores omnes cum ijs, qui reguntur ab eis, interesse debent ijs omnibus, quæ ad Deum, Deique cultum quoquo modò spectant, & ad Christianam pietatem circa Eucharistiam præsertim, in qua potissimum illa exercetur: sed debent in hoc illi primi esse: sicque non tàm verbo, quàm etiam exemplo suo præcipue, ad hoc ipsum incitando congregare alios omnes curæ suæ commissos: Propter hoc enim ad nostram doctrinam scripta sunt verba quæ pro Eucharistia assumpsimus: *Dauid, & omnis domus Israel deducebant Arcam, &c.*

Nec istud solùm edocemur in verbis istis, 24 sed aliud quoque speciale in ipso verbo monstratur, quòd ad prædicta sequitur, in hoc nimirum: *Deducebant: Dauid* (ait) *& omnis domus Israel deducebant Arcam*: Non sufficit, vt omnes prædicti conueniant, superiores nempe, cum inferioribus, & illi principaliter hos vocantes, & congregantes verbo visũ, & opere, vt dictum est: sed debent insuper, simul cum illis ea, quæ veros Christianos decet humilitate, reuerẽtia, ac deuotione Eucharisticam Arcam in processione deducere: Per hoc enim, quòd hic dicitur: *Dauid, & omnis populus deducebant Arcam*, non est intelligendum, quod super plaustrum a bobus tractum, vt alias, illam deducerent: Sed verè portabant eam Leuitæ, secundùm Domini præceptum: quòd patet etiam ex ipso textu ibidem: *Cumq; transcendissent qui portabant Arcam &c.*

Hinc legimus de eadem Arca in Paral. in- 25 dicato loco: *Tunc dixit Dauid: Illicitum est, vt a quocumq; portetur Arca Dei, nisi a Leuitis, quos elegit Dominus ad portandam eam, & ad ministrandum sibi vsque in sempiternum: Congregauitque vniuersum Israel in Ierusalem, vt afferetur Arca Dei in locum suum, quem præparauerat ei, &c. Hoc enim dicit per considerationem legis, Num. 4 cap., & 7., & per mortem Oza, quòd Arcam fecerat deportari super plaustrum per boues*: Sicque scribit Lyr. hæc scripturæ verba exponens.

Per quod (inquit idem in morali) *significatur quòd in ministerio Sacramenti Eucharistia, in qua continetur Christus, soli Sacerdotes, & ministri ad hoc ordinati accedere debent, & non alij propter quod sequitur infra: sanctificati sunt ergo Sacerdotes, & Leuitæ, vt portarent Arcam Domini Dei Israel: Per quod significatur, quòd in ministerio Sacramenti Eucharistiæ, vt debitè fiat, non sufficit gradus ordinis, nisi cum hoc sit puritas mentis, & corporis*: Hæc ille.

Sanctificationis porrò huius Sacerdotum, 26 ac Leuitarum pro portatione Arcæ, quæ ab illis fiebat per continentiam ab Vxoribus, orationes, ieiunia, & consimilia, vt idem Lyranus declarat, ratio assignatur ab ipso Rege Dauid ibidem, dum eamdem eis indicit hoc modò: *Vos, qui estis Principes familiarum Leuiticarum sanctificamini cum fratribus vestris, & afferte Arcam Domini Dei Israel ad locum, qui ei præpara-*

paratus est: ne vt a principio, quia non eratis præsentes, percussit nos Dominus, sic & nunc fiat, illicitum quid nobis agentibus: Arcam verè portabant soli Leuitæ, vt diximus, secundùm legis præceptum: Erant tamen cum eis etiam Sacerdotes, vt illi similiter sanctificati: hoc autem tum propter honorem, ac reuerentiã Arcæ, tùm etiam, vt dirigerent eosdem Leuitas in Arcæ ipsius portatione: Et hoc ordinauit Dauid, ne à Deo punirentur, sicut percussit Ozam subitanea morte: Vnde Dauid similiter, & omnis populus timore percussus est. Quòd non fuisset factum, si Sacerdotes scientes legem fuissent præsentes: quia non permisissent Arcam super plaustrum portari.

27 Et quidem honor, ac reuerentia magna Arcæ reputabatur, quòd a Leuitis in humeris portaretur, & non a bobus traheretur super plaustrum.

Verùm, quia Arca Christianorum Eucharistica, dignior, ac sanctior Arca illa veteri Hebreorum est, absque comparatione vlla: ideò non reuerentiam, sed irreuerentiam magnam Christiani reputarent, si ab alijs quibuscumq; quàm ab ipsis Sacerdotibus, & aliter, quam in manibus solùm portaretur. Et vlteriùs, si non a maioribus Sacerdotibus semper, & ab ipsis, etiam Sacerdotibus summis, quando adsunt: hoc est a summo Pontifice, a Patriarchis, ab Archiepiscopis, ab Episcopis, & ab alijs quibuscumque maioribus, ac dignioribus, sicut in hac die præsertim, & in locis insigniorib us omnes in nostris processionibus videmus, & practicamus. Illos enim omnes Dauid figurabat, sicut omnis Domus Israel, omnem populum Christianorum: dicit enim scriptura. *Dauid, & omnis domus Israel deducebant Arcã testamenti Dñi in iubilo, & clangorẽ buccinæ.*

28 Etsi in ipso nomine *Dauid*, quòd exprimitur, dùm dicitur, *Dauid, & omnis populus, &c.* aliud fortè mysterium indicetur, nimirum, quales esse debeant Sacerdotes omnes, & maiores præcipuè, & animarum rectores, & tunc maximè, cum Eucharistiam portant: aut quocumque modò illam attrectant, vel hoc alijs demandant: Dauid enim idem significat, quòd, *dilectus*: sic enim illum dilexit Dominus, vt de illo ore proprio testaretur: *Inueni hominem secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas*: Idcircò Sacerdotes inprimis, & potissimum maiores, quos Dauid in deductione Arcæ specialiter repræsentabat, dilecti, & ipsi a Deo esse debent, & homines pariter secundùm cor Dei, qui faciant omnes voluntates suas: & tunc magis, quando Eucharistiam ferunt, vel ad illam quacumque de causa, vel occasione accedunt, vt illud sap. 4. de vno quoque eorum impleatur: *Placens Deo factus est dilectus.*

Hinc ad mysterium similiter fortassis idem Dauid in huiusmodi Arcæ deductione, non Rex, sed *Dauid* semper, & bis etiam in eadẽ breui sententia nominatur, quòd de se quasi superfluum videretur: *Porrò Dauid accinctus erat ephod lineo*: Et: *Dauid, & omnis populus Israel deducebant Arcã testamenti Domini*: Sic enim formaliter scriptura: Hoc autem, dico, vt signetur, quòd qui Eucharistiam quocumque modò pertractat, & si regale Sacerdotium habere supponatur, & hoc omninò necessarium sit, nihilominus hoc ei non sufficere pro certò habere debet: Sed curare tenetur super omnia, vt sit *Rex Dauid*, scilicet, Sacerdos dilectus: Dilectus a Deo, & secundùm cor Dei, qui faciat omnes eius voluntates, vt de Dauid ipse Deus testatus est: Propter hoc (dico) non ait scriptura: *Rex, & omnis domus Israel*, scilicet, omne regnum Israel *deducebat Arcam*, quòd quasi congruentius, & clariùs videbatur pro historia: Sed: *Dauid, & omnis domus Israel deducebant Arcã*: Quòd significantius Spiritui sancto visum est pro mysterio. 29

Vnde in verbis istis: *Porrò Dauid accinctus erat ephod lineo*, aliud quoque mysterium absconsum videtur, nempè, de facto ipsius Dauid, sicut in verbis immediatè sequentibus mysterium similiter latere diximus de ipso Dauid nomine, dùm additur: *& Dauid, & omnis domus Israel deducebant Arcam testamẽti Domini*: *Deposuerat enim insignia regalia, vt humiliaret se coram Deo, & acceperat vestem similem Leuitis coram Deo ministrantibus*: inquit Nicolaus noster illa verba explanans. 30

Estque non mysterium solùm, sed etiam documentum in hoc facto Dauid, & insignè humilitatis exemplum omnibus Christianis, & Sacerdotibus præsertim ad Eucharistiam accessuris, vt, nimirum, ante omnia tunc se humilient quantùm possunt, huiusmodi accessu indignissimos se arbitrantes: Quia, & *Dauid deposuerat insignia regalia, vt humiliaret se coram Deo*, vt Lyranus ait: Mysterium 31

autem

autem in eo est, quòd de eodem Dauid cum scriptura subdit immediatè: *Et acceperat vestem similem Leuitis coram Deo ministrantibus*, scilicet ephod lineum. *Porrò Dauid* (inquit) *accinctus erat ephod lineo*: Hæc enim vestis vestibus Leuitar. similis, quæ ephod appellatur, quam Dauid Rex induerat, dùm Arcã cum populo deduceret, candidissima erat, ex lino pariter candidissimo: ideoque manifestè animæ candorem, ac puritatem adumbrat, qua Sacerdotes ornari debent omni quidem tempore, secundùm illud Ecclesiastes 9. *Omni tẽpore sint vestimẽta tua candida*, sed maximè, cum Eucharistiæ appropinquant, eam conficientes, ministrantes, portãtes, vel aliàs contrectantes.

32 Vnde Apoc. cap. 19. de Eucharistia, sub nuptiarum agni nomine sic primò dicitur: *Gaudeamus, & exultemus, & demus gloriam ei, quia venerunt nuptiæ agni, & Vxor eius præparauit se*: Ecclesia enim, & anima qualibet sponsa Christi dicitur, quæ tunc præsertim se præparare debet, quando veniunt nuptiæ agni Eucharistici, tempus nimirùm sanctæ Communionis, in quibus idem sponsus primò vt agnus in Altari immolatus, postea sponsæ suæ sub agni nomine pariter summendus demonstratur, cum sumenti a ministrante de illo dicitur: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*: Post hoc verò subditur, quę nam sit huiusmodi præparatio: *Datum est illi, vt cooperiat se byssino splendenti, & candido*: Præparatio ergo sponsæ qua ad agni sponsi sui nuptias se præparare debet, est, *vt se cooperiat byssino splendenti, & candido*: Et talis etiam erat vestis Dauid, qua se ad Arcam deducendam præparauit, quæ Eucharisticas nuptias præsignauit: *Porrò Dauid accinctus erat ephod lineo*, veste, nempè (vt prædiximus) ex purissimo, & candidissimo lino confecta, quæ byssus dicitur: *Byssinum enim, iustificationes sunt sanctorum*, subdit ibidem immediatè Apocalypsis, nempè, propter animarum sanctarum candorem, ac puritatem, quam ipsius byssi candor, & puritas declarat, qua Sacerdotes præ alijs ornare, ac præparare se debent Eucharistiæ Arcam cõtrectaturi quoquomodò: & in hoc eius principali festo signanter, ad maiorem etiam eiusdem Eucharistiæ reuerentiam, & honorem: sicut eadem de causa Dauid etiam Arcam deducens *accinctus erat ephod lineo*.

33 Sicut verò id quòd de Dauid scriptura refert, Sacerdotes secretò monet, quid propter Eucharistiam præstare debeant: sic etiã id, quod de populo narrat, aliquo modò id insinuare videtur, quòd ad Christianum populum, circa eamdem pertinet: sic enim ait: *Dauid, & omnis domus Israel deducebant Arcã testamenti Domini*: Hi tantùm absque dubio qui sunt domus, vel populus Israel, apti sunt & digni, qui Arcam Eucharisticam deducant: *Israel enim, videns Deum* interpretatur; Modò quinam sunt, qui Deum vident? Dei filius hoc manifestè expressit: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*: Ergo soli mundo corde Deum verè vident: Hi soli, verè sunt Israelitæ, quorum quilibet sic ad digitum demonstrari potest: *Ecce verus Israelita, in quo dolus non est*: Oza quidem Israelita erat, sed non vere Israelita, quia dolus in eo fuit: quia non mundo, sed immũdo corde: Ideoque etiam de eo narrat scriptura, quòd in alia quadam Arcæ processione *extendit manum ad Arcam Dei, & tenuit eam, quoniam calcitrabant boues, & declinauerunt eam: Iratusque est Dominus indignatione contra Ozam: & percussit eũ super temeritate sua, qui mortuus est ibi iuxta Arcam Dei*.

Multiplex verò fuit temeritas in Oza circa 34
Arcam ex multorum sententia, propter quam repentina morte a Deo percussus est, principaliter verò, quia super plaustrum, quòd boues trahebant, illam deduxit: cum tamen à Leuitis ex legis præscripto in humeris portari debuisset: Vnde, quia hac de causa ipsa Arca inclinata est, nempe, ex bouum calcitratione, tunc etiam, quando manum extendit ad eam, & tenuit ne caderet, a Deo morte percussus est: Vel etiam ideò sic a Deo punitus est, quia nocte præcedenti cum Vxore dormierat: Vel quia hoc sui muneris non erat: Vel quia denique parum reuerenter, & nudam etiam eam vidit, & tetigit, quòd nullo modo sibi licebat: De domo ergo Israel, Oza quidem erat, & Israelita erat, sed non verè Israelita erat, quia dolus in eo erat, & multiplex sicut & multipliciter et immundo nõ mundo corde, ideoque indignus etiam qui Deum, hoc est Arcam Deum repræsentantem videret, vel tangeret: Vnde quia nihilominus eã, & vidit, & tetigit, ideò perijt: *Vbi metuendum est* (inquit Sanctus Gregorius hoc loco) *quantùm delinquat, qui ad corpus Domini indignus accedit: Si illa morte mulctatur qui Arcam Domini corporis figuram, minori qua debuit veneratione corripuit*,

Verè

35 Verè de domo Israel, & verè Israelita etiã Obededom fuit. Ideoque etiam non solùm dignus fuit, qui Arcam cum Dauid, & cum omni domo Israel deduceret, sed etiam, qui eamdem in domo sua reciperet, ac retineret tribus mensibus, propter inopinatam indigni Ozę mortem: Cum enim mortem Ozę scriptura narrasset, statim subdidit: *Contristatus est autem Dauid, eo quòd percussisset Dominus Ozam*: Et quibusdã interiectis, sic addidit de eodem: *Et noluit diuertere ad se Arcam Domini in ciuitatem Dauid, sed diuertit eam in domo Obededom Gethei: & fuit Arca Dei in domo Obededom Gethei tribus mensibus.*

Verùm, sicut dignus fuit Obededom Arcam recipere, & retinere in domo sua tribus mensibus, quàm nec ad momentum tangere Oza dignus apparuit, sic propter Arcæ eiusdem retentionem a Deo benedictus fuit, propter cuius tactum solùm Oza ab eodem fuerat maledictus, & subita morte percussus: Sequitur enim post prædicta in eadẽ scriptura statim: Et benedixit Dominus Obededom, & omnẽ domum eius: *Nuntiatumque est Regi Dauid, quòd benedixisset Dominus Obededom, & omnia eius propter Arcam Domini*: Hæc vero benedictio, qua Dominus benedixit Obededom, & domum eius propter Arcam, intelligitur secundùm Lyranum: *multiplicando eum in bonis spiritualibus, & temporalibus, eo quod circa Arcã Domini reuerenter se habuerat, & deuota.*

36 Modò hoc ipsum exemplum allegans præfatus Doctor apud Damasc. vbi supra, sic ait: *Nonne igitur largior benedictionis copia illis concedetur, qui Arcam Domini viuam, cælestem, & primitiuam, in qua continetur bonorum omnium affluentia, habent in se manentẽ, & sacrorũ mysteriorũ susceptione secum habitantem?* Sic ille. Hinc confidentia magna sanè & nos, quando ipsam Arcam in nobis ipsis recepturi sumus, sic rogamus: *Vt quotquot ex hac Altaris participatione, sacrosanctum filij sui corpus, & sanguinem sumpserimus, omni benedictione cælesti, et gratia repleamur*: Quòd de facto obtinemus, si in ipsa receptione, & in alijs omnibus ad Eucharistiam spectantibus, reuerenter, & deuotè nos habemus: sicut oppositum valde timendum est, si irreuerentes, ac indeuoti circa eamdem simus, & præcipuè, quando illam singulari magis pietate, ac feruore colere, & adorare deberemus, vt in hodierna processione potissimùm ad hoc ipsum ab Ecclesia instituta, vt iam explicauimus, & clariùs adhuc explicabimus quam primùm.

37 Et Arca enim testamenti Domini saluabat quidem Hebreos, vnde aliquando dixerunt 1. Reg. 4. *Afferamus ad nos de Sylo Arcam fœderis Domini: & veniat in medium nostri, vt saluet nos de manu inimicorum nostrorum*: Sed vice versa quoq; percutiebat Philisteos: Vnde de illis ibidem subditur: *Cognouerunt, quòd Arca Domini venisset in castra: timueruntque Philisthijm dicentes: Venit Deus in castra: & ingemuerunt dicentes: Veh nobis: non enim fuit tanta exultatio heri, & nudius tertius: veh nobis: Quis nos saluabit de manu Deorũ sublimiũ istorũ? Hi sunt Dij, qui percusserunt Egyptum omni plaga in Deserto.*

Hinc præcitatus Com. in Damasc. vbi supra pro nobis sic ait: *Nonne igitur metuenda est Dei manus, in qua, secundùm Paulum, horrendũ est incidere: Ne irreuerenter contrectantibus hæc sacra, inferat dignæ punitionis seueritatem: Extimuerunt quidem illas Dei conceptiones Bethsamitæ: extimuit & hanc Dauid non audens Arcam in domum suam transferre: Scripta sunt autem ad correptionem nostram, vt pertimescamus horrendam Dei iram, si pollutis manibus immundo ore, & impuro corde hæc sancta sumamus*: Et idem iterum. *Quantò igitur, & quàm diligenti studio comparanda est mentis puritas, vt nõ modò contrectetur, sed & sumatur id sanctum sanctorum?* Hæc ille.

38 Itaque cum Arca Hebreorum Eucharistiã Christianorum figurauerit, & ijdem Hebrei consequenter illam deducentes, Christianos Eucharistiam portantes: Imitentur ergo nos Christiani in eiusdem Eucharistiæ suæ portatione Hebreos in Arcæ suæ deductione: Porrò de illis, sic est scriptura nostra. *Dauid, & omnis domus Israel deducebant Arcam testamenti Domini in iubilo, & clangore buccinæ*: Vt, videlicet, Christiani nouerint, se eodem prorsus modò mysticè Eucharistiam in suis processionib. deducere, & comitari debere. *Iubilum namque dicimus* (ait Gregorius) *quãdo ineffabile gaudium mens concipit, quòd nec abscondi potest, nec sermonibus aperiri.* Vnde Dauid signanter Arcam deducens cum omni domo Israel, saltabant totis virib. ante Dñum vt ibidẽ scriptura testatur. Nos ergo similiter in nostris de Eucharistia processionibus, & in hodierna potissimũ, in qua eiusdem institutio tàm solemniter ab Ecclesia recolitur, & celebratur, spiritualiter iubilare, & exultare debemus, etsi præ iubilo ipso non saltemus oẽs corporaliter ante ipsũ Dñum in eadem Eucharistia Dauid sequentes, sicut Hispani, & aliæ piæ nationes facere consueuerunt.

Ad

39 Ad hoc enim nos hortatur eiuſdem Eccleſiæ Paſtor Vrbanus Quartus huius feſtiuitatis author in ſua bulla, in qua eamdem toti Eccleſiæ ordinauit feſtiuitatem: *Hac eſt commemoratio glorioſa* (inquit ſummus, & Sanctus ille Pontifex) *quæ fidelium animos replet gaudio ſalutari, & cum infuſione lætitiæ deuotionis lacrymas ſubminiſtrat:* Et proinde paulò inferius ſic ſtatuit. *In ipſa quinta feria, deuota turba fidelium ad Eccleſias affectuosè concurrant: & tam Clerici, quàm populi gaudentes in cantica laudum ſurgant: Tunc enim omnium corda, & vota, ora, & labia hymnos perſoluant lætitiæ ſalutaris: Tunc pſallat fides ſpes tripudiet, exultet charitas, deuotio plaudat, iubilet chorus, puritas iocundetur. Tunc ſinguli alacri animo, pronaq; voluntate conueniant ſua ſtudia laudabiliter exequendo, tanti fæſti ſolemnia celebrantes.* Sic ad fideles fidelium omnium Paſtor, & rector: Sic fideles hac die exequuntur, & in hodierna proceſſione præſertim, vt videmus, & audimus omnes: tam Clerici enim, quàm populi gaudentes in cantica laudum ſurgunt: Tunc enim omnium corda, & vota, ora, & labia hymnos perſoluunt lætitiæ ſalutaris: Tunc Dauid, & omnis domus Iſrael: Sacerdos, & omnis domus Chriſtianorum deducunt non Arcam teſtamenti veteris Domini, ſed Arcam teſtamenti noui, & Arcam Domini verè, quia in ea verè eſt Dominus Deus noſter Ieſus Chriſtus Dei, & Mariæ Virg. filius: Tunc (dico) Dñum laudãtes, eiq; gratias agẽtes, gaudẽtes, & iubilãtes, & ad hoc ipsũ mutuo ſe hortantes cantant inſuper pro Euchariſtica Arca ſua: *Lauda Syon Saluatorem: lauda Ducem, & Paſtorem in hymnis, & canticis:* Et iterùm: *Sit laus plena, ſit ſonora: ſit iocunda, ſit decora mentis iubilatio:* Et redditur tantæ laudis, ac iubilationis ratio ſtatim. *Dies enim ſolemnis agitur, in qua menſæ prima recolitur huius inſtitutio.*

40 Cum iubilo, & clángore buccinæ deducebant Arcam ſuam Dauid, & omnis domus Iſrael: & præterea audiebantur tunc etiam cantus, ac ſonitus varij diuerſorũ muſicaliũ inſtrumentorum, vt ſcriptura narrat in primo Paralipomenõ libro loco citato: *Dixitque Dauid principibus Leuitarum, vt conſtituerent de fratribus ſuis cantores in organis muſicorum, nablis, videlicet & lyris, & cymbalis, vt reſonaret in excelſis ſonitus lætitiæ:* Et in his omnibus etiam eos nos imitamur, quantùm ſcimus, & poſſumus: ſicut in multis alijs etiam eoſdem ſuperamus, Arcam noſtram Euchariſticam multò dignius, deuotius, ac ſanctius, quàm illi ſuam, venerantes, laudantes, ac celebrãtes, ſicut dignum nimis & iuſtum eſt: Cum ſit etiam Arca noſtra Arca ſua in immenſum verè preſtantior, ſublimior, ſanctior, ac venerabilior.

Hinc, & Tridentinum Concilium ſeſſ. 13. c. 5. De cultu, & veneratione huic Sanctiſſimo Sacramento exibenda, ait: *Declarat præterea ſancta Synodus, piè, & religiosè admodum in Dei Eccleſia inductum fuiſſe hunc morem, vt ſingulis annis peculiari quodam, & fæſto die præcelſum hoc, & venerabile Sacramentum ſingulari veneratione, ac ſolemnitate celebraretur, vtque in proceſſionibus reuerenter, & honorificè illud per vias, & loca publica circumferretur. Æquiſſimum eſt enim, ſacros aliquos ſtatutos eſſe dies, cum Chriſtiani omnes ſingulari, ac rara quadam ſignificatione, gratos, & memores teſtentur animos erga communem Dominum, & Redemptorem, pro tàm ineffabili, & planè diuino beneficio, quo mortis eius victoria, & triumphus repræſentatur: atque ſic quidem oportuit victricem veritatem de mendacio, & hæreſi triumphum agere: vt eius aduerſarij in conſpectu tanti ſplẽdoris, & in tanta vniuerſa Eccleſiæ lætitia poſiti, vel debilitati, & fracti tabeſcant, vel pudore affìciantur; & confuſi aliquando reſipiſcant:* Sic Conc.

Hinc irriſus eſt Dauid, & deſpectus à 41
Vxore ſua Michol filia Saul, quòd ſic humile, ac iubilantem, & præ iubilo ſaltantem ante Arcam in proceſſione illius coram toto regno ſuo ſe oſtenderit: in quo eoſdem Hæreticos maximè, & aduerſarios quoſcumque Chriſtiani nominis figurauit, qui fidei noſtræ myſteria, & Euchariſtiam potiſſimùm omnium myſteriorum maximum irrident, ac cõtemnunt: ſed ſicut de Michol non curauit Dauid: quin potius, ſe id ipſum magis in futurum præſtare velle, eidem conteſtatus eſt: *Ludam* (inquit) *& vilior fiam pluſquam factus ſum, & ero humilis in oculis meis:* Sic nec nos de illis omnibus, vel modicum curare debemus, immò ex hoc, quaſi fabrorum ferrariorũ ignis, ad aquæ aſperſionem magis accendi, & inflammari ad reuerentiam, ac deuotionẽ erga ipſam Euchariſtiam: maximè cum exponitur, vel in proceſſionibus defertur: & hodierna die potiſſimùm, quòd eſt feſtum principale eius, nobis referrens, ac repræſentans, primam ipſius inſtitutionem: pro illorum

etiam

etiam noti exemplo, de quibus satis iam replicauimus *David, & omnis domus Israel deducebat Arcam testamenti Domini in iubilo, & clangore buccinæ.*

42 Itaque iam processionis Hebreorum terminum attendamus, vt eodem etiam de nostra processione sermonem terminemus. Post processionem suam, quam Dauid cum omni domo Israel fecit: *partitus est vniuersæ multitudini Israel, tàm viro, quàm mulieri singulis Collyridam panis vnam; & assaturam bubalæ carnis vnam*: Vt ibidem scriptura, subdit: Communem panem, & carnem dedit Dauid populo suo pro refectione in fine processionis suæ: & Sacerdos noster, quem Dauid figurat, non in fine solùm processionis, sed in principio etiam, & aliàs partitur singulis collyridam vnam *illius panis, qui de Cœlo descendit, & dat vitam mundo*: Vt inquit Ord. glosa hoc loco. Verùm hic panis, qui de Cœlo descendit, caro etiam est: panis apparenter, caro realiter: Ille inquam panis, & illa caro, de qua Christus, cuius caro est, testatur: *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.*

43 Sed quid vltra hæc omnia actum est, post Hebreorum processionem? *David* (inquit scriptura ipsa) *benedixit populo, in nomine Domini exercituum*: Sacerdos noster quoque benedicet nobis non solùm in nomine Domini exercituum, sed cum ipso Domino exercituum, cum ipsa, nempè, Eucharistia, in qua est ipse Dominus, qui quidem aliàs Dominus exercituum dicebatur, nunc autem: *Deus pacis & non afflictionis, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.*

Tandem, & post processionem, & post refectionem, & post benedictionem, quid adhuc restat? Duo adhuc, quæ de Hebreis ibidem narrantur: primùm est: peracta processione Arcæ, reposuerunt illam Sacerdotes in Tabernaculo suo: *Attulerunt igitur Arcam Dei* (inquit textus Paral. citatus c. 16.) *& constituerunt eam in medio Tabernaculi, quod tetenderat ei Dauid*: Sacerdotes nostri similiter post processionem, & alia, quæ narrauimus, Sacramentum reponent in Tabernaculo suo, secundùm consuetudinem. 44

45 Vltimò posthæc omnia quid fiet? *Abijt omnis populus vnusquisq; in domum suam: Reuersusque est Dauid, vt benediceret domui suæ*: Post nostram processionem, post Communionem, post benedictionem, post Eucharistiæ repositionem, abibunt Sacerdotes similiter vnusquisque in domum suam, & vos etiam in domum vestram. Amen.

SERMO NONVS.

Pro Processione Sanctissimi Sacramenti infra annum.

Ecce tumultus, & apparatus multus: & sponsus processit, & amici eius, & fratres eius 1. Mac. cap. 9.

ARGVMENTVM.

In Eucharistiæ processione procedit Christus Ecclesiæ sponsus, & nos similiter amici, & fratres eius, cum illo processionem ipsam facientes: Et audimus insuper internum eius sermonem, qui est de interiori etiam apparatu nostro ad eamdem Eucharistiam: & fit in illa pariter tumultus, & apparatus multus, ac multipliciter.

1 HISTORIA quædam narratur in præcitato Machabeorum loco, quæ processionem hanc nostram, quàm ad honorem Eucharistiæ ex veteri, ac probata Ecclesiæ Sanctæ consuetudine nunc facimus, satis manifestè repræsẽtat (vt mihi videtur) tanq̃ processionis eiusdẽ expressa quædã, ac naturalis imago.

Erant illi multi simul tunc itinere vno gradientes, & quasi processionem quandam & ipsi constituentes, & nos similiter modò multi sumus, qui Sacramenti sanctissimi verè processionem instituimus per vias, & plateas nostras: Inter illos multos sponsus erat, & primus inter omnes, & eius sponsa simul, & amici sponsi, & fratres eius: Sponsus Christus est: eius spona Ecclesia: amici, & fratres, hoc est propinqui sponsi huius, omnes nos: *Et sponsus processit, & amici eius, & fratres eius,* inquit sacer textus. Hic sponsus noster procedit modò in processione nostra in Eucharistiæ Sacramento, & cum illo, & cum Ecclesia sponsa sua procedimus, & nos omnes associantes, & honorantes illum: factæ sunt nuptiæ magnæ tunc pro sponsis istis: *Filij Iambri faciunt nuptias magnas,* ait Machabeorum lectio: & nos similiter, cum eisdem sponsis nostris facimus nuptias magnas, dùm Eucharistiam, quæ magna cœna, & nuptiæ magnæ dicitur, sumimus, qui & in magno et numero sumus: Denique, & nuptialis illa antiqua processio fiebat *cũ ambitione magna,* vt inquit scriptura: Hoc est cum apparatu magno, & pompa, vt exponit Lyr. cum alijs: Nam & ipsa scriptura rursus ait: *Ecce tumultus, & apparatus multus:* Et ecce etiam in processione hac nostra sponsorum nostrorum, tumultus, & apparatus multus, & multiplex: Tumultus quidem multus primò, ex multitudine populorum: Tumultus musicorum, & aliorum etiam cantantium: Tumultus campanarum: Tumultus tubarum: Tumultus cythararum, & aliorum musicalium instrumentorum: Tumultus cymbalorum: Tumultus denique scloporum, tormentorum militarium, & cœterorum huiusmodi: & tumultus tandẽ, quia secundùm eiudem scripturã: *Cũ tympanis, & musicis, & armis multis.*

Ecce ergo tumultus multus; Et ecce pari-
2 ter etiam apparatus multus, ac multiplex: Apparatus Sacerdotum, apparatus aliorum ministrorũ, apparatus Ecclesiarũ, apparat⁹ platearũ, apparat⁹ viarũ, apparat⁹ tãdẽ, quẽ nũc vidẽt oculi nostri, sicut & tumultũ modò aures nostræ audiunt: Vnde & in nobis impletur scriptura: *Eleuauerunt oculos suos, & viderunt: & ecce tumultus, & apparatus, & sponsus processit; & amici eius, &c.*

3 Refert ergo antiqua illa processio tempore Machabeorum facta occasione nuptiarum, processionem, quæ fit tempore Christianorum, occasione Eucharisticarum nuptiarum, quæ sunt nuptiæ Christi, & ipsorum. Itaque ex processione illa præterita nostram præsentem discamus, & ex his, quæ de processione illa notauit scriptura, notemus & nos etiam, quomodo nostras disponamus processiones, in quibus Sacramentaliter procedit sponsus animarum nostrarum Christus Iesus Dominus noster, & nos amici, & fratres eius cum eo: *Et sponsus processit, & amici eius:* Inquit scriptura: & ante hoc: *Eleuauerunt oculos suos, & viderunt:* Et quid viderunt primò illi eleuantes oculos suos? sponsum vtiq;: sequitur enim immediatè hoc in textu: *Et ecce tumultus, & apparatus multus: & sponsus processit.*

Sponsum ergo viderunt illi primò leuantes 4
oculos suos, & sponsum procedentem cum tumultu, & apparatu multò: Et nos similiter eleuantes oculos nostros, videbimus primò sponsum nostrum Christum Dominum, in Eucharistiæ Sacramento de Altaris, & Ecclesiæ Tabernaculo procedentem, tanquam de thalamo suo: Hoc idem enim illi cantare poterimus de hac Sacramentali processione, quòd eidem cantamus de processione eiusdem de Mariæ Virginis vtero per natiuitatem nimirùm: *Tanquam sponsus Dominus procedens de thalamo suo:* In Ecclesia enim, & in Altari, *Quasi in thalamo tota die morabitur,* sicut de Beniamin legitur Deut. 33. & sicut de Altari, & de Ecclesia, modò procedet, tanquam sponsus de thalamo suo, sic etiam cum tumultu, & apparatu multò, de quo iam dictum est, sicut de sponso illo narrat Machabeorum historia: *Ecce* (inquit) *tumultus, & apparatus multus, & sponsus processit:* Sponsus ergo, qui procedit in hac processione nostra est Christus Dominus de Altari, & de Ecclesia procedens, tanquam sponsus de thalamo suo.

Sed attendamus, quid in eadem scriptura 5
subiungatur post prædicta statim: En: *Et amici eius, & fratres eius:* Cum sponso illo sunt & amici eius, & fratres eius, Amici, & fratres sponsi Christi sumus nos omnes, quos ore proprio nos amicos, & fratres suos nominauit. *Vade autem ad fratres meos.* Ioannes 20. *Narrabo nomen tuum fratribus meis.* Psalm. 21. *Vos autem dixi amicos.* Ioannes cap. 15. Quos amicos & fratres suos cum semper summopere dilexisset, in vitæ suæ finem singulariter dilexit eos, Eucharistiam pro eisdẽ instituẽdo, corpore suo eosdem in illa cibando, & sanguine suo potando: Et hæc sunt

huius

huius ſponſi noſtri nuptię, ad quas ille nos inuitauit: & ad nos modò venimus: & de illis etiam ſcriptum eſt Apoc. cap. 19. *Beati, qui ad cœnam nuptiarum agni vocati ſunt*. Vbi n. ſponſus, ibi & nuptiæ fiunt, & tunc fiunt nuptiæ, quum ſponſam ducit ſponſus: Vnde idem Machabeorum liber, in quo legitur: *Ecce tumultus, & apparatus multus: & ſponſus proceſſit, & amici eius, &c.* ante hoc ait de hoc eodem ſponſo: *Quia filij Iambri faciunt nuptias magnas, & ducunt ſponſam ex Madaba.*

6 Nuptias ergo habemus factas, & paratas ſponſi Chriſti, nempè, Euchariſtiam: *Nuptiæ quidem paratæ ſunt*: Et in nuptijs iſtis ſumitur caro eiuſdem ſponſi Chriſti, quæ verè eſt cibus: & ſanguis eiuſdem, qui verè eſt potus: Vnde ex hoc veriſsimè nuptias magnas & nos appellare poſſumus has Chriſti nuptias, & maiores etiam, quàm nuptias filiorum Iambri, de quibus ibidem ſcribitur: *Filij Iambri faciunt nuptias, magnas, & ducunt ſponſam*: Sed quæ nam ſponſa, quam ducit ſponſus Chriſtus, & propter quam hæ nuptiæ factæ ſunt? Certè humana natura, quā idem æterni Patris verbum aſſumpſit, ſibique arctiſsimo hypoſtaticæ, ſiue perſonalis vnionis vinculo copulauit eadem naturarum remanente diſtinctione. Nos, dico, homines huius ſponſi ſponſæ electi ſumus, & eiuſdem etiam fratres, & amici hac ratione facti ſumus ſimul, & ſemel, quod eſt nouum nimis, & ſingulare, ac mirabile prorſus: *Omnes enim nos* (inquit Bernardus ſimiliter de nuptijs loquens Canæ Galileæ ſerm. 2.) *ad ſpirituales nuptias vocati ſumus, in quibus vtique ſponſus, eſt Chriſtus Dominus, vnde canimus in Pſalmo: Et ipſe tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo: ſponſa verò nos ipſi ſumus, ſi non vobis videtur incredibile: & omnes ſimul vna ſponſa: & animæ ſingulorum, quaſi ſingula ſponſa*: Sic Bernardus.

7 Manifeſtum ergo, quòd, ſicut ſponſus Chriſtus eſt, & Eccleſia, quæ eſt congregatio fidelium, eſt huius ſponſi ſponſa, ſic & omnes fideles ſimul eiuſdem ſponſi vna ſpōſa ſunt: & animæ ſingulorum ſingulæ ſponſæ, vt inquit Sanctus Doctor: Et inſuper, ſicut ſponſæ ſponſi Chriſti dicimur, ſic etiam fratres, & amici eius, de quibus Machabeorū textus: *Sponſus proceſſit, & amici eius, & fratres eius*: Quia etiam in canticorum canticis, idem ſponſus eamdem Eccleſiam, quam ſponſam nominat, etiam amicam, & ſororē ſuam vocat: *Veni in hortum meum ſoror mea ſponſa*: Sic enim ad illam primo ibidem c. 5. & poſtea ad nuptias iſtas corporis & ſanguinis ſui, quas & ille guſtauit, quando ipſas primò fecit, ſub amicæ nomine eamdem inuitat, quàm ſororem, & ſponſam iam nominauerat, hoc modò ſubiungens: *Comedi fauum cum melle meo: bibi vinum cum lacte meo: comedite amici: bibite, & inebriamini chariſſimi.*

Quòd manifeſtius etiam declarat Incertus apud eumdem Bernardum in ſermone de cœna Domini. De Euchariſtia enim primò, quaſi de ſponſi, & ſponſæ nuptijs ſic ait: *Hic efficitur vna caro ſponſa cum ſponſo, vnus ſpiritus, vna anima cum Chriſto: experientia horum, & ſimilium ſpiritus, & vita eſt: nec animalis homo horum ſenſu fruitur, vel acceſſu*: Sic ille: poſtea explicare progreditur manifeſtius adhuc, quinam huius ſponſi amici ſint, qui etiam ſponſæ dicuntur Euchariſticis, & ſponſalibus his veſcentes nuptijs: *Amici ſponſi* (ait) *idest boni Epiſcopi, boni Abbates, & cæteri timorati, & religioſi viri guſtauerunt, & pleniſſimè ſunt experti, quod nos dicimus: Ideoq; ad menſam Altaris frequentius accedunt omni tempore candida facientes veſtimenta ſua, ideſt corpora prout poſſunt melius, vtpotè Deum ſuum manu, & ore contrectaturi, & colloquentem ſibi ipſis audituri: ibi enim celebratur familiare colloquium inter Deum, & Moyſem amicum ſuum, ideſt bonum, & fidelem miniſtrum.* 8

Sic prædictus Doctor: In quibus verbis & in vltimis præſertim alluſionem facere videtur ad verba illa: Ioan. cap. 3. *Qui habet ſponſam, ſponſus eſt: amicus autem ſponſi, qui ſtat, & audit eum, gaudio gaudet propter vocem ſponſi*: Quæ de Chriſto quidem ſponſo, & de Baptiſta Chriſti amico, & fratre etiam, hoc eſt propinquo. qui cum Chriſto aliquando ſtetit, & vocem eius cum gaudio audiuit, ad litteram intelliguntur: ſed poſſunt etiam alio modò ſumi pro nobis: Nam amici ſponſi Chriſti, nos omnes ſumus, qui cum illo modò ſtamus, *in domo Domini, in atrijs domus Dei noſtri*: Et amici certè, & propinqui eius veriores, fideliores, & ardentiores, quàm amici ſponſi illius filij Iambri, de quibus in Machabeorum hiſtorijs narratur, & de ſponſo ſimul: *Sponſus proceſſit, & amici eius, & fratres eius obuiā illis*: Illi enim amico 9

suo occurrerunt tantùm in monte quodam, sicut ex textu ipso perspicuum est: at nos nō tantùm sponso nostro occurrimus, ex domibus nostris ad eum de thalamo suo procedétem venientes, scilicet, in hanc Ecclesiam, quæ est domus eius, & atria eius: sed, insuper ibidem cum illo, consistimus, & præterea etiam, cum eodem de ipsa Ecclesia procedemus, associantes illum in ipsa nostra processione: *Et ecce sponsus processit.*

10 Vlteriùs, non solùm hæc omnia sic se habent, sed insuper cum sponso ipso stantes audimus eum: *Amicus autem sponsi* (inquit Ioan.) *qui stat, & audit eum*: Quod certè obtinere non potuit ejusdem sponsi sponsa vetus, Sinagoga, nimirùm, sicut testatur canticorum capite tertio, hoc modò; *Per vias & plateas quæram, quem diligit anima mea: quæsiui illum, & non inueni*: Et iterum cap. 5. *Anima mea liquefacta est, vt locutus est: quæsiui, & non inueni illum: vocaui, & non respondit mihi.* Nos autem, fratres, amici, & sponsæ pariter ratione animæ præsertim, vt iam diximus, & sponsæ adolescentiores, & Euangelicæ quærimus quem anima nostra diligit, non per vicos, iam & per plateas, vt senior sponsa, sed per Ecclesias, & per Altaria: & statim ibide inuenim⁹ eū: & ibid. pariter cū eodē modò stant⁹ oēs, & vocātes eū, respōdet nobis: & audimus cū gaudio interiori, scilicet, mentis audimus vocem eius: Quare de nobis verè Euangelium: *Amicus autem sponsi, qui stat, & audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi.*

11 Et si in particulari adhuc magis quæratur, quisnam, vel qualis sit iste sermo sponsi nostri Iesu Christi, quem cum illo stante in Eucharistia audimus, docet nos iam allegatus Doctor sic immediatè subdēs post prædicta: *Sermo ille non est sonans, sed penetrans, non loquax, sed efficax: non obstrepens auribus, sed blandiens affectibus: sermo ille non popularis, sed singularis, & priuatus: non sonat in foro: non auditur in publico: secretum consilium, secretumque quærit amicum: Audietur procul dubio gaudium dabit & lætitiam, si sobria cordis aure percipitur: Audi, inquit Dominus, Israel, & tace*: Hæc omnia prædictus Doctor de interiori sponsi Christi sermone in Eucharistia ad nos amicos suos, de quo & Ioannes, vt iam docebamus: *Qui habet sponsam sponsus est, amicus autem sponsi qui stat, & audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi*: Et postquam voces has interiores expresserit, statim responsionem pariter secretam amici ad ipsum Christum apponit, sic subijciens: *Respondit fidelis amicus, & fidelis seruus piæ familiaritatis ausu: non tamen vocali plausu, sed suaui planctu dicens cum Samuele: loquere Domine, quia audit seruus tuus, & cum Propheta: Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.*

Hi, charissimi, sunt sponsi Christi fratris, & amici nostri secreti sermones, quos nobiscū miscet in Eucharistia: Multum enim ad inuicem loqui solent propinqui, & amici, & præsertim in conuiuijs vel in nuptijs. Christus autem frater noster, & amicus, & sponsus pariter, de quo ob processionis nostræ figuram hodiè ex Machabæorum historia prædicamus: *Et eleuauerunt oculos suos, & viderunt: & ecce tumultus, & apparatus multus: & sponsus processit, & amici eius, & fratres eius. Et ecce tumultus* (inquit) *& apparatus multus*: Tumultus quidem propriè is est, qui ex hominū multitudine alicubi auditur: Vnde Daniel c. 10. de viro quodam sibi apparente refert (inter alia) quòd: *Vox sermonum eius, erat, vt vox multitudinis*, idest, vt tumultus. 12

In Ecclesijs etiam & processionibus nostris tumultus auditur: sed tumultus pius ac religiosus, vox, scilicet, multitudinis populorum orantium, canentium, & laudantium Deum: & maximè, quando in Eucharistia (vt modò) Christus sponsus procedit (vt sæpe iam diximus,) & nos amici, & fratres eius cum eo: Et vltra tumultum hunc, fit etiā sonus, ac strepitus, vt nunc pariter, instrumētorum, scilicet, musicalium, campanarum &c. de quo iam satis diximus: sicut etiā de ipso apparatu multò, qui cum tumultu iungitur: *Et ecce tumultus, & apparatus multus*: De apparatu, nempè, Sacerdotum, & aliorum Ecclesiæ ministrorum Ecclesiarum Altarium, &c. Idcircò de apparatu tantùm interiori, quo nos ipsos hoc est mētem nostram apparare debemus, quando nobiscum procedit Christus in Eucharistia, aliquid dicamus, sicut de interiori illius ad nos sermone aliqua similiter iam audiuimus.

Idem vero, qui secretum in Eucharistia ad nos sermonem habet, docet etiam in sermone ipso ipsum apparatum, quo nosmet ipsos eidem apparare debemus: sic enim subiungit post prædicta prædictus Doctor de Eucha. *Certè ibi loquitur Christus cum ministro suo: Pensa* (inquit) *ingiter repone fideliter, amplectere suæ* 13

re suauiter quod vides, quod agis, quod tenes: amplectere inquam pia recordationis affectu, & pia imitationis effectu: sciens quoniam talia oportet te præparare. Apparatus mensæ istius non hominis est, sed fidei: non facinoris, sed mysterij: non temporalis alimenti, sed æterni. Qui sum auctor muneris, ipse sum testis veritatis. Sic ille in sermone suo de cœna Domini. Et est de hac ipsa cœna, & de præparatione ad illam in ipsis scripturis expressum præceptum hoc Prou. 23. *Si sederis, ut comedas cum principe, diligenter attende quæ apposita sunt ante faciem tuam: & statue cultrum in gutture tuo: si tamen habes in potestate animam tuam.*

Prou. 23. *Si sederis cœnare ad mensam potentis sapienter intellige, quæ apponuntur tibi*, & mitte manum tuam, sciens, quod oportet te talia præparare: Sic enim Grecorum biblia ex 70. interpretibus pro Vulgata nostra: *Quando sederis, vt comedas cum principe, diligenter attende, quæ apposita sunt ante faciem tuam: & statue cultrũ in gutture tuo: si tamen habes in potestate animam tuam.* Hæc enim & Augustinus, & alij de Eucharistia, & de præparatione ad illam vnanimiter interprætantur, quam nos modò dicimus apparatum, qui cum sponso videtur, cum quo sunt, & amici, & fratres eius: *Apparatus multus* (ait) *& sponsus processit, & amici eius, & fratres eius.* Sed quia de apparatu isto, vel præparatione ad Eucharistiam, non solùm specialem sermonem habemus, & satis quidem prolixum, sed in alijs etiam multa sæpè tradimus pro sermonum ipsorũ varietate: idcircò nil aliud modò de eadem afferemus: sed potius, quia iam sponsus processit, & nos sermone nostro procedemus in pace cum illo, processionem nostram prosequentes.

14 Hanc (vt puto) prænuntiauit in verbis istis Micheas Propheta, in fine 2. c. suæ prophetiç. *Ascendit enim pandens iter ante eos: diuident, & transibunt portam, & ingredientur per eam: & transibit Rex eorum coram eis: & Dominus in capite eorum.*

In hac siquidem processione nostra, quàm de more facimus, ipsa Eucharistia, & in ea Dominus, & Rex noster Iesus Christus ascendit per domos, & loca nostra pandens iter ante nos, hoc est, *ante faciem nostram*, vt 70. interpretantur, quia nobis omnibus videntibus ipsa Eucharistia nobis iter demonstrat, quod illam deuotè, ac reuerenter comitantes conficiamus, illud idem nimirùm, quòd illa in manibus Sacerdotum delata conficit: *Pandens iter ante eos*, inquit nostra lectio: *Per diuisionem ante faciem eorum*, inquiũt 70. interpretes: quia ascendens de Ecclesia Eucharistia, pandensque nobis processionis nostræ iter ante faciem nostram, inter nos diuisionem facit: & per nos diuisos ascendit, scilicet, in medio nostri, & maximè per Sacerdotes, & alios ministros Altaris; diuisos, nempè, à dextris, & à sinistris eius sequentes eam: & laici etiã siue (vt vulgo dicitur) Seculares, & tot⁹ oĩnò populus pariter in ipsa ꝓcessione aliter ẽt iterũ diuisus ꝓcedit. nã alij Euchã ꝓcedũt, alij eã sequũtur: & p eosdẽ sic diuisos similiter ascẽdere de Ecclesia dicitur, pãdẽs iter ante eos.

15 Et quia iterum, hanc inter nos diuisionem, per quam Eucharistia in processione pandit nobis iter ante oculos nostros, nos ipsi facimus ad ipsius honorem, ac reuerentiam, & cum eadem Ecclesiæ portam transimus, per illam, primò egredientes ad vicos nostros; & postea per eamdem portam similiter iterum in eamdem Ecclesiam ingredientes: Ideò addit statim prophetia: *Diuident, & transibunt portam, & ingredientur per eam.* Vel secũdùm Hebreorum, & Grecorum simul textũ: præteritum etiam loco futuri accipientes prę euentus certitudine: *Diuiserunt, & transierũt portam, & egressi sunt per eam*, illi, scilicet, omnes, qui in processione sunt.

16 Et quia tandem in eadem Eucharistia, quæ nobiscum sic in nostra processione transit, est Dominus noster omnium nostrum caput, & Rex, ac Princeps supremus Cęli, & terræ, cui in eadem Eucharistia per ipsam processionẽ nostram pium exibemus cultum, ac reuerentiam: Ideò tandẽ sic ipsa prophetia cõcluditur: *Et transibit rex eorum coram eis, & Dominus in capite eorum*: Et in Greco textu, *Et exiuit rex eorum, ante faciem eorum, Dominus autẽ Princeps erit eorum*; Et quem hoc loco caput, ac Principem nostrum Micheas nominat, hũc nos modo sponsum nostrum ex Machabeorum libro prędicamus, nobiscum etiam tanquam cum fratribus, & amicis suis hanc facientem processionem: *& sponsus procedit, & amici eius, & fratres eius.*

17 Et si vlterius adhuc quæratur, quomodo procedat: ex his, quæ de Ezechiele statuũtur, ca. 12. qui Christum manifestè præfigurabat, non obscurè intelligemus: *In conspectu eorum in humeris portaberis*: hoc est Domini præceptum ad Ezechielem: & hoc idem est, quòd de Christo Dño in Eucharistia completur. In cõspectu nõ. n. in illa a Sacerdotibus nostris portatur, sicut & ipsa similiter. Non tamen in humeris, vt Propheta, sed in mani-

in manibus, vt prophetarum Dominus, ac magister.

18 Sicut verò in alia quadā processione, quando, scilicet, Beata Virgo Maria puerum Iesum præsentauit in templo: & Simeon similiter Sacerdos repletus Spiritu sancto accepit eum in vlnas suas: tunc (dico) *senex puerum portabat: puer autem senem regebat:* Sicut, & nos canimus processionem itidē ei similem, eamque repræsentantem facientes, sic & in processione, quæ de Eucharistia fit, Sacerdos noster Christum in illa portat, ipsam portans Eucharistiam, & vicissim ab eodem portatur, & regitur: Portat enim Christus omnia verbo virtutis suæ, & eos etiam qui protant orbem eidem se incuruantes.

19 Etsi verò dicamus, hoc loco Sacerdotem Christum portare in Eucharistia, quia ipsam portat Eucharistiam, in qua ille vere est: Vnde etiam dicere solemus: huc illuc, v.g. ad infirmum: Vel ad hanc, vel illam Ecclesiam siue, locum defertur Dominus, cum ad huiusmodi loca ipsa Eucharistia per Sacerdotes defertur, ipse tamen Christus, propriè, & in rigore loquendo, in Eucharistia nō portatur, nec à Sacerdote, nec à quocumq; alio: sicut nec ab ipso, nec ab alio quocūq; creato ibidē mouetur, vel moueri potest vllo modò: sed mouetur, & portatur solū immediatè à Deo, & à seipso, idcirco quia Deus est: Quia (vt hæc scolasticè dicamus,) Quod mouetur, est in loco: ex Arist. Phis. 5. Corpus Christi aūt in Sacramento nō est in loco, siue vt in loco: Quia non habet ibi modum quantitatiuum, siue dimensiuum: hoc est dictu, partes corporis eius in Eucharistia non coextenduntur siue commensurantur partibus loci ipsas occupantes, sicut totum dicitur coextendi, siue commensurari toti loco, in quo locatū est, ipsum totū locū similiter occupādo: & est hæc doctrina subtilis Doctoris nostri Scoti in 4. senten. dist. 10. q. 6. pro prima parte, pro secūda verò in eadem dist. q. 1. Et est Ecclesiæ, & Sanctorum Patruum, ac Theologorū doctrinæ omninò consonans, & si in vocibus, vel in terminis fit inter eos discrimen aliquod, sicut & in assignanda ratione, propter quā à solo Deo immediatè Christus in Eucharistia moueatur, nonnulli similiter inter se discriminātur: quæ & alia huiusmodi scolæ magis propria, & nostro instituto minus deseruientia, consultò silemus allatis contenti, vt illud de Ezechiele iam relatum: *In conspectu eorum in humeris portaberis*, de Christo Domino in Eucharistia clariùs, & firmius etiam exponeremus.

Ad rem nostram aliud potius nunc subnectamus, quòd hæc ipsa Christi Eucharistica (vt ita dicam) portatio, ad mentem nunc reducit de alia omninò simili portatione: Habetur hoc autem de consec. dist. 2. c. Accesserunt, & est ex August. desumptū in Psalm. 33. Sic porrò Aug. illud pertractās, quod legitur lib. 1. Reg. ca. 21. de Dauid: *Et extimuit valde à facie Achis Regis Geth, & immutauit os suum coram eis, & collabebatur inter manus eorū, &c.* Prò his .n. sic ibidem scribit Aug. *Et ferebatur Dauid in manib. suis: Hoc verò fratres, quomodo posset fieri in homine, quis intelligat? Quis .n. portatur in manibus suis? Manibus aliorū potest portari homo, manib. suis nemo portatur: quomodo intelligitur in ipso Dauid, secūdùm litterā nō inuenimus: In Christo aūt inuenimus: ferebatur .n. Christus in manib. suis, quādo cōmēdās ipsū corpus suum, ait. Hoc est corpus meū: ferebat enim illud corpus in manibus suis:* Hæc oia August. Quando .n. Christus Eucharistiā instituit, & Discipulis dedit, dicens: *Accipite & manducate, ex hoc omnes: Hoc est .n. corpus meum:* Verè ac realiter seipsum manibus suis mouebat, & portabat, sicut & nunc similiter quotiesq; ipsa Eucharistia mouetur pro expositione, vel pro Cōmunione, vel aliàs: Verùm hoc facit ille solùm vt Deus est, simul cū Patre, & Spiritu sancto, nō autem, vt homo, quo modò idē puer à Simeone verè portabatur naturali ratione iam allata: sicut autē idem Christus vt homo ēt Eucharistiā tunc mouere, & portare verè dicebatur, & consequenter seipsum etiā in illa existentem, sic ēt Apostoli, & alij Sacerdotes, dùm mouent vel portant illam, ipsum quidem Christum simul ex cōmuni ēt vsu loquendi mouere vel portare dicūtur: Reuera tamen solus Deus Christum in Eucharistia immediatè & mouet, & portat: Ideoq; & nos similiter hodiè prædicamus, quòd procedat in ipsa nostra processione, scilicet, tanquā seipsum immediatè in Eucharistia mouens: *Et sponsus processit, & amici eius, & fratres eius.* Ascendēs, nempe, & pādens iter ante eosdē fratres, & amicos suos, viz. nos oēs, vt nuper de eo ex Michεæ prophetia referebamus: etsi solùm respectu sacramenti, & Sacramentalium accidentium in se, quæ verè nos portamus, portari à nobis dicatur.

Vnde eumde eodem prædixisset scriptura: sub

sub Ezechielis figura. *In conspectu eorum in humeris portaberis*, statim sic rationem, & modum portationis huius subtexuit: *In caligine efferreris faciem tuam velabis*: Ideò efferturr Dominus: & efferri dicitur à nobis, & in processionibus nostris, & alias in caligine, etsi verè de se procedat, *& tanquam sponsus procedens de thalamo suo*: quia nimirùm caligine Eucharisticarũ specierum panis & vini faciem suam idest personam, & præsentiã suã velauit, quãdo ipsam Eucharistiam instituit, qua caligine velatus, cum sit in eadem nobiscum omnibus diebus vsq; ad consummationẽ sæculi, in eadẽ. et sicut, & videmus illum, & tangimus, & gustamus, sic etiã in processione efferrimus, vt de eo eius prophetia impleatur. *In caligine efferreris*, Hoc est, *absconditus egredieris*, secundũ septuaginta interpretationem: sicut eidem et hac ipsa ratione illud Isaiæ 45. vbiq; cantatur. *Verè tu es Deus absconditus*: & nos hodiè: *Et sponsus processit, & amici eius, & fratres eius.*

22 Quam processionem tandem, & ipsum Tridentinum Concilium his verbis commẽdat Sess. 13. c. 5. *Declarat præterea sancta Synodus piè ac religiosè admodum in Dei Ecclesiam inductum fuisse hunc morem, vt in processionibus reuerenter & honorificè ipsum Eucharistiæ Sacramentum per vias, & loca publica circumferretur*: Cum verò tribus potissimùm de causis eadẽ Ecclesia ex antiquissimo Sanctorum Patrum instituto publicis processionibus, seu supplicationibus vti consueuerit, nempe, vel ad excitandum fidelium pietatem, vel ad commemoranda Dei beneficia, eiq; gratias agendas, vel deniq; ad diuinum auxilium implorandũ vt docet Rituale Romanum de processionib. Hæc de Eucharistia processio, sicut aliarũ omniũ processionũ est dignissima, ac sanctissima, sic et, ad omnia hæc simul efficacissima, ac vtilissima est procul dubio, & non ad hoc vel illud solùm, vt aliæ omnes: Cum n. Sacramentum sit summæ pietatis, etiam fidelium pietatem vehementer excitat: secundò, quia ipsa Eucharistia etiam gratiarum actio interpretatur: proinde illam in processione deferentes magnas, ac singulares Christo gratias agimus pro ipso tam ingenti dono primùm, & pro alijs etiam beneficijs suis: & tertiò ad diuinum etiam auxilium implorandum plurimùm hæc Eucharistiæ processio valet, quia in illa nobiscum deferimus ipsum Deum ac Dominum nostrum Iesum Christum, à quo bona cuncta procedunt, & cum quo Deus omnia nobis donauit: Ideoque eiusdem corpus & sanguinem sumentes, confidenter petimus, vt per hoc *oĩ benedictione cœlesti & gratia repleamur.*

Denique, vt iam de processione sermonẽ terminemus, vt & ipsa simul processio tem- 23
pore congruò terminari possit, hoc solùm pro ipso termino adhuc statuamus. Aliæ processiones omnes alia & alia mysteria specialia de eodem Christo Domino cõmemorant & repræsentant nobis: sic Candelarum processio e.g. quæ fit in festo Purificationis Beatæ Virginis processionem aliam quæ facta est in præsentatione pueri Iesu in templo in die Purificationis eiusdem Virginis refert: Sic processio Dominicæ Palmarũ eiusdẽ Christi refert triũphale introitũ in Ciuitate Ierusalẽ ĩ ipsa die cũ palmarũ & oliuarũ ramis: Idẽ dico de alijs. Verũ Euchẽ pcessio, q̃a ipsa Eucha est sacrum mysterium, & mysteriorum omnium dignissimum, ac sanctissimum, & mysteria etiam in plurali vocatur: Idcirco plura simul de eodem Christo mysteria nobis repræsentat, & principaliora præcipuè, nempè, Eucharistiæ eiusdem institutionem ab eodem factam, & passionem eius similiter necnon & processiones varias, quas in eadẽ sua passione idem confecit pęnales sibi, & opprobriosas nimis, nempè, a cęnaculo, ad hortum: ab horto, ad Annæ domum: ab Anna, ad Caipham: à Caipha, ad Pilatum: à Pilato, ad Herodem, ab Herode iterum ad Pilatum, & tandem à Pilato, rursus ad Caluariũ, & ad mortem in Cruce.

Itaque cum de omnibus processionibus 24
Ecclesia ibidem moneat, vt ea, quia par est pietate celebrantur, quia continẽt magna ac diuina mysteria: & salutares Christianæ pietatis fructus eas piè exequentes à Deo consequuntur: Et cum de Eucharistia processiones potissimùm, magna, ac diuina mysteria præ alijs omnibus (vt diximus) contineant, omnes & nunc vos præcipuè monitos esse cupio, vt præ alijs etiam processionibus ea, qua par est pietate hanc, & alios omnes, quæ de Eucharistia sunt celebretis: vt sic magis piè exequentes eas, salutares pariter pietatis vestræ fructus abũdãtius cõsequamini. Amẽ.

Pro expositione Sanctissimi Sacramenti infra annum.

Considera, quòd hodiè proposuerim in conspectu tuo vitam & bonum: & è contrario mortem & malum. Deut. cap. 30.

ARGVMENTVM.

Cum Eucharistia exponitur, vita & bonum in conspectu bonorum proponitur: & è contrario mors & malum in conspectu malorum.

1 VEre hæc, quæ assumpsimus pro hoo sermone verba ex scripturis pronunciauit primò Moyses de lege Domini, dùm nimirùm legem ipsam Hebreis suis proponeret. Porrò de eadẽ lege sic testatur quidem Sanctus Paulus ad Romanos scribens capite septimo. *Lex quidem sancta est, & mandatum sanctum & iustum & bonum.* nihilominus ipsa lex (sicut & mandatum) bonis solùm & obseruatoribus eius & bona redditur & bona multa confert in hoc seculo, & vitã æternam in futuro: malis autem & transgressoribus, malã: & mala multa itidem hic sæpe infligit: & postea æternã mortẽ in Inferno. Etiam Eucharistia sancta est. N. & Dei Verbum incarnatum in ea existens similiter sanctum est, & iustum & bonum, Iesus Christus Dei, & Virginis filius.

Verùmtamen & ipsa (sicut & Christ⁹ q in eã est) solùm bonis, & illam dignè colentibus, ac sumentibus bona, fit, & multa eisdem bona præstat in hoc mundo, & spiritualia præsertim: & vitam æternam in Cœlo; eiusdem Saluatoris nostri testimonio: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem habet vitam æternam.* Malis verò & indignis mala, & mala multa è contrario illis infert, non tantò in hac vita, & mortem æternam semper in altera, secundũ illud eiusdẽ Pauli ad Corint. *Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat, & bibit*: Vnde eorum quilibet de ipsa Eucharistia veraciter id asseuerare potest, quòd de lege similiter subditur immediatè post prædicta verba Apostoli ad Romanos de eadem: *Quod ergo bonum est, mihi factum est mors:* Nam & de Eucharistia similiter cantamus: *Mors est malis, vita bonis*: Cum ergò charissimi Eucharistiam ipsam Sacerdos hodiè proposuerit, vel exposuerit in conspectu vestro, verè vitã & bonum: & è contrario mortem & malum se vobis proposuisse, siue exposuisse affirmabit.

Vnde iure merito Sacerdos etiam ad hanc ipsam considerationem vnumquemque incitabit, eadem vsurpans verba, quæ de lege eadem ratione ad Iudeos Moyses est proloquutus: *Considera, quòd hodiè proposuerim in conspectu tuo vitam & bonum, & è contrario mortem & malum.*

Itaque hoc ipsum, quod olim Moyses ad Hebreos prædicauit de lege, quam proponebat eis, prædicabo & ego ad Christianos de Eucharistia, quæ hodierna die pro antiquissimo, ac simul piissimo Ecclesiæ Sanctæ more à Sacerdotibus suis in Altari eisdem proponitur, & exponitur deuote colenda atque sumenda: *Considera, quòd hodiè proposuerim in conspectu tuo vitam & bonum, & è contrario mortem & malum.* Certè, vox ista Synagogæ etiam de Eucharistia videtur, quàm audimus: *Considera, quod hodiè &c.* Huic enim respondet echo ab Ecclesia formatus, & multiplex de eadem: Ecce vnus de Eucha echo: *Panis viuus & vitalis hodiè proponitur*: Ecce alius: *Mors est malis vita bonis*: Ecce tertius ẽt: *Sumunt boni, sumunt mali sorte tamen inequali vitæ vel interitus.* Olympiæ (vt scribit Calepinus 2

pinus cum alijs, porticus fuit) quàm Heptaphonon appellabant, quoniam septies eadẽ vox ibi reddebatur: Vnde Lucretius *sex etiam ac septem loca vidi reddere voces, vnã cũ faceres.* Vnam illam faciebat Sinagoga de Eucharistia in figura vocem, quàm iam sæpè audiuimus: *Considera, quòd hodiè proposuerim in conspectu tuo vitã & bonũ, & è contrario mortẽ & malũ.* Huic fit ab Ecclesia non vnus echo tantùm, sed triplex, quem similiter iam percepimus. *Panis viuus & Vitalis hodiè proponitur: Mors est malis, &c.* & (quod plus est) horum quilibet non sex solùm, vel septem reddit voces, vt refert Lucretius de echo illo Olympiæ, sed innumeras sanè continuò reddit, & non in vno loco tãtùm, sed in omnem terram, & in fines orbis terræ idem multiplicatus infinities sonus auditur, echo nimirùm Ecclesiæ de Eucharistia voci illi Sinagogæ de Eucharistia similiter respondens: *Considera, quòd hodiè proposuerim in conspectu tuo, vitam & bonum, &c.*

3 Hæc enim verba Ordinaria glossa cũ alijs de æterni Patris Verbo etiam intelligit, qui in assumpta humanitate, ab eodem Patre est in conspectu mundi propositus, quãdo, scilicet, Dei filius in terris visus est, & cum hominib. conuersatus est.

Post hoc autem in Sacramento eisdem hominibus est à se ipso iterùm propositus & quotidiè etiam in Missa proponitur, & præterea frequenter, sicut & hodie signanter super Altari proponitur in conspectu fidelium omnium: & ipse, & Eucaristia etiam sic proposita, est vita bonis, mors autem malis. Hoc enim cantat Ecclesia, & tunc præsertim quando sic proponitur, vel exponitur. *Mors est malis, vita bonis,* inquit. Et iterum: *Panis viuus, & vitalis hodiè proponitur.* Quia denique, est propositionis mysticus panis, sicut proprio tractatu demonstrauimus, & ideò proponitur. Et ob hoc etiam de illo hæc verba vsurpamus ad eosdem fideles loquentes: *Considera, quòd hodiè proposuerim in conspectu tuo vitam, & bonum: & è contrario mortem & malum.*

4 Quod egregiè confirmat, & declarat D. Augustinus tract. 6. in Ioannes & habetur de consecrat. distinct. 2. cap. *Et sancta a malis.* Sic ibi ait: *Et sancta malis possunt obesse: bonis sunt ad salutem: malis sunt ad iudicium. Vnde Apostolus: Qui manducat, & bibit indignè iudicium sibi manducat & bibit: Non quia res illa mala est: sed quia, malus malè accepit quod bonum est: Nec enim mala erat bucella, quæ tradita est Iudæ à Domino: salutem medicus dedit: sed quia ille, qui indignus erat, accepit, ad perniciem sui accepit.* Hæc Augustinus.

Quid ergo miraris (ait idem tract. 62. in Ioan.) *si datus est Iudæ panis Christi, per quem manciparetur Diabolo, cum videas è contrario datum Paulo Angelum Diaboli, per quem perficeretur in Christo: ita, & malo bonum obfuit, & malũ bono profuit.* His similia omninò scribit Sanctus Paschasius lib. de corp. & sang. Domini c. 8. *Alius* (inquit) *accipit mysterium ad iudicium condemnationis, alius verò virtutem mysterij ad salutem: Nam is, qui cum Iuda contemptu suo, & ipse criminis reus tenetur, cum Iuda vtique condemnatur: & qui cum Petro, ac cũ cæteris Apostolis fideliter, ac deuotè participatur, cum Petro quoque, ac cũ cæteris Apostolis in corpore cõsecratur.* Subscribit Augustino, & Paschasio Auctor incertus inter Bernardi opera de cœna Domini hoc modo: *Sanè in mensa vna, in cœna Domini, de vno pane consecrato Petrus, & Iudas accepit: bonus in vitam, pessimus in pœnam: bonus in beneficium, pessimus in testimonium: bonus in salutem, pessimus in mortem: quod totum vsque adhuc in Ecclesia completur in Sacramento Altaris: bonis quidem in bonum sumentibus, canibus verò, & immundis non sunt, canes sunt, qui irreuerenter accedunt, & ideò iudicia abscondunt.*

Et corroborantur rursus hæc omnia, & eorum ratio simul redditur à Sancto Cypriano in suo sermone itidẽ de cœna Dñi hoc modo: *Sacramenta quidem quantum in se est, sine propria esse virtute non possunt: nec vllo modò Diuina se absentat Maiestas mysterijs: sed quamuis ab indignis se sumi, vel contingi sacramenta permittant, non possunt tamen spiritus esse participes, quorum infidelitas, vel indignitas tantæ sanctitudini contradicit: Ideoque, alijs sunt hæc munera odor vitæ in vitã, alijs odor mortis in mortem: Quia omninò iustũ est, vt tanto priuentur beneficio gratiæ contemptores, nec indignis tãta gratiæ puritas sibi faciat mansionẽ.* Ex quib. oĩbus manifestũ satis relinquitur, q̃ iure meritò de Eucha prædicemus fidelibus, dum eisdem illam hodiè proposuimus id, quod olim de lege Moyses prædicauit Iudeis, quando illam eisdem similiter proposuit: *Considera, quòd hodie proposuerim in conspectu tuo vitam, & bonum, & è contrario mortem, & malum.* 5

Sicut etiã ex hoc ipso, quòd subiecit Moyses statim post prædicta verba de lege, manifestius adhuc redditur id ipsum, quòd de Eu- 6

chariſtia modò à nobis tractatur: *Vt diligas* (inquit) *Dominum Deum tuum, & ambules in vijs eius.* Admonebat populum Moyſes, vt conſideraret, quod propoſuiſſet in conſpectu ſuo vitam & bonum: & è contrario, mortem, & malum: dùm, nimirùm, Dei legem illi propoſuit, & expoſuit, hac certè de cauſa, ſcilicet, vt ipſum Deum diligeret, & mandata eius obſeruaret. Simili modò, chariſſimi, conſiderate & vos, quòd hodiè (ſicut & aliàs) Euchariſtiam, quæ eſt mors malis, vita bonis, Eccleſia propoſuit in conſpectu veſtro, ut Dominum ſimiliter diligatis, & mandata eius obſeruetis, vt ipſa Euchariſtia, quæ de ſe bona eſt, & vita, ſi & vos boni ſitis, bona ſit, & vita vobis, tanquam bonis: neſi è contrario mali ſitis, ſit ipſa quoque mala, & mors vobis tanquam malis: quia *mors eſt malis, vita bonis*; quia de illa hodiè, vnicuiq; fideliũ prędicamus. *Conſidera, quòd hodiè propoſuerim in conſpectu tuo vitam, & bonũ: & è contrario vitã, & mortẽ.* Vnde Sancta Ambroſiana Eccleſia in ſolemnitate Corporis Chriſti, in præfatione Miſſæ ſic orat de ipſa loquens Euchariſtia: *Quòd Sacramentum ſumendo; dignis ad vitam, indignis eſſe voluit ad ſupplicium*: Et iterum exclamat: *O quanta dulcedo, & vita beatiſsimis quanta mortalis, & pœna damnatis*: Et tandem in hunc modum ſuam orationem concludit: *Vitemus ergo iudicium, dignè ſumendo Sacramentum, vt regnum mereamur conſequi ſempiternũ.* Hoc Ambroſianorum conſilium, pro quo & nos hodiè prædicamus conſilium Iudeorum. *Conſidera, quòd hodiè, &c.*

7 Vno verbo, ad rem noſtram totum dicamus. 2. Par. cap. 29. *Ecce expoſita ſunt omnia coram Altari Domini*: Corã Altari illi Domini, in quo Euchariſtiæ Sacramentum (vt vidimus) expoſitum eſt, etiam Dominus Deus expoſitus eſt, ſed vbi Deus eſt, ibi oĩa ſunt etenim: *Deus meus, & omnia*, aiebat Pater noſter Sanctus Franciſcus: Si coram Altari Deus expoſitus eſt in Sacramento, ergo in Altari, ſiue coram Altari expoſita ſunt omnia, nempè, bonũ & malum, & vita & mors, quòd modò prædicamus dicentes: *Conſidera quod hodiè, &c.*

8 Amos quidem 9. c. ſuæ prophetiæ hoc refert: *Vidi Dominum ſtantem ſuper Altare.* Sed in eodem Altari, in quo Propheta Dominum ſtantem ſe vidiſſe teſtatur, non omnia cum Domino expoſita coram Altari erant, vti nunc de Altari noſtro dicebamus, ſcilicet, bona, & mala: vita & mors: ſed mala tantùm, & mors ſolùm: ſubdit enim ſtatim ibidem Amos: *Et dixit*, nempè, idem Dominus, vel qui Dominum repræſentabat Angelus) *percute cardinẽ, & cõmouebuntur ſuper liminaria &c.* Per hanc enim percuſſionem Symbolicam menti Prophetæ obiectam, ſignificabatur templi futura ſubuerſio ab imis fundamentis, & cultus eius per Aſsyrios: & præterea mala alia quam plurima, & ipſa mors deniquè Sedeciæ Regis, & Sacerdotum, & aliorum multorum: Mala ergo ſolùm, & mors in antiquo illo Altari pronunciabatur, in quo Dominus etiam videbatur: at in Altari noſtro, in quo Euchariſtia expoſita videtur, omnia etiã cum illa expoſita ſunt: *Ecce expoſita ſunt omnia coram Altari Domini*: Non tantùm mala, vt in Altari Amos. Sed bona etiam: Non ſolùm mors, ſed etiam vita in cõſpectu noſtro proponuntur: quia eſt Altare Domini, in quo verè eſt Dominus, quòd etiam conſiderare iubemur: *Conſidera, quòd hodiè propoſuerim in conſpectu tuo vitam, & bonum: & è contrario mortem, & malum.*

Sed non mirandum, quòd in Altari illo ſolùm mala, & mors intententur, quia cultores Altaris illius, vt plurimùm, etiam mali erant: ideoque meritò poſt varia ſupplicia, nouiſſimè etiam interficiendi prædicuntur: *Auaritia enim in capite omnium, & nouiſſimum eorũm gladio interficiam*: Ibidem ſubijcitur: Qui Altare noſtrum colunt, & in Altari Euchariſtiam cũ exponitur, non mali omnes ſunt, ſed boni multi ſaltem: Cum ipſa ergo Euchariſtia ſit mors malis, vita bonis, bonis ſimul omnes, vt omnibus etiam ipſa bona ſit: itaut hodiè conſideremus, & verùm ſit quod conſideramus, nimirùm quòd, dùm in conſpectu noſtro illam hodiè Sacerdos propoſuit nobis ſolùm bonum, & vitam etiam, tanquam bonis, verè propoſuit non autem è contrario mortem, & malum, tanquam malis. 9

Ita demùm, vt & de Chriſto Domino in conſpectu noſtro hodiè ſimiliter propoſito, & de bonis ſimul id adimpleatur, quod de alio Rege Iudeorum (ſancto tamen) & de eodem populo ſuo pro figura noſtra ſcribitur 2. Reg. cap. 19. *Surrexit ergo Rex, & ſedit in porta: & omni populo nunciatum eſt, quòd Rex ſederet in porta: Venitq; vniuerſa multitudo coram Rege &c.* Cum .n. Dauid in domo ſua fleret, & lugeret filium ſuum Abſalon de recenti mortuum, induſtria & hortatu Ioab Principis exercitus ſui compreſſo dolore & abſterſis lacrymis, ad totius populi ſui ſatiſ- 10

factionem

factionem de Cenaculo portæ, in quo fleuerat: *Surrexit* (inquit scriptura) *& sedit in porta:* Sic enim ad eum Ioab inter alia dixit: *Nunc igitur surge & procede: & alloquens, satisfac seruis tuis*: Etiam Rex regum, & Dominus Dominãtium Iesus Christus, sicut verè filius Dauid est secundum carnem, sic eundem hodie imitatum esse videtur: nunc vere de Cenaculo, ex quo nobis vera cena datur, idest, de ipso Altaris Tabernaculo suo, in quo solus manere consueuit, surrexit, & in eodem Altari, quasi in porta eiusdem Cœnaculi sui coram omnibus consistens, quasi sedet Sanctorum Sacerdotum opera, ac pro Eucharistiæ expositionis ministerio: *Surrexit ergo Rex & sedit in porta*, inquit ibidem textus.

11 Et quid additur statim? Attendamus: *Et omni populo nuntiatum est, quod Rex sederet in porta*: Nobis omnibus ab eisdem pastoribus, & ab alijs, & ab ipso quoque campanarum sono nuntiata est Sanctissimi Sacramenti expositio, per quam ipsum, & in eo Christus, quasi in porta sedet quod rex sederet in porta, propter hoc omnes venistis, vel saltem venire debuistis coram eo, vt de Hebreis subiungitur: *Venitque vniuersa multitudo coram rege.*

12 Sed ad quid coram Christo in Eucharistia venimus? ad hoc ipsum certè, propter quod & ipse venit, & sedet in porta, & proponitur omnibus: Duabus, scilicet, de causis potissimum: prima est, vt ibidem alloquens satisfaciat seruis suis: *Surge* (inquit) *& procede, & alloquens satisfac seruis tuis*: Ioab hac de causa primum Regi Dauid suasit, vt de Cenaculo, in quo solus erat, egrediens, in porta sederet, vt, nempè, ibi alloqueretur, & satisfaceret seruis suis: alia causa est, quam idem Ioab immediate subiecit: *Iuro enim tibi per Dominum, quòd si non exieris, nec vnus quidem remansurus sit tecum*; Similiter, si non exiret de Tabernaculo suo aliquando Eucharistia, & foris omnibus, quasi in porta (vt diximus) exponeretur à Sacerdotibus, certissimè nec vnus quidem secum communiter remaneret, vt experientia docet: Propter hoc de Tabernaculo illo exiens aliquando Eucharistia, super Altari, quasi in porta sedet Dominus ad nostram excitandam pigritiam accedendamque erga ipsum Sacramentum deuotionem, ac reuerentiam: vt sic ante ipsum attentius, ac deuotius, quàm consueuerimus, orantes, ad cor nostrum, idem Dominus in eo loquatur, nos multipliciter docendo, inspirando, & consolando: & vt nobis simul in omnibus alijs satisfaciat: Sicque *promereantur omnes perita accipere, & adepta possidere, cum Sanctis perenniter, Paradisum introire, translati in requiem.*

Amen.



SERMO VNDECIMVS.

In principio solemnitatis quadraginta horarum.

Factus est fletus, & vlulatus magnus in Ecclesia omnibus: Et per multas horas vna voce clamauerunt, ad Deum dicentes: Peccauimus cum Patribus nostris: iniustè egimus: iniquitatem fecimus: Tu, qui pius es, miserere nostri. Iudith. cap. 7.

ARGVMENTVM.

Hebreorum Bethuliensium exemplo nos omnes, nisi infirmitate, vel grandi, & publica necessitate excusemur, conuenire debemus ad celebrandum in Ecclesia quadraginta horarum solemnitatem ante Eucharistiam: de peccatis nostris ibidem nos accusantes, flentes, magna voce ad Deum clamantes, & misericordiam ab eodem postulantes.

1 CVM Bethuliæ ciues ab exercitu Nabuchodonosor regis potentissimo, ac pęne innumerabili iam per dies aliquot acriter obsiderentur: vt præsentia mala euaderent, quę experiebantur, & futura pariter quæ formidabant, & multò maiora, orationum præcipuè, ac lacrymarum præsidio sibi consulendum æstimauere. Quare vno animo omnes, & communi consilio in vnum congregati locum, flentes, & vlulantes magna voce, & per multas horas, ac sua confitentes peccata, misericordiam à Domino instanter postulauerunt: *Factus est fletus* (inquit scriptura de eis) *& vlulatus magnus in Ecclesia omnibus, & per multas horas vna voce clamauerunt ad Deum dicentes: Peccauimus cum Patribus nostris: iniustè egimus: iniquitatem fecimus: tu qui pius es miserere nostri:* Et non sunt fraudati à desiderio suo: Iudith namque Vidua inter Bethulienses suos sanctitate inprimis famosissima, fęmina verè fortis, ac virili pectore, cum Holophernis hostium ducis caput amputasset, conciues eius non solùm ab inimicorum obsidio illustri victoria semetipsos protinus liberauerunt, in fugam statim ignominiosam illos adigentes: Verùm etiam à minimo vsque ad maximum, diuites facti sūt omnes de eorum, de prædationibus, sicut ipsa testatur historia.

2 Nos omnes pariter incessanter, & acerrimè prorsus à tribus simul obsidemur hostib. cuique notis, & quidem fortissimis pariter ac infestissimis, & antiquo, indissolubilique fœdere inter se contra nos colligatis, mundo, nempè, carne, atque Demonio: à quibus varia nimis, ac grauissima mala continuò toleramus. Proinde, ne tandem illis succumbamus, & ad interitum nostrum, & damnationem æternam, quin potius de illis gloriosa potiamur victoria, ad quodnam confugiemus auxilium, vel remedium? ad illud opportunū sanè, & efficacissimum, quod in Bethuliensium facto præfiguratum videmus: ad orationem, nempè, & ad pęnitentiæ lacrymas ante Eucharistiam, secūdùm veterem Ecclesiæ Sanctæ morem, & in hoc tempore præsertim orationis quadraginta horarum, in quo & nos præuia diligenti peccatorum nostrorum contritione, & confessione, vnanimes, & magno spiritus feruore, vlulatu, lacrymis, & magna voce etiam ad eam clamemus misericordiam eius, & gratiam obnixè quantùm possumus postulantes, atque dicentes. *O salutaris hostia, quæ Cœli pandis ostium, Bella premunt hostilia: Da robur fer auxilium:* Item: Pecca-

Peccauimus cum Patrib. nostris; iniustè egimus: iniquitatē fecimus. Tu qui pi⁹ es miserere nostri. Eia ergo, etsi Christiani sumus, non erubescamus modò exempla attendere Iudeorum ad nostram ædificationem, & spiritualem profectum, facta ipsorum primo considerantes: *Factus est fletus, &c.* deinde dicta. *Dicētes peccauimus*; & reliqua.

3 In hoc ergo solemnitatis nostræ quadraginta horarum principio, *rogo vos, vt nullus se de Ecclesia subtrahat, nisi forte aut corporis infirmitas, aut grandis, & publica necessitas tenuerit occupatum*; Sic enim & Sanctus Augustinus ad populum suū serm. 127. de tempore. Duas tantùm ille excusationes in suis admittebat, propter quas ab Ecclesijs abesse possent in solemnitatibus, scilicet, propter corporis infirmitatem, & grandem, ac publicam necessitatem. Si ergo infirmi non sumus, nō quælibet indifferenter communis, vel ordinaria necessitas sufficienter nos excusat, ita vt propter illā de Ecclesia nos subtrahamus in hoc 40. horarum spatio. Sed illa tantùm, quæ simul grādis est, & publica simul. *Nullus* ait Augustinus ad suos, & ego ad meos, *Nullus* (dicit) *se de Ecclesia subtrahat nisi fortè quē aut corporis infirmitas, aut grandis, & publica necessitas tenuerit occupatum.*

4 Similis est Ioannis Chrisostomi adhortatio in sermone alio de Eucharistia in Encænijs, quām similiter ad meos repeto. *Fratres, oro vos, & obsecro, ne absimus ab Ecclesijs, neque in alijs colloquijs occupati simus.* Sic Chrisostomus, & si quærimus de his exēpla, & quidem singularia, in Hebreis reperiemus. De illis enim sacra testatur pagina, vt iam dicere cœpimus. *Factus est fletus, & vlulatus magnus in Ecclesia omnibus, & per multas horas vna voce clamauerunt ad Deum.* In Ecclesia sua Bethulienses conuenerunt adorandum, cum ab hostibus premerentur, & oēs cōuenerunt, & oēs simul conuenerunt, & omnes simul in eadem perseuerauerunt oratione. & non per horam tantùm, vel duas, sed per multas horas, & non solùm mente orabant, sed voce etiam, & non submissa voce orabant, sed magna voce orabant, & clamabant ad Deum: & præterea non tantùm orabant, & clamabāt ad Deum, & magna voce, sed insuper & flebant, & vlulabant etiam, & fletū, tandem & vlulatu magno, & in ipsa Ecclesia. Et hæc omnia, & singula, distinctè notat ipsa scriptura ad nostrā doctrinam. vt quēmadmodum Bethulienses tunc fecerunt, in magna illa tribulatione sua, ita & nos faciamus modò in hac magna solemnitate nostra. *Factus est fletus, & vlulatus magnus in Ecclesia ab omnibus, & per multas horas, vna voce clamauerunt ad Deum.*

Quod si fortè aliquem exempla non mouent Bethulensium Iudæorum, mouebunt fortasse exempla aliorum Iudæorum. Attendamus illa. *Ascendent ab anno in annum, vt adorent Regem Dominum exercituum, & celebrent festiuitatem tabernaculorum.* sic Zacharias in fine libri sui ad litteram de festo tabernaculorum. quod ex legis præcepto singulis ānis celebrare tenebātur Iudei. Per hoc verò mysticè hæc nostra solemnitas de Eucharistia. quām quadraginta horarum dicimus: figurari videtur. & primò quidem, quia de Corpore Christi est, & eidem corpori celebramus illum vbique terrarum, dum in tabernaculis. & aliis huiusmodi vasis circumferimus illud per Ecclesiam. per vias, & per plateas nostras, & in eisdem materialibus tabernaculis super altare. quod eiusdem Eucharistiæ maius tabernaculum dicitur, patenter & in oculis omnium exponitur. & proponitur continuò per multas horas ab omnibus adorandum, colendum, & inuocandum. Vnde hac ratione continens pro contento sumendo, nempe tabernaculū pro Christi corpore, quod in tabernaculis, & super tabernacula in hac festiuitate honoratur, festiuitas tabernaculorum posse dici videtur hæc nostra quadraginta horarum festiuitas, quæ ab anno in annum. vt illa tabernaculorum communiter celebrari solet. 5

Et præterea alia etiam de causa, nempè, quia id, quod est in Eucharistia. & quod à nobis præsertim in ipsa festiuitate colitur, est ipse Christus Dominus. cuius humanitas, eiusdem diuinitatis tabernaculum dicitur, secundum quām in Eucharistia est præsentia corporali. De quo etiam tabernaculō, est illud psalmi 43. *Sanctificauit tabernaculum suum altissimus.* & quia insuper idem Christus Dominus vocatur ab Apostolo ad Heb. 9. capit. *Tabernaculum non manufactum, idest non huius creationis.* Et quia denique, ipsa Eucharistia etiam secundum se, eiusdem Christi tabernaculum est, nempe. *Tabernaculum suum* (Psalmista asserente) *vbi habitauit in hominibus. Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitauit cum eis*, scribitur de eadē. Apoc. 21. 6

Quod

Quod ipse Christus etiam ore proprio confirmauit,cũ ratione eiusdẽ Eucharistiæ hominib. eisdẽ dixit. *Ecce vobiscũ sum oibus diebus vsq; ad consumationem sæculi.* Vt oibus dieb. pariter vsq; ad consumationem sæculi oẽs fideles sui,&in omni loco Eucharistiæ festum, quasi festum nouum tabernaculorũ celebrarent: & præsertim ab anno in annum in Ecclesia,ibi adorantes in ipsis Eucharisticis Tabernaculis Christũ ipsum iam non exercituũ Dominum , sed pacis Principem vocatum.

7 Vnde iure meritò alia ratione etiam hoc nostrum de Eucharistia festum,quòd quadraginta horarũ nominamus,tabernaculorũ festũ ẽt appellabimus, quia, nimirùm, sicut Hebrei festum illud suum tabernaculorum celebrabant per dies semptem in tabernaculis siue vmbraculis, in memoriam beneficiorum, quę Deus eorundem Hebreorũ patribus contulerat, quando per desertum ad promissionis terram euntes , annis quadraginta in tabernaculis morati sunt,sic & nos pariter toto tempore præsentis vitæ,quòd septem diebus clauditur,& his quadraginta horis signãter,quæ ambo per quadraginta deserti annos figurantur, habitamus in Ecclesia, quæ sicut est Dei tabernaculũ & domus,vt dictum est, sic ẽt nostra:& hoc propter Eucharistiam potissimùm, quæ maximum Christi beneficium est,& memoria etiam passionis eius: sicq; & nos mysticè, quasi continuum quodam festũ tabernaculorum in præsentivita celebramus, & tunc præsertim,quando ipsa Eucharistia exponitur pro oratione hac quadraginta horarum, quas quadraginta anni deserti repræsentant, vt jam diximus.

8 Ad quod si non sufficit exemplum Hebreorum,quod modò exageramus,saltem sufficere deberet supplicium eisdem comminatum (de quo statim)si nõ celebrarent fœstũ tabernaculorũ.Audiamꝰ illud: *Et erit,q nõ ascẽderit de familijs terra ad Ierusalẽ,vt adorent regem regum Dominum exercituum,& celebrent festiuitatem tabernaculorum,non erit super eos imber: q̃ et si familia Egypti non ascenderit,& non venerit, nec super eos erit*: Notentur hæc verba diligenter pro hac nostra 40. horarum solemnitate, de qua & præcedentia interpretamur. Contra duo genera personarum comminatur Dominus,eo quòd non venerint,ad adorandum Christum in noua Ierusalem,nempè,in Ecclesia ab anno in annum, & ad celebrandum in eo hoc non Hebraicum, sed Christianum festum tabernaculorum Eucharisticorum , vt exposuimus: Et quænam sunt hæc? Iterùm verba legamus . *Qui non ascenderit de familijs terra &c.* inquit: Hi primi sunt: *Quod et si familia Egypti non ascenderit,& venerit,&c.* Hi sunt secundi: sed quis dicitur esse de familijs terræ primùm? nonne oẽs homines eodem modo dicũtur de familia terræ, quia sunt in terra, et in terra habitant,sicut qui sunt,& habitant in Cęlo sancti . & Angeli oẽs, dicuntur. & sunt verè de familijs,vel de familia Cęli? quomodo ergo primò Christianos illos,qui non veniunt ad Ecclesiam in hoc tempore quadraginta horarum,ad celebrandum hanc Eucharistiæ solemnitatem de familijs terræ specialiùs quam alios omnes nominamus? Respondemus:de familijs terræ dicitur omnis ille, *qui est aliqua occupatione terrena vita depressus.* Sic mysticè exponit hæc verba Nicolaus dè Lyra noster: Hæc est enim generalis,& quotidiana excusatio multorum, propter quam non veniunt ad Ecclesiam,& ad festa eius celebranda præsertim: nec modò etiam adhoc Eucharistiæ festum non concurrent, vel tarde satis, ac inuitè, parumque piè, ac deuotè.

9 Sed qui sunt alij , qui similiter non veniunt ad solemnitatem tabernaculorum nostrorũ, & de familia Egypti dicuntur? *Si familia Egypti*(inquit textus)*nõ ascẽderit,& nõ venerit &c.* Egyptus interpretatur *angustia*, vel *tribulatio*: Illi,dico,qui sunt de familia,non augusta, sed angusta,vel tribulata,de familia angustiatorũ, vel tribulatorum magna, & dilatata nimis in toto mundo , & in qualibet mundi parte, in omnem ciuitatem,&locum,in quo ipsa sẽper magis ac magis diffunditur,ac multiplicatur in dies. Hi similiter,vel nõ veniunt aliquãdo,vel eo modo non veniunt,quo venire deberent ad Ecclesiam pro festorum digna celebratione,& propter varias, quas patiuntur tribulationes , & angustias . Pro hoc ipso se vere excusatos prætendunt: & incipiunt omnes simul cum prioribus se excusare, dicens eorum quilibet,Sacerdoti suo,vel alio ad Eucharistiam eum vocãti. *Ideo non possum venire: Rogo te habe me excusatum*. Decipiuntur tamen: & decipiunt ipsi seipsos præsertim:quia in duobus tantùm Casibus iusta est, & acceptanda huiusmodi excusatio subtrahendi se

de

de Ecclesia, sicut Augustinus docet, scilicet, corporis infirmitas,& grandis,& publica necessitas. *Nullus se de Ecclesia subtrahat* (inquit ille) *nisi fortè quempiam, aut corporis infirmitas, aut grandis, & publica necessitas tenuerit occupatum.*

10 Si sola necessitas grandis, & publica, vel corporis infirmitas verè excusat, nō ergo etiam terrenæ vitæ occupatio, nec angustiæ, vel tribulationes quæcumque: Et habemus doctrinæ huius, quæ est Sanctorum Augustini,& Chrisostomi præsertim,& aliorum quoque patrum exempla manifesta in Iudæis ipsis,et illa sunt, quæ modo prædicamus Christianis in libro Iudith diligenter enarrata, de habitatoribus, videlicet, Bethuliæ. Hi enim omnes in maxima erant profecto angustia,et tribulatione constituti,cum ab exercitu fortissimo iam per multos dies hostiliter obsiderentur; et quando eis præcipue *defecerunt cisterna, & collectiones aquarum omnium, itaut non esset intra ciuitatem, vnde satiarentur vel vna die: quoniam ad mensuram dabatur populis aqua quotidiè.* Vt scriptura ibidem refert: sicut enim aquæ tanta penuria laborabant, sic etiam proculdubio non abundabant alijs omnibus ad vitæ sustentationem necessarijs, præter alia consueta communis obsidionis grauamina, ac molestias, cum timore potissimùm cladis, & depredationis ciuitatis, & diræ mortis super omnia: Etsi enim excipiat,& excuset etiam S. August. (vt audiuimus) cum infirmis etiam illos omnes, quos grandis,& publica necessitas tenuerit occupatos, qualis erat Bethuliensium horum necessitas, nihilominus, nec ipsa sitis, tàm grādis, nec alia quæcumque publica necessitas,& calamitas illos impedire potuit, quominus ad Ecclesiam suam omnes simul se conferrent, ibique etiā vnanimiter & flerent, & vlularent multum, & per multas horas vna voce clamarent ad Deum: Hoc enim scriptura narrat:& hoc ipsum pariter est, quod vobis hodie narrandū prælegimus ex eadem: Iterum audiamus & inspiciamus illos hæc omnia præstantes mente saltem, & consideratione pia. *Factus est fletus, & vlulatus magnus in Ecclesia omnibus: & per multas horas vna voce clamauerunt ad Deum dicentes: Peccauimus cum patribus nostris: Iniustè egimus: Iniquitatem fecimus: Tu qui pius es miserere nostri:* Sic de Hebreis Bethuliensibus scriptura.

11 Et quod illi tunc fecerunt, hoc & fecit, & docuit Hebræorum & Christianorum caput, & magister Dominus Iesus Christus: & ipse enim re quacumque postposita, & qualibet non obstante necessitate, Ierusalem ascendens, ad templum primò ibat, & pro oratione,& pro concione etiam, & pro alijs huiusmodi ad æterni Patris sui gloriam, & animarum salutem spectantibus: Vnde de eo narrans S. Ioannes cap. 2. quod Ierusalem ascēderit, subdit statim eumdem ad templum se contulisse, vt indicaret illum ingressum in ciuitatem, statim templum adijsse alio quocumque negotio ommisso: *Ascendit* (inquit) *Iesus Ierusalē,& inuenit in tēplo vendentes oues &c.* Quod factum explicans venerabilis Beda, sic inquit: *Continuò templum oraturus adijt, exemplum dans, quocumque properemus, domum Dei prius ingrediendi orationis causa:* sic S. Beda de Christo.

12 Si verò semper Christum Christiani imitari debent,& eiusdem exempla sectari, cum dicat omnibus: *Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* In oratione potissimùm illum imitari debemus,de qua,tanquam de re sibi gratissima, nobisque vtilissima frequentiùs,quam de quacumque alia exemplum nobis dedit, quod sequamur,& in tempore eidem orationi specialiter dedicato,orationi, dico,præsenti,quæ quadraginta horarum spatio protenditur, in quibus ante ipsum in Eucharistia expositum immediatè oramus. Pro hac enim non eximit tanquam legitimè excusatos, nec familiā terræ, hoc est occupatione terrenæ vitæ oppressos,nec familiam Egypti, idest angustiatos,vel tribulatos, vt exposuimus: Quinimmò idem punitionis flagellum contra vtrosque (vt dicebam) intentat,dicens. *Qui non ascenderit de familijs terræ ad Ierusalem,vt adoret regem Dominum exercituum, non erit super eos imber. Quod etsi familia Egypti non ascenderit, & non venerit; nec super eos erit* imber, nempe, gratiæ Dei, et donorum eius de quo scribitur in Prouerbijs cap. 16. *Clementia eius quasi imber serotinus.*

13 Et non hac tantū puniuntur illi punitione a Deo, sed alia quoque: *Sed erit ruina, qua percutiet Dominus omnes gentes, quæ non ascēderint ad celebrandam festiuitatem tabernaculorum:*

sic

sic sequitur immediatè in textu. Et clara sunt hæc scripturæ verba comminatoria contra indeuotos, & maximè in hac tam pia solennitate nostra. Vltra enim priuationem diuinæ gratiæ, quam incurrent, quia ad Eucharistiam non accedent, quæ bonam gratiam significat, *Super illos erit ruina, qua percutiet Dominus omnes gentes, quæ non ascenderunt ad celebrandam festiuitatem Tabernaculorum.* Inde ruina, vnde peccatum: peccatū autem erit, quod non legitime impediti, non venerint ad celebrandum solemnitatem hanc Eucharistialium tabernaculorum in Ecclesia. Idcircò, ex hoc ipso etiam super illos ruina erit hæc, vel illa, qua percutiet illos Dominus. sequitur enim statim post supradicta. *Hoc erit peccatum Egypti, & peccatum omnium gentium, quæ non ascenderunt ad celebrandum festiuitatem Tabernaculorum.* Vel secundum hebraicam litteram ex Vatablo. *Hæc erit pœna peccati Egypti, & pœna peccati omnium aliarum gentiū.* nempè ruina ipsa iam dicta, *qua percutiet Dominus omnes gentes, quæ non ascenderint ad celebrandam festiuitatem Tabernaculorum,* Christianorum, festiuitatem. scilicet, quadraginta horarum.

14 Et quidem iure meritò mala hęc omnia ingentamnobis, si sanctæ huius solemnitatis Eucharistiæ fuerimus contemptores, quę intentabat Hebræis festum tabernaculorum contemnentibus, quod ipsum Eucharistiæ festum figurabat; quia idem etiam nobiscum ipse Deus fecit, quod cum Ezechiele vice Hebræorum omnium se præstitisse affirmat, cap. 4. *Diem pro anno, diem inquam pro anno dedit tibi:* Nempe pro anno passionis, & mortis suę, quā pro nobis subijt, diem festum hunc in memoriam eius nobis etiam celebrandum dedit; Vel, quia tribus vltimis annis, vitæ suę præsertim innumera fecit, & tulit pro nobis (etsi ēt ab ipsa natiuitate, vel etiam conceptione pro nobis semper multa & egerit, & passus sit) idcirco diem pro anno, diem inquam vnum pro quolibet illorum trium annorum assignauit nobis, hoc est in eorum memoriam & suæ passionis, & mortis potissimùm, & Eucharistiæ simul eodem tempore ab eodem institutæ. Vel denique dicamus, quia mors eius tribus diebus, etsi non perfectis durauit, idcirco, pro quolibet die suæ mortis dedit nobis diem nostræ festiuitatis, sicq; p tribus illis tres istos, quibus durat ipsa nostra festiuitas. Et videtur pro hoc vltimo sensu facere Hebraica lectio. *Diem singulum,* pro *die singulo dedi tibi:* sicut pro primo translatio græca apud Septuaginta, quæ talis est: *Diem in anno posui tibi,* & id similiter, quod legitur Nu. 14. *Annum pro die imputabit.* Idē porro repetitur, dum dicitur. *Diem pro anno, diem, inquam, pro anno dedi tibi,* ad emphasim, & ad maiorem exagerationem, vt hoc nimirum attentiùs, ac diligentiùs consideremus, & cordi nostro etiam efficaciùs imprimamus.

Vel tertio modo adhùc hæc verba exponamus, & ad mentem magis litteræ, ex eo nempe, quod pro Hebræis indicant. Humaniorem valde, ac clementiorem se exhibet Dominus Christianis, quàm olim se exhibuerit Iudæis: sic enim habet ibi scriptura, & sunt verba Domini ad Ezechielem de illis. *Assumes iniquitatem domus Iuda quadraginta diebus: Diem pro anno, diem inquam pro anno dedi tibi:* significat enim Dominus, in verbis istis, se pro annis quadraginta peccatorum Iudæorum, eidem prophetæ pęnam quamdam dedisse quadraginta dierum, quòd nimirum tot diebus dormiret in latere dextero, de qua modò non loquimur. Iudæis ergo diem pro anno, nempè quadraginta dies pœnitētiæ vni eorum, scilicet Ezechieli, pro quadraginta annis peccatorum eorumdem dedit. *Assumes* (inquit ad Prophetam Dominus) *iniquitatem domus Iuda quadraginta diebus. Diem pro anno, diem, inquā, pro anno dedi tibi.* Hæc. n. verba explicans Cornelius a Lapide, sic ait. *Vbi nota Dei clementiam. quæ pro anno peccatorum, dat diem pœnæ. Punit ergo longè citra condignum, Punitio enim Dei, ad culpam, eam proportionem habet, quam vnus dies, ad dies 366. tot enim habet annus.* sic ille. 15

16 Cum subijcio, si Clementiæ Dei cum Iudaico populo ex hoc infertur, nempe, quod diē pœnæ, vel pęnitentiæ pro anno culpæ illi assignauerit, eadem maior proculdubio erga Christianum populum inferēda est, dum pro totius vitæ tempore, quod per quadraginta annos intelligitur, non quadraginta dies, sed quadraginta horas tantùm pęnitentiæ aliquā do per Ecclesiam suam, hanc, nempe, 40. horarum solemnitatem: In qua etiam pęnitentia eorundem Iudeorum, exemplū nobis ad imitandum proponimus, de eis sępe illud repetētes: *Factus est fletus, & vlulatus magnus, &c.*

Vnde de eorundem festis adhuc, & de nostris simul aliud ex eisdem scripturis adduce- 17

mus testimonium Ecclesiastici cap. 33. *Immutauit tempora, & dies festos ipsarum, & in illis dies festos celebrauerunt ad horam.* Omittendo historię sensum pro Iudeis magis deseruientem, dicendum est solùm, quòd Iudeorum festa, quę diuersis temporibus secundùm legem illi celebrabant, in festa alia Christianorum immutauit Ecclesia, quæ alijs, & alijs temporibus celebrare mandat eisdem. In illis autem festis suis, & in illorum numero vel Catalogo ijdem Christiani celebrauerũt iam à multis annis, & celebrant adhuc annis singulis dies festos quosdam, quos ad horam, vel ad horas nominare possunt: quia quadraginta horarum vocantur, in quibus ad orationem quadraginta horarum in Ecclesia omnes conueniunt, & singuli etiam ad horã orationis præscriptam: sicque hoc modo, et in hoc sensu illud Ecclesiastici, quod pro ipsis propheticum videtur, ab eisdem impletur: *Dies festos celebrauerunt ad horam.*

18 Et si quæratur tandem, quomodo hi dies festi nostri, quos ad horam nuncupamus, vel quadraginta horarum, dies tamen, et horæ etiam pœnitentiæ veraciter sint, et nominentur, verba scripturæ de Bethuliæ populis relata iterum attendamus: *factus est fletus, & vlulatus magnus in Ecclesia omnibus, & per multas horas vna voce clamauerunt ad Deum dicentes: Peccauimus cum patribus nostris: Iniustè egimus: Iniquitatem fecimus: Tu qui pius es miserere nostri:* sic de Iudæis: Iudæos in hoc imitari bonum nobis est, in angustijs, nimirũ, in omnibus necessitatibus nostris, et in hac solemnitate præsertim ante Dominum Deũ nostrum Iesum Christum in Eucharistia idem pręstare.

Et pręterea peccata nostra recognoscere, de eisdem verè dolere, ac pro eis misericordiam ab ipso humiliter implorare, quod erat secundum à nobis propositum, vt dicamus cum eisdem Hebræis, *Peccauimus*, scilicet cõtra nos ipsos. *Iniustè egimus*, scilicet contra proximum. *Iniquitatem fecimus*, scilicet cõtra Deum: Idcirco, Domine, *Tu qui pius es*, sic, vt pro peccatis nostris mori veles, et teipsum nobis in Sacramento dare, (quæ duo modo specialiter commemoramus) *miserere nostri*, veniam peccatorum nostrorum nobis dãdo, à malis, quæ pro his patimur, liberando, gratiam tuam donando, & gloriam tãdem conferendo nobis: quod profectò obtinebimus, si eo modo clamabimus, quo ijdem Bethulienses tunc clamauerũt, & aliàs Patres eorũ.

19 Quod Deus ipse Isa. 65. sic nobis ante prędixit. *Vos clamabitis, præ dolore cordis, & præ contritione spiritus vlulabitis*, ex vero nempe peccatorum nostrorũ dolore, & animæ contritione, quæ etiam ad vlulatum mouet, qui cum sit vox quædam confusa, & dolorosa, simulque horribilis, ipsam indicat doloris, & contritionis vehemẽtiam, & amaritudinem. Ideò & de Bethuliẽsib. id modò narratur, & ad eorum gloriam prædicatur: *factus est fletus, & vlulatus multus in Ecclesia omnibus, & per multas horas vna voce clamauerũt ad Deum dicentes: peccauimus cum Patribus nostris, &c.*

20 Hinc iterum de eisdem scribitur, *Communi lamentatione, & fletu vnanimes preces suas Domino effuderunt:* Postquam nimirum Achior quasi concionem quandam ad eos habuerat de ijs, quæ corã Holoferne narrauerat de filijs Israel: *Cumque Achior* (inquit ibidem textus) *vniuersa hæc exposuisset, omnis populus cecidit in faciem adorantes Dominum: & communi lamentatione, & fletu, vnanimes preces suas Domino effuderunt:* Quæ omnia, charissimi, ad nostrã doctrinam scripta sunt, vt & me nunc similiter ad vos prædicante, similia & vos faciatis, cadentes nempe in faciem vestram adoretis Dominum nostrum Iesum Christum in Eucharistiã nobis præsentem. & cum vera peccatorum vestrorum pœnitudine, ac dolore, vnanimes preces vestras eidem effundatis, communi etiam lamentatione, & fletu, & vlulatu, si possibile est. Vel interiori saltem, quod erit veræ pœnitentiæ euidens testimonium.

21 Ita vt Hieremiæ prophetia impleatur in vobis, quæ olim in Iudæis implebatur: *Vox in vijs audita est ploratus, & vlulatus filiorum Israel, quoniam iniquam fecerunt viam suam, obliti sunt Domini Dei sui*, Cap. 3. Israel enim, *videns Deum* significat: nos verò omnes nũc, & mentali oculo, et corporali, etiam Dei filium in Sacramento videmus. Itaque et nos, vt veri Israelitæ ploremus ante Deum, et vlulemus, quoniam iniquam fecimus viam nostram, et obliti sumus Domini Dei nostri: quia ad hoc ipsum nos hortatur idem Christus, antequam nunc stamus, subdit enim ad hæc statim. *Conuertimini filij reuertentes, & sanabo auersiones vestras*: Pro verbo illo, *reuertentes*, Septuaginta legunt, *Apostata*, vel *rebelles*, Chaldei verò. *Qui vos obsirmatis, ne conuertamini*. Hebræi autem habent hoc verbum,

Scebam im, quod secundum Hier. Rab. & alios significat: *auuertentes, vagi, inconstantes, reuertentes ad vomitum*: sic enim refert hoc loco Cornelius a lapide: Modò de horum numero cum multi saltem simus, idcirco nos hortatur Christus, vt a peccato ad pœnitentiam, & ad ipsum reuertamur cum Bethuliensibus flentes corde, & vlulantes. Nam ad nos quoque id repetit, quod olim ad Hebreos horum patres dicebat: *Conuertimini filij reuertentes, & sanabo auersiones vestras*: idest condonabo vobis peccata vestra, quibus a me auersi estis, a me rebellastis, & apostatastis, ad creaturas vos conuertentes.

22 *Ecce nos venimus ad te: Tu enim es Dominus Deus noster.* Hæc verba, fratres, in scriptura immediate sequuntur ad supradicta verba Domini, quibus nos ad pœnitentiam vocat: Sequatur in nobis post Dei vocationem vera pœnitentia, quam eadem verba significant: vt in veritate etiam hæc ipsa verba Christo Domino dicamus verè pœnitentes, & ad eum in Eucharistia vt corpore, sic etiam mente venientes. *Ecce nos venimus ad te*: Idest. Vt tibi seruiamus mandata tua seruantes, quæ vsque modo transgressi sumus: sic enim, & Bethuliæ ciues, quos nobis hodiè pro exemplo proposuimus, flentes & ipsi, & vlulantes Domino dicebant. *Peccauimus cum Patribus nostris: iniustè egimus: iniquitatem fecimus: tu qui pius es miserere nostri*: Et rursus. *Quia patiens Dominus est, in hoc ipso pœniteamus, & indulgentiam eius fusis lacrymis postulemus: & ideo humiliemus illi animas nostras: & in spiritu constituti humiliato seruientes illi, dicamus flentes Domino: vt secundùm voluntatem suam, sic faciat nobiscum misericordiam suam.*

23 Itaque horum, & nos exempla tenentes, quæ prædicamus, secundùm etiam Ecclesiæ Sanctæ consilium, *omnes pro indulgentia vocem demus cum lacrymis*: Et nunc præsertim ante Eucharistiam stantes, & in tempore hoc pœnitentiæ, & orationis: Et non solùm propter peccata omnes vocem debemus dare cum lacrymis, & pro indulgentia, nempe, pro remissione eorum, sed etiam propter Christi passionem, ac mortem, cuius memoriam recolimus specialem in eadem Eucharistia, cui astamus omnes vnanimi pietate, ac deuotione colentes, & adorantes eam.

Ad quod etiam nos instanter monet, acriter simul redarguens contemptores sermo incertus de cœna Domini apud Bernardum per hæc verba.

Quid facis homo indignè? quid facis homo ingratè? Adora deuotius, ac recole frequentiùs in Sacramento Altaris salutem mundi pro te passam, vitam pro te mortuam, fortitudinem infirmatã: Si membrum Christi es, compatere capiti tuo: Si frater Christi es, comorere fratri tuo: plange, dole cum genitu, & lacrymis super mortem pretiosam vnigeniti Dei Patris. Alioquin, si non doles si nõ plangis, si nõ cõpateris, deliras, degeneras, bellũ sapis, lethargiã pateris, hõinẽ diffiteris: sic ibi.

Si enim Bethuliæ populi pœnitentiam agẽtes planctu, & vlulatu magno planxerunt, & 24
vlulauerunt, & per multas horas pro peccatis suis, & hoc, solum vt præsentia inimicorum suorum mala effugerent, quantò magis nos plangere, & vlulare debemus vna hac hora saltem, non pro peccatis nostris tantùm, sed etiam propter Christi mortem propter ipsa peccata nostra ab eodem toleratam: & hoc ante Altaris Sacramentum, in quo illa repræsentatur, & vt euadamus non præsentia tantùm, sed æterna mala simul? *Alioquin, si non plangis* (inquit vnicuique nostrum Doctor ille) *si non doles, si non compateris, deliras, degeneras, bellum sapis, lethargiam pateris: hominem diffiteris*: Si videlicet dolentibus, ac plangentibus Iudeis, Christiani non plangunt. Audiant, & attendant non dolentes non plangentes Christiani ad confusionem suam saltem plangentes Iudeos Bethulienses. *Factus est fletus, & vlulatus magnus in Ecclesia omnibus, & per multas horas vna voce clamauerunt ad Deum dicentes: Peccauimus cum patribus nostris, &c.*

Quia planxerunt Iudei pro peccatis, & 25
pro malis suis, idcircò pepercit illis Deus, & a malis quæ timebant, liberauit eos: & parcet nobis quoque, si ex corde fleuerimus: & liberabit nos ab omnibus malis præsentibus præteritis, & futuris: sicut in Missa rogamus eum. Pro certo hoc habuit Sanctus Iob, idcircò personam suscipiens cuiuslibet peccatoris. Etsi esset *vir ille simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens a malo*, sic Deum alloquebatur c. 10. *Si peccaui, & ad horam pepercisti mihi*: *Quia* (inquit Glossa hæc declarans) *ad horam parcit Deus, cum mox culpam concessis fletibus diluit*: Vel dicamus insuper concessis fletibus, mox culpam diluit Deus, sed præsertim

tim parcit concessis fletibus ad horam hanc orationis, in qua amarius, ac copiosius flere solemus ab ipsa Eucharistiæ præsentia prouocati, sicut ab eadē prouocatur & Dominus ad parcendū nobis: De quo habemus fideiussorē (inter alios) S. Cypr. de cœna Domini his verbis. *Quoties te in cōspectu Dñi video suspirātē, Spiritū sanctū nō dubito aspirātē, cū intueor flentem, sentio ignoscentē*: Et rursus pro eodē. *Gemitus illos pietas excitat: & inter diē, & noctē retrò, & ante se affectio intuēs, inter data & cōdonata se diuidēs, gratias agit tā vberis beneficij largitori. & se sanatā, & santificatā agnoscens, fletibus se abluit, & lacrymis se baptizat*: sic S. Cyp.

26 Quid plura? idem Dominus in scripturis suis certos nos reddit de exauditione, quando cum lacrymis deprecamur eū, quomodo ipsū Bethuliæ habitatores deprecabantur, vt sæpe iam diximus: *Factus est fletus, &c.* Ipsa Dñi fidei iussio scripta est in lib. Eccl. 35. cap. *Non despiciet preces pupilli, nec viduam, si effundat loquelā gemitus*. Habet ergo gemitus loquella, vel ipse gemitus loquella quædā est, maximè: Et hæc loquella gemitus, viduæ specialiter adscribitur, quæ varias habere solet gemitus occasiones ꝑpter varia pariter, quæ pati solet. Ideóq; ipsam viduā testatur scriptura a Deo non despici: *Si effundat loquellam gemitus.*

27 Verè, nam & de Magdalena ad pedes Domini gemente, & nihil penitus loquente, quā quidam similiter viduam fuisse putant, scripsit S. Augustinus. *Tacita loquebatur, non sermonem promebat, sed deuotionem ostendebat.* Hinc & de Ouidio legimus, quòd dum Romam redire cuperet, vnde exulabat, ad coniugem suam scripsit, vt pro hoc supplex ad Imperatorem se conferret: Admonuit verò, vt si fortè eidē pro viri liberatione Augustum deprecanti lacrymæ erumperent, statim loqui cessaret: *Nec tua* (inquit illi, de Ponto lib. 3. Elegia 1. ad coniugem) *si fletu scindentur verba nocebit: Interdum lacryma pondera vocis habent.*

28 Sed ad quid aliūdè exempla quærimus de loquela gemitus, vel lacrymarum? Ab illis, (vt mihi videor) exempla hæc discere possumus, quos & in reliquis omnibus ad exemplum nostrum hoc loco adduximus, nimirū à Bethuliæ populis: Misericordiam à Deo hi omnes concorditer in Ecclesia petebant, vt ab hostibus præsertim, à quibus per obsidionem multum premebantur, liberarentur: Duobus verò modis potissimùm hoc postulabant, scilicet, lacrymis, & voce: *factus est fletus, & vlulatus magnus in Ecclesia omnibus, & per multas horas vna voce clamauerunt ad Deum, &c.* Item: *Tu qui pius es, miserere nostri.* Præterea meritò obseruādum videtur, quòd primò eorum lacrymæ narrantur, quā verba: & prius refertur, quòd fleuerunt, & vlulauerunt misericordiam à Deo implorantes, & postea id, quòd pro hoc ipso Deo dicebant, videlicet: *Peccauimus cum patribus nostris, &c.*

Prius fleuerunt, & vlulauerunt, quam loquerentur pro misericordia obtinenda: etsi lacrymæ, sicut verba præcesserunt, sic & associauerunt: quia procul dubio: *lacrymæ pondera vocis habent*, vt inquit Ouidius, quia est & *loquela gemitus*, vt testatur Ecclesiasticus: & sæpe præterea lacrymæ magis ponderant, quam verba. & ipsa loquela gemitus melius, & efficaciùs loquitur, quam ipsa lingua loquelæ: Ideòq; misericordiā à Deo miseri Bethulienses vtroque modo petierunt, & impetrauerunt, sed prius (vt dictum est) fletu, ac vlulatu, quam verborum strepitu: Nā primò de eis legitur: *factus est fletus, & vlulatus magnus in Ecclesia omnibus*: & deinde: *Per multas horas vna voce clamauerunt ad Deum dicentes: Peccauimus cum patribus nostris: Iniustè egimus: Iniquitatem fecimus: Tu qui pius es, miserere nostri.* 29

Itaque, iam reliquū est solum, vt qui exempla hæc de Iudeis, qui tamen Eucharistiā nec nouerunt, pro eadem Eucharistiā adduximus, similia referamus de Christianis ante ipsam Eucharistiam lacrymantibus, & de S. Hieronymo primum secūdum Eusebij relationem: Hic morti iam proximus imitator factus illorum, qui flentes, & vlulantes magna voce clamauerunt ad Dominum, & ipse ante Eucharistiam, ab eodem mox sumendam prostrauit se in terram pronus, voce, & lacrymis, quantum poterat clamans: *Domine quis ego sum, vt sim dignus, quòd sub tectum meū intres? Meruit hoc peccator homo, &c.* & rursus: *Cùm prope illum esset Sacerdos* (inquit idē Eusebius) *erigens se vir gloriosus, genibus flexis cum cūctis tenensibus, magnis lacrymis, ac suspirijs, & quamplurics percutiens pectus suum dixit: Tu es Deus meus, & Dominus meus, &c.* 30

Sed cùm viri sancti exemplum narrauerimus, narremus & aliud peccatricis mulieris. Meretrix quædam, facta pœnitens, ante Eucharistiam, dum ad ægrotum illam portaret 31

Sacerdos, in medio lutei genibus flexis & illa similiter se prostrauit, postulans ab ea cum dolore cordis, ac lacrymis peccatorum suorum veniam, & ex ipso Sacramenti vasculo statim Christum audiuit dicentem sibi: *Ignosco tibi peccata tua:* Et insuper, cum illa Christo respondisset, quòd latinam linguam non perciperet, vulgari lingua ad illam iterùm Dominus. *Accepto te in gratiã meam.*

Itaque, & nos tandem. qui secuti sumus errantem, sequamur pœnitentem: & pœnitentes, ac lacrymantes ab eodem Christo Domino veniam cum illa postulemus peccatorum, nostrorum. Vt dimittens nobis, sicut & illi, cum illa pariter nos acceptet idem Dominus nunc in gratiam, & postea in gloriam suam. Amen.

SERMO DVODECIMVS.

De Eucharistia, vt Sacrificium est.

Et placebit Domino Sacrificium Iuda, & Ierusalem, sicut dies sæculi, & sicut anni antiqui. Malach. cap. 3.

ARGVMENTVM.

Eucharistia, quæ Sacrificium dicitur Iuda, & Ierusalem, hoc est fidelium omnium, & Ecclesiæ in communi, super omnia antiqua Sacrificia de se Domino placet: maximè autem, si dignè offeratur: sicut monentur illud offerentes præsertim.

1 EST Eucharistia Sacrificium, & Sacramentum simul, quia sic illam instituit Christus Dominus, & in ipsa institutione illam obtulit vt sacrificium, & illam similiter confecit, ac sumpsit vt Sacramentum. *Pro vobis datur*, idest, *offertur*, en sacrificium. *Manducate: Bibite ex hoc omnes*, ecce Sacramentum.

De Eucharistia, vt Sacramentum est, sæpius agimus: de ea, vt sacrificium est, nũc agamus, explicantes de illa Malachiæ verba, quæ præmisimus. *Et placebit Domino sacrificium Iuda, & Ierusalem, sicut dies sæculi, & sicut anni antiqui.* Primùm verò dicemus, Eucharistiam esse *sacrificium Iuda, & Ierusalem* idest, Christianorum, & Ecclesiæ in communi. Secundò ipsum placere Domino: *Et placebit Domino.* Tertiò loco tandem, quomodo, vel quantùm ei placeat: *Sicut dies sæculi, & sicut anni antiqui.*

In primis autem supponimus verba hæc, 2 (sicut & immediatè præcedẽtia) de sacrificio Eucharistiæ intelligenda esse. *Erunt Domino offerentes sacrificia in iustitia.* Sic primò legimus, & statim: *& placebit Domino sacrificium Iuda, & Ierusalem*, &c. Pro verbo enim illo: *Sacrificia*, in Hebreo ponitur verbum: *Mincha*: Mincha verò sacrificium Hebreorum Eucharistiam significat sacrificium Christianorum, vt statim explicabimus, quod quidem sacrificium, tanquam inter omnia sanctissimum, ac purissimum opponit scriptura impuris sacrificijs antiquæ legis: sicut etiam Euangelicos Sacerdotes Sacerdotibus Aaronicis, vt patet ex præcedentibus. De Sacerdotibus enim nostris inquit primo Malachias. *Et erunt Domino offerentes sacrificium in iustitia:* sacrificia scilicet Ecclesiastica, in iustitia, hoc est iustè, purè, et sanctè secundùm illud Zachariæ in quorundam lectione: *seruiamus illi in sanctitate, & iustitia coram ipso, omnibus diebus nostris.*

3 Quod ergo prius Propheta, *Sacrificia* in plurali dixerat, postea *Sacrificium* nominat in singulari: *Sacrificium* (nempe) *Iuda, & Ierusalem*

ſalem, quod Domino prædicit placiturum, *ſicut dies ſeculi, & ſicut anni antiqui:* & hoc eſt Euchariſtiæ Sacrificium ſuper omnia Deo acceptiſſimum, ſicut hoc loco ex inſtituto demonſtramus: Ideòque pro hac voce *Sacrificium*, vox *Mincha* Hebraicè ponitur, vt Euchariſtiæ ſacrificium per illam ſignificari oſtendatur, ſicut etiam idem omnino verbũ, *Mincha* Hebraicum pro verbo Latino *Oblatio*, ſuperius ponitur in primo capite eiuſdem prophetiæ, vbi de Euchariſtia ſimiliter ſecundum Tridentini Concilij, & Sanctorum Patrum ſententiam dicitur. *In omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.* Hæc enim vox, *Mincha*, ex ſui origine ſignificat ſacrificium farreum, quod fiebat, & offerrebatur, vel ex farina, vel ex ſpicis, vel ex pane, vt deſcribitur Leuit. 2. & erat proprie dictum Sacrificium, vt ibidem patet: Eratque typus Sacrificij Euchariſtici: vtrobique enim offertur panis ex farina factus, ſed in Euchariſtia tranſubſtantiatur, & tranſmutatur in Corpus Chriſti: Vnde forma etiam, & ſpecie exteriori figura expreſſa erat, & imago ſacrificij Euchariſtici.

4 Hinc cum illo in iugi ſacrificio Agni quotidie libabatur vinum ſecundum Exodi præceptum cap. 29. quod alteram ſpeciem Euchariſtiæ, nempè vinum manifeſtè repreſentabat. Cùm ergo Mincha typicum, & Iudaicum fuerit propriè dictum ſacrificium, ſequitur, multò magis Mincha verum, & Chriſtianum, puta Euchariſticum eſſe verum, & proprium ſacrificium, & omnium Sacrificiorum præcellentiſſimum, ac ſanctiſſimum. Vnde ad hoc fortè indicandum, quaſi anthonomaſticè, Sacrificium abſolute ſine aliqua additione, vel diſtinctione vocatur. Hinc S. Dionyſius Areopagita, de Eccleſ. Hierar. cap. 3. ex ſententia Diui Hierothei vocat Euchariſtiam hoſtiam hoſtiarum, ideſt hoſtiam excellentiſſimam, vt exponit eius commentator Dionyſius Carthuſianus.

5 Hinc inſuper cum Mincha ſacrificio offerebant Hebræi oleum, thus, & ſal ex legis ſuæ præſcripto: oleum enim ſignificat miſericordiam Chriſti, quàm ille in Euchariſtiæ ſacrificio quotidie quaſi nouam, & rediuiuam nobis exhibet. Thus ſimiliter eiuſdem religionem, et odorem ſuauiſſimum, quo ſe Patri in cruce immolauit, et rurſum in Euchariſtia immolat. Sal verò æternitatem, et incorruptionem, quàm in beata reſurrectione per Euchariſtiam nobis conferet, ſicut ipſe promiſit dicens. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die.* Manifeſtũ eſt ergo primùm, Euchariſtiæ ſacrificium, quod ſolùm verè, ac propriè ſacrificium eſt, et omnium ſacrificium præſtantiſſimum, illud eſſe, de quo eſt Malachiæ oraculum, quod exponimus. *Et placebit Domino ſacrificium, &c.*

Et manifeſtiùs adhuc hoc ipſum comprobatur, dum ſacrificium Iuda, et Ieruſalem nominatur. *Et placebit Domino*, inquit, *ſacrificium Iuda, & Ieruſalem.* 6

Sanctus Thomas enim, Vgo Cardinalis, et alij, ſacrificium Iuda, et Ieruſalem exponunt, Apoſtolorum, et Eccleſiæ Chriſti, quia Apoſtoli ſoli, qui erant de populo Iuda, hoc Euchariſtiæ ſacrificium poſt Chriſtum obtulerunt, et Eccleſia ex Iudæis, et gentibus collecta poſt illos, quæ per Ieruſalem intelligitur. Vel præciſè per Ieruſalem, quæ erat metropolis, et caput Iudæ, poſſet accipi Eccleſia Romana, et Sedes Apoſtolica, quæ eſt caput, et metropolis totius Eccleſiæ.

Vel dici poteſt, Domino placere ſacrificium Iuda, quæ confitens, laudans, et glorificans Deum interpretatur, et ſacrificium Ieruſalem ſimiliter, quæ viſio pacis dicitur, quia Eccleſia ſolùm, quæ veram pacem videt, hoc ſacrificium Euchariſticum habet, et per illã, et in illa fideles omnes, qui Deum verè confitentur, laudant, et glorificant. 7

Vel tandem ſecundum Hieronymum, quẽ Interlinealis, et alij hoc loco citant, Iuda, et Ieruſalem in ablatiuo caſu hoc loco accipienda ſunt hoc modo. *Placebit Domino ſacrificium Iuda, & Ieruſalem*, ideſt ſacrificium eorum, quod offerunt pro Iuda, et Ieruſalem, hoc eſt pro his, qui Dominum re vera confitentur, et laudant, et glorificant, ac pacem eius mente conſpiciunt. 8

Confirmantur hæc omnia, & declarantur ſimul ab eadem Eccleſia, cuius hoc ſacrificiũ Euchariſticum eſt, & quæ hoc loco per Iuda, & Ieruſalem intelligitur, & hoc in Tridentina Synodo Seſſ. 22. cap. 1. de ſacrificio Miſſæ, his verbis. *Quoniam ſub priori teſtamento teſte Apoſtolo Paulo, propter Leuitici Sacerdotij imbecillitatem conſumatio non erat, oportuit, Deo Patre miſericordiarum ita ordinante, Sacerdotem alium, ſecundùm ordinem Melchiſedech ſurgere, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui poſſet omnes quotquot ſanctificandi eſſent. conſu-* 9

SERMO VNDECIMVS.

In principio solemnitatis quadraginta horarum.

Factus est fletus, & vlulatus magnus in Ecclesia omnibus: Et per multas horas vna voce clamauerunt, ad Deum dicentes: Peccauimus cum Patribus nostris: iniustè egimus: iniquitatem fecimus: Tu, qui pius es, miserere nostri. Iudith. cap. 7.

ARGVMENTVM.

Hebreorum Bethuliensium exemplo nos omnes, nisi infirmitate, vel grandi, & publica necessitate excusemur, conuenire debemus ad celebrandum in Ecclesia quadraginta horarum solemnitatem ante Eucharistiam: de peccatis nostris ibidem nos accusantes, flentes, magna voce ad Deum clamantes, & misericordiam ab eodem postulantes.

1 CVM Bethuliæ ciues ab exercitu Nabuchodonosor regis potentissimo, ac pene innumerabili iam per dies aliquot acriter obsiderentur: vt præsentia mala euaderent, quę experiebantur, & futura pariter quæ formidabant, & multò maiora, orationum præcipuè, ac lacrymarum præsidio sibi consulendum æstimauere. Quare vno animo omnes. & communi consilio in vnum congregati locum, flentes, & vlulantes magna voce, & per multas horas, ac sua confitentes peccata, misericordiam à Domino instanter postulauerunt: *Factus est fletus* (inquit scriptura de eis), *& vlulatus magnus in Ecclesia omnibus, & per multas horas vna voce clamauerunt ad Deum dicentes: Peccauimus cum Patribus nostris: iniustè egimus: iniquitatem fecimus: tu qui pius es miserere nostri:* Et non sunt fraudati à desiderio suo: Iudith namque Vidua inter Bethulienses suos sanctitate inprimis famosissima, fęmina verè fortis, ac virili pectore, cum Holophernis hostium ducis caput amputasset, conciues eius non solum ab inimicorum obsidio illustri victoria semetipsos protinus liberauerunt, in fugam statim ignominiosam illos adigentes: Verum etiam à minimo vsque ad maximum, diuites facti sũt omnes de eorum deprædationibus, sicut ipsa testatur historia.

Nos omnes pariter incessanter, & acerrimè prorsus à tribus simul obsidemur hostib. cuique notis, & quidem fortissimis pariter ac infestissimis, & antiquo, indissolubilique fœdere inter se contra nos colligatis, mundo, nempè, carne, atque Demonio: à quibus varia nimis, ac grauissima mala continuò toleramus. Proinde, ne tandem illis succumbamus, & ad interitum nostrum, & damnationem æternam, quin potius de illis gloriosa potiamur vitoria, ad quodnam confugiemus auxilium, vel remedium? ad illud opportunũ sanè, & efficacissimum, quod in Bethuliensium facto præfiguratum videmus: ad orationem, nempè, & ad pęnitentiæ lacrymas ante Eucharistiam, secũdùm veterem Ecclesiæ Sanctæ morem, & in hoc tempore præsertim orationis quadraginta horarum, in quo & nos præuia diligenti peccatorum nostrorum contritione, & confessione, vnanimes, & magno spiritus feruore, vlulatu, lacrymis, & magna voce etiam ad eam clamemus misericordiam eius, & gratiam obnixè quantùm possumus postulantes, atque dicentes. *O salutaris hostia, quæ Cœli pandis ostium, Bella premunt hostilia: Da robur fer auxilium:* Item: 2

Pecca-

Peccauimus cum Patrib. nostris; iniustè egimus: iniquitatē fecimus. Tu qui piꝰ es miserere nostri. Eia ergo, etsi Christiani sumus, non erubescamus modò exempla attendere Iudeorum ad nostram ædificationem, & spiritualem profectum, facta ipsorum primo considerantes: *Factus est fletus, &c.* deinde dicta. *Dicētes peccauimus*; & reliqua.

3 In hoc ergo solemnitatis nostræ quadraginta horarum principio, *rogo vos, vt nullus se de Ecclesia subtrahat, nisi forte aut corporis infirmitas, aut grandis, & publica necessitas tenuerit occupatum*; Sic enim & Sanctus Augustinus ad populum suū serm. 127. de tempore. Duas tantùm ille excusationes in suis admittebat, propter quas ab Ecclesijs abesse possent in solemnitatibus, scilicet, propter corporis infirmitatem, & grandem, ac publicam necessitatem. Si ergo infirmi non sumus, nō quælibet indifferenter communis, vel ordinaria necessitas sufficienter nos excusat, ita vt propter illā de Ecclesia nos subtrahamus in hoc 40. horarum spatio. Sed illa tantùm, quæ simul grādis est, & publica simul. *Nullus* ait Augustinus ad suos, & ego ad meos, *Nullus* (dicit) *se de Ecclesia subtrahat nisi fortè quē aut corporis infirmitas, aut grandis, & publica necessitas tenuerit occupatum.*

4 Similis est Ioannis Chrisostomi, adhortatio in sermone alio de Eucharistia in Encænijs, quàm similiter ad meos repeto. *Fratres, oro vos, & obsecro: ne absimus ab Ecclesijs, neque in alijs colloquijs occupati simus.* Sic Chrisostomus, & si quærimus de his exēpla, & quidem singularia, in Hebreis reperiemus. De illis enim sacra testatur pagina, vt iam dicere cœpimus. *Factus est fletus, & vlulatus magnus in Ecclesia omnibus, & per multas horas vna voce clamauerūt ad Deum.* In Ecclesia sua Bethulienses conuenerunt adorandum, cum ab hostibus premerentur, & oēs cōuenerunt, & oēs simul conuenerunt, & omnes simul in eadem perseuerauerunt oratione. & non per horam tantùm, vel duas, sed per multas horas, & non solùm mente orabant, sed voce etiam, & non submissa voce orabant, sed magna voce orabant, & clamabant ad Deum: & præterea non tantùm orabant, & clamabāt ad Deum, & magna voce, sed insuper & flebant, & vlulabant etiam. & flebant, tandem & vlulatu magno, & in ipsa Ecclesia. Et hæc omnia, & singula, distinctè notat ipsa scriptura ad nostrā doctrinam: vt quēadmodum Bethulienses tunc fecerunt, in magna illa tribulatione sua, ita & nos faciamus modò in hac magna solemnitate nostra. *Factus est fletus, & vlulatus magnus in Ecclesia ab omnibus, & per multas horas, vna voce clamauerunt ad Deum.*

5 Quod si fortè aliquem exempla non mouent Bethulensium Iudæorum, mouebunt fortasse exempla aliorum Iudæorum. Attendamus illa. *Ascendent ab anno in annum, vt adorent Regem Dominum exercituum, & celebrent festiuitatem tabernaculorum.* sic Zacharias in fine libri sui ad litteram de festo tabernaculorum. quod ex legis præcepto singulis ānis celebrare tenebātur Iudei. Per hoc verò mysticè hæc nostra solemnitas de Eucharistia, quām quadraginta horarum dicimus: figurari videtur. & primò quidem, quia de Corpore Christi est, & eidem corpori celebramus illum vbique terrarum, dum in tabernaculis. & aliis huiusmodi vasis circumferimus illud per Ecclesiam. per vias, & per plateas nostras, & in eisdem materialibus tabernaculis super altare. quod eiusdem Eucharistiæ maius tabernaculum dicitur, patenter & in oculis omnium exponitur. & proponitur continuò per multas horas ab omnibus adorandum, colendum, & inuocandum. Vnde hac ratione continens pro contento sumendo, nempe tabernaculū pro Christi corpore, quod in tabernaculis, & super tabernacula in hac festiuitate honoratur, festiuitas tabernaculorum posse dici videtur hæc nostra quadraginta horarum festiuitas, quæ ab anno in annum. vt illa tabernaculorum communiter celebrari solet.

6 Et præterea alia etiam de causa, nempè, quia id, quod est in Eucharistia. & quod à nobis præsertim in ipsa festiuitate colitur, est ipse Christus Dominus. cuius humanitas, eiusdem diuinitatis tabernaculum dicitur, secundum quām in Eucharistia est præsentia corporali. De quo etiam tabernaculō, est illud psalmi 43. *Sanctificauit tabernaculum suum altissimus.* & quia insuper idem Christus Dominus vocatur ab Apostolo ad Heb. 9. capit. *Tabernaculum non manu factum, idest non huius creationis.* Et quia denique, ipsa Eucharistia etiam secundum se eiusdem Christi tabernaculum est, nempe: *Tabernaculum suum* (Psalmista asserente) *vbi habitauit in hominibus.* *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitauit cum eis*, scribitur de eadē, Apoc. 21.

Quod

Quod ipse Christus etiam ore proprio confirmauit, cũ ratione eiusdẽ Eucharistiæ hominib. eisdẽ dixit. *Ecce vobiscũ sum oĩbus diebus vsq; ad consumationem sæculi.* Vt oĩbus dieb. pariter vsq; ad consumationem sæculi oẽs fideles sui, & in omni loco Eucharistiæ festum, quasi festum nouum tabernaculorũ celebrarent: & præsertim ab anno in annum in Ecclesia, ibi adorantes in ipsis Eucharisticis Tabernaculis Christũ ipsum iam non exercituũ Dominum, sed pacis Principem vocatum.

7 Vnde iure meritò alia ratione etiam hoc nostrum de Eucharistia festum, quòd quadraginta horarũ nominamus, tabernaculorũ festũ ẽt appellabimus, quia, nimirùm, sicut Hebræi festum illud suum tabernaculorum celebrabant per dies semptem in tabernaculis siue vmbraculis, in memoriam beneficiorum, quę Deus eorundem Hebreorũ patribus contulerat, quando per desertum ad promissionis terram euntes, annis quadraginta in tabernaculis morati sunt, sic & nos pariter toto tempore præsentis vitæ, quòd septem diebus clauditur, & his quadraginta horis signãter, quæ ambo per quadraginta deserti annos figurantur, habitamus in Ecclesia, quæ sicut est Dei tabernaculũ & domus, vt dictum est, sic ẽt nostra: & hoc propter Eucharistiam potissimùm, quæ maximum Christi beneficium est, & memoria etiam passionis eius: sicq; & nos mysticè, quasi continuum quodam festũ tabernaculorum in præsentivita celebramus, & tunc præsertim, quando ipsa Eucharistia exponitur pro oratione hac quadraginta horarum, quas quadraginta anni deserti repræsentant, vt jam diximus.

8 Ad quod si non sufficit exemplum Hebreorum, quod modò exageramus, saltem sufficere deberet supplicium eisdem comminatum (de quo statim) si nõ celebrarent fœstũ tabernaculorũ. Audiamꝰ illud: *Et erit, q nõ ascẽderit de familijs terræ ad Ierusalẽ, vt adorent regem regum Dominum exercituum, & celebrent festiuitatem tabernaculorum, non erit super eos imber: qđ etsi familia Egypti non ascenderit, & non venerit, nec super eos erit:* Notentur hæc verba diligenter pro hac nostra 40. horarum solemnitate, de qua & præcedentia interpretamur. Contra duo genera personarum comminatur Dominus, eo quòd non venerint, ad adorandum Christum in noua Ierusalem, nempè, in Ecclesia ab anno in annum, & ad celebrandum in eo hoc non Hebraicum, sed Christianum festum tabernaculorum Eucharisticorum, vt exposuimus: Et quænam sunt hæc? Iterùm verba legamus. *Qui non ascenderit de familijs terræ &c.* inquit: Hi primi sunt: *Quod etsi familia Egypti non ascenderit, & venerit, &c.* Hi sunt secundi: sed quis dicitur esse de familijs terræ primùm? nonne oẽs homines eodem modo dicũtur de familia terræ, quia sunt in terra, et in terra habitant, sicut qui sunt, & habitant in Cęlo sancti, & Angeli oẽs, dicuntur, & sunt verè de familijs, vel de familia Cęli? quomodo ergo primò Christianos illos, qui non veniunt ad Ecclesiam in hoc tempore quadraginta horarum, ad celebrandum hanc Eucharistiæ solemnitatem de familijs terræ speciaiiùs quam alios omnes nominamus? Respondemus: de familijs terræ dicitur omnis ille, *qui est aliqua occupatione terrena vita depressus.* Sic mysticè exponit hæc verba Nicolaus de Lyra noster: Hæc est enim generalis, & quotidiana excusatio multorum, propter quam non veniunt ad Ecclesiam, & ad festa eius celebranda præsertim: nec modò etiam adhoc Eucharistiæ festum non concurrent, vel tarde satis, ac inuitè, parumque piè, ac deuotè.

Sed qui sunt alij, qui similiter non veniunt ad solemnitatem tabernaculorum nostrorũ, & de familia Egypti dicuntur? *Si familia Egypti* (inquit textus) *nõ ascẽderit, & nõ venerit &c.* 9
Egyptus interpretatur *angustia*, vel *tribulatio*: Illi, dico, qui sunt de familia, non augusta, sed angusta, vel tribulata, de familia angustiatorũ, vel tribulatorum magna, & dilatata nimis in toto mundo, & in qualibet mundi parte, in omnem ciuitatem, & locum, in quo ipsa sẽper magis ac magis diffunditur, ac multiplicatur in dies. Hi similiter, vel nõ veniunt aliquãdo, vel eo modo non veniunt, quo venire deberent ad Ecclesiam pro festorum digna celebratione, & propter varias, quas patiuntur tribulationes, & angustias. Pro hoc ipso se vere excusatos prætendunt: & incipiunt omnes simul cum prioribus se excusare, dicens eorum quilibet, Sacerdoti suo, vel alio ad Eucharistiam eum vocãti. *Ideo non possum venire: Rogo te habe me excusatum.* Decipiuntur tamen: & decipiunt ipsi seipsos præsertim: quia in duobus tantùm Casibus iusta est, & accepranda huiusmodi excusatio subtrahendi se

de

de Ecclesia, sicut Augustinus docet, scilicet, corporis infirmitas, & grandis, & publica necessitas. *Nullus se de Ecclesia subtrahat (inquit ille) nisi fortè quempiam, aut corporis infirmitas, aut grandis, & publica necessitas tenuerit occupatum.*

10 Si sola necessitas grandis, & publica, vel corporis infirmitas verè excusat, nō ergo etiam terrenæ vitæ occupatio, nec angustiæ, vel tribulationes quæcumque: Et habemus
11 doctrinæ huius, quæ est Sanctorum Augustini, & Chrisostomi præsertim, & aliorum quoque patrum exempla manifesta in Iudæis ipsis, et illa sunt, quæ modo prædicamus Christianis in libro Iudith diligenter enarrata, de habitatoribus, videlicet, Bethuliæ.

Hi enim omnes in maxima erant profectò angustia, et tribulatione constituti, cum ab exercitu fortissimo iam per multos dies hostiliter obsiderentur; et quando eis præcipue *defecerunt cisternæ, & collectiones aquarum omnium, itaut non esset intra ciuitatem, vnde satiarentur vel vna die: quoniam ad mensuram dabatur populis aqua quotidiè.* Vt scriptura ibidem refert: sicut enim aquæ tanta penuria laborabant, sic etiam procul dubio non abundabant alijs omnibus ad vitæ sustentationem necessarijs, præter alia consueta communis obsidionis grauamina, ac molestias, cum timore potissimùm cladis, & depredationis ciuitatis, & diræ mortis super omnia: Etsi enim excipiat, & excuset etiam S. August. (vt audiuimus) cum infirmis etiam illos omnes, quos grandis, & publica necessitas tenuerit occupatos, qualis erat Bethuliensium horum necessitas, nihilominus, nec ipsa sitis, tām grādis, nec alia quęcumque publica necessitas, & calamitas illos impedire potuit, quominus ad Ecclesiam suam omnes simul se conferrent, ibique etiā vnanimiter & flerent, & vlularent multum, & per multas horas vna voce clamarent ad Deum: Hoc enim scriptura narrat: & hoc ipsum pariter est, quod vobis hodie narrandū præelegimus ex eadem: Iterum audiamus & inspiciamus illos hæc omnia prę stantes mente saltem, & consideratione pia. *Factus est fletus, & vlulatus magnus in Ecclesia omnibus: & per multas horas vna voce clamauerunt ad Deum dicentes: Peccauimus cum patribus nostris: Iniustè egimus: Iniquitatem fecimus: Tu qui pius es miserere nostri:* Sic de Hebreis Bethuliensibus scriptura.

Et quod illi tunc fecerunt, hoc & fecit, & 11
docuit Hebræorum & Christianorum caput, & magister Dominus Iesus Christus: & ipse enim re quacumque postposita, & qualibet non obstante necessitate, Ierusalem ascendens, ad templum primò ibat, & pro oratione, & pro concione etiam, & pro alijs huiusmodi ad æterni Patris sui gloriam, & animarum salutem spectantibus: Vnde de eo narrans S. Ioannes cap. 2. quod Ierusalem ascenderit, subdit statim eumdem ad templum se contulisse, vt indicaret illum ingressum in ciuitatem, statim templum adijsse alio quocumque negotio omnisso: *Ascendit (inquit) Iesus Ierusalē, & inuenit in tēplo vendentes oues &c.* Quod factum explicans venerabilis Beda, sic inquit: *Continuò templum oraturus adijt; exemplum dans, quæcumque properemus, domum Dei prius ingrediendi orationis causa:* sic S. Beda de Christo.

Si verò semper Christum Christiani imita- 12
ri debent, & eiusdem exempla sectari, cum dicat omnibus: *Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis:* In oratione potissimùm illum imitari debemus, de qua, tanquam de re sibi gratissima, nobisque vtilissima frequentiùs, quam de qua cumque alia exemplum nobis dedit, quod sequamur, & in tempore eidem orationi specialiter dedicato, orationi, dico, præsenti, quæ quadraginta horarum spatio protenditur, in quibus ante ipsum in Eucharistia exposita immediatè oramus. Pro hac enim non eximit tanquam legitimè excusatos, nec familiā terræ, hoc est occupatione terrenæ vitæ oppressos, nec familiam Egypti, idest angustiatos, vel tribulatos, vt exposuimus: Quinimmò idem punitionis flagellum contra vtrosque (vt dicebam) intentat, dicens: *Qui non ascenderit de familijs terræ ad Ierusalem, vt adoret regem, Dominum exercituum, non erit super eos imber. Quod et si familia Egypti non ascenderit, & non venerit; nec super eos erit* imber, nempe, gratiæ Dei, et donorum eius de quo scribitur in Prouerbijs cap. 16. *Clementia eius quasi imber serotinus.*

Et non hac tantū puniuntur illi punitione 13
a Deo, sed alia quoque: *Sed erit ruina, qua percutiet Dominus omnes gentes, quæ non ascēderint ad celebrandam festiuitatem tabernaculorum;*

sic

sic sequitur immediatè in textu. Et clara sunt hæc scripturæ verba comminatoria contra indeuotos,& maximè in hac tam pia solemnitate nostra. Vltra enim priuationem diuinæ gratiæ, quam incurrent. quia ad Eucharistiam non accedent, quæ bonam gratiam significat, *Super illos erit ruina, qua percutiet Dominus omnes gentes, quæ non ascenderunt ad celebrandam festiuitatem Tabernaculorum.* Inde ruina, vnde peccatum; peccatū autem erit, quod non legitime impediti, non venerint ad celebrandum solemnitatem hanc Eucharistialium tabernaculorum in Ecclesia. Idcircò, ex hoc ipso etiam super illos ruina erit hæc, vel illa, qua percutiet illos Dominus. Sequitur enim statim post supradicta. *Hoc erit peccatum Egypti, & peccatum omnium gentium, quæ non ascenderunt ad celebrandum festiuitatem Tabernaculorum.* Vel secundum hebraicam litteram ex Vatablo. *Hæc erit pœna peccati Egypti, & pœna peccati omnium aliarum gentiū.* nempe ruina ipsa iam dicta, *qua percutiet Dominus omnes gentes, quæ non ascenderint ad celebrandam festiuitatem Tabernaculorum,* Christianorum, festiuitatem. scilicet, quadraginta horarum.

14 Et quidem iure meritò mala hæc omnia intentat nobis, si sanctæ huius solemnitatis Eucharistiæ fuerimus contemptores, quę intentabat Hebræis festum tabernaculorum contemnentibus, quod ipsum Eucharistiæ festum figurabat; quia idem etiam nobiscum ipse Deus fecit, quod cum Ezechiele vice Hebræorum omnium se præstitisse affirmat, cap. 4: *Diem pro anno, diem inquam pro anno dedit tibi:* Nempe pro anno passionis, & mortis suę, quā pro nobis subijt, diem festum hunc in memoriam eius nobis etiam celebrandum dedit: Vel, quia tribus vltimis annis, vitæ suę præsertim innumera fecit, & tulit pro nobis (etsi ēt ab ipsa natiuitate, vel etiam conceptione pro nobis semper multa & egerit, & passus sit) idcirco diem pro anno, diem inquam vnum pro quolibet illorum trium annorum assignauit nobis, hoc est in eorum memoriam & suæ passionis, & mortis potissimùm, & Eucharistiæ simul eodem tempore ab eodem institutæ. Vel denique dicamus, quia mors eius tribus diebus, etsi non perfectis durauit, idcirco, pro quolibet dię suæ mortis dedit nobis diem nostræ festiuitatis, sicq; p tribus illis tres istos, quibus durat ipsa nostra festiuitas. Et videtur pro hoc vltimo sensu facere Hebraica lectio. *Diem singulum, pro die singulo dedi tibi:* sicut pro primo translatio græca apud Septuaginta, quæ talis est: *Diem in anno posui tibi,* & id similiter, quod legitur Nu. 14. *Annum pro die imputabit.* Idē porro repetitur, dum dicitur. *Diem pro anno, diem, inquam, pro anno dedi tibi,* ad emphasim, & ad maiorem exagerationem, vt hoc, nimirum, attentiùs, ac diligentiùs consideremus, & cordi nostro etiam efficaciùs imprimamus.

15 Vel tertio modo adhuc hæc verba exponamus, & ad mentem magis litteræ, ex eo nempe, quod pro Hebræis indicant. Humaniorem valde, ac clementiorem se exhibet Dominus Christianis, quàm olim se exhibuerit Iudæis: sic enim habet ibi scriptura, & sunt verba Domini ad Ezechielem de illis. *Assumes iniquitatem domus Iuda quadraginta diebus: Diem pro anno, diem inquam pro anno dedi tibi:* significat enim Dominus, in verbis istis, se pro annis quadraginta peccatorum Iudæorum, eidem prophetæ pęnam quamdam dedisse quadraginta dierum, quòd nimirum tot diebus dormiret in latere dextero, de qua modò non loquimur. Iudæis ergo diem pro anno, nempè quadraginta dies pęnitētiæ vni eorum, scilicet Ezechieli, pro quadraginta annis peccatorum eorumdem dedit. *Assumes* (inquit ad Prophetam Dominus) *iniquitatem domus Iuda quadraginta diebus. Diem pro anno, diem, inquā, pro anno dedi tibi.* Hæc.n. verba explicans Cornelius a Lapide, sic ait. *Vbi nota Dei clementiam, quæ pro anno peccatorum, dat diem pœnæ. Punit ergo longè citra condignum. Punitio enim Dei, ad culpam, eam proportionem habet, quam vnus dies, ad dies 366. tot enim habet annus.* sic ille.

16 Cum subijcio, si Clementia Dei cum Iudaico populo ex hoc infertur, nempe, quod diē pœnæ, vel pęnitentiæ pro anno culpæ illi assignauerit, eadem maior proculdubio erga Christianum populum infereda est, dum pro totius vitæ tempore, quod per quadraginta annos intelligitur, non quadraginta dies, sed quadraginta horas tantùm pęnitentiæ aliquādo per Ecclesiam suam, hanc, nempe, 40. horarum solemnitatem: In qua etiam pęnitentia eorundem Iudeorum, exemplū nobis ad imitandum proponimus, de eis sępe illud repetētes: *Factus est fletus, & vlulatus magnus, &c.*

17 Vnde de eorundem festis adhuc, & de nostris simul aliud ex eisdem scripturis adducemus

mus

mus testimonium Ecclesiastici cap. 33. *Immutauit tempora, & dies festos ipsorum, & in illis dies festos celebrauerunt ad horam.* Omittendo historię sensum pro Iudeis magis deseruientem, dicendum est solùm, quòd Iudeorum festa, quę diuersis temporibus secundùm legem illi celebrabant, in festa alia Christianorum immutauit Ecclesia, quæ alijs, & alijs temporibus celebrare mandat eisdem. In illis autem festis suis, & in illorum numero vel Catalogo ijdem Christiani celebrauerũt iam à multis annis, & celebrant adhuc annis singulis dies festos quosdam, quos ad horam, vel ad horas nominare possunt: quia quadraginta horarum vocantur, in quibus ad orationem quadraginta horarum in Ecclesia omnes conueniunt, & singuli etiam ad horã orationis præscriptam: sicque hoc modo, et in hoc sensu illud Ecclesiastici, quod pro ipsis propheticum videtur, ab eisdem impletur: *Dies festos celebrauerunt ad horam.*

18 Et si quæratur tandem, quomodo hi dies festi nostri, quos ad horam nuncupamus, vel quadraginta horarum, dies tamen, et horæ etiam pœnitentiæ veraciter sint, et nominentur, verba scripturæ de Bethuliæ populis relata iterum attendamus: *factus est fletus, & vlulatus magnus in Ecclesia omnibus, & per multas horas vna voce clamauerunt ad Deum dicentes: Peccauimus cum patribus nostris: Iniustè egimus: Iniquitatem fecimus: Tu qui pius es miserere nostri:* sic de Iudæis: Iudæos in hoc imitari bonum nobis est, in angustijs, nimirũ, in omnibus necessitatibus nostris, et in hac solemnitate præsertim ante Dominum Deũ nostrum Iesum Christum in Eucharistia idem pręstare.

Et preterea peccata nostra recognoscere, de eisdem verè dolere, ac pro eis misericordiam ab ipso humiliter implorare, quod erat secundum à nobis propositum, vt dicamus cum eisdem Hebræis, *Peccauimus*, scilicet cõtra nos ipsos. *Iniustè egimus*, scilicet contra proximum. *Iniquitatem fecimus*, scilicet cõtra Deum: Idcirco, Domine, *Tu qui pius es*, sic, vt pro peccatis nostris mori veles, et teipsum nobis in Sacramento dare, (quæ duo modo specialiter commemoramus) *miserere nostri*, veniam peccatorum nostrorum nobis dãdo, à malis, quæ pro his patimur, liberando, gratiam tuam donando, & gloriam tãdem conferendo nobis: quod profectò obtinebimus, si eo modo clamabimus, quo ijdem Bethulienses tunc clamauerũt, & aliàs Patres eorũ.

Quod Deus ipse Isa. 65. sic nobis ante pręd- 19
dixit. *Vos clamabitis, præ dolore cordis, & præ contritione spiritus vlulabitis*, ex vero nempe peccatorum nostrorũ dolore, & animæ contritione, quæ etiam ad vlulatum mouet, qui cum sit vox quædam confusa, & dolorosa, simulque horribilis, ipsam indicat doloris, & contritionis vehemẽtiam, & amaritudinem. Ideò & de Bethuliẽsib. id modò narratur, & ad eorum gloriam prædicatur: *factus est fletus, & vlulatus multus in Ecclesia omnibus, & per multas horas vna voce clamauerũt ad Deum dicentes: peccauimus cum Patribus nostris, &c.*

Hinc iterum de eisdem scribitur, *Communi lamentatione, & fletu vnanimes preces suas Domino effuderunt:* Postquam nimirum Achior quasi concionem quandam ad eos habuerat de ijs, quæ corã Holoferne narrauerat de filij Israel: *Cumque Achior* (inquit ibidem textus) *vniuersa hæc exposuisset, omnis populus cecidit in faciem adorantes Dominum: & communi lamentatione, & fletu, vnanimes preces suas Domino effuderunt:* Quæ omnia, charissimi, ad nostrã doctrinam scripta sunt, vt & me nunc similiter ad vos prædicante, similia & vos faciatis, cadentes nempe in faciem vestram adoretis Dominum nostrum Iesum Christum in Eucharistiã nobis præsentem. & cum vera peccatorum vestrorum pœnitudine, ac dolore, vnanimes preces vestras eidem effundatis, communi etiam lamentatione, & fletu, & vlulatu, si possibile est. Vel interiori saltem, quod erit veræ pœnitentiæ euidens testimonium.

Ita ut Hieremiæ prophetia impleatur in 21
vobis, quæ olim in Iudæis implebatur: *Vox in vijs audita est ploratus, & vlulatus filiorum Israel, quoniam iniquam fecerunt viam suam, obliti sunt Domini Dei sui*, Cap. 3. Israel enim, *videns Deum* significat; nos verò omnes nũc, & mentali oculo, et corporali, etiam Dei filium in Sacramento videmus. Itaque et nos, vt veri Israelitæ ploremus ante Deum, et vlulemus, quoniam iniquam fecimus viam nostram, et obliti sumus Domini Dei nostri: quia ad hoc ipsum nos hortatur idem Christus, antequam nunc statimus, subdit enim ad hæc statim. *Conuertimini filij reuertentes, & sanabo auersiones vestras*: Pro verbo illo, *reuertentes*, Septuaginta legunt, *Apostata*, vel *rebelles*, Chaldei verò. *Qui vos obfirmatis, ne conuertamini*. Hebræi autem habent hoc verbum,

Scobam im, quod secundum Hier. Rab. & alios significat: *auertentes, vagi, inconstantes, reuertentes ad vomitum*: sic enim refert hoc loco Cornelius a lapide: Modò de horum numero cum multi saltem simus, idcircò nos hortatur Christus, vt a peccato ad pœnitentiam, & ad ipsum reuertamur cum Bethuliensibus flentes corde, & vlulantes. Nam ad nos quoque id repetit, quod olim ad Hebreos horum patres dicebat: *Conuertimini filij reuertentes, & sanabo auersiones vestras*: idest condonabo vobis peccata vestra, quibus a me auersi estis, a me rebellastis, & apostatastis, ad creaturas vos conuertentes.

22 *Ecce nos venimus ad te: Tu enim es Dominus Deus noster.* Hæc verba, fratres, in scriptura immediate sequuntur ad supradicta verba Domini, quibus nos ad pœnitentiam vocat: Sequatur in nobis post Dei vocationem vera pœnitentia, quàm eadem verba significant: vt in veritate etiam hæc ipsa verba Christo Domino dicamus verè pœnitentes, & ad eum in Eucharistia vt corpore, sic etiam mente venientes. *Ecce nos venimus ad te*: Idest. Vt tibi seruiamus mandata tua seruantes, quæ vsque modo transgressi sumus: sic enim, & Bethuliæ ciues, quos nobis hodiè pro exemplo proposuimus, flentes & ipsi, & vlulantes Domino dicebant. *Peccauimus cum Patribus nostris: iniustè egimus: iniquitatem fecimus: tu qui pius es miserere nostri*: Et rursus. *Quia patiens Dominus est, in hoc ipso pœniteamus; & indulgentiam eius fusis lacrymis postulemus: & ideò humiliemus illi animas nostras: & in spiritu constituti humiliato seruientes illi, dicamus flentes Domino: vt secundùm voluntatem suam, sic faciat nobiscum misericordiam suam.*

23 Itaque horum, & nos exempla tenentes, quæ prædicamus, secundùm etiam Ecclesiæ Sanctæ consilium, *omnes pro indulgentia vocem demus cum lacrymis*: Et nunc præsertim ante Eucharistiam stantes, & in tempore hoc pœnitentiæ, & orationis: Et non solùm propter peccata omnes vocem debemus dare cum lacrymis, & pro indulgentia, nempe, pro remissione eorum, sed etiam propter Christi passionem, ac mortem, cuius memoriam recolimus specialem in eadem Eucharistia, cui astamus omnes vnanimi pietate, ac deuotione colentes, & adorantes eam.

Ad quod etiam nos instanter monet, acriter simul redarguens contemptores sermo incertus de cœna Domini apud Bernardum per hæc verba.

Quid facis homo indignè? quid facis homo ingratè? Adora deuotius, ac recole frequentiùs in Sacramento Altaris salutem mundi pro te passam, vitam pro te mortuam, fortitudinem infirmatā: Si membrum Christi es, compatere capiti tuo: Si frater Christi es, commorere fratri tuo: plange, dole cum genitu, & lacrymis super mortem pretiosam vnigeniti Dei Patris. Alioquin, si non doles si nō plangis, si nō cōpateris, deliras, degeneras, belluā sapis, lethargiā pateris, hūnē diffiteris: sic ibi.

Si enim Bethuliæ populi pœnitentiam agētes planctu, & vlulatu magno planxerunt, & 24 vlulauerunt, & per multas horas pro peccatis suis, & hoc, solum vt præsentia inimicorum suorum mala effugerent, quantò magis nos plangere, & vlulare debemus vna hac hora saltem, non pro peccatis nostris tantùm, sed etiam propter Christi mortem propter ipsa peccata nostra ab eodem toleratam: & hoc ante Altaris Sacramentum, in quo illa repræsentatur, & vt euadamus non præsentia tantùm, sed æterna mala simul? *Alioquin, si non plangis* (inquit vnicuique nostrum Doctor ille) *si non doles, si non compateris, deliras, degeneras, belluam sapis, lethargiam pateris: hominem diffiteris*: Si videlicet dolentibus, ac plangentibus Iudeis, Christiani non plangunt. Audiant, & attendant non dolentes non plangentes Christiani ad confusionem suam saltem plangentes Iudeos Bethulienses. *Factus est fletus, & vlulatus magnus in Ecclesia omnibus, & per multas horas vna voce clamauerunt ad Deum dicentes: Peccauimus cum patribus nostris, &c.*

Quia planxerunt Iudei pro peccatis, & 25 pro malis suis, idcircò pepercit illis Deus, & a malis quæ timebant, liberauit eos: & parcet nobis quoque, si ex corde fleuerimus: & liberabit nos ab omnibus malis præsentibus præteritis, & futuris: sicut in Missa rogamus eum. Pro certo hoc habuit Sanctus Iob, idcircò personam suscipiens cuiuslibet peccatoris, Etsi esset *vir ille simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens a malo*, sic Deum alloquebatur c. 10. *Si peccaui, & ad horam pepercisti mihi*: *Quia* (inquit Glossa hæc declarans) *ad horam parcit Deus, cum mox culpam confessis fletibus diluit*. Vel dicamus insuper concessis fletibus, mox culpam diluit Deus. sed præsertim

tim parcit concessis fletibus ad horam hanc orationis, in qua amarius, ac copiosius flere solemus ab ipsa Eucharistiæ præsentia prouocati, sicut ab eadẽ prouocatur et Domin⁹ ad parcendũ nobis: De quo habemus fideiussore (inter alios) S. Cypr. de cęna Domini his verbis. *Quoties te in cõspectu Dñi video suspirãtẽ, Spiritũ sanctũ nõ dubito aspirãtẽ: cũ intueor flentem, sentio ignoscentẽ:* Et rursus pro eodẽ. *Gemitus illos pietas excitat: & inter diẽ, & noctẽ retrò, & ante se affectio intuẽs, inter data & cõdonata se diuidẽs, gratias agit tã vberis beneficij largitori. & se sanatã, & sanctificatã agnoscens, fletibus se abluit, & lacrymis se baptizat:* sic S. Cyp.

26 Quid plura? idem Dominus in scripturis suis certos nos reddit de exauditione, quandò cum lacrymis depræcamur eũ, quomodo ipsũ Bethuliæ habitatores depræcabantur, vt sæpe iam diximus: *Factus est fletus, &c.* Ipsa Dñi fidei iussio scripta est in lib. Eccl. 35. cap. *Non despiciet preces pupilli, nec viduam, si effundat loquelã gemitus,* Habet ergo gemitus loquella, vel ipse gemitus loquella quædã est, maximè: Et hæc loquella gemitus, viduæ specialiter adscribitur, quæ varias habere solet gemitus occasiones, ꝓpter varia pariter, quæ pati solet. Ideoq; ipsam viduã testatur scriptura a Deo non despici: *Si effundat loquellam gemitus.*

27 Verè, nam & de Magdalena ad pedes Domini gemente, & nihil penitus loquente, quã quidam similiter viduam fuisse putant, scripsit S. Augustinus. *Tacita loquebatur, non sermonem promebat, sed deuotionem ostendebat.* Hinc & de Ouidio legimus, quòd dum Romam redire cuperet, vnde exulabat, ad coniugem suam scripsit, vt pro hoc supplex ad Imperatorem se conferret: Admonuit verò, vt si fortè eidẽ pro viri liberatione Augustum deprecanti lacrymæ erumperent, statim loqui cessaret: *Nec tua* (inquit illi, de Ponto lib. 3. Elegia 1. ad coniugem) *si fletu scindentur verba nocebit: Interdum lacryma pondera vocis habent.*

28 Sed ad quid aliũdè exempla quærimus de loquela gemitus, vel lacrymarum? Ab illis, (vt mihi videor) exempla hæc discere possumus, quos & in reliquis omnibus ad exemplum nostrum hoc loco adduximus, nimirũ à Bethuliæ populis: Misericordiam à Deo hi omnes concorditer in Ecclesia petebant, vt ab hostibus præsertim, à quibus per obsidionem multum premebantur, liberarentur: Duobus verò modis potissimùm hoc postulabant, scilicet, lacrymis, & voce: *factus est fletus, & vlulatus magnus in Ecclesia omnibus, & per multas horas vna voce clamauerunt ad Deum,* &c. Item: *Tu qui pius es, miserere nostri.* Præterea meritò obseruãdum videtur, quòd primò eorum lacrymæ narrantur, quã verba: & prius refertur, quòd fleuerunt, & vlulauerunt misericordiam à Deo implorantes, & postea id, quòd pro hoc ipso Deo dicebant, videlicet: *Peccauimus cum patribus nostris,* &c.

Prius fleuerunt, & vlulauerunt, quam lo- 29
querentur pro misericordia obtinenda: etsi lacrymæ, sicut verba præcesserunt, sic et associauerunt: quia procul dubio: *lacrymæ pondera vocis habent,* vt inquit Ouidius, quia est & *loquela gemitus,* vt testatur Ecclesiasticus: & sæpè præterea lacrymæ magis ponderant, quam verba, & ipsa loquela gemitus melius, & efficaciùs loquitur, quam ipsa lingua loquelæ: Ideoq; misericordiã à Deo miseri Bethulienses vtroque modo petierunt, & impetrauerunt, sed prius (vt dictum est) fletu, ac vlulatu, quam verborum strepitu: Nã primò de eis legitur: *factus est fletus, & vlulatus magnus in Ecclesia omnibus:* & deinde: *Per multas horas vna voce clamauerunt ad Deum dicentes: Peccauimus cum patribus nostris: Iniustè egimus: Iniquitatem fecimus: Tu qui pius es, miserere nostri.*

Itaque, iam reliquũ est solum, vt qui exem- 30
pla hæc de Iudeis, qui tamen Eucharistiã nec nouerunt, pro eadem Eucharistiã adduximus, similia referamus de Christianis ante ipsam Eucharistiam lacrymantibus, & de S. Hieronymo primum secũdum Eusebij relationem: Hic morti iam proximus imitator factus illorum, qui flentes, & vlulantes magna voce clamauerunt ad Dominum, & ipse ante Eucharistiam ab eodem mox sumendam prostrauit se in terram pronus, voce, & lacrymis, quantum poterat clamans: *Domine quis ego sum, vt sim dignus, quòd sub tectum meũ intres? Meruit hoc peccator homo, &c.* & rursus: *Cùm prope illum esset Sacerdos* (inquit idẽ Eusebius) *erigens se vir gloriosus, genibus flexis cum cũctis tenentibus, magnis lacrymis, ac suspirijs, & quampluries percusiens pectus suum dixit: Tu es Deus meus, & Dominus meus, &c.*

Sed cùm viri sancti exemplum narraueri- 31
mus, narremus & aliud peccatricis mulieris. Meretrix quædam, facta pœnitens, ante Eucharistiam, dùm ad ægrotum illam portaret

salem, quod Domino prædicit placiturum, *sicut dies seculi, & sicut anni antiqui:* & hoc est Eucharistiæ Sacrificium super omnia Deo acceptissimum, sicut hoc loco ex instituto demonstramus: Ideòque pro hac voce *Sacrificium*, vox *Mincha* Hebraicè ponitur, vt Eucharistiæ sacrificium per illam significari ostendatur, sicut etiam idem omnino verbũ, *Mincha* Hebraicum pro verbo Latino *Oblatio*, superius ponitur in primo capite eiusdem prophetiæ, vbi de Eucharistia similiter secundum Tridentini Concilij, & Sanctorum Patrum sententiam dicitur. *In omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.* Hæc enim vox, *Mincha*, ex sui origine significat sacrificium farreum, quod fiebat, & offerrebatur, vel ex farina, vel ex spicis, vel ex pane, vt describitur Leuit. 2. & erat proprie dictum Sacrificium, vt ibidem patet: Eratque typus Sacrificij Eucharistici: vtrobique enim offertur panis ex farina factus, sed in Eucharistia transubstantiatur, & transmutatur in Corpus Christi: Vnde forma etiam, & specie exteriori figura expressa erat, & imago sacrificij Eucharistici.

4 Hinc cum illo in iugi sacrificio Agni quotidie libabatur vinum secundum Exodi præceptum cap. 29. quod alteram speciem Eucharistiæ, nempè vinum manifestè repræsentabat. Cùm ergo Mincha typicum, & Iudaicum fuerit propriè dictum sacrificium, sequitur, multò magis Mincha verum, & Christianum, puta Eucharisticum esse verum, & proprium sacrificium, & omnium Sacrificiorum præcellentissimum, ac sanctissimum. Vnde ad hoc fortè indicandum, quasi anthonomasticè, Sacrificium absolute sine aliqua additione, vel distinctione vocatur. Hinc S. Dionysius Areopagita, de Eccles. Hierar. cap. 3. ex sententia Diui Hierothei vocat Eucharistiam hostiam hostiarum, idest hostiam excellentissimam, vt exponit eius commentator Dionysius Carthusianus.

5 Hinc insuper cum Mincha sacrificio offerebant Hebræi oleum, thus, & sal ex legis suæ præscripto: oleum enim significat misericordiam Christi, quàm ille in Eucharistiæ sacrificio quotidie quasi nouam, & rediuiuam nobis exhibet. Thus similiter eiusdem religionem, et odorem suauissimum, quo se Patri in cruce immolauit, et rursum in Eucharistia immolat. Sal verò æternitatem, et incorruptionem, quàm in beata resurrectione per Eucharistiam nobis conferet, sicut ipse promisit dicens. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die.* Manifestũ est ergo primùm, Eucharistiæ sacrificium, quod solùm verè, ac propriè sacrificium est, et omnium sacrificiorum præstantissimum, illud esse, de quo est Malachiæ oraculum, quod exponimus. *Et placebit Domino sacrificium, &c.*

Et manifestiùs adhuc hoc ipsum comprobatur, dum sacrificium Iuda, et Ierusalem nominatur. *Et placebit Domino,* inquit, *sacrificium Iuda, & Ierusalem.* 6

Sanctus Thomas enim, Vgo Cardinalis, et alij, sacrificium Iuda, et Ierusalem exponunt, Apostolorum, et Ecclesiæ Christi, quia Apostoli soli, qui erant de populo Iuda, hoc Eucharistiæ sacrificium post Christum obtulerunt, et Ecclesia ex Iudæis, et gentibus collecta post illos, quæ per Ierusalem intelligitur. Vel præcisè per Ierusalem, quæ erat metropolis, et caput Iudæ, posset accipi Ecclesia Romana, et Sedes Apostolica, quæ est caput, et metropolis totius Ecclesiæ.

Vel dici potest, Domino placere sacrificium Iuda, quæ confitens, laudans, et glorificans Deum interpretatur, et sacrificium Ierusalem similiter, quæ visio pacis dicitur, quia Ecclesia solùm, quæ veram pacem videt, hoc sacrificium Eucharisticum habet, et per illã, et in illa fideles omnes, qui Deum verè confitentur, laudant, et glorificant. 7

Vel tandem secundum Hieronymum, quẽ Interlinealis, et alij hoc loco citant, Iuda, et Ierusalem in ablatiuo casu hoc loco accipienda sunt hoc modo. *Placebit Domino sacrificium Iuda, & Ierusalem,* idest sacrificium eorum, quod offerunt pro Iuda, et Ierusalem, hoc est pro his, qui Dominum re vera confitentur, et laudant, et glorificant, ac pacem eius mente conspiciunt. 8

Confirmantur hæc omnia, & declarantur simul ab eadem Ecclesia, cuius hoc sacrificiũ Eucharisticum est, & quæ hoc loco per Iuda, & Ierusalem intelligitur, & hoc in Tridentina Synodo Sess. 22. cap. 1. de sacrificio Missæ, his verbis. *Quoniam sub priori testamento teste Apostolo Paulo, propter Leuitici Sacerdotij imbecillitatem consumatio non erat, oportuit, Deo Patre misericordiarum ita ordinante, Sacerdotem alium, secundùm ordinem Melchisedech surgere, Dominum nostrum Iesum Christum, qui posset omnes quotquot sanctificandi essent. consu-* 9

summore, & ad perfectum adducere. Is igitur Deus & Dominus noster, etsi semetipsum in ara Crucis morte intercedente Deo Patri oblaturus erat, vt æternam illinc redemptionem operaretur; quia tamen per mortem Sacerdotium eius extinguendum non erat, in cœna nouissima, qua nocte tradebatur, vt dilectæ sponsæ suæ Ecclesiæ visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret sacrificium, quo cruentum illud semel in Cruce peragendum repræsentaretur, eiusque memorias in finem vsque sæculi permaneret, atq. illius salutaris virtus in remissionem eorum, quæ à nobis quotidiè committuntur peccatorum, applicaretur. Sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, corpus & sanguinem suum sub speciebus panis, & vini Deo Patri obtulit: ac sub earundem rerum Symbolis Apostolis, quos tunc noui testamenti Sacerdotes constituebat, vt sumerent, tradidit, eorumque in Sacerdotio successorib., vt offerrẽt præcepit per hæc verba: Hoc facite in meam commemorationem, vti semper Catholica Ecclesia intellexit, & docuit.

10 Hæc omnia Conc. de hoc Eucharistiæ sacrificio, quòd modò cum Propheta sacrificiũ Iuda; & Ierusalem prædicamus; & quòd Domino placeat: *Et placebit Domino sacrificium Iuda, & Ierusalem.*

Quantùm verò Domino placeat hoc sacrificium, quis explicabit? *Sacrificium iusti acceptum est*, inquit scriptura Ecclesiastici cap. 35. Si iusti cuiuslibet (etsi septies in die cadat iustus) aceptum est, quantò magis acceptum erit sacrificium iusti illius; qui non accidentaliter, & limitatè, vt alij omnes, sed essentialiter, & infinitè iustus est, & ipsa immensa iustitia, quæ omnes iustificat: sacrificium inquã Iesu Christi Domini nostri, in quo (vt inquit Conc.) Sacerdotem secũdùm ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, corpus, & sanguinem suum sub speciebus panis, & vini Deo Patri obtulit.

11 Hinc Romanus Catechismus etiam de hoc ipso Eucharistiæ sacrificio agens, & hoc ipsum speciale demonstrans, quòd & nos sermone nostro demonstrandum suscepimus, nempè, quod Eucharistia peculiare est noui testamenti sacrificium Deo acceptissimũ, ait. *At verò hæc victima, si ritè, ac legitimè immoletur, quàm grata, & accepta Deo sit, ex hoc intelligitur. Si enim veteris legis sacrificia, de quibus scriptum est. Sacrificium & oblationem noluisti, & iterum. Si voluisses sacrificium, dedissem vtiq; holocaustis non delectaberis, ita placuerunt Domino, vt scriptura Deum odoratum esse odorem suauitatis, idest, grata ei, & accepta fuisse testatur, quid nobis sperandum de eo sacrificio, in quo ille ipse immolatur, atque offertur, de quo Cælestis vox bis audita est. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui?*

Sicut ergo in dilecto filio bene sibi complacuit Pater super omnia, sic etiam in sacrificio illo, in quo idem filius sibi offertur, super omnia alia sacrificia sibi proculdubio complacebit, vt verè dicatur: *Et placebit Domino sacrificium Iuda, & Ierusalem*: Hinc Vatablus legit: *Gratum erit*. Pagninus: *Dulcescit*: Chaldeus: *Suscipietur voluntariè*, ipsum, scilicet, Eucharistiæ sacrificium.

Et explicat hoc clariùs Rabanus, dùm simul explicat verba illa Ecclesiast. 50. quæ de Onia Sacerdote leguntur: *Consumatione fungens in ara amplificare oblationem excelsi Regis, porrexit manum suam in libatione, & libauit de sanguine vuæ: effudit in fundamento Altaris odorem diuinum excelso Principi, &c.* 12

Sic enim scribit: *Consumata oblatio offertur excelso Regi, quando corpus Christi in sacro Altari offertur Deo omnium dominatori, vbi & libatio fit sanguinis, quando sanguis Redemptoris exhibetur in Calice, quòd fundendum est in fundamentum Altaris, hoc est totum agendum in commemorationem nostri Redemptoris. Ipse est enim fundamentum, quòd portat totum Ecclesiæ ædificium, cuius oblationis odor suauissimus est excelso Principi quia beneplacet, & gratissima est Deo Patri omnipotenti*: Sic Rabanus.

Ratio ergo potissima, propter quam sic placet Domino Eucharisticum sacrificiũ hoc loco sacrificium Iuda, & Ierusalem nuncupatum, idest, fidelium omnium Christianorum, & Ecclesiæ in communi, vt diximus, est eiusdem excellentia, & sanctitas, qua in infinitũ superat alia quæcumque antiqua sacrificia, siue Mosaycæ, siue naturalis legis: ipsa verò excellentia, & sanctitas eius, est idem Dei filius in hoc sacrificio contentus, & oblatus: quòd non obscurè idem Dominus declarat, & in eadem Malachiæ scriptura etiam, in qua testatur: *Et placebit Domino sacrificium Iuda, & Ierusalem*: Sic enim præmittitur in textu: *Erunt Domino offerentes sacrificia in iustitia*; & statim subditur: *Et placebit Domino sacrificiũ Iuda, & Ierusalem*. Pro his verbis autem: *Erunt Domino offerentes sacrificia in iustitia*, Vatablus legit ex Hebreo: *Adferent sacrificiũ cibarium*: In hoc verò sacrificio cibario, quod 13

est

est Eucharistia, continetur: & offertur Deo Patri filius eius, qui de eodem sacrificio cibario ait: *Caro mea verè est cibus: & sanguis meus verè est potus:* quæ in eodem sacrificio cibario offeruntur eidem Patri, & idem Dei filius pariter.

14 Et hæc ipsa ratio indicatur à Domino in eodem Malachiæ loco, dùm de hoc ipso sacrificio ait. *In omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda:* Munda enim dicitur hæc oblatio Eucharistica propter eundem Dei filium, qui illam instituit, illamque obtulit primò, & in illa simul continetur, & offertur semper: ille, nempè, qui *est candor lucis æternæ, speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius:* Ideoque, cum sit in se summè mundus, & sanctus sanctorum, *qui peccatum non fecit, neque inuentus est dolus in ore eius,* omnes homines etiam immundissimos solo ipso suo sanguine mundauit. *Dilexit enim nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo:* Ille, dico, mundus, de quo hac de causa scriptum est: *Mundus lustrabit immundum:* Num. 19. Nam, *Ab immundo, quid mundabitur,* Eccles. 34.

15 Quia ergo ille sic mundus est, & oblatio eius etiam sic munda, ideò Domino placuit, sicut & ipse filius, secundùm Malachiæ prophetiam: *Et placebit Domino sacrificium Iuda, & Ierusalem.* Sicut per oppositum antiquam Hebreorum oblationē, noua hac Christianorum adueniente, idem Dominus testatur, quod non acceptaret, quia sibi non placeret, tanquam immunda: *Munus non suscipiam de manu vestra,* ait de sacrificijs illis apud Malachiam ibidem. *Munus non volam de manu vestra,* secundùm Pagoinum. *Neque acceptum habeo munus ciborum de manu vestra,* secundùm Va:ablum: *Munus,* idest *oblationem à vobis oblatam,* secundùm eundem in scholijs; At benè *placebit Domino sacrificium Iuda, & Ierusalem,* sacrificium inquam Eucharisticum, quod est sacrificium cibarium, vt iam diximus, ex ipsa etiam Hebraica translatione. Quia in hoc sacrificio, non est caro, vel sanguis hircorum, aut vitulorū, sed caro filij Dei, quæ verè est cibus, & sanguis eius, qui verè est potus; Ergo propter summam, quam habet Eucharistiæ sacrificium præstantiam dignitatem, ac sanctitatem, & propter ipsum Dei filium potissimùm in eo contentum, Domino etiam summè placet, sicut Propheta prædixit: *Et placebit Domino sacrificium, &c.*

Hinc Sanctus Augustinus de fide ad Petrū, 16
vt sacrificij eiusdem propriam Excellentiam demonstret, & diuinam consequenter in illo complacentiam in ordine ad vetera Hebreorum sacrificia, sic ait, illud pariter comparando cum istis.

In illis enim carnalibus victimis figuratio fuit carnis Christi, quam pro peccatis nostris ipse sine peccato fuerat oblaturus, & sanguinis, quem erat fusurus in remissionem peccatorum nostrorum. In isto autem sacrificio gratiarum actio, atque commemoratio est carnis Christi, quam pro nobis obtulit, & sanguinis, quem pro nobis idem Deus effudit, de quo B. Paulus dicit in actibus Apostolorum. Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo. In illis ergo sacrificijs, quid nobis esset donandum figuratè significabatur: In hoc autem sacrificio, quid nobis iam donatum sit euidenter ostenditur. In illis sacrificijs prænuntiabatur filius Dei pro impijs occidendus, in hoc autem pro impijs annunciatur occisus, testante Apostolo. Quia Christus, cum adhuc infirmi essemus, secundum tempus pro impijs mortuus est, & quia cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius. Hæc Sanctus Augustinus.

Quibus consona omnino tradit Concil. 17
Triden. loco citato. *Hæc denique* (ait) *illa est oblatio, quæ per varias sacrificiorum natura, & legis tempore similitudines figurabatur, vt pote quæ bona omnia per illa significata, velut illorum omnium consumatio, & perfectio complectitur.* Pro hoc ipso faciunt verba Chrisost. hom. 24. in primam ad Cor, quæ sunt de Iudeorum sacrificijs, & de vnico sacrificio Christianorū. *In veteri testamenti* (inquit) *cum imperfectiores essent, quem Idolis offerebant sanguinem, eū ipse accipere voluit, vt ab Idolis eos auerteret. Quod etiam inenarrabilis amoris signum erat. Hic autem multò admirabilius, & magnificentius sacrificium præparauit, cum & sacrificiū ipsū commutaret, & pro brutorum cæde seipsum offerēdum præciperet.*

Aliam quoque facit idem Chrisostomus 19
lib. 3. de Sacerdotio Eucharistici sacrificij comparationem, cum sacrificio Eliæ pro eadem excellentia: illam etiam attendamus, vt ex illa et quantùm Domino placeat hoc sacrificium nostrum, manifestius inferamus. *Vis nè, & sanctimonia istius excellentiam alio miraculo perspicere?* (ait Chrisostomus) *Ponite ob oculos Heliam illum, præterea, & infinitam illam*

tam turbam circumfusam, & sacrificium lapidibus superpositum, tùm verò reliquos omnes admodum quietos, & taciturnos: Solùm autem Prophetam preces fundentem, secūdùm id flammam de repente è Cœlo delabentem, sacrificiumque ipsum lambentem: Mira sunt ista profectò, ac stupore omni plena. Ab illis ergo sacris ad nostratia sacra te transfer, nec ea mira modò videbis, sed etiam omnem stuporem excedentia. Adest enim Sacerdos non ignem deijciens, sed Spiritum sanctum: Is preces diuturnas fundit, non quo flamma coelitus delapsa sacra apposita absumat, sed vt gratia in sacrificium influens, per illud ipsum omnium animos inflammet, & puriores reddat argento igni excocto, purgatoque. Hoc ergo mysterium omnium maximè horrendum, verendumque, quis tandem, qui non admodum sit insanus, qui quæ è potestate non exierit, fastidire, ac despicere poterit. Ignoras futurum nunquam fuisse, vt humanus animi captus sacrificij ignem illum sustineret, sed funditus omnes eum fuisse interituros, nisi magnū diuina gratia auxiliū affuisset Hæc omnia Chrisostomus de sacrificij Eucharistici excellentia respectu Eliæ sacrificij, & antiquorum omnium.

19 Et possumus hæc ipsa adhuc alia ratione potissima sic confirmare: Quia, nimirùm, vnum, & idem est hoc sacrificium, quod in Missa peragitur, & quod in Cruce oblatum est, quemadmodum vna est, & eadem hostia: & præterea vnus etiam, atque idem Sacerdos est vbique, idem, nempè, Christus Dominus, qui semetipsum obtulit in cœna prius incruentum, & postea in Cruce cruentum: Et non solùm semel, vt in Cruce, sed quotidiè etiam idem offert seipsum in Altari: ministri enim qui sacrificium faciunt, non suam, sed Christi personam suscipiunt, cum eius corpus, & sanguinem conficiunt, id quod, & ipsius consecrationis verbis ostenditur: neq; enim Sacerdos inquit: *Hoc est corpus Christi*, sed: *Hoc est corpus meum*: personam certè Christi Domini gerens, dum panis, & vini substantiam, in veram eius corporis, & sanguinis substantiam conuertit.

20 Adhæc, sicut idem est sacrificium cruentum Crucis, & incruentum Altaris, & idem Sacerdos pariter in vtroque, nempe, Christus Dominus, sic etiam idem est, cui hoc idem sacrificium offertur, nempe, Deus, & tota Trinitas: & similiter pro eisdē, sc. pro hominib. Vnde propter hæc omnia, sicut sacrificium Crucis fuit Deo super omnia acceptissimum, & gratissimum, sic etiam ijsdem omninò de causis Missæ sacrificium idem cum eo, sola offerendi ratione diuersa, vt inquit Concilium eodem modo Deo gratissimum esse, & acceptissimum asserendum erit, secundùm Malachiæ prophetiam: *Et placebit Domino sacrificium Iuda, & Ierusalem.*

Et comprobantur egregiè hæc omnia ex 21 his, quæ ab Augustino traduntur de vtroque sacrificio lib. 4. de Trin. cap. 14., de his enim hæc præsertim scripsit.

Quis ergo tàm iustus, & sanctus Sacerdos, quàm vnicus filius Dei, qui non opus haberet per sacrificium sua purgare peccata, nec originalia, nec ex humana vita quæ adduntur: & quid tàm congruenter ab hominibus sumeretur, quod pro eius offerretur, quàm humana caro? Et quid tam aptum huic immolationi, quàm caro mortalis? Et quid tàm mundum pro mundandis vitijs mortalium, quàm sine vlla contagione carnalis concupiscentiæ caro nata in vtero, & ex vtero virginali? Et quid tàm gratè offerri, & sumi posset, quàm caro sacrificij nostri, corpus effectū sacrificij nostri? Vt quoniam quatuor considerantur in omni sacrificio, cui offeratur, à quo offeratur, quid offeratur, pro quibus offeratur; idem ipse vnus, verusq; mediator per sacrificium pacis reconcilians nos Deo vnum cum illo maneret, cui offerebat, vnum in se faceret, pro quibus offerebat, vnus ipse esset, qui offerebat, & quod offerebat. Hoc totum Augustinus.

Hinc docet Ecclesia de eadem Euchari- 22 stia, quod vt Sacramentum est, sumentibus causam meriti afferat, & vtilitates quamplurimas, de quibus sæpe in alijs sermonibus agitur: vt autem sacrificium est, non merendi solùm, sed satisfaciendi quoque efficientiam contineat. Nam sicut Christus Dominus in passione sua, pro nobis meruit, ac satisfecit, sic, qui hoc sacrificium offerunt, qui nobiscum communicant, Dominicæ passionis fructus merentur, ac satisfaciunt.

Docet præterea Tridentina Synodus (inquit 23 Catechismus) *hoc idem Missæ sacrificium esse non solùm laudis, & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificij in Cruce peracti, sed verè etiam propitiatorium sacrificium, quo Deus nobis placatus, & propitius redditur. Quare si puro corde, accensa fide, & intimo scelerum nostrorum dolore affecti hanc sanctissimam Hostiam immolemus, & offeramus, dubitandum non est, quin misericordiam à Domino consecuturi simus, & gratiā in auxilio opportuno: huius enim*

victima

victima odore ita delectatur Dominus, vt gratia, & pœnitentia donum nobis impertiens, peccata condonet. Quamobrem & solemnis est illa Ecclesiæ precatio. Quoties huius hostiæ commemoratio celebratur, toties opus nostræ salutis exercetur, nimirum vberrimi illi cruentæ hostiæ fructus per hoc incruentum sacrificium ad nos manant.

Præterea idem Tridentinum Concilium sess. 22. c. 2. de eodem Missæ sacrificio hæc tradit. *Nam solùm pro fidelium viuorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, & alijs necessitatibus, sed & pro defunctis in Christo, nondum ad plenum purgatis ritè iuxtà Apostolorum traditionem offertur.*

24 Ex his omnibus iam sat, superque manifestum relinquitur, quantùm Domino placeat hoc Eucharisticum sacrificium Iuda, & Ierusalem, tùm ob excellétiam eius super omnia alia antiquæ legis sacrificia, tùm etiam propter innumera beneficia, quæ confert non tàtùm viuis, sed etiam defunctis.

25 Verùm prædictis omnibus aliquo modò obstare videntur ea, quæ in scriptura Malachiæ post hæc verba, *& placebit, &c.* statim sequuntur, quæ tamen ad confirmationem eorum, quæ hic scribimus, adducimus, sic habet enim ibi sacer textus. *Et placebit Domino sacrificium Iuda, & Ierusalem:* Posteà immediatè subdit: *Sicut dies sæculi, & sicut anni antiqui.* Videtur siquidem per verba hæc vltima indicari, quòd Eucharistiæ sacrificium solùm Domino placeat, sicut dies sæculi, & sicut anni antiqui, idest, sicut sacrificia, quæ in diebus sæculi, & in annis antiquis antiquæ legis fiebát, eidem Domino placuerunt, & consequenter, quod ijsdem antiquis sacrificijs nouum sacrificium nostrum Eucharisticum non sit excellentius, vel sanctius. Verùmtamen non hoc verè verba significant, sed verius quod diximus, magis probant: assimilat enim Propheta sacrificium Eucharistiæ legalibus sacrificijs, nontàm quoad ipsum sacrificium, quàm quo ad sacrificantes: & sensus horum verborum est, quòd Christus in lege noua emundaturus erat, & sanctificaturus eiusdem legis nouæ Sacerdotes, vt eà puritate, deuotione, ac religione offerrent Deo sacrificia, quæ obtulerút Abel, Noè, Abraham, Melchisedech, alijque prisci, & sanctissimi Patriarchæ. & Sacerdotes in diebus sæculi, & in annis antiquis. Sic enim ibidem scriptura. *Purgabit filios Leui, & colabit eos, quasi aurum, & quasi argentum, & erunt Domino offerentes sacrificia in iustitia.* Et posteà statim subditur. *Et placebit Domino sacrificium Iuda, &c.*

26 Hinc S. Chrisost. lib. 6. de Sacerd. ex sacrificij Eucharistici præcellentia, & sanctitate omnium antiquuorum sacrificiorum, tàm lõge maiori, infert quàm puri, & sancti esse debeant Sacerdotes Euangelici, qui illud quotidiè offerunt. *Quum autem ille* (ait Chrisost. de Sacerdote) *& Spiritum sanctum inuocauerit, sacrificiumque illud horrore, at reuerentia plenissimum perfecerit.* (Notentur obiter hæc Chrisostomi verba de Missæ sacrificio, nempe, quod vocat illud horrore, ac reuerentia plenissimum) *communi omnium Domino manibus assiduè pertractato. Quaro ex te, quoto illū in ordine collocabimus? Quantam ab eo integritatem exigemus? Quantam religionem? Considera enim quales manus hæc administrantes esse oporteat, qualem linguam, quæ verba illa effundat, quæ denique re non puriorem, sanctioremuè esse conueniat animam, quæ tantùm illum, tamquè dignum receperit. Per id tempus & Angeli Sacerdoti assident, & Cœlestium potestatum vniuersus ordo clamores excitat, & locus Altari vicinus in illius honorem, qui immolatur Angelorum choris plenus est. Id quod credere abundè licet, vel ex tanto illo sacrificio, quod tū peragitur.* Hæc omnia ibi Chrisostomus, vbi etiam immediatè, de quodam pio sic ait. *Per illud sacrificij tempus Angelorum multitudinem conspexit, quantùm aspectus humanus ferre poterat, candidis vestibus indutorum Altare ipsum circundantium: denique sic capite inclinatorum, vt si quis milites præsente Rege stātes videat.* Hæc omnia Chrisost.

Consentanea omninò ijs quæ de Sacerdotis sanctitate dicta sunt, quàm in illo requirit sacrificij sanctitas, ac dignitas summa. 27

Scripsit Religiosus quidam societatis Iesu, prout refert Cornelius à lapide eiusdem instituti: Verba Doctoris hæc sunt.

O quàm magnum & honorabile est Sacerdotum officium, quibus Dominum maiestatis verbis sacris consecrare labijs benedicere, manibus tenere, ore proprie sumere, & cæteris ministrare datur. O quàm munda debent esse manus, quàm purum os, quàm sanctum corpus, quàm immaculatū cor Sacerdotis, ad quem toties ingreditur auctor puritatis? Ex ore Sacerdotis nihil, nisi sanctum nullum, nisi honestum, & vtile procedere debet verbum, qui tàm sæpè Christi suscipit Sacramentum: Oculi eius simplices, & pudici, qui Christi Corpus solent intueri: manus puræ, & in

Cœlum eleuate, qua Creatorem Cœli, & terræ solent contrectare: Sacerdotibus specialiter in lege dicitur: Sancti estote, quoniam ego sanctus sum Dominus Deus vester. Hæc ille de sacrificio, & de Sacerdotibus.

28 Sicut verò ex sacrificij sanctitate colligitur, quàm sancti debeant esse ipsi sacrificantes Sacerdotes, sic etiam ex eiusdem dignitate dignitas Sacerdotũ ipsorũ cõsequẽter colligenda est, & præterea ex vtroque, quàm sint honorandi ab omnibus ijdem Sacerdotes, etiam si mali sint. *Nam si quis consideret (inquit primò idem Chrisostom. lib. 3. de Sacerdotio) quantum sit hoc mysterium, vt hīs, scilicet, qui homo ipse sit carne, ac sanguine etiamnum constans, ijsque inuolutus, beata, atque immortali natura illis fieri propior queat, tum probè intelliges, quantò Sacerdotes honore, quanta dignitate Spiritus sancti gratia dignata fuerit, operibus .n. illis tum sacra hæc, quæ dico, initiantur, perficiuntur que.*

29 Ad hæc idem Chrisost. Homil. 3. ad Coloss. *Oportet indignos Sacerdotes venerari ac credere, Deum per ipsos operari quandiù sunt. Non nos contemnis, sed ipsum Sacerdotium. si quando videris Sacerdotio exutum contemne: neque ego tunc præcipere potero. Quo vsque verò in sede constituti sumus, quousq; præsidentiam habemus, habemus & dignitatem, & potestatem, licet indigni sumus.* Hæc ille.

30 Sunt ergo honore digni Sacerdotes, etiam si mali sint propter Eucharistiæ sacrificium, quòd offerunt: sicut propter eiusdem sacrificij sanctitatem, sancti pariter esse debent: ipsis enim Sacerdotibus, dicit idem Dominus. *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum Dominus Deus vester.* Et hoc ipsum præterea ille Ecclesiæ suæ promisit, & in eadem scriptura etiam, in qua ille pariter testatur, idem sacrificium eidem Domino placiturum, *sicut dies sæculi, & sicut anni antiqui*, vt abundè satis iam declarauimus: sic enim ibidem Malachias de noui testamenti Sacerdotibus prophetauit. *Purgabit filios Leui, & colabit eos quasi aurũ, & quasi argentum: & erunt Dño offerentes sacrificia in iustitia*, scilicet, eadem sanctitate erunt Sacerdotes Euangelici Euangelicum sacrificium offerentes Domino, quã antiqui Sacerdotes Mosayci Mosayca sacrificia obtulerunt eidem Domino, vt similiter Domino placeat Eucharisticum sacrificium, sicut Mosayca eidem placuerunt.

31 *Nec in Ecclesia sancta sacrificio* (inquit Sanctus Cyprianus) *vlla sit macula, sed pura simplicitas, & innocentia:* Et hoc sonant Prophetæ verba: *Et placebit Domino sacrificium*, &c. Et hoc ipsum nostri Sacerdotes ab eo petunt dum sacrificium eidem offerunt corporis, & sanguinis Christi sic dicentes. *Supra quæ propitio, ac sereno vultu respicere digneris, & accepta habere, sicut accepta habere dignatus es munera pueri tui iusti Abel, & sacrificium Patriarchæ nostri Abrahæ, & quod tibi obtulit summus Sacerdos tuus Melchisedech sanctũ sacrificium, immaculatam hostiam.*

Vnde alium quoque possunt habere sensum hæc Prophetæ verba. *Placebit Domino sacrificium Iuda, & Ierusalem, sicut dies sæculi, & sicut anni antiqui*: Illa enim dictio: *Sicut*, analogiam significare potest, quæ est inter typum & antitypum, inter imaginem & exẽplar, inter vmbram & veritatem, ac proinde significare potest (dico) excellentiam sacrificij Eucharistici præ sacrificijs Aaronicis, quasi dicat. Placebit Domino sacrificium Eucharisticum mirificè, sicut liquet ex eius typis, imaginibus, & symbris, puta ex sacrificio Noë, Abrahæ, Melchisedech, &c. 32

Si enim hæc, quæ tantùm fuerunt typi, & vmbræ adeo placuerunt Deo, vt Deus propter ea benedixerit toti eorum familiæ, imò toti orbi, multò magis placebit illi sacrificium Christi, quòd illorum omnium fuit exemplar, veritas, & antitypum, quodque, & priscis illis sacrificijs omnem vim tribuit, per quã placerent Deo.

Nam, dùm conspicis (inquit iterum Chrisostomus loco citato 3. libro de Sacerdot. 33 *Dominum immolatum, & illic situm Sacerdotẽ sacrificio incumbentem, ac preces fundentem, tùm verò turbam circumfusam pretioso illo sanguine intingi, ac rubere fieri, etiam ne te inter mortales versari, atque in terra consistere censes? An non potius è vestigio in Cœlos transferris? An non carnis cogitationem omnem abijciens, nuda animo, mente pura circũspicis quæ in Cœlo sũt? O miraculum, ò Dei benignitatem, qui cum Patre sursum sedet, in illo temporis articulo omnium manibus pertractatur: ac se ipse tradit volentib. ipsum excipere, ac complecti: fit autem id nullis præstigijs, sed apertis, ac circumspicientibus circumsistentium omnium oculis.* Vsque modò Chrisostomus de Eucharistiæ sacrificio.

Et quid his amplius adhuc de illo loqui possumus, vel cogitare? Sint sigillum horum omnium quæ de hoc sacrificio Eucharistico 34

rico vsque modò scriptitauimus, verbaque quædam, quæ de illo apud Augustinum legimus, De quæst. Euang. lib. 2. q. 3. *Est sacrificiũ* (inquit) *sanctum sanctorum, quòd Corpus Christi est.* Et cum August. verbis iungamus verba Pastoris Ecclesiæ, nimirum, Alexandri Papæ in Epist. isti, videlicet.

Nihil in sacrificijs maius esse potest, quàm corpus & sanguis Christi, nec vlla oblatio hac potior est, sed hæc omnes præcellit, quæ pura conscientia Domino offerenda est, & pura mente sumenda, atque ab omnibus veneranda: & sicut potior est cæteris, ita potius excoli, & venerari debet, sic summus ille Pontifex.

35. Idemque omninò ex scripturis edocemur, nempe, Leuit. cap. 22. Sic enim ibi statuit de sacrificijs illis Dominus.

Dic ad eos, & ad posteros eorum: omnis homo, qui accesserit de stirpe vestra ad ea, quæ consecrata sunt, & quæ obtulerunt filij Israel Domino, in quo est immunditia, peribit coram Domino. Ego sum Dominus &c. Vbi non solùm Sacerdotes tangit, (inquit Sanctus Paschas. hæc verba allegans in suo tract. de corp. & sang. Dom. c. 8.) *& ministros Altaris, verùm etiam omnem de stirpe veræ fidei, licet vltimus in Ecclesia habeatur*: Sic ille, & rursus sic: *De cuius nimirum stirpe, nemo immundus debet accedere ad ea, quæ consecrata sunt filiorum Israel: Quia nemo, nisi mundus à lethali crimine dignè potest ea sumere: Si quis autem sumit indignè, idest, in cuius anima est immunditia peccati peribit coram Domino. Hunc igitur, vt septuaginta interpretantur, Deus auersatur, & ab omni repellit communione spiritus.*

Sic Sanctus Paschasius, & infra sic iterum. *Timeas percipere non virtutem Spiritus sancti, sed iudicium Sacramenti: iudicium autem Sacramenti est, si habeat reus prioris culpæ delictum, deinde contemptus sui peccatum superbiæ, vel sacrilegij contra Deum, qui ausus est sancta contingere, quòd non licet, nisi mundis.*

Etiam Abulensis sic exponit illud Domini 36 mandatum. *Ad præsignandum quam strictè exacturus esset puritatem animæ in sumentibus Communionem corporis, & sanguinis Domini, quòd vnicum est sacrificium legis nouæ veteribus hisce omnibus adumbratum*, sic ille.

Studeamus ergo & nos, vt mundi, & 37 purissimus, hoc sacrificium offerentes, & sumentes, ne iuxta Domini comminationem, si immundi, & impuri fuerimus, coram Domino pereamus. *Omnis homo* (inquit) *qui accesserit ad ea, quæ consecrata sunt, in quo est immunditia peribit coram Domino.* Quin potius sicut Domino placet hoc sacrificium, quia mundum, sic & nos, quia mundi simus ipsum offerentes, & sumentes, eidem Domino placeamus. Amen.

SERMO DECIMVS TERTIVS.

De excellentia Eucharistiæ, vt Sacramentum est.

Tantum ergo Sacramentum, veneremur cernui. Hymn. Corp. Christi.

ARGVMENTVM.

Summa Eucharistiæ excellentia, vt Sacramentum est in se, & in ordine etiam ad alia omnia Sacramenta demonstratur ex contento in ea Christo Domino potissimùm, & ex alijs multis: Idque auctoritate tùm scripturæ, tùm etiam Sanctorum Patruum, ac Doctoris subtilis Scoti.

EXcellentissimum, sanctissimum, ac diuinissimum procul dubio est. N. Eucharistiæ Sacramentũ, & omni reuerentia ac honore semper, & vbique dignissimum. Hoc sicut firmiter corde credimus, sic etiam, & ore confitemur, & profitemur opere: & præterea aliquando etiam dictis gesta iungentes, mi-

tes, miscentesque opera verbis, eiusdem Eucharistiæ excellentiam, & reuerentiam simul, quàm eodem debemus, eodem tempore & loco simul laudantes, & magnificantes, reipsa pariter, quantùm possumus, & scimus, demóstramus: quando, videlicet, ante ipsam nos humiliter, ac deuotè prosternendo, eamque adorando concorditer cantamus.

Tantum ergo Sacramentum veneremur cernui.

2 Sanè in sermonibus alijs multa sœpè de Eucharistiæ excellentia, ac de reuerentia eidem debita, & potissimùm, vt Sacramentum est, adducimus: nonnulla specialia modò in hoc concinnabimus pro excellentia seorsum in verbis istis, quæ ex sacro Hymno omnes simul pronunciauimus. *Tátú ergo Sacramétú.* In sequenti verò de eius reuerentia agemus, quæ excellentiam ipsam consequitur, illud similiter sequentes, quòd ad illa sequitur. *Veneremur cernui. Tantum ergo Sacramentum,* & nos ergo cantemus hodie sanctissimam Eucharistiam deuotè venerantes, & laudantes spirituali mentis nostræ iubilo.

3 Breuia sunt hæc verba, quæ pro hoc assumpsimus, & breuibus verbis pariter Eucharistiæ excellentiam explicare possumus, vel indicare saltem, si solùm, scilicet, dicamus, quid illa sit, & quid in illa contineatur, præsertim doctrinam sequentes Doctoris subtilissimi Scoti nostri, in quarto sent. distin. 8. quæst. 1. *Sacramentum,* nimirum, *corporis, & sanguinis Christi, veraciter contenti sub speciebus panis, & vini, post Consecrationem factam à Sacerdote, sub verbis certis, cum debita intentione prolatis, ex institutione diuina veraciter significans corpus Christi, & sanguinem sub eis realiter contineri.* Verè enim, dum dicimus in Eucharistia contineri Iesum Christum Dominum nostrum Dei, & Virginis filium, ipsumque gloriosum, ac immortalem, sicut nunc est in Cœlo sedes ad dexteram Dei Patris Omnipotentis, vnde etiam venturus est iudicare viuos, & mortuos, id totum ac summú de ipsa diximus, quòd in laudem eius referre possumus, nam & Doctor gentium Paulus Apostolus cum eamdé Eucharistiam nobis commendare vellet, hoc ipsum solùm in medium attulit, nempe, quòd in ea sit corpus & sanguis Christi: & ex hoc solo aliam simul potissimam eiusdem excellentiam indicauit, id, nimirùm, quòd in nobis efficit.

Primùm ergo de sanguine Eucharistico sic ait in prima ad Cor. c. 10. *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est?* Posteà de corpore immediatè subiungit. *Et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* Sensus enim priorum verborum de sanguine hic est secundú Anselmum. *Calix, cui Christ⁹ in cœna benedixit, & cui nos Sacerdotes in Missa benedicimus, vel cuius haustu benedictio credentibus infunditur dicitur communicatio sanguinis Christi, quia facit eos qui dignè bibunt illum, esse participes vitæ Christi quæ per sanguinem designatur: quoniam anima carnis (vt Moyses dixit) in sanguine est: Hoc est, facit nos esse illius beatitudinis, & gloriæ participes, in qua cum anima ipsius anima nostra vnum quod fiat per eiusdem gloriæ consortium.* Sic Anselmus, & Chrisostomus similiter personam Pauli assumens, hæc eiusdé verba sic explicat: *Calix benedictionis, &c. Nàm quando dico benedictionem, explico omnem thesarum Dei beneficentiæ, & magna illa dona in memoriam reuoco. Nàm nos quoque ad Calicem recensentes, ineffabilia Dei beneficia, & quæcumque sumus adepti, ita ipsum offerimus, & cómunicamus gratias agentes, quòd ab errore liberauit hominum genus: quòd cum longè essemus, propè fecerit, quòd cum spē non haberemus, & sine Deo essemus, suos fratres effecerit, & cohæredes. Pro his ergo, & quæcumque sunt huiusmodi gratias agentes ita accedimus:* Sic Chrisostomus cum Anselmo de sanguine Christi in Eucharistia, & de excellentia eius.

Quòd verò de sanguine Christi dicitur, id ipsum similiter suo modò de corpore eius asserendum est: de hoc enim idem Paulus immediatè subijcit: *Et panis, quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est?* Idem enim Anselmus sic ista exponit. 5

Et Panis, quem nos Sacerdotes in Altari frangimus, & quem vnum in multas partes diuidimus, ad designandum vnionem charitatis accipientiú, nonne participatio corporis Domini est? idest, nonne hoc operatur in nobis, vt tandem corpora nostra recipiant participationem immortalitatis, & gloriæ corporis Christi? Hoc est dicere: participatio calicis, & panis Dominici facit, vt anima nostra, & corpus tandem conformetur animæ, & corpori Christi secundùm receptionem eiusdē beatitudinis: Tunc autem hoc erit: si quòd in Sacraméto visibiliter sumitur, in ipsa veritate spiritualiter manducetur, spiritualiter bibatur.

Hæc

Hæc Anselmus. Hinc, & Chrisostomus rursus eadem verba interpretando, sic primò interrogat: *Cur non dixit: participatio, quemadmodum dixit, communicatio: Et panis quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est.* Et respondet statim sibi ipsi. *Quoniam voluit aliquid amplius significare, & magnam indicare coniunctionem: Non solùm n. communicamus, eo quod sumus participes, & sumimus, sed etiam, eo quod vniamur:* sic ille: Et posteà adhuc progreditur specialius exponere verba illa: *Quem frangimus* Sic: *Cur autem addit: Quem frangimus? Hoc enim licet videre fieri in Eucharistia: In Cruce autem non itidem sed vtiquè ei cõtrarium: Os enim (inquit) eius non conteretur: Sed quod non est passus in Cruce, hoc in oblatione patitur propter te: & patitur frangi, vt omnes impleat.*

6 Hæc Chrisostomus, ex quibus, & alijs omnibus, quæ adduximus, verba Apostoli de corpore, & de sanguine Christi Domini exponentes, satis perspicuum relinquitur id, quod Eucharistiæ singularem excellentiam, ac dignitatem demonstrantes, asserebamus, nempe, quòd, dùm dicimus, in illa Christi corpus & sanguinem veraciter contineri, & ipsũ Christum, id totum, & præcipuum, ac præstantissimum omninò de illa dicimus, quòd de illa dicere, vel cogitare possumus: Ex hac enim excellentia eius, alia etiam continuò cõsurgit, nempe, effectus eiusdem multiplices, ac mirabiles omninò, quos in dignè sumentibus ipsa Eucharistia causat, de quibus aliàs frequenter.

7 Hinc Vrbanus Quartus in sua bulla, quàm de Eucharistia edidit, eius festum statuens, ipsamque summè commendans, & extollens sic in eius laudem primò ait. *Transiturus de hoc mundo ad Patrem Saluator noster Dominus Iesus Christus, cum tempus suæ passionis instaret sũpta cœna, in memoriam mortis suæ instituit summum, & magnificum sui corporis, & sanguinis Sacramentum, corpus in cibum, & sanguinem in poculum tribuendo.*

Hinc rursus idem Pontifex ibidem, appellat hoc Sacramentum, *præcelsum, & venerabile:* & iterùm, *excellentissimum Sacramentum.* Hinc Dionysius de Ecclesiast., Hier., & alibi ipsum similiter, vocat *Omnium Sacramẽtorum consumationem, finem, capitulum, perfectionem, à quo aliorum Sacramentorum perfectio dependet, perfectionem perfectionum, perfectã traditionem, & sacrosanctum Sacramentũ, &c.*

Hinc Sanctus Martialis in quadam Epistola Eucharistiam eamdem, vocat *Communionem Dei viui, mensam diuinam, & escam in fide perfectam, totam Cœlestem.* Hinc in liturgia, siue Missa S. Iacobi, sic orat Sacerdos. *Propositis pretiosis, Cœlestibus, ineffabilibus, immaculatis, gloriosis, venerandis, tremendis, ac spiritualibus donis, &c.*

Hinc non solùm ipsum Sacramentum vocatur anthonomasticè à *sanctissimum*, sed in quibusdam prouincijs ipsum etiam Altare Sacramenti eodem modò vocatur *Altare sanctissimi*: Tãdem vocatur etiam dignissimum, augustissimum, altissimum, sublimissimum, eminentissimum, maximum, diuinissimum, &c. Ob eius, nimirum, summam dignitatem, præstantiam, sanctitatem, ac virtutem: sicut etiam innumera alia habet laudum nomina, & præconia ipsa Eucharistia in communi, & secundùm se considerata, & similiter, prout est etiam sacrificium: de quibus solis possemus longissimam seriem texere.

Sed nos modò eam solùm, vt Sacramentũ consideramus. Sanctus Cyprianus ad eius nomina specialia descendens, sic ait in suo serm. de cœna Domini, ipsius etiam excellentiam commendans. *Hoc Sacramentum aliquando carnem & sanguinem, aliquando panem Christus appellat, portionem vitæ æternæ, cuius secundùm hæc visibilia corporali communicauit natura*: Quæ sic declarat. *Panis est esca: sanguis vita: caro substantia, corpus Ecclesia: corpus propter membrorum, in vnum conuenientiam: panis propter nutrimenti congruentiam: sanguis propter viuificationis efficientiam: caro propter assumptæ humanitatis proprietatem*: Et idem Doctor quibusdam interpositis adhuc hæc ipsa magis explicat, sic subiungens de Christo Domino: *Ipse enim, & panis, & caro, & sanguis: Idem cibus, & substantia, & vita factus est Ecclesiæ suæ, quàm corpus suum appellat, dans ei participationem spiritus.* 8

Hæc Sanctus Cyprianus, cum quibus alterius sermonis in cęna Domini apud Bernardum verba iungenda videntur, quæ sunt de eadem Eucharistiæ præstantia, quàm hoc nostro sermone principaliter prosequimur, vt inferamus: *Tantum ergo Sacramentum, &c. Hic pereat phisicale nutrimentum*: ait primò Auctor allegati sermonis: posteà sic pergit in Eucharistiæ laudibus: *Cibus iste, non est ventris, sed mentis: Non est enim datus ad ruinas huius vitæ, quæ vapor est ad modicum parens, sed* 9

ad

ad æternam vitam animæ conferendam. Iste est panis Angelorum, qui nescit putrescere: non vadit in secessum, sed tendit in excelsum: Illuc reducit hominem, unde traxit imaginem: Caro autem mea verè est cibus: Sic ille de corpore Christi: postea de sanguine suo Christū sic loquentem introducit.

Liquor iste, quem vides, iam non est vinum, sed sanguis meus, quem pro te fundi in pretium, tibi reseruans in Altari poculū, in peregrinatione tua præsidiū, in exitu de Egypto conductum, in Cœlo viaticum. Ego botrus carnis pro salute tua portatus sum ad torcular crucis: inde eliquatum est mustum tuæ redemptionis: Sanguis autem meus verè est potus.

10 Vrbanus Quartus iam relatus alia de codē Sacramento tradit his valde affinia, ideoquè his meritò iungenda. *Hic est cibus* (inquit) *qui plenè reficit, verè nutrit, summeque impinguat non corpus, sed cor, non carnem, sed animā, non ventrem, sed mentem*: & prosequitur adhuc in hunc modum.

Homini ergo, qui spiritali alimonia indigebat Saluator ipse misericors de nobiliori, & potentiori huiusmodi alimento prouidit: decens quoque liberalitas extitit, & conueniens operatio pietatis, vt verbum Dei æternum, quòd rationabilis creaturæ cibus est, & reffectio, factum caro, se rationabili creaturæ carni, & corpori, homini, videlicet, in edulium largiretur, panem enim Angelorum manducauit homo, & ideò Saluator ait. Caro mea verè est cibus. Hic panis sumitur, sed verè non consumitur: manducatur, sed non transformatur: sed si dignè recipitur, sibi recipiens conformatur. O excellentissimum Sacramentum, &c. Hæc omnia summus & sanctus ille Ecclesiæ Pastor.

11 Præclara sunt etiam, ac pia, & affectuosa valde ea, quæ Sanctus Hieronymus de eiusdem Eucharistiæ excellentia protulit, & potissimùm, vt Sacramentum est, quando, nimirum, morti appropinquans, illam pro viatico ad Cœleste patriam statim sumpturus erat. Ideoque sicut ex illis nonnulla alia relero in alijs sermonibus pro varia opportunitate, sic in isto cum de excellentia eiusdem Sacramēti sit, multò plura hic transcribam pro his præsertim qui Hieronymi librū non habent, quòd & de alijs eadem de causa aliquando soleo: Cum enim propè illum esset Sacerdos Eucharistiam illi deferens, genibus flexis cum cunctis lenentibus, magnis lacrymis & suspirijs, & quampluries percutiens pectus suū, hæc ad illam inter alia dixit, vt scribiti Eusebius de morte Hieronymi.

O ferculum excellentissimum, venerandum, 12
colendum, adorandum, glorificandum, & amplectendum, omnibus extollendum laudibus, exaltandum cunctis præconijs, firmiter in cordis visceribus retinendum, & perpetuis temporibus alligandum animo. Cecidit homo per cibum ligni vetiti ad miseriam, per te releuatur ad æternam gloriam. Tu certè in rectis, & eruditis habitas cogitationibus. Tu miserimum, arrogantem, & superbum detestaris diuitem, eum dimittens inanem, & vacuum, ac de te famelicum. Tu pauperem, iustum, pium, & humilem omnibus eum implens diuitijs, tua domus vbertate satias. In te, & per te est rectum iudicium, & æquitas. Tecū prudentia, & fortitudo, & omnis victoria. Per te sancti regnant in Cœlestibus. Per te Doctores prædicant. Per te iustus viriliter contra hostes dimicat. Tu superbum potentem deponis de sede, exaltando humilem. Tecum sunt omnes diuitiæ, & gloria. Te diligentes diligis. Qui ad te puro corde vigilant, te inueniunt. Quoniam cū simplicibus, & rectis corde graderis. Tu solus ante omne principium, omnium eras & finis, & principium. Tu solus sine tempore æternè à Deo Patre genitus. Quam beati, qui te diligunt, qui aliud quam te non desiderant, qui de te assiduè cogitant, qui te dignè comedunt, qui tecum manentes, omnes vias tuas omni tempore custodiunt. Certè qui te inueniunt, inueniunt vitam, & hauriunt vitam interminabilem.

O esca mirabilis, ac stupenda, delectabilis, ac 13
iucunda, suauissima, ac super omnia peroptanda. In qua tot sunt innouata signa, & mirabilia immutata, in qua omne habetur delectamentum, & ad omnium gratiarum proficimus incrementū. Quàm singularis, & inaudita tua liberalitas. Quàm superabundantissima, ac prodiga largitas, vt tui neminem exortem facias, nisi ad te venire contemnat.

Si quis ergo paruulus est, securè ad te veniat, 14
& te comedens, fiat magnus: & relinquens semitas infantia, per vias ambulet prudentiæ: si quis debilis est, ad te declinet, & protinus fiet fortis: si quis infirmus, sanabitur: si quis mortuus est, si audire te voluerit, vitam interminabilem aprehendet: sed qui magnus est, & fortis, nec hic te deserat, nam superabundanter in te inueniet quo pascatur. Nemo certè sine te viuere potest ad momentum. Tu solus vitam das omnibus creaturis. Idcircò defecit cor meum, & caro mea.

Deus

Deus cordis mei, & pars mea Deus in sæcula. In te solùm delectatur cor meum. In te exultat anima mea: tibi soli adhærere cupit mens mea. Quoniam qui elongãt se à te peribunt; tu autem Domine ne longe facias auxilium tuum à me: Sed tuam ad me inclina aurem misericordiæ: Te edat pauper, & inops, & satietur: & tunc viuens collaudabit te.

15 *O lux inuisibilis, inextinguibilis, & omnia verè illuminans, sedenti cæco huic secus viam miserere mihi fili David, clamanti, visum tribue, quæso, quo te videat. Propitius quæso Domine, huic esto peccatori, vt sis mihi adiutorium. & in locum refugij, vt saluum me facias; Et tunc, si ambulem in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es: Mortuus en, pie Iesu, Iaceo: exurge, & resuscita me. & confitebor tibi: æger, & infirmus sum, cui nulla est amplius in carne sanitas, medicus es, sana me.*

Nudus affligor frigore. diues es, indue me. fame in hac solitudine pereo: cibus es, satia me: Sitio, salubre poculum es, inebria me: Infixus sum in limo profundi & non est substãtia. Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me, laboraui clamans: Raucæ factæ sunt fauces meæ: Iam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam: educ me de laqueo isto protector meus, gubernator meus, firmamentũ meũ, refugiũ meũ, dux me⁹, & Rex me⁹, & De⁹ me⁹: In cuius commendo manibus spiritũ meũ, quẽ in Crucis stipite redemisti: cui vitã, & misericordiã tribuisti Respice Domine humilitatem meam, nec cõcludas me in manus inimici. Hodiè tecum ingrediar in locum Tabernaculi admirabilis, vt inhabitem in domo tua in longitudine dierum in sæcula sæculi.

16 Hæc omnia Sanctus Hieronimus moriens ad Euchariltiam inter alia multa.

His nunc pro eorum signaculo illa etiam apponemus, quæ idem docuit explicans hæc Ezechielis verba c. 44. *Porta hæc clausa erit, & non aperietur: & vir non transibit per eam, &c. Nemo enim potest passionis Domini corporisque eius, & sanguinis Sacramenta pro maiestate cognoscere.*

Si nemo potest, teste Hieronymo Sacramenta corporis, & sanguinis Christi cognoscere pro maiestate, multò minus procul dubio, illo exponere poterit, vel extollere.

Hinc Sacramentum hoc Eucharistiæ ineffabile dicitur, indicibile, inexplicabile, imperscrutabile, incomprehensibile, ininuestigabile: sicut etiam ob eandem excellentiam & sanctitatem eius innumera alia habet honoris, ac laudis Encomia vt iterum diximus.

Vide, pro his omnibus de ipso iure ma- 17
gno id prædicabimus, quòd de Deo, qui in illa est, olim narrauit Ezechiel in uisione quadam de eodem cap. 43.

Terra splendebat à maiestate eius: Vel: *Terra splendebat propter gloriam eius*, secundùm Hebraicam translationem: sicut etiam id, quòd interius subiungit idem Propheta de eodem: *Et Maiestas Domini ingressa est templum*: Vel: *Gloria Domini ingressa est Domum*, vt inquit idem Hebraicus textus, & Grecus simul: Quia enim maiestas eiusdem Domini nostri Iesu Christi, & idem Christus per Eucharistiæ institutionem, non imaginaria visione, vel enigmatica, nec repræsentatiue solùm, vt olim, sed verè, ac realiter ingressus est Ecclesiam, quàm domum suam idem appellauit, & hoc in omni terra, in toto terrarum orbe, vbi idem Christus colitur. Ideo à maiestate, & gloria eius tota ipsa terra verè splendere dicitur: Et si enim altis etiam eidem cantetur. *Pleni sunt Cœli, & terra Maiestatis gloriæ tuæ.* Nihilominus, quia terra solùm, non verò Cœlum Eucharistiam habet, ipsa sola etiam, non verò cum illa, & Cœlum splendere prædicamus ab eiusdem Eucharistiæ Maiestate, vel etiam plenam esse Maiestate gloriæ eius.

Verè enim est ipsa Eucharistia totius ter- 18
ræ, & fidelium omnium, qui in terra habitant vera gloria, honor, splendor, & decus vnicum, ac singulare nimis, ornamentum, & velut insigne eius, stemma eius, corona eius, denique laus eius.

De Eucharistia sic in veritate gloriatur Ecclesia Prouerbiorum octauo. *Mecum sunt diuitiæ, & gloria opes superbæ, & iustitia*: Vel alia trãslatione: *Diuitiæ, & gloria mihi est, & possessio multorum, & iustitia*: Vel alia adhuc: *Diuitiæ, & gloria mecum sunt, substantia multa, & iustitia*: Eucharistia siquidem gloria est (vt diximus) Ecclesiæ, & gloriatio eius, sancta ambitio, superbia, & iactantia eius. Hic splendor, hæc dignitas, hæc magnificentia, hæc amplitudo illius. Hæc est spes eius, hæc securitas, hoc tutamentum, hoc præsidium, hæc virtus, potentia, fortitudo, robur uires. Hæc possessio, hæc substantia, hæc opulentia, hæ facultates, hæ opes, hæ diuitiæ.

Hi

Hi denique sunt thesauri eius, & quæcumque digna, quæcumque egregia, quæcumque præclara, quæcumque illustria, quæcumque pulcra, quæcumque chara, quæcumque pretiosa, quæcumque bona, quæcumque delectabilia, quæcumque denique amabilia, & desiderabilia sunt eius.

19 Dicitur verò ipsa Eucharistia etiam Ecclesiæ iustitia, quia per illam omnem iustitiam & sanctitatem habet, quæ omnes in se virtutes claudit. Vnde Sanctus Bonauentura noster de ipso Eucharistiæ Sacramento scribens in suo tractatu de præparat. ad Missam, sic ait. *Per hoc stat Ecclesia, roboratur fides, viret, vel viget Christiana religio, & diuinus cultus*: Cui concordans Scotus noster in præcitato loco, hæc similiter de eodem docet. *Congruum est Christum esse nobiscum in tali signo sensibili, vt magis excitetur quilibet ad reuerentiam; & deuotionem ad Christum: Et hoc patet de facto: quia, quasi omnis deuotio in Ecclesia est in ordine ad illud Sacramentum: propter hoc enim Clericus cum maiori diligentia persoluit officium diuinum in ordine ad Missam: propter hoc etiam populus deuotius audit Missam, quam aliquod aliud officium Ecclesiasticum: propter hoc etiam singuli cum maiori diligentia confitentur, quando intendunt secundùm ordinationem Ecclesiæ, saltem semel in anno communicare.*

20 Omnia verò bona hæc, quæ in Eucharistia, & per Eucharistiam habemus, sicut multis verbis, illis prouerbialibus explicantur. *Mecum sunt diuitiæ, & gloria opes superbæ, & iustitiam*: sic vno tantùm verbo clauduntur, quòd est vltimum Ezechieles prophetiæ. hoc nempe, *Dominus ibidem*: sic enim Propheta. *Nomen ciuitatis ex illa die, Domininus ibidem.* Hæc certè ciuitas Ecclesia est, secundùm Hieron. Lyr. Hug. Dion. Mald. Pint., & alios. Ideo enim secum sunt diuitiæ, opes &c. quia Dominus cuius hæc omnia sunt, & cum quo illa sunt secum est: Ideo sunt in illa diuitiæ, & gloria, & alia omnia, quia Dominus ibidé est, tanquam in domo sua, nimirum. Nam, *Gloria, & diuitiæ in domo eius*: Idcircò in veritate dicit Ecclesia de Eucharistia. *Mecum sunt diuitiæ, & gloria, &c.* quia idem Christus, hoc ipsum de seipso verissimè primùm dixit, Nam, quòd est cum domus Domino, hoc sanè est cum domo, & in domo eius.

Ideò in Ecclesia domo Domini diuitiæ, gloria, & reliqua omnia bona sunt, quia Dominus, cuius hæc sunt, est ibidem: *Nomen* (inquit) *ciuitatis ex illa die, Dominus ibidem.*

21 Hinc Ionathas Chaldeus paraphrastes, sic Zachariæ verba vertit: *Et nomen ciuitatis exponent à die, quo posuit Deus diuinitatem suam ibi*: Syrus autem: *Et nomen ciuitatis a diebus eius, ex quo condita est: Dominus appellauit eã*: Et Arab. Alex. *Et nomen ciuitatis iam no minauit eam Dominus prima die illius, scilicet, ex quo cœpit.* Itaque, si ciuitas hæc Ecclesia est, dicendum est, quòd, ex quo ipsa Christianorum cœpit esse, ex illa, scilicet, die, quo Dominus noster Iesus Christus condidit & ædificauit eam præsertim passione & morte sua. & ipsemet, qui vbique est per diuinitatem suam, nam, *Cælum, & terram ego impleo dicit Dominus*. Hier. 23. eamdem diuinitatem suam, specialimodò in ea posuit, videlicet, cum assumpta humanitate in eodem Sacramento, nomen ciuitatis eiusdem idem Dominus nominauit, quòd quidem nomen est ipsum nomé suum, scilicet, *Dominus ibidem*: Quia verè in Sacramento Dominus est: Quia ibidem certè est.

22 Quid verò hoc loco significat ista vox, *nomen*, quòd habet Ecclesia ab illa die, quòd quidem nomen, est hoc: nempe, *Dominus ibidem?* Certè nomen hoc, siue vox *nomen* in scripturis significare solet idem quod *virtus, potentia, auctoritas, auxiliũ, protectio, fauor, &c.* aliquando et pro *gloria* accipitur, vt Hier. 33. *Erit mihi in nomen, & in gaudiũ, & in laudẽ. &c.* Et hoc modò accipitur hic, dũm dicitur. *Nomen ciuitatis ex illa die: Dominus ibidem.* Vnde Ord. Glossa hoc loco ait: *Consueuit siquidem scriptura nomen ipsã gloriã nominare.* Sic ergo hoc loco præsertim, nomen gloriam significat, & nomen Ecclesiæ est, quòd Dominus ibidem sit in Eucharistia, ergo etiã hoc ipsum gloria Ecclesiæ est: & de hoc ipso nomine, quod est gloria sua, gloriatur super omnia iure meritò: Et quia etiam ipsum nomen pro re, cuius est nomen, hoc loco sumitur, ex more pariter scripturarum: Quia verè idem Dominus ibidem est in Eucharistia, ex qua illa nomen, & gloriam trahit, vnde gloriatur.

23 Et confirmantur hæc omnia ex D. Hieronymo, qui hæc prophetica verba de Ecclesia explicans, sic ait: *Nomen quoque ipsius ciuitatis nequaquam erit, vt prius Hierosolima, quæ inter-*

interpretatur, visio panis; sed Adonaysama, quod in latinum sermonem, vertitur, Dominus ibidem: qui recedat nunquam ab ea, vt à priori populo ante discessit, dicens ad Discipulos: Surgite abeamus hinc: Et ad Iudeos: Relinquetur vobis domus vestra deserta, sed aeternam habeat possessionem, & sit ei ipse possessio: vsdem Discipulis repromittens: Ecce ego vobiscu sum, vsque ad consumationem seculi. Sic Hier.

24 Praeterea his omnibus addendum videtur, quod Eucharistia non solùm nomen est Ecclesiae, & gloria eius, ac gloriatio, de qua ipsa super omnia veraciter gloriatur, sed est etiam Christi Domini nostri nomen, vel agnomen, siue supranomen potius, vt vulgo dicitur, & gloria et, & gloriatio, de qua & ipse similiter nullu gloriari videt. Nomē quidē Dei, quo seipsum ore proprio nominauit ab antiquis temporibus, est hoc: *Ego sum, qui sum.* Hoc enim Deus Moysi indicauit, cum ei apparuit in flamma ignis de medio rubi: & hoc eodem nomine mandauit illi, vt seipsum nominaret in Egypto coram filijs Israel, vt habetur Exodi. cap. 3. *Sic dices filijs Israel: Qui est, misit me ad vos.* Sic nos legimus: In Hebreo verò apud Vatablum: *Sic dices filijs Israel sum misit me ad vos.* Verum antiquo huic nomini suo Deus agnomen, vel supranomen aliud nouum (vt dicebamus) super addidisse in vltima mundi aetate homo factus videtur, quando, videlicet, post Eucharistiae institutionem, & respectu eiusdem, nomini suo priori, nimirum, *sum qui sum,* addidit: *Vobiscum sum:* tanquam agnomen, vel supranomen: & vtrumque simul coniungens, ac retinens, & ex vtroque simul etiam seipsum nominans, de vtroque pariter se iactat, & gloriatur, dicens *Ego qui sum, vobiscum sum:* quasi dicat: olim vocabar solùm, *sum, qui sum:* nunc vocor: *sum, qui sum vobiscum:* Vel: *Qui sum, vobiscū sum,* & hoc: *omnibus diebus vsq; ad cōsumationē seculi.*

25 Et de hoc secundo nomine, etiam signanter idem gloriari videtur, non autem sic de primo; quia primo nomine absolutè se nominauit, sine alio addito: secundo verò, nō sic, sed praeponens ei dictionē *Ecce: Ecce* (ait) *vobiscum sum omnibus diebus, &c. Ecce:* quasi aliquid magnum, ac mirabile, sibique gratū, ac honorificum demonstrans, & ostentans ipsū nomen secundū: slz. *Vobiscum sum,* sicut & de facto nobiscū esse in Eucharistia gratū sibi valdè est, ac gloriosum: Vnde de hoc ipso idem ore proprio et gloriatur, & tanquā de re gratissima, & honorifica valdè: *Et deliciae meae esse cum filijs hominum.*

26 Et videntur haec omnia clariùs exponi per verba sequentia, quasi per glossam quandam: *Hoc nomen* (subdit Dominus) *mihi est in aeternū: Et hoc memoriale meum in generationē, & generationem:* Quasi illa priora verba, nempe, *Hoc nomen mihi est in aeternum,* intelligat de suo nomine antiquiori: *sum, qui sum;* posteriora verò: *Et hoc est memoriale meum in generationem, & gen rationem,* de nomine, siue supranomine recentiori respectu Eucharistiae: *Vobiscum sum,* de quo ipsum gloriari dicimus, etenim: *Memoriale eius vt vinum:* inquit Oseae c. vlt. vlz. Eucharistia subvini specie, sicut etiam sub specie panis. Vnde ante hoc idē Propheta ait de eadē Eucharistia sub tritici panis forma: *Viuent tritico: Hoc est memoriale dulcissimū* (inquit Vrbanus Papa 4. li. de Eucharistia) *memoriale sacratissimum, memoriale saluiferum: in quo gratiam Redēptoris nostri recensemus memoriā, in quo à malo retrahimur, & in bono confortamur, & ad virtutum, & gratiarū proficimus incrementa: In quo profectò proficimus ipsius corporali praesentia Saluatoris:* Sic ille. Hoc est memoriale, & nomen nouū Christi, siue memoriale, & memorabile nomen, de quo gloriantèr gloriabatur quādo ad Discipulos suos sic loquebatur, *Ecce ego vobiscū sū omnibus diebus, &c.* nos similiter cum eo, & ad eius gloriā eiusdē memoria ilis sui, & memoramur, & gloriamur, & cantamus etiam dicentes. *Memoriā fecit mirabiliū suorum misericors & miserator Dominus: escā dedit timentibus se:* Et hodiē signanter ipsum laudantes etiam, & venerantes in verbis istis. *Tantū ergo Sacramentū veneremur cernui.*

27 Sed iam quaeret aliquis, si & corpus Christi in panis specie Sacramentum est, & sanguis eiusdē similiter sub specie vini, cur cantando dicimus: *Tantū ergo Sacramētū,* in singulari, & nō *Sacramenta* in plurali? Vel clariùs, sic interrogabit: est ne Eucharistia vnū Sacramentū, an plura? Sufficiat pro responsione doctrina Scoti, ex praenominato loco, q̄ huiusmodi est: *Congruit autem hoc Sacramentū habere talē vnitatem integritatis, & nō indiuisibilitatis: quia est ad completam nutritionem animae, quā significatur per completam nutritionem corporis. Cōpleta autem nutritio corporis fit ex aliquo vno vnitate integritatis, non vnitate indiuisibilitatis, slz. ex alimento: Non .n. nutrit sufficienter cibus sine potu, nec è conuerso:* sic Doctor noster sub illis.

28 Vnum tantum ergo Sacramentum Eucharistiae dicimus verè, etsi plura dicantur Sacramenta, quia plures sunt species ipsae, in quibus Eucharistia conficitur, ad signandum (vt dictum

 hac

(inquit Scotus) nutritionem animæ similem nutritioni corporis ex cibo, & potu. Plura etiã dicuntur, quia pluribus specialibus consecrationibus ipsum Sacramentum conficitur in ipsis panis, & vini elementis, sub quorum accidentibus etiam post ipsam consecrationem manet, & à nobis sumitur.

Item plura Sacramenta dicuntur, quia hæc omnia in pluribus locis fiunt: & à pluribus etiam simul, & semel sumitur idem Sacramẽtum, & in pluribus etiam locis, sicut in vno, & eodem, & sub vtraque simul specie, sicut sub vna solùm.

Propter hoc, non solùm Diuina scriptura, & Ecclesiæ Doctores, sed ipsa Ecclesia cum eis, quando præsertim hoc Sacramentum conficitur, & sumitur à fidelibus, eandem Eucharistiam modò vnum, modo plura appellat Sacramenta. Hinc similiter in eadem etiam Missæ oratione post Communionem sic primò orat Sacerdos. *Purificent nos quæsumus omnipotens, & misericors Deus Sacramenta, quæ sumpsimus:* Et posteà immediatè subdit: *Et intercedentibus omnibus sanctis tuis præsta, vt hoc tuum Sacramentum, &c.* Proinde & nos in eodẽ Hymno cum cantauerimus quasi de pluribus Sacramentis. *Verbum caro, panẽ verũ verbo carnem efficit: fitq; sanguis Christi merum, etsi sensus deficit: ad firmandũ cor syncerum, sola fides sufficit*, statim subiungimus quasi de vno tantùm: *Tantũ ergo Sacramentũ, veneremur cernui:* quod quidẽ iam satis nos cantasse, satisq; replicasse videtur, super breue hoc versiculũ longum satis canticum cantantes, & quasi super cantu firmo (quomodo illud cantamus communiter) contrapunctum (vt dicitur) satis prolixum facientes.

28 Itaque sicut aliquando post quam multum multi simul cantauerunt, cantat vnus solus alijs omnibus silentibus, vbi in eorum libris, scribitur hoc verbum: *Tacet:* vnde vulgo pars, quæ dicitur *tacet*, sic cum multi vsque modò ex sanctis Patribus, & Doctoribus Sacramenti Eucharistiæ excellentiam, secundùm se excellenter etiam simul cantauerint, pro ipso cantu a me hoc loco calamo congregati, excellentiam modò eius in ordine ad alia omnia Sacramenta cantabit voce subtili, nempe, suprani, vulgo subtilis, & supranus Doctor Scotus noster solus alijs omnibus tacentibus, cum in canticis de Eucharistia signanter sit procul dubio cantor excellentissimus, & singularis, sicut ipsa cantica manifestè testantur in Quarto libro suo sententiarum.

Audiatur attentè, ac deuotè simul: post hoc enim de ipsa Eucharistia motectum, tota sermonis nostri armonia de eadẽ iam satis lõga terminabit.

Ex dictis patet (iam incipit Scotus) *quadruplex differentia, & excellentia huius Sacramenti ad alia, quarũ triplex est in significando: Vna est, quia est simpliciter veracissimũ in significando: alia n. Sacramenta veracia sunt quantũ est ex se, tamen quandoq; non habent effectum suũ signatũ propter indispositionẽ suscipientis: istud aũt nunquã caret suo signato: secũda excellentia est, quia quod significat istud Sacramentũ, hoc realiter cõtinet, alia aũt non: tertia excellentia est signati per istud; alia enim Sacramenta significãt gratiã accidentalẽ inhærentẽ suscipienti, istud aũt significat gratiã subsistentem, s. verũ corpus Christi ibi existens. Vltima differentia est in modo essendi istius Sacramenti: quia alia omnia Sacramenta consistunt in vsu, & in fieri, ita quod est idem ibi Sacramentũ, & perceptio Sacramenti: sicut Baptismus est perceptio Baptismi, nec permanet aliquid, quod sit Sacramentũ, cessante vsu tali, vel perceptione: sed hoc Sacramentũ est quoddã permanens etiam ante vsum: & hoc congruum erat, quia Christus permanẽter voluit esse nobiscũ, ergo in aliquo signo vel Sacramento permanente. Vnde vsus huius Sacramenti non est Sacramentũ: vsus enim verborum sacramentalium est quasi via ad Sacramentum: quia in termino prolationis verborum incipit esse Sacramentum: sed vsus, & perceptio istius Sacramenti est quadam dispositio Sacramentalis, seu vsus, qua hoc Sacramentum applicetur membro Ecclesiæ: Et bene possibile est in vtroque vsu, si dignè fiat, gratiam conferri vtenti: sed hoc non est formale, & primum significatum Eucharistiæ, sed quidam actus Sacramentales, in quibus bene potest gratia recipi, si dignè fiant: magis tamen in perceptione, quàm in cõsecratione. Quia actus perceptionis significat nutritionẽ spiritualem, quæ est per gratiæ collationem.* 9 22

Hic desinunt verba Scoti de Sacramenti 30 Eucharistiæ excellentia, & hic pariter terminabunt verba mea de eadem; *Potest ne æstimari quale, vel quãtũ est hoc sanctũ sanctorũ, Sacramentũ Sacramentorũ?* Sic S. Bern., vel alius apud illũ: si ergo æstimari nõ potest quale, vel quãtũ sit hoc Sacramẽtũ Sacramentorũ, quomodo hoc poterit enarrari? *Tantũ ergo Sacramẽtũ* iã sæpe cãtauimus, sed quãtũ sit hoc tantũ Sacramẽtũ, nec enarrauimus, nec enarrare possumus, quia nec possum' æstimare. Itaq; ab æstimatione, & ab enarratione iã cessabimus. Solũq; illud adorabimus iterũ repetẽdo: *Tantum ergo Sacramẽtũ veneremur cernui. Amen.*


SERMO DECIMVSQVARTVS.

De Eucheristiæ Reuerentia.

Veneremur Cernui. Hymn. Corporis Christi.

ARGVMENTVM.

Reuerentia Eucharistiæ debita demonstratur, idque potissimum Isaiæ varijs testimonijs: Pro hac contra irreuerentes inuehitur, & exempla quamplurima adducuntur, non solùm hominum, verùm etiam Angelorum, Dæmonum, & bestiarum: & denique idipsum comprobatur ex veneratione Reliquiarum Sanctorum, dùm ipsa Eucharistia Reliquia Reliquiarum ostenditur.

1 Vcharistiæ excellentiam, & sanctitatē, quā Sacramentum est, aliqua ex parte saltem præcedenti sermone demonstrauimus. Reuerentiam, & honorem, quem eidem quoquo modò considerare debemus, clariùs modò, ac distinctius pertractabimus. Conueniens ordo sanè, post eius excellentiam, præsertim reuerentiam eiusdē considerare: siquidem illud, istius causa est, & ratio potissima: Vnde & Ecclesia etiam in hymno suo post excellentiam eius, statim reuerentiam subijcit, ex primo secundùm inferens, ad Eucharistiæ, nempe, reuerentiam, propter eius excellentiam nos monēns, ac dicens: *Tantum ergo Sacramentum veneremur cernui:* Sicque, quòd loquimur, hoc operamur; quòd ore proferimus, hoc opere complemus, Eucharistiam ipsam deuotè, ac humiliter laudantes simul, ac venerantes.

2 Itaque, cum priora illa verba: *Tantum ergo Sacramentum*, pro Eucharistiæ excellentia tunc explicauerimus, posteriora modo hæc: *Veneremur cernui*, pro reuerentia eiusdem pariter nunc explicemus, multorum auctoritate & exemplis etiam illam comprobantes pro viribus: Et antequam vlterius progrediamur Eucharistiæ venerationem pertractantes, quæ in eiusdem adoratione principaliter consistit, cum nos illam adoremus tanquam vnum quid ex Christo, & ex speciebus coalescens vnico adorationis absolutæ, & perfectæ actu, quæ à theologis latria dicitur, intendamus verò sic adorare non solùm Christum principaliter in eadem verè contentu, sed id etiam quod in ipsa quoque videmus: Videmus autem species, siue accidentia panis, & vini, non immeritò primò quærendum videtur: An illa etiam nos adoremus, vel adorare debeamus, siue intendamus eodem modo, cum illam adoramus sub hac, vel sub altera specie.

3 Adhæc breuiter respōdemus, cum Suarez in 3. p. Sancti Thomæ qu. 79. disp. 65. sect. 2. per exemplum, quòd sicut qui adorat Regē, etiam vestes eius simul, cum eo quasi coadorat, & conueneratur, nempe, Régem, tanquā principalem, vestes verò tanquam quid accessorium, & minus principale vnum quid constituentes cum illo: Sic in Sacramento hoc aliquo modò contingit: adoramus, ac colimus Christum Dominum principaliter, & tanquam id principale, quod in illo elluceret, ac realiter, species verò Sacramentales panis, ac vini, quibus idem Christus in eodem

quasi vestitur, vel tegitur, tanquam quid minus principale, & ad ipsum pertinens solùm, quasi coadoramus, ac conueneramur, vna tamen, & eadem adoratione latriæ, sicque vtrumque suo modo adorare & venerari cum Ecclesia intendimus, cum ab eadem edocti ipsam adorantes Eucharistiam cantamus. *Tantum ergo Sacramentum veneremur cernui.*

4 Et ex his, aliud etiam contra Hereticos potissimum, & alios infideles inferamus in eodem exemplo persistẽtes, nempe, quod, sicut qui Regem ipsum plebeio amictu indutum videret, non minus ideo eum adoraret, ac honoraret, quam si eundem cerneret sedentem in regali throno suo indutum purpura, & bysso: sic etiam, non ideo minus dignus est adoratione perfecta, omnique honore, ac reuerentia ab omnibus Rex regum Iesus Christus Dominus noster eo quod sit Eucharisticis speciebus, quasi humili indumento vestitus, quã si adoraretur, & coleretur in Cęlorũ solio, vt ab ipsa tota Cęlesti curia de facto adoratur, vbi gloriosus, & immortalis regnans, sedet ad dexteram Patris. Norunt, & credunt hæc omnia firmiter Catholici, ad quos præcipuè scribimus: Ideo de his nihil amplius: sed pergemus ipsam Eucharistiæ reuerentiam eiusdem exemplicare, & commẽdare simul, vt cępimus assumptis verbis: *Veneremur cernui.*

5 Explicauit & satis apertè hæc Hymni verba, & facta nostra etiam eisdem verbis respondentia pro ipsa Eucharistiæ veneratione, de qua agimus, Isaias Propheta ca. 17. ex Dei nomine hoc modo. *In illa die inclinabitur homo ad factorem suum; & oculi eius ad sanctum Israel respicient.* In primis enim Israel siue Israeliticus populus, populus Christianus dici potest, non solùm ratione quadam generali, quia, scilicet. Israel interpretatur *videns Deũ*, & Christiani soli per veram fidem ipsum Deũ vident, & cognoscunt, secundùm illud ipsius Domini Saluatoris. *Beati mundo corde quoniã ipsi Deum videbunt*: sed alia etiam ratione speciali, nimirum, propter Eucharistiam, in qua non solùm per veram fidem Christum mentalibus oculis aspiciunt, sed quia etiam corporeis ipsis luminibus eundem intuentur. *Ipsũ vides, ipsum tangis, ipsum manducas*, inquit Chrisostomus: Ideoque de Christianis, tanquam de veris Israelitis verba Israelitarum verificantur, & implentur, & verius etiam, ac manifestius, quam in ipsis Iudeis, verba ista, videlicet, prophetica, quæ iam recitauimus: *Oculi eius ad sanctum Israel respicient*: quia de facto nos omnes modo, ad ipsum Dominum nostrum Iesum Christum in Altari respicimus, qui sanctus Anthonomastice dicitur, & sanctus sanctorum: *Vngatur sanctus sanctorũ*, inquit de eo Gabriel, Danielis cap. 9. sicut et iustus iustorum omnium eodẽ modo nominatur Isa. 62. *Donec egrediatur vt splẽdor iust⁹ ei⁹.*

6 Et præterea dicitur singulariter sanctus Israel, nempe, Christianorum, magis etiam quã Iudeorum: quia: *Nobis datus est, & nobis natus ex intacta Virgine*: & quia: *In suprema nocte cæna, recumbens cum fratribus, obseruata lege plene cibis in legalibus, cibum turbæ duodenæ se dat suis manibus.* Modo ad hunc iustum & sanctum sanctorum, & sanctum Israel nos tanquam noui, verique Israelitæ inclinamur, quibus ille se dedit suis manibus in cibum, ac potum nostrum, ad hunc respiciunt oculi nostri, vt ipso cibemur, ac potemur: & quia cum sit vere cibus, ac potus animarum nostrarum, est etiam sanctus sanctorum, & iustus iustorum, & sanctus, ac iustus Israel, nempe, Christianorum omnium, qui solus gratia sua illos sanctificat, & iustificat, & homo verus, ac verus Deus pariter, & factor noster etiam: nam: *Ipse fecit nos: & omnia per ipsum facta sunt; & sine ipso factum est nihil.* Idcirco ad ipsum factorem nostrum, dum respiciunt oculi nostri, etiam genua nostra flectuntur, & nos ipsi toti inclinamur. *In die illa*, inquit Isaias, Vel: *In tempore illo* (secundùm aliorum textum) *inclinabitur homo ad factorem suum, & oculi eius ad sanctum Israel respicient.*

7 Inclinamur vero in tempore isto, & in die illa ad sanctum Israel, non eo modo, quo iam ad illum se inclinauerunt falsi illi, & mali Israelitæ Iudei in passione sua, vt, scilicet, percutiamus eum, & irrideamus, ac blasphememus varijs modis; Illi enim; *Genuflexo ante illum illudebant ei, dicentes: Aue Rex Iudeorũ: & expuentes in eum acceperunt arundinem, & percutiebant caput eius*, vt inquit Sanctus Mathæus: & Sanctus Marcus similiter: *Percutiebant caput eius arundine, & conspuebant eũ, & ponentes genua adorabant*: sed potius, vt adoremus, & honoremus illum quantùm scimus, & valemus pietate, humilitate, reuerentia, ac deuotione.

Vnde

Vnde, quod in vulgata lege nostra dicitur de vno quoque nostrum: *Inclinabitur homo ad factorem suum*: Caldaicha translatio habet: *In tempore illo innitetur homo cultui factoris sui*: Et quia in Altari præcipue ipsum colimus: Ideo in scriptura ipsa statim additur: *Non inclinabitur ad Altaria, quæ fecerũt man⁹ eius, &c.* Quia non in multis Altaribus multos falsos Deos colimus, vt sæpe sæpius Iudei cum gentibus coluerunt; sed in vno Altari Ecclesiæ vnũ, ac verum Deum, sanctum, iustum, & factorem nostrum, & respiciunt oculi nostri ad eundem, ipsique inclinamur omnes cantãdo. *Tantum ergo Sacramentum veneremur cernui.*

9 Olim quidem interrogabit Iob: *Sapientia verò vbi inuenitur? & quis est locus intelligentiæ?* Et iterum: *Vnde ergo sapientia venit? & quis est locus intelligentiæ?* Et non respondit quæstionibus suis: sed pro responsione primæ subiunxit: *Nescit homo pretium eius: nec inuenitur in terra suauiter viuentium*: Pro responsione verò secundæ similia adiecit: *Abscondita est* (ait) *ab oculis omnium viuentium*. *Non tamen de creata, sed de increata sapientia mysticè loquitur*, inquit Ord. glossa horum verborum: & infra clariùs etiam sic: *Sapientia autem dicit Christum Dei virtutẽ, Dei sapientiã.* Antequam Dei sapientia humanam carnem assumeret, verum erat quod Iob pro responsione interrogationũ suarũ de ead. referebat. *Non inuenitur in terra suauiter viuentium, & Abscondita est ab oculis omnium viuentium*: Sicut prima prioris responsionis pars semper eodem modo vera est, vt patet: *Nescit homo pretium eius*: Verùm postquam sapientia ipsa Dei, ipsum Dei verbum *caro factum est, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre plenũ gratiæ & veritatis*. Et viderunt omnes fines terræ ipsum salutare Dei: quia, nimirum, inuentum est in terra suauiter viuentium: Et præterea postquam etiam terram linquens idem Christus Dominus, in Cœlum *videntibus Discipulis eleuatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum*, adhuc inuenitur in terra suauiter viuentium ipsa Dei sapientia in Eucharistia, & non est abscondita ab oculis eorũ: sed oculi eorũ respiciunt ad eam, quando ad eandem simul inclinantur.

10 Locus verò eiusdem Dei sapientiæ, siue intelligentiæ humanatæ, ac Sacramentatæ (vt sic loquamur) in quo communiter est, dùm ad illam inclinamur, ad illamque respiciunt oculi nostri pro veneratione, & adoratione eius, est ipsum Altare. *Et non inclinabitur* (inquit Isaias) *ad Altaria, quæ fecerunt manus eius*: Nempe, vt in eis adorent falsos Deos, vt idololatræ gentes: & proinde, cum locum sciamus eius, etsi Iob de illa dicebat: *Etiam: Si venerit ad me, non videbo eum: etsi abierit, non intelligam*: quia, scilicet, abscondita tunc erat ab oculis omnium viuentium: nunc tamẽ postquam in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est idem Dei filius, factus etiam filius hominis, siue Mariæ Virginis: quia scimus locum eius, nempe, Altare: proinde, si venit ad nos inde pro communione, in manu Sacerdotis, videmus eum: Et similiter, quando à nobis idem Sacramentũ abit, ad idẽ Altare ab eodem reportatum, intelligimus. Ideoque, cum in eodem Altari loco suo eundem nunc videamus, idcirco ibidem adoramus, & veneramur eum, etiã læti canentes. *Tantum ergo &c.*

Hanc enim eandem de causa statim ac in ipso Altari venit per Sacerdotis consecrationẽ, 11
(à Cœlo tamen non recedens, nec vllo modo mouens: sed ibi solùm de nouo, vt in loco suo Sacramentali esse incipiens) tunc statim vt Isaiæ vaticinium iam relatum impleatur, *In die illa inclinabitur homo ad factorem suum, & oculi eius ad sanctum Israel respicient*, Sacerdos ipsam Eucharistiam, in qua est idem hominum factor, & sanctus Israel, in altum eleuat, & circumstantibus hominibus ostendit, vt ijdem homines, nimirum, statim etiam inclinentur ad eundem Christum Iesum factorem suum, & sanctum quoque, ac sanctificatorem suum, ad hoc ipsum etiam se mutuò hortantes, ac dicentes: *Tantum ergo Sacramentum, &c.*

Et tradunt hoc communiter Ecclesiæ Doctores, & S. Dion. de ecc. Hier. signãter his verbis: *Pontifex augustissima mysteria conficit, & quæ ante laudauerat, in apertum agit Diuina munera reuerenter ostendens*: Etsi enim alijs etiam de causis eleuetur in Missa à Sacerdotibus Corpus, & Sanguis Christi; & populo demonstretur adorandum statim post consecrationem, nempe, vt per hoc repræsentetur eleuatio eiusdem in Cruce, & resurrectio, & ascensio eius, & propter alia mysteria etiam: ob hoc tamen præcipue ex antiqua Ecclesiæ ordinatione ostenditur hominibus, vt illum videntes venerentur, & adorent, sicut canunt et: *Tantum ergo Sacram. &c.*

Et

12 Et habemus de hac Eucharistiæ reuerentia in Diuo Hieronymo doctrinam & exemplū simul valde singulare ac notādum, quod ideo etiam, non hoc loco tantum referimus: Hic enim in extremo vitæ suæ termino iam constitutus, statim ac Eucharistiam pro viatico (vt postulauerat) sibi delatam videre potuit, auxiliantibus ei fratribus prostrauit se in terram pronus, voce, & lacrymis quantum poterat clamās, & dicens (inter alia) ad eādē: *O ferculum excellentissimum, venerandum, colendum, adorandum glorificandum, & amplectendum, omnibus extollendum laudibus, exaltandū cunctis preconijs, firmiter in cordis visceribus retinendum, & perpetuis tēporibus alligandū animo.* Hæc Sanctus Hieronymus, & eadem ferè repetijt Vrbanus Papa Quartus ad eamdem & ipse sic exclamans: *O excellentissimum Sacramentum, ò adorandum, venerandum, colendum, glorificandum, præcipuis magnificandum laudibus, dignis præconijs exaltandum, cunctis honorandum studijs, deuotis prosequendum obsequijs, & syncerismentibus retinendum.* Hinc Seraphicus Pater noster Sanctus Franciscus de eodē Sacramēto dicebat, *Hæc sanctissima mysteria super omnia volo honorare, & venerari, & in locis pretiosis collocare.* Hinc & nos similiter ipsum Sacramentum in loco illo pretioso modò collocatum super omnia honoramus, & veneramur: & hoc etiam cantamus dicentes: *Tantum ergo Sacramentum veneremur cernui,* &c.

13 Prænunciauit ista omnia, quæ agimus, & dicimus de Eucharistia Isaias rursus cap. 18. & clariùs etiam hoc modò: *In illa die erit Altare Domini in medio terræ Ægypti:* Ægyptus, quia, *angustia,* siue *tribulatio* interpretatur, mundum significat, qui vallis lacrymarū vocatur: In medio terræ Egypti, idest, in loco principaliori, ac digniori, in loco communi, & omnibus conspicuo, & non in montibus, vel in lucis, in antris, vel in abditis, sicut Altaria Idolorum: Hoc est in Ecclesia, & in medio eius est Altare, non Altaria: vnum tantùm Eucharisticum Altare genere, vel specie, etsi plura numero: Vnum Altare, quia est Altare Domini, qui vnus est, sicut etiam vnus Deus: *Audi, Israel: Dominus Deꝰ noster, Dñus vnus est*: Legitur Deut. c. 6.

14 Vnum ergo Altare, tāquam vnius veri Dei: non verò plura, tanquā pluriū Deorū falsorū. Modò quid addit ampliùs Isaias de Egypto pro hoc vno Altari nostro? attendamus. *Et cognoscetur Dominus ab Ægypto: & cognoscent Ægyptij Dominum in die illa, & colent eum in hostijs, &c.* Nunc nos, qui Egyptij sumus, idest, angustiati, & tribulati varijs modis, gementes, & flentes in hac lacrymarum valle, cognoscimus per veram fidem Dominum nostrum Iesum Christum: & insuper videmus etiam eundem in eodem Altari nostro, qui est in medio nostri vbique terrarū: & cognoscentes, ac videntes eum, eundem pariter colimus in hostijs, scilicet, corpore, & sanguine eiusdem Christi, sicut etiam Interlinealis glossa hæc verba declarat cum alijs: & nunc presertim, quum adorantes eum, etiam cantamus: *Tantum ergo Sacramentum,* &c.

15 Ad quod etiam nos hortatur psaltes regius hoc ipsum in spiritu præuidens, & singulari quodam nomine, nempe, scabelli pedum Domini Christi humanitatem nominans (quam simul cum eius diuinitate adorare debemus) *Exaltate Dominum Deum nostrum* (ait) *& adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est* *Psalm. 98.* *Quia* (inquit Augustinus) *in ipsa carne Christus ambulauit, & ipsam carnem nobis ad manducandum ad salutem dedit: Nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adorauerit, inuentum est, quo modo adoretur tale scabellum pedum Domini: & non solùm non peccemus adorando, sed peccemus non adorando.* Sanctus Ambrosius etiam tradit, adorari hoc scabellum carnis Christi in mysterijs: Item Sanctus Hieronymus similiter hoc loco sic scribit. *Multa de scabello opiniones sunt, sed hic Propheta Corpus Dominicum dicit, in quo maiestas Diuinitatis, tanquam super scabellum stat: sanctum enim eum dici sæpè docuimus.*

Hinc idem repetit Dauid in fine Psalmi, & lo- 16
cum etiam distinguit, in quo præcipuè sic exaltare, & adorare solent fideles hoc scabellum sanctum pedum Domini: *Exaltate* (ait iterum) *Dominum Deum nostrum: & adorate in monte sancto eius: quoniam sanctus Dominus Deus noster:* Hic enim mons sanctus eius est sanctum Altare eius, in quo conficitur, offertur, exaltatur, adoratur, & sumitur hoc sanctissimum, ac diuinissimum Sacramētum, præsertim quando congregati fideles vna voce, sicut etiam vna fide, ac deuotione cernui adorantes illud concinunt. *Tantum ergo &c.*

Hic .n. mons est, de quo Isa. sic ca. 27. pro- 17
phetauit: *Adorabunt Dominū in mōte sancto in Ierusalem:*

Ierusalem: In Ierusalem: *In Ecclesia, scilicet*, ait Interlinealis: *In monte sancto*: hoc est in Altari sancto, Ecclesiæ sanctæ, quæ per Ierusalem sanctam significatur, adorabunt sanctū sanctorum omnium: In monte sancto illo, inquam: qui tamen etiam caliginosus ab eodē Propheta vocatur, dum ad eiusdem Eucharistiæ venerationem, & adorationem in eodē nos iterū ét sic hortatur ca. 13. in hæc verba. *Super montem caliginosum, leuate signum, exaltate vocem, leuate manum, &c.*

18 Sanctus Hieronymus scripsit ad Paulam, & Eustochium in translatione Isaiæ ex Hebreo de eodem Propheta, quòd non tam Propheta dicendus sit, quàm Euangelista: & reddit statim rationem, subdens: *Ita n. vniuersa Ecclesiæ mysteria ad liquidū prosequutus est, vt non putes eum de futuro vaticinari, sed de præteritis historiam texere*: Ex his ego modò sic infero: Si vniuersa Christi, & Ecclesiæ mysteria ita ad liquidum prosequutus est Isaias, vt potius Euāgelista quam Propheta putetur, multò magis Mysterium mysteriorum omnium maximum Christi, & Ecclesiæ, nempe, Eucharistiam: Et proinde, & nos modò idem Mysterium, & reuerentiā eidē debitam prosequētes eiusdē Prophetæ doctrinam præsertim pro hoc ipso nunc ét prosequimur, & in hac specialiter, quā modò retulimus, plus aliquantulū quā in alijs immorabimur pro eiusdē Eucharistiæ honore ac reuerentia, quā modò singulariter suademus, dum prædicamus: *Tantum ergo Sacr. &c.* Sic ergo Isaias de hoc ait: *Super montem caliginosum leuate signum, exaltate vocem, leuate manum, ingrediantur portas duces.*

19 Ad Sacerdotes videntur hæc verba à Christo dirigi eiusdem testimonio immediatè sequenti: *Ego mandaui sanctificatis meis*: Sacerdotes. n. sāctificati Christi dicūtur, tùm quia ab eodem in Sacerdotalis ordinis susceptione specialiter sanctificantur, & propter Eucharistiam, præsertim, vt illam dignè cōficiāt, & sumant, & alijs ministrent: Tùm etiā, quia ad hoc illius gratia inprimis egēt, ad huiusmodi ministerium dignè exercendū, talesq; supponuntur ab omnibus. Sunt ergo, & dicuntur Sacerdotes his de causis, & alijs ét multis, sanctificati Christi.

20 Modò quid mandat Christus his sanctificatis suis circa Eucharistiam? nam ipse hoc loco ait: *Ego mandaui sanctificatis meis.* Attendamus: Quatuor hæc omninò sunt, quę ad hæc verba præmittit, illa sigillatim recensens, antequam illa sanctificatis suis se mandasse testetur: *Super montem caliginosum* (ait primò) *exaltate vocem*: Mons caliginosus Altare est, vt statim declarabimus. super hunc mōtem caliginosum, qui est Altare tria facere iubentur ex quatuor prædictis, quę ibi immediatè distinguuntur: *leuate signum*, hoc primū est: *exaltate vocē*, hoc secundū: *leuate manum*, hoc tertium. His tribus super montem caliginosū exequendis à Sacerdotibus: quartum addit, præceptū idem Christus alibi adimplendum: *Ingrediantur portas* (inquit) *duces*: Hi. n. duces ijdem Sacerdotes hic intelligūtur: quia Sacerdos, *Sacer dux* interpretatur: Mandat verò his ducibus suis inprimis, vt ingrediantur portas Ecclesiæ. *Ingrediantur portas duces*: Vt, scilicet, illa tria præstent super caliginosum mōtem eiusdem Ecclesiæ, nempe, Altare, cum sic ait: *Super caliginosum montem leuate signum.* Hoc est primum: Signorum omnium signum est Eucharistiæ Sacramentum: Etsi enim alia Sacramenta omnia signa sint, & signa vocētur, hoc signi nomen tamen signanter tribuitur Eucharistiæ, tanquam speciale, ac magis proprium eius, quasi signorum maximo, vt in sermone de sacris stigmatib. satisfusè demōstramus.

21 Ergo hoc signum signorum, quod est Eucharistia, leuandum præcipitur Sacerdotibus à Christo, super Altare, quod hic caliginosum montem idem appellat: Id autem dupliciter fit, sicut & alia duo etiam, quę ijdem Sacerdotes in ipso monte facere mandantur, nempe, in Missa primum. Tunc enim hoc signum super montem caliginosū illi leuant, quando ipsam Eucharistiam super Altare conficiunt, & offerunt, ac etiam in altum verè leuantes circūstanti populo pro adoratione ostendūt, vt iam dicebamus: Tunc ét exaltant vocem, qd̄ est secundū in ordine in Altari exequēdū: *Exaltate vocē*: legendo, nimirū, canēdo, & orādo ex oīa, quæ in Missa ipsa præscribuntur: sequitur tertiū: *leuate manū*, vel: *Agitate manum*, vt alij transferūt: leuant porro ijdē manū, in eadē Missa sępius orādo, benedicēdo, & aliās Missæ cæremonias faciēdo: Vel secūdo modo hæc tria simul præstant, quando, vlz, ipsi Sacramentū super Altare exponunt, quasi super caliginosū montē leuantes hoc signū: Tunc secundò ét exaltant vocē in orationib. præsertim cū cantant. *Tantum ergo Sacr. &c.* Et tandē tertiò ét tūc leuāt manū, ipsa Eucharistia incēsando, & ad ipsā multipliciter orādo, secūdū illud Pauli ad Thim. 1. c. 2. *Volo ergo viros orare in omni loco, leuantes puras manus.*

Et

22 Et hæc tria sunt, quæ Dominus facienda monet super Altare, montem caliginosum nuncupatum: & hac de causa etiam, quia, scilicet, mons est caliginosus: Mons quidem ab eminendo dictus, quia realiter alijs Ecclesiæ locis, vel partibus eminet, sicut etiam, illis omnibus est in veritate dignior, & sanctior: caliginosus verò mons vocatur etiam, quia in eo ipse Christus est in Eucharistiæ Sacramentò sub accidentalibus panis, & vini speciebus, quasi sub caligine, vel obscuritate quadam absconsus, vel coopertus.

Vnde, & Glossa Ord. ad hæc ipsa verba: *Super montem caliginosum leuate signum:* sic ait: *Explicat mysteria Ecclesiæ*: Ergo potissimum mysterium mysteriorum omnium per hæc verba potissimum explicatur: mysterium verò secundum Gregorium ob hoc dicitur, quod *secretam, & reconditam habet dispensationem*. Hoc autem habet Eucharistia præsertim, sicut est mysteriorum omnium mysteriosius (vt sic loquamur) ac secretius: & quia etiam in illa est idem Christus secretò, vt in Tabernaculo nostro, vt inquit Iob hoc est, quasi tacitè, absconditè, & coopertè.

23 Ideoque & locus, in quo est, dicitur caliginosus, quia quod olim Salomon de templo & de Altari suo dixit 2. Par. c. 6. *Dominus pollicitus est vt habitaret in caligine:* Vel: *Dominus dixit, vt habitaret in nebula*, vt habetur 3. Reg. cap. 8. In nobis verè impletur, & in Ecclesia & in Altari nostro, quòd idcirco etiam verè mons caliginosus nominatur, quia super eo in panis, & vini specie, quasi in caligine, siue in nebula habitat, vt dixerat, & pollicitus fuerat: *Dominus dixit, vt habitaret in nebula. Dominus pollicitus est, vt habitaret in caligine:* Quia denique ibidem: *Nubes, & caligo in circuitu eius*: Nubes panis, & caligo vini. Hæc verba quidem: *Dixit*, Vel, *Pollicitus est Dominus, vt habitaret in caligine*, Vel, *nebula*. Salomon retulit de templo suo, quando post sacrificia ab eodem in illo oblata *Maiestas Domini impleuit domum illam*. Verùmtamen in nebula, vel caligine illa, quæ tunc descendit, & impleuit templum illud suum: & quæ etiam gloria, siue maiestas Domini dicitur ibidem, non habitabat verè Dominus specialius, quam in quacunque alia parte totius orbis, quem totum eodem modo replet: *Cœlū, & terrā ego impleo dicit Dominus*. Sed dicitur, quòd ibidem habitaret, vel præsens esset solummodò per acceptationem illorum sacrificiorum, quæ in templo illo tunc sibi fiebant, quam significabat per nebulam, vel caliginem illam, quæ tunc in eodem templo venit, & impleuit illud: Et hac ratione solùm dicitur ibidem, quòd *Maiestas Domini, gloria Domini impleuerat templum Domini*, nempe, caligo illa, vel nebula, quæ gloria, & maiestas Domini ob hoc dicebat: signum, scilicet, solùm maiestatis, & gloriæ Dei, & ipsius Dei ibidem præsentis in ratione acceptantis, & tanquam in puro signo solùm: At in templo nostro, in Altari nostro, verè, realiter, præsentialiter, ac personaliter Dei filius, & Dei maiestas habitat, & est in Missæ sacrificio & post illud semper, in nebula, & caligine Sacramentalium accidentalium panis, & vini, vt sæpe diximus.

Hinc insuper legitur de templo Ierosoli- 24
mitano: *Cum exissent Sacerdotes de sanctuario nebulā impleuit Dominum Domini: & non poterant Sacerdotes stare, & ministrare propter nebulā: impleuerat n. gloria Domini templū Dñi.* Exibant Sacerdotes de templo illo, vt Dominus in illo veniret, eo quo explicauimus modo, in signo, scilicet, nebulæ: At Sacerdotes nostri ideò ingrediuntur in Domo Domini, nempe, Ecclesia, vt veniat in eadem Dominus eam implens, dum eidem sacrificium illi offerunt: Et hoc ipsum mandat illis idem Dominus, vt iam ex ipsa Isaiæ scriptura comprobauimus: *Ingrediantur porta duces*: Hoc est præceptum Domini ad sacros duces, ad Sacerdotes suos, sicut idem Dominus testatur immediatè: *Ego mandaui sanctificatis meis:* Et quid eisdem Sacerdotibus in Ecclesiæ portis ingressis vlterius præcipit idem Dominus? Iam audiuimus: Mandat vt Dominum venire faciant verè in eadem Ecclesia per ministeriū suum ad habitandum verè in nebula, siue in caligine Eucharisticorum accidentium super caliginosum Altaris montem, dum mandat eis insuper: *Super montem caliginosum leuate signum: exaltate vocem: leuate manum:* Vt nempè, signum signorum Eucharistiam leuent, illam conficiendo, exaltent vocem, illam laudando leuent manum, illam incensando, & alijs, ostendendo illis, nempe, vocibus, *Tantum ergo Sacramentum, veneremur cernui.*

Vnde sequitur de eis Propheta ibidem: 25
Vox multitudinis in montibus, quasi populorum frequentium: vox sonitus regum gentium congregatarum: vox multitudinis populorum multorū.

In

In multis montibus, scilicet, in multis Altarib. multorum locorum est hæc vox, quā hodierna die vos me audiente semel tantum cantastis, ego verò vobis audientibus sępè prædicaui, vlz. *Tantum ergo &c.* Et est vox sonitus regum, primò, slz. regalium Sacerdotum, quam illi præcinentes, cum eisdem vos quoque canere pergitis. *Vox multitudinis in montib., quasi populorum frequentium* (inquit Isaias) *Vox sonitus regum, gentiū congregatarū.* Quia (vt dicebamus) sic mandauit Dominus sanctificatis suis, ducibus suis, Sacerdotibus suis, & per illos etiam populis suis. Et hæc de illis omnibus sufficiant.

26 Audite modo, populi multi, & congregatę gentes iteratum Domini præceptum de Eucharistiæ veneratione non hominibus solùm datum, sed et Angelis ad exemplum eorum, & documentum simul. *Vbicunq; fuerit corpus, illuc congregabuntur & Aquila.* Hoc enim de Christi corpore in Eucharistia intelligūt quidam ex patrib. & S. Chrisos. inter alios, dū ait. *Oportet eum, qui ad hoc corpus accedit, esse sublimem, & cum terra nihil habere cōmune, neq; deorsum serpere, sed assiduè sursum volare, & ad solē iustitiæ aspicere, acutosq;, & perspicaces habere mentis oculos:* sic ille ex de hoc alias.

27 Nonnulli insuper per Aquilas hoc loco Angelos intelligūt, qui similiter, vbicumque fuerit corpus Christi in Eucharistia, illuc congregantur & ipsi ad illud colendum, & adorandum omni studio, ac reuerentia. Sic enim, & illis mandatur à Patre de filio eius, Pauli testimonio ad Heb. 1. *Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit, & adorent eum omnes Angeli eius:* prima enim introductio filij Dei in orbem terræ fuit in Virginis vtero per incarnationem: secunda verò est in Altaris Sacramento per consecrationem. *Quis n. fidelium* (inquit Gregor. in quarto Dial. c. 58.) *habere dubium possit in ipsa immolationis hora ad Sacerdotis vocem Cœlos aperiri, in illo Iesu Christi mysterio Angelorum choros adesse?* Hinc S. Iacobus in sua Liturgia vel Missa omne dubiū sic tollit, admonens insuper homines, ex hoc ad reuerentiam, metum, ac tremorem ante Eucharistiam hac de causa, dicens: *Taceant omnes mortales, stent cum metu, ac tremore: nihil terrenum cogitent: Rex enim Regum Christus Dominus noster erit, vt mactetur, & detur in cibum fidelibus: cum verò Chori Angelorum antecedunt.*

28 Item Chrisost. lib. 6. de Sacerdotio testatur locum Altari vicinum plenum esse Angelicis Choris, dum Missa celebratur: & insuper se à nonnullis audisse, quod eosdem Angelos in Missa viderint: Præterea de eodem Chrisostomo scribit S. Nilus eiusdem Discipulus, ad Anastasium Episcopum hoc modo.

Sæpè vidit in omni tempore in Ecclesia Angelos, sed maximè tempore sacrificij Missæ: Itaq; admiratione, & lætitia plenus, amicis multum spiritualibus seorsum narrabat, quemadmodum cum Sacerdos oblationem sanctam facere inciperet, plurimi Angeli de Cœlo delapsi, splendidissimis stolis induti, nudo pectore, aspectu intento, vultu demisso, circumstantes Altare, magna reuerentia, & quiete, ac silentio vsq; ad mysterij consumationem assistunt: deinde discurrentes Episcopos, ac Presbiteros, qui corpus ac sanguinē distribuunt, adiuuant, & corroborant: sic de magistro suo Diuo Chrisostomo Sanctus Nilus.

Ex quibus, & alijs omnibus, quæ de Angelis adduximus discere deberent homines Eucharistiam sanctissimam ea semper, qua decet reuerentia, ac pietate adorare, & venerari, & potissimum quia pro hominibus, non pro Angelis est à Christo instituta. 29

Quid enim ad hæc respondebunt irreuerentes, saltem pro aliquali irreuerentiæ, & indeuotionis suæ excusatione, si aliqua eisdem admitti posset, quod tamen omnino negamus?

De illis nunc præsertim loquor, qui non solū per vias, & plateas, quando in processionib. illa defertur, vel ad infirmos, sed in ipsis et Ecclesijs, & in tempore Missæ insuper sœpè sœpius, non solùm illam non adorant, & reuerentur, sicut tenentur, nec vllum ferè eidē exhibent reuerentiæ signum, non secus ac si infideles essent, vel hæretici, sed etiam (quod peius est) Sacramento tersancto terga vertūt vt ad alia conuertant oculos, & ad mulieres præsertim, & varia miscent inter se, vel cum alijs colloquia vana, & turpia etiam aliquando, & alias indigna nimis, & loco sancto supra modum indecentia, & iniuriosa, cum perturbatione insuper, & scandalo non solùm Sacerdotum, & aliorum Ecclesiæ ministrorū sed aliorum omnium etiam, & præsertim pio rum ibidem commorantium. Eia, nescio quid illis amplius dicam: Alloquatur horum vnum quemque os aliud, os, nempe, aureum Chrisostomi cuius verba egrè ferre, vel taxare non poterunt, vel iustè de illis conquæri, sicut fortè de meis. Sic verò exclamat, Sanctus Ioannes Chrisostomus contra istos.

N Quid

30 *Quid agis, ò homo, in Ecclesia stans? formas mulierum curiosè contemplaris? non perrorescis tanta iniuria templum Dei afficiens? lupanar tibi esse videtur Ecclesia, & foro ipso despicabilior? Nam in foro quidem metuis, & erubescis videri mulierem curiosè contemplari: in templo verò Dei, ipsum tecum loquente de hisq; comminante, talia audes eo ipso tempore, quo audis hæc facienda non esse? Et non perrorescis, neq; de statu mentis deijceris? officinã iniquitatis cor, & oculos tuos faciens? Præstares huiusmodi oculos cæcos esse, quam ad hos usus accomodari. Cogita prope quem astiteris ò homo in sacro illo, & horrendo sacrificio: cũ quibus Deum sis inuocaturus: cum Cherubim, cum Seraphim, & cum alijs Cœlestibus virtutib. Reputa quosnam gregales, & canendi socios habeas: sufficit hoc tibi ad attentionem animi excitandam, cum perpenderis te corpore circum septũ, & carni implicatum, vt cum incorporeis virtutibus communem omnium Dominũ concelebres, assecutum esse.* Husq; modo obiurgatio Chrisost. De non contemnenda Ecclesia Dei: & mysterijs.

31 Sed non sufficiet fortassis illi qui eiusmod est, obiurgatio ista solùm, quæ est à Chrisostomo: Idcirco aliam huic similem ab eo audiant, si fortè hæc saltem, vel & cum præcedent iuncta sufficiat: est autem scripta in hom. sua 36. primæ ad cor, vbi de Ecclesiæ primitiuæ temporibus disserens, & de nostris simul ait.

Tunc etiam domus erant Ecclesia: nunc autem etiam Ecclesiã est domus: vel potiùs quauis domo deterior: Nam in domo quidem bene constitutã videris ordinem: Nam domina quidem domus sedet in sede cum omni honestate, modestia, & decore: & ancillæ texunt cum silentio, & singuli ex famulis in manib. habent id, q est eis mandatũ. Hic autem multus est tumultus, magna confusio, & à caupona nihil nostra dissentit. Tantus est risus, tanta perturbatio, sicut in balneis, sicut in foro clamantibus omnibus, & tumultuantibus: atque adeo hic solùm, non alibi, ne propinquum quidem licet alloqui in Ecclesia, & ne si amicum quidem longo tempore absentem excipit: sed hæc foris fiunt, & meritò. Non enim tonstrina neque unguentaria officina, neq; vlla alia opificum, quæ sunt in foro taberna est Ecclesia: sed locus Angelorum, locus Archangelorũ, regnũ Dei, ipsũ Cœlũ. Quomodo ergo si quis deductum Cœlum illuc introduxisset, etiam si patrem videres, etiam si fratrem, ne auderes quidem alloqui. Nam hic, ne aliud quidem loqui oporteret, præter spiritualia. Nam hic quoque est Cœlum: quòd si non credis, aspice ad hanc mensam: recordare propter quam causã, & quamobrem hic stet. Cogita quis sit, qui huc procedat: venerare, & obstupesce etiam ante tempus: etenim, si quis solùm viderit regis solium, animo assurgit, expectans regis exitum: & tu ergo etiam ante illud tempus stupendum venerare, & obstupesce, & assurge: antequam videas expansas vestes stragulas, & tapetes & procedentem chorum Angelorum, in ipsum Cœlum ascende.

Hæc est altera S. Chrisostomi obiurgatio, 32 quæ quia fortassis, nec etiam sociata primæ sufficiet ad multorum erga Eucharistiam, & Ecclesiam irreuerentiam, ac temeritatem simul coercendam. Idcirco ad grauiora adhuc, & asperiora contra istos procedemus, & quibus exempla Angelorum in casum adhibuimus, exempla modò adhibebimus Demonum, ac bestiarum: vt si non emendant illos facta Angelorum, emendent, aut deterreant saltem, vel confundant facta Demonũ, & bestiarum: Nam primò *Et Demones credũt simul etiam contremiscunt*, inquit S. Iac. cap. 2. Demon enim quidam, cum Necromãtæ, siue Mago Hæretico apparuisset, in capite habens coronam, tanquam Rex super omnes filios superbiæ, & paulò post obuiã habuisset Eucharistiam ad infirmum delatam, quia in illa, illum esse credebat, à quo ipse, etsi princeps huius mundi, tamen eiectus est foras, statim etiam contremiscens, & genua flectens, illã adorauit: Et non tantum tunc Sacramentũ adorauit, & in eo Christum, sed Sacerdotem etiam postea à Communione infirmi sine Eucharistia redeuntem propter eandem Eucharistiam: Etsi vno tantùm genu flexo: sicut Eucharistiam vtroque adorauerat. Vnde insuper cum, & de adoratione vtraque, & de diuersitate eius à Mago interrogaretur, statim pro Eucharistiæ adoratione illud Pauli Phil. 2. respondit. *In nomine Iesu omne genu flectatur Cœlestium, Terrestrium, & Infernorum*: Pro adoratione verò Sacerdotis, illud Psalmi 131. subdidit. *Adorabimus in loco, vbi steterunt pedes eius*: Quæ omnino consonant cum his, quæ & ego prædico, & vos canitis, & omnes simul facimus: *Tantum ergo Sacramentũ veneremur cernui.*

Sed non solùm præstant Demones, quod 33 non præstant homines, adorantes, scilicet, & venerantes Eucharistiam, quàm illi aliquã... do, nec

do, nec adorant, nec honorant, sed inhonorant potius varijs modis, quos ex parte notauimus: sed aliquando etiam eosdem homines de hac ipsa irreuerentia, & iniuria sua erga illam punisse leguntur, tanquam ipsis Demonijs in hoc peiores, ac sceleratiores. Vnus ex eis enim alapam Iudeo cuidam impegit, quia Eucharistiæ non se inclinauit, cum ad infirmum similiter à Sacerdote portaretur, hoc modo insuper inclamans eum: *Ah miser, cur non adoras verum Deum in Sacramento?* Vnde præterea, eidem sibi statim objicienti, quòd multi tales essent Dij in omnibus, videlicet, Altaribus, statim etiam Sacramenti veritatem ipse Diabolus explicauit per cribri exemplum, quòd subitò inter solem & oculos eius posuit, quæ vt satis nota hic omittimus.

34 Sed exemplis exempla addamus, vt iam cœpimus, exempla, nempe, bestiarum exemplis Demonum, ad exemplum, vel confusionem saltem aliquorum hominum vtrisque quasi peiorum. (Propter eos enim hæc ipsa adhuc repetemus, & abundantius etiam in alio sermone, alia occasione.) Et ipse bestia enim eandem Eucharistiam, & in illa, Creatorem suum venerata leguntur secundum ipsius prædictionē apud Isa. c. 43. *Glorificabit me bestia agri*, Vel secundum Vatablum ex Hebreo: *Gloriam meam prædicabunt agrestes bestiæ*, Vel secundùm Grecos: *Benedicent me bestia agri*: Quasi, nimirum, & ipse, vt possunt, dicant ad inuicem: *Tantum ergo Sacramentum, &c.* Inprimis enim notabile est exemplum de Mula iam tribus diebus ieiuna, quæ ad iussionem S. Antonij nostri de Padua in Eucharistiæ testimonium, contra Hereticorum astantium pertinaciam, spreta auena sibi ab illis proiecta, ante ipsam Eucharistiam, quàm Sāctus vir Dei in manibus gestabat, statim tantum Sacramentum cernua, & ipsa est venerata.

35 Et non solùm bestia hæc glorificauit, quātùm valuit, Christum, & Eucharistiam; in qua Christus est: sed equi etiam, qui (vt legitur) aliquando stabulum suum ingredi renuerunt, in quo Eucharistia abscondita erat, sed in eius porta insistentes, & ipsi Creatorem suum genuflexi glorificauerunt, & adorauerunt. Ouis etiam à Patre nostro Francisco edocta, & aliæ etiam dum Eucharistia in Missa eleuaretur, flexis genibus illam adorare cōsueuisse leguntur.

Quid plura? ipsa animalia omnibus animalibus rudiora, ac stolidiora, bos, nempe, & asinus eidem Eucharistiæ reuerentiam exhibuere, quàm poterant, vt aliud quoque eiusdem Isaiæ, vaticinium impleretur: *Cognouit bos possessorem suū, & asinus præsepe Domini sui:* 36
Boues enim cum in agro arantes ad locum peruenissent, in quo Eucharistia de Ecclesia, cum pixide a latronibus prius sublata, proiecta fuerat, sæpe etiam ab agricola percussi, vlteriùs progredi renuerūt, eidem genua flectentes. Tandem in Colonia cùm Sacerdos quidam per viam inuiam, & asperam candē Eucharistiam pro viatico deferret ægroto, & obuios habuisset asinos mulros triticò onustos, eisque præcepisset, vt Creatori suo, quē portabat per magis planum cederet, illi promptius obedierunt, & insuper eundem Sacerdotem cum alijs vsque ad infirmi domum associarunt, ibique flexis & ipsi genibus, adorauerunt Creatorem suum, donec infirmus communicaret.

Quare tandem, & de asinis, & de equis, & de alijs bestijs, quas recēsuimus, & quas alias etiam adhuc recensebimus pro Eucharistiæ reuerentia, illud Baruch veraciter enuntiabimus: *Bestiæ illis meliores sunt* illis, scilicet, hominibus, qui illam, sicut decet, non colunt, quàm bestiæ rationis expertes pro modulo suo coluerunt. 37

Eia, fratres, homines cum simus, verecundemur bestijs peiores esse, & à bestijs reuerentiam, & cultum Eucharistiæ edoceri: sicut etiam à Demonijs, qui & ipsi eamdem (vt recensuimus) adorauerunt, & homines etiam suo exemplo adorare docuerunt: sed hoc discamus (vt decet) ab Angelis, & ab Angelorum exemplis, & præsertim ab hominibus, cum & ipsi homines simus. Discamus ab illis saltem, qui ob Eucharistiæ reuerentiam non audebant in Ecclesia stantes, nec verbum loqui, in terram spuere, vel aliud tale facere. Ab illis discamus, qui, vt publicanus ille, nollebant nec oculos ad Cœlum leuare, sed percutientes pectus suum oculos suos statuebant declinare in terra, immoti, palidi, mesti, & cogitabundi, gementes, & flentes, ac suspirantes præ timore, ac tremore, præ humilitate, ac deuotione, præ honore, ac reuerentia Eucharistiæ sanctissimæ præsertim. 38

Discamus denique signāter ex Chrisostomi exemplis, & doctrina simul hoc ipsum: 39

Sic enim ille oēs hortatur in homilia sua in Encænnijs de Eucharistia loquens, & Ecclesia, in qua illa iugiter conficitur, & seruatur: *Stemus* (ait ille) *trementes, & timidi, demissis oculis, renata autem anima, gementes sine voce, iubilantes corde*: Et affert etiam immediatè, hoc aliud exemplum. *An non videtis eos, qui sensibili, corruptibili, & terreno regi assistunt, quam sint immobiles, non loquentes, non oculos huc, & illuc mittentes: sed mœsti, territi, lugentes: Ex ipsis documentum accipite homines: & sic assistite Deo, quasi terrenum regem accessuri*: Et iterum idem Chrisost. in prædicta Homilia, de non contemnenda Ecclesia, & mysterijs: *Propter hoc* (inquit) *honestè tempore Diuini sacrificij stare iubemur, vt cogitationes humi repentes erigamus, & languore, quem ex vita huius negotijs contraximus, excusso rectum coram Deo animum exsuscitare possimus*.

40 Et quod monet Chrisostomus, monuit antea Sanctus Iacobus in sua liturgia dicens. *Stemus honestè, stemus reuerenter, stemus cum timore Dei, & cum cordis compunctione in pace Dominum oremus*, Et iterum: *Contremiscimus, ac trepidamus ad sanctum Altare tuũ accessuri*. Hinc Eucharistia, ab ipso Chrisostomo, & ab alijs vocatur, honoranda, adoranda, reuerenda, ac reuerentia dignissima: mysteria metuenda, omni honore, formidanda, tremenda, horrẽda, horribilia, formidabilia, timore, tremore, & horrore plenissima, &c.

41 Et hæc, charissimi, sunt, quæ ab hominibus, & à sanctis viris præcipue, & ex eorum doctrina, ac exemplis discere iam exortabar: sicut etiam ab Angelis. & tandem (vt iam sermonis nostri appropinquemus ad terminũ) à nobis ipsis (dico) plusquam ab alijs omnibus apprehendere debemus reuerentiæ, ac deuotionis exempla circa Eucharistiam: & quidem fortia, & efficacia: de his, nempe, quę nos deuotione magna colere, ac reuereri solemus, Sanctorum, videlicet, Reliquijs, quas tamen minus valde, quam Eucharistia reuerentia dignas certò nouimus.

42 De Eucharistia siquidem dictum videtur ab Isaia cap. 37. vnicuique nostrum. *Tu ergo leua orationem pro reliquijs, quæ repertæ sunt*. Hebraicæ enim, leuare orationem, idem est, quòd apud nos, orare, siue orationẽ facere. Vnde Vatablus ex Hebraico textu similiter sic hæc verba transfert. *Tu ergo suscipias orationem pro reliquijs, quæ super sunt*: & Chaldeus: *Quæ remanserunt*: Iuxta enim modo verborum litteralem sensum. Corpus (dico) & sanguis Iesu Christi, reliquiæ dici possunt, ab eodem nobis relictæ, & accidentalibus speciebus panis, & vini, quasi pánis quibusdã inuolutæ, vel coopertæ: Reliquiæ Reliquiarum certè, quia verum Christi corpus & sanguis sunt, & verus ipse Christus: Ideoque Reliquiæ etiam super omnes reliquias sanctissimæ, omnique deuotione honore, ac reuerentia dignissimæ: & pro istis, hoc est, propter istas reliquias prhasi scripturarum, orare monemur, ipsas venerantes, & adorantes humiliter, ac deuotè quãtùm possumus: sicut modò oramus, ipsas simul orantes reliquias, & Christum Dominum, qui in eisdem reliquijs est, & est ipsæ simul reliquiæ, & Sacramentum: dùm, nempe, cantamus: *Tantum ergo Sacramentum, &c.*

Vnde translatio septuaginta interpretum 43 ad litteram in nobis impleri videtur, quæ talis est: *Deprecaberis ad Dominum Deum tuum pro reliquijs*. Deprecamur enim pro reliquijs siue propter reliquias ad Dominum Deum nostrum: & simul, & semel ipsas reliquias, quæ sunt vere ipse Dominus Deus noster. Non solùm verò quia tales sunt reliquiæ in se omninò dignissimæ, ac venerabilissimæ, illas venerari, & ad ipsas deuotissime orare debemus: sed etiam, quia reliquiæ commestibiles, & potabiles à nobis, quæ nos spiritualiter nutriunt, vitam nobis spiritualem conferendo in hoc mundo, & vitam postea æternam in Cœlo: sunt enim, reliquiæ cibi, & potus eiusdem Christi: Nam in vltima sua cœna idem Christus Dominus cum manducasset coram Discipulis suis, dedit eis reliquias, corpus suum, nempe, in cibum, & sanguinem in potum sub specie panis, & vini sumendum fidelibus dereliquit, vt cantat Ecclesia: Quia ergo reliquit nobis huiusmodi reliquias, & in cibum & potum à nobis fidelibus sumendas: idcirco, reliquias vocamus, & reliquias commestibiles, & potabiles: & proinde etiã easdem summopere honorare debemus, vocem propter eas, & ad eas leuantes, sicq; cernui orantes. *Tantum ergo Sacramentum veneremur cernui.*

Et multò magis cum approbatæ omnino, 44 (vt ita loquamur) verissimę, certissimęq; sint istæ reliquiæ: nam, non à Christi Vicario, sed ab ipso Christo nobis datæ sunt: & ipse qui illas nobis dedit, etiam ore proprio approbauit, & non baptizando illas, scilicet, nomen alienum, vel nouum imponens eis, vt facit ali-

aliquando Papa, quando nomina propria sactorum, quorum sunt reliquiæ, ignorantur: sed nomine proprio eas nominauit, quando illas nobis reliquit, dicens nobis: *Accipite, & manducate ex hoc omnes: Hoc est enim corpus meum*: Item, *bibite ex hoc omnes: Hic est enim sanguis meus.*

45 Non enim ab Vrbe Roma, vt aliæ reliquiæ communiter: Hoc est ex Cemeterio aliquo v.g. Præscillæ, Prætestati, Calixti, vel alio quocumque, neque ex Cathacumbis vllis extractæ sunt, sed ab Vrbe Ierosolima illas habuimus, & ab ipso Christo Dño, vt iam diximus. *Quia de Ierusalem exibunt reliquiæ*: Sic enim in eodem citato loco de reliquijs istis paulò post prædicta subiungitur: Ergo cum Eucharistia reliquia sit omnium reliquiarū sanctissima, & omni deuotione, honore, ac reuerentia dignissima super omnes reliquias, qui reliquias omnes tanta deuotione, ac reuerentia prosequimur, has præcipuè deuotissimè honoremus, ac veneremur, sicut omninò etiam tenemur: sicque ex nobis ipsis Eucharistiæ reuerentiam discemus, vt ab initio dicebamus, nimirum, ex reuerentia aliarū reliquiarum.

46 Sed hic paululum quæso adhuc si stamus gradum: Veritatem dico in Christo, non mentior, sermonem istum de reuerentia Eucharistiæ hic obsignare statueram: sed interea cum Sancti Ioanni, Chrisostomi homiliā sexagesimam ad populum Antiochenū, quæ de ipsa Eucharistia est in iam aperto libro percurrere aliquantulū cępissem, statim quædam offendi verba de eleemosyna. vnde ab hac statim discedens sententia, hoc ipso argumento, vel probatione adhuc ad eandem Eucharistiæ reuerentiam legentes, cohortari decreui: *Vis corpus Christi honorare?* (inquit hoc loco Chrisostom.) *ne nudum eum despicias, nec eum hic quidem sericis honores vestibus, extra verò gelu, & nuditate pereuntē contemnas. Qui namque dixit: Hoc est corpus meum, & verbum facto confirmauit: hic & dixit: esurientem me vidistis, & non pauistis me: & in quantum nō fecistis huic ex minimis, neq; mihi fecistis: hic quidem non eget vestimentis, sed anima munda, illud autem magna diligentia*: Hæc omnia S. Chrisost. de veneratione corporis Christi per eleemosynam in pauperes: Et progreditur adhuc magis probare, ac declarare hoc ipsum, sic statim subijciens.

Discamus itaque philosophari, & Christum, 47
prout ipse vult, venerari: Honorato namque iucundissimus honor, quem ipse vult, non quem nos putamus. Nam etsi Petrus eum honorare putabat, cum sibi pedes eum lauare prohiberet: sed nō erat honor, quòd agebat, sed contrarium. itidem: & tu hoc eum honore, quem statuis prosequere, diuitias expendens in pauperes: sic idem Chrisostomus, & iterum inferius: *Quænam vtilitas est, cum ipsi mensa sit aureis calicibus plena, ipse verò fame dispereat. Ipsum satura prius esurientem: & tunc ex abundantia ipsius quoque mensam orna. Aureum facis Calicem: nec frigidæ aqua Calicem porrigis: & quid vtilitatis aurea palla mensam parare, ipsi verò nec necessarium quidem indumentum præbere?* Hucusque Sanctus Chrisostomus de eleemosina occasione Eucharistiæ, quia, ipsa eleemosyna etiam Eucharistiam, & in ea Christum veneramur. Itaque cum ad eius venerationem vsque modo omnes sim ad hortattis in hymni sacri verbis. *Tantum ergo Sacramentum veneremur cernui*: & ipsa etiam eleemosynæ erogatione: idcirco illam sic semper veneremur in hoc mundo, vt eiusdem eleemosinæ, sicut & reuerentiæ præmium tandem consequamur in Cœlo. Amen.



SERMO DECIMVSQVINTVS.

De vera existentia Corporis Christi in Eucharistia.

Quod non capis, quod non vides, animosa firmat fides, præter rerum ordinem. Sequent. Corporis Christi.

ARGVMENTVM.

Quòd de Eucharistia non capitur, nec videtur, sed solùm animosa fide firmatur, rationibus & exemplis nonnullis aliquo modo explicatur: Potissimùm autem, in ea verè, ac realiter sub panis, & vini speciebus, Christum contineri: nullam verò panis, nec vini substantiam, sed eorum tantùm pura accidentia, sine vllo subiecto.

1 NON est equidem cur Euangelicus concionator ad fideles verba faciens, studio, vel labore vllo ea probare contendat, quæ de Eucharistia credenda nobis proponit sancta Mater Ecclesia, sicut & alia etiam omnia, quæ ad fidem spectant quoquo modo: tùm quia hæc probari humana ratione non possunt: tùm etiam potissimùm, quia sine huiusmodi probatione, non solùm ea firmiter, & credunt, & confitentur omnes, sed etiam pro eorum confessione, ac defensione, ipsam quoq; vitam cum suis omnibus libenter, ac pronto animo persuderent, si opus esset: Verùmtamen, quia, vt scribit Sanctus Paschasius Papa: *Sacramentum Dominici corporis, & sanguinis, quòd quotidiè in Ecclesia celebratur, nemo fidelium ignorare debet, nemo nescire, quid ad fidem; quiduè ad scientiam in eo pertineat:* idcirco hæc ipsa, quæ constanter credimus, & fideré prædicamus, rationibus etiam & exemplis nostris illustrare, & captu faciliora reddere, nec inconueniens reputatum est a Patribus, nec inutile.

2 Quia verò ipsa Ecclesia tradit in Romano Cathechismo, tria maximè admiranda atque suscipienda esse, quæ in hoc Sacramento verbis consecrationis effici fides Catholica sine vlla dubitatione credit & confitetur, primò, nempe, in ea Christi corpus contineri: secundùm, quòd in eadem nulla sit panis, nec vini substantia: & tertium, quòd sunt in ipsa sola eorum accidentia sine vllo subiecto, hæc ipsa tria præsertim varijs (vt dixi) rationibus, & exemplis vt cumque comprobabimus: sicq; manifestiùs apparebit id, quòd de ipsa Eucharistia cum Ecclesia cantamus. *Quòd non capis, quòd non vides, animosa firmat fides præter rerum ordinem.*

3 Itaque ex his tribus maximè admirandis, atque suscipiendis, quæ in Eucharistia consecrationis verbis efficiuntur, & sine vlla dubitatione credimus, vt dictum est, illud primùm, nempe, verùm Christi Domini corpus, illud idem, quòd natum est ex Virgine, & in Cœlis sedet ad dexteram Patris, in hoc Sacramento contineri, verè admirabile supra modum est: sicut etiam est firmissimè credendum, & confitendum. Vnde Sanctus Hieronymus in morte sua ad ipsum Sacramentum (quod statim etia suscepturus erat) conuersus, sic & ipse piè mirabundus loquebatur. *Sed quomodo piè Iesu, tu cuius tanta est magnificentia, vt nulla queat explicare creatura, quem*

Cæli

Cœli mare & omnia omnia quæ eius ambitu cōtinentur capere non possunt: qui idem totus vbiq; locorum præsens es, nec intus inclusus, nec extra exclusus: idem in Cœlo ad Patris dexteram: omnium supremorum ciuium beatitudo, & gloria: qui suæ celsitudinis speciem contemplantur: idem in terra pugillo ipsam continens, & concludens: idem in mari, & in abyssis, ad nutum regens omnia & conseruans: idem in Inferno potenter dominans: sub tanta panis breuitate contineris nō particulariter, sed integrè, & perfectè, ac inseparabiliter? O ineffabilis admiratio: O omnium nouitatum nouitas. Sic Sanctus Hieronymus de Christi vera existentia in Eucharistia: & iterum sic: *O nobile conuiuium, in quo sub panis, & vini specie totus Christus Deus, & homo sumitur: & ita totus in specie panis, & qualibet eius particula & in vini specie cum qualibet gutta, sicut in panis totius & vini specie simul.* Hæc ille.

4 Hanc autem veram, ac realem Christi Domini existentiam in Sacramento sic distinctius declarat Concil. Trident. sess. 13. cap. 3. *Semper hæc fides in Ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem verum Domini nostri corpus, verumq; eius sanguinem sub panis & vini specie vna cum ipsius anima & diuinitate existere: sed corpus quidem sub specie panis, & sanguinem sub vini specie ex vi verborum: ipsum autem corpus sub specie vini, & sanguinem sub specie panis, animamq; sub vtraq;, vi naturalis illius connexionis & concomitantiæ qua partes Christi Domini, qui iam ex mortuis resurrexit, non amplius moriturus, inter se copulantur: Diuinitatem porrò, propter admirabilem illam eius, cum corpore & anima hypostaticam Vnionem. Quapropter verissimum est, tantumdem sub alterutra specie, atq; sub vtraq; contineri: totus enim, & integer Christus sub panis specie, & sub panis ipsius speciei parte: totus item sub vini specie, & sub eius partibus existit.* Hæc sunt quæ de Eucharistiæ veritate Ecclesia tradit in Concilio: & hæc ipsa explicat, & eorum etiam rationē reddit Sanctus Bonauentura noster Doctor Seraphicus in suis Opusculis cap. 1. de præparatione ad Missam, hoc modo.

5 *Credere enim firmiter debes, & nullatenus dubitare, secundùm quòd docet Ecclesia Catholica, & prædicat, quòd in hora expressionis verborū Christi, panis materialis, atq; visibilis adueniēte viuifico, & Cœlesti pane, velutì verò Creatori honorem deferens locum suum, scilicet, visibilem speciem accidentium, pro ministerio, & Sacramentali seruitio relinquit: quo desinente esse, miro & ineffabili modo in eodem instanti ista sequētia sub illis accidentibus veraciter existunt. Primò illa purissima caro, ac sacrum corpus, quòd fabricante Spiritu sancto tractum fuit de vtero Gloriosæ Virginis Mariæ, appensum in Cruce, positum in sepulcro, glorificatum in Cœlo: Secūdò, quia caro non viuit sine sanguine, ideo necessario est ibi sanguis ille pretiosus, qui fœliciter manauit pro mundi salute in Cruce: Tertiò cū non sit verus homo absq; anima rationali, propterea est ibi anima gloriosa Christi excedens in gratia omnem virtutem, & gloriam, & potestatem, in qua repositi sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei: Quartò, quia Christus est verus Deus, & verus homo, ideo consequenter est ibi Deus gloriosus in maiestate sua. Hæc omnia quatuor simul, & singula tota simul sub speciebus panis & vini perfectè continentur, non minus in Calice, quàm in Hostia: nec minus in Hostia, quàm in Calice: nec in vno deficit quod suppletur alteriùs, cum nullus sit: sed in ambobus integrum continetur propter mysterium, de quo grandis est sermo: sufficit enim credere, Deum verum & hominem sub vtraq; contineri specie cui assistunt Angelorum frequentia, & sanctorum præsentia.* Hæc omnia Diuus Bonauentura, & hæc solùm etiam nobis retulisse, sat erit pro huiusmodi veritate exponenda de vera, ac reali existentia ac præsentia Christi in Eucharistia, quam semper credidit ac prędicauit Ecclesia ab ipsa Eucharistiæ institutione vsque modo, & prædicabit semper.

Ipsa enim veritas, Dei, nempe, filius hanc veritatem primo affirmauit, quando ipsam Eucharistiam instituit de ea affirmans. *Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus. Cum igitur* (inquit Cyrillus Ierosl.) *ipse de pane pronunciauerit, ac dixerit: Hoc est corpus meū, quis audebit deinceps ambigere? Et cum idem ipse tàm asseueranter dixerit: Hic est sanguis meus, quis vnquam dubitauerit, vt dicas, non esse eius sanguinem?* Et Sanctus Hilarius: *De veritate carnis, & sanguinis non relictus est ambigendi locus.* Hinc etiam Sanctus Gaudentius Episcopus Brixiensis de hoc ipso ait: *Credamus quæso cui credimus: nescit mendacium veritas.* 6

Vt autem hæc, & alia omnia, quæ indubitanter de Eucharistia credimus, & confitemur, melius percipiamus, sicque etiam ipsam distantius semper dignius colere, ac frequentare, ante omnia debemus animum atque rationem 7

tionem omni studio à sensuum corporalium iudicio abstrahere, & elongare, atque ad immensam Dei virtutem & potentiam contemplandam excitari, sicut ipsa Ecclesia, & Patres, ac Doctores omnes nos monent. Quia: *Etsi sensus deficit* (vt in hymno cantamus) *ad firmandum cor syncerum, sola fides sufficit:* Quia cantamus similiter, & nunc etiā prędicamus. *Quod non capis, quod non vides, animosa firmat fides, prater rerum ordinem*. Hinc enim dicitur, *Mysterium fidei*: quia Eucharistia fide tantum creditur, sed sensibus secreta & occulta est, & ab humana ratione remota.

8 Hinc in certus Auctor serm. de cœna Domini inter Bernardi opera, citans etiam Augustinum, sic ait: *Mira sunt, fratres, qua de Sacramento isto dicuntur: fides est necessaria: scientia rationis superuacua: scientia ratione, & intellectu colligitur: fides sola auctoritate inducitur: Augustinus contra Fœlicianum. Hac fides credat, intelligentia non requirat: ne aut non inuentum putet incredibile, aut repertum, nō credat singulare. Hac sunt, fratres, qua fidem necessario exigunt, rationem omnino non admittunt: expetunt simplicem creditorem, arguunt impium discussorem: & ideo credi oportet simpliciter, quòd inuestigari non potest vtiliter:* Hæc ille. *Neque importunus quispiam modum inquirat, quo modo panis in corpus Christi, & vinū in sanguinem eius conuertitur, vt qui nobis sit incomprahensibilis, quippe huiusmodi inquisitio quandam animi incredulitatem arguit, & curiositatem scrutandi ea, qua nobis altiora sunt, persimilisq; insolenti Iudeorum voci, qua litigabant ad inuicem, cum Dominus noster altissimum huius Sacramenti mysterium eis aperiret, dicentes. Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum*: Sic scribit commentator in Damasc. lib. 4. de fide Ortodoxa Cap. 14.

9 Et rectè quidem, nam docet, & Aristoteles in Metaphisicis, quòd sicut se habet oculus noctuæ ad lumen Solis, sic se habet intellectus noster ad ea, quæ sunt manifestissima naturæ: noctua lumen Solis aspicere non potest, non propter Solis defectum in se, quod nullum est, sed ob defectum proprium, quia, scilicet, potentia eius visiua valde debilis, ac infirma est: nos similiter ex multiplici defectu nostro, etiam ea quæ sunt manifestissima naturæ cognoscere nō possumus, saltem perfectè, etsi sint de se multum cognoscibilia. Si ergo solùm ex imperfectione nostra, ea ēt quæ sunt naturalia, & multum cognoscibilia percipere non possumus quantò minus supernaturalia, ac diuina de se incomprehensibilia à nobis, qualis Eucharistia est, percipiemus? cum etiam scriptum sit, 1. Corinth. 2. *Animalis autem homo non percipit qua sunt spiritus Dei*. Idcirco, si ea, quæ de Eucharistia fides docet, sicut & alia etiam eiusdem fidei mysteria non percipit homo, animalis, non ideo illa neget, sed sibi solùm imputet, & proprio defectui: quia est animalis homo, se habens vt oculus noctuæ ad lumen Solis, ad ipsum Solem Iustitiæ, scilicet, qui est Christus Deus noster in Eucharistia verè contentus: Qui enim Ecclesiæ mysteria non credit, quia illa non capit, idem quasi facit, ac si hoc modo argueret. Vas non capit aquam Maris, ergo non est, vel non credo esse aquā Maris. Non capit quomodo magnum, & integrum Christi corpus, quòd nunc in Cęlo est, in parua hostia, & in Calice sit, ergo non ibi verè est: Quia stulta nimis est, & impia argumentatio ista: Et quia tandem: *Quod non capis, quod non vides, animosa firmat fides*: Et hoc iam sœpe explicauimus.

Modò progrediamur: *Prater rerum ordinem*, inquit: quia, vlz., hæc, quæ de Eucharistia non capta, nec visa à nobis, firmat, & confirmat, animosa, & generosa, firmissima, ac inuictissima fides, sunt præter, non secundum rerum ordinem: Idcirco: *Quid hic quaeris natura ordinem in Christi corpore, cum prater naturam sit ipse Dñus Iesus partus ex Virgine?* Ait Sanctus Ambrosius lib. de Sac. Cap. 9. de ijs qui initiantur mysterijs: & refertur in Canone de Consec. distin. 2. cap. Reuera: Vbi etiam varijs rationibus, & exemplis miraculorum, quæ in scriptura narrantur, latè, ac multipliciter explicat Eucharistiæ veritatem, sicut & nos modò, & inter alia, ait: *Quantis igitur vtimur exemplis, vt probemus, hoc non esse, quòd natura formauit, sed quod benedictio consecrauit: maioremque esse vim benedictionis, quam natura: quia benedictione, & natura ipsa mutatur?* Sic ille. 10

Et idem confirmat statim sequētibus exēplis. *Virgam tenebat Moyses, & proiecit eam, & facta est serpens. Rursus apprehendit caudā serpentis, & in virga naturam reuertitur: Vides ergo Prophetica gratia mutatam esse naturam, & serpentis, & Virga: currebant Egypti flumina pura meatu aquarum: subitò de fontiū venis sanguis incepit erumpere: non erat potus in fluuijs: rursus ad Propheta preces cruor cessauit fluminū aqua-* 11

aquarum natura remeauit, &c. Hæc & alia multa his similia ibidem refert de scripturis exempla Sanctus Doctor, vt Eucharistiæ veritatem astruat: sic deinde concludens. *Aduertimus igitur, maioris potentiæ esse Dei gratiam, quàm naturam: & adhuc tamen Propheticæ benedictionis numeramus gratiam: Quòd si tantum valuit humana benedictio, vt naturam conuerteret, quid dicimus de ipsa consecratione Diuina, vbi ipsa verba Dñi Saluatoris operãtur? Nam Sacramentum illud, quòd accipis, Christi sermone conficitur, quòd si tantum valuit sermo Helia, vt ignem de Cœlo deponeret, non valebit Christi sermo, vt species elementorum mutet?*

12 Hæc & alia multa quę ibi recenset Sanctus Ambrosius, etsi præter rerum ordinem euenerint, vera tamen creduntur, ergo ea etiam, quæ traduntur de Eucharistia præter rerum ordinem, vt verissima habenda sunt, & firmissimè credenda: quia de ea cãtat Ecclesia. *Quod non capis, quod non vides, animosa firmat fides, præter rerum ordinem:* Maximè autem (nunc subiicio) quia, etsi, sint verè præter rerum ordinem, non tamen sunt contra ipsum rerum ordinem. Nulla enim est contradictio in his omnibus, quę de Eucharistia *animosa firmat fides*, etsi illa non capimus, nec videmus. Nec etiam sequitur ad illa, vel ad aliquod eorum contradictio vlla, per hoc, nimirum (inter alia) quòd dicamus primò, panem & vinum per verbã consecrationis ritè prolata, conuerti statim in corpus, & sanguinem Christi: & quòd sub exiguis illis speciebus, & sub qualibet illarũ particula quantumcumque minima, realiter, ac præsentialiter existat idem corpus & sanguis Christi: & tertiò denique, quòd hoc modo sit similiter idem corpus & sanguis Christi numero in omnibus locis: Hæc, dico, omnia & alia quæcumque, quæ de Eucharistia Ecclesia docet, non implicant, vel inuoluunt contradictionem vllam, vt scolæ loquuntur, nec ad illa, vel ad aliquod illorum sequitur vlla pœnitus repugnantia, vt iam diximus: Omne id verò, quòd contradictionem, siue repugnantiam non inuoluit, & ad quod illa non sequitur, potest Deus facere: quia: *Non est impossibile apud Deum omne verbum:* quia tandem: *Quod non capis, quod non vides, animosa firmat fides, præter rerum ordinem.*

13 Et q̃ de Eucharistia probauimus iam in cõmuni & ratione etiam communi, ex Scoto nostro in quarto sent. d. 10. in pluribus locis, nunc specialiter probabimus, & specialibus pariter rationibus ex eodem, & exemplis et, & id primum, quod etiam primum, ac principale erat ex tribus, quæ ab initio proposuimus: quòd, nempe, Christus verè, ac realiter existere possit in Eucharistia, & sub qualibet etiam panis, & vini exiguã specie; & idem simul, & semel in omnibus locis, probaturi postea eodem modo secundum, & tertium principale similiter. Itaque hoc primum sic scolasticè probatur: quęlibet res esse potest, & existere, sine eo, quod est illi omnino contingens, & accidens, illoque posterius, & ad illius essentiam omninò non pertinens: commensurari verò loco, siue locum occupare sibi naturalem, & conuenientem (quod vocant habere modum quantitatiuum, vel dimensiuum) respectu corporis, est omnino contingens, & accidens, ac illo posterius, & ad illius essentiam non pertinens: poterit ergo corpus Christi in Eucharistia existere saltem per Diuinam potentiam sub speciebus panis, & vini etiam si loco non commensuretur, vel locum non occupet: sic ergo efficaci omnino ratione probat Doctor noster subtilis possibilitatem præsentię Christi in Sacramento sub panis, & vini accidentibus: quia, scilicet, est hoc quidem, *præter*, non tamen, *contra*, rerum ordinem, nec vllam includit contradictionem, vel repugnantiam, nec adhoc illa sequitur.

Et deseruiunt rationi, sicut & fidei veritati 14 præsertim exempla etiam quotidiana: quia etiam naturaliter & artificialiter, elementum in elementum, conuertitur: & mixtum in in mixtum: & elementum etiam in mixtum, & vice versa, vt quotidiana praxi notũ est. Hinc continuę, & innumerę semper generationes, corruptiones, & cõuersiones ex hoc in illud. *Porrò aduertimus* (inquit Ambrosius) *maioris potentiæ esse Dei gratiam, quã naturam:* Si ergo etiam natura tot & tã multas rerum species in alias quotidiè conuertit, cur non poterit Dei gratia, *apud quem non est impossibile omne verbum*, panem & vinum in corpus & sanguinem suum conuertere? Hinc ait iterum Ambrosius. *De totius mundi operibus: Legisti: Quia ipse dixit, & facta sunt, ipse mandauit, & creata sunt: Sermo igitur Christi, qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest, ea quæ sunt, in id mutare, quod non erant? Non enim minus est dare, quã mutare nouas naturas rebus.*

15 Et hæc, & his similia, quæ ibi adducit, per se solùm, & seclusa fide etiam, possibilem reddunt sanè Christi præsentiam in Sacramento: Quod verò etiam possit esse sub panis, vel vini quantalibet minima specie probant aliquo modo quamplura parua, & exigua supra modum, & subtilissimè etiam ferè ad miraculum artis industria & ingenij acumine a nonnullis elaborata, quæ etsi non percipiamus sufficienter, nec eorum rationem, vel modum, vera tamen esse comperimus, & fatemur, etsi multum super illis admiremur. Verùm antequam nonnulla insigniora ex his narremus, quæ à fide dignissimis habuimus, pro his, & alijs etiam omnibus exemplis, quę adduximus, vel adducere possemus, illud annotabimus prius, quod loco citato admonet prædictus commentator in Damasc. dicens. *At verò quamuis ad manuductionem faciliorem dentur pro mysterij huius intelligentia exempla quædam sensibilia, & nobis familiaria, nemo tamen solis illis innitatur, ut quæ longe circa altitudinem tantæ rei deficiant: sed pura, & syncera fide laboret capere tam arduum Sacramentum.*

16 Inter quamplura verò quæ pro paruitate specierum panis, & vini, sub quibus extat Christi corpus & sanguis, refertur primò currus quidam in ebore excisus à Mirmecide Milesio, qui tantæ paruitatis erat, vt musca illum operire posset.
Item currus alius, cum quatuor equis, qui in gemma annuli similiter erat insculptus: Et refertur hoc à Galeno: Præterea quidā orationem quæ: *Salue Regina*, intitulatur, totam, & sine abbreuiationibus in vna tantùm lentis communis parte descripsit: sed alijs omissis, vnum referamus, quod nostra ætate fere contigit, & narratur à Cardano, & ab alijs fide dignis: Principi Vrbini dono datus est annulus, qui indice exciperetur, gēmam verò haberet, in qua horologium perfectum, quodque præter lineam horas distinguentē, vno ictu per singula horaria spatia gestantem admoneret.

17 Paruis his artificialibus, parua etiam naturalia addere possemus, nempe, animalia quædam, quæ ob paruitatem nimiam quasi visum effugiunt, & tamen in illis etiam est distinguere tot partes, tot membra, tot potentias, tot sensus. Hæc (dico) omnia, sicut proprijs videmus oculis, & manibus palpamus, sic etiā certissima habemus, etsi illa minimè intelligamus, vel capiamus, nec illorum causam, rationem, vel modum. Cur ergo, Hæreticis, & alijs Ecclesiæ sanctæ hostibus impossibile videbitur Diuina virtute saltē, magnū aliq; in, vel sub aliquo minimo esse posse, nempe, Christi corpus & sanguinem sub modici panis, & vini speciebus: Sed in his non immoramur, quia ad fideles loquimur, quos de Eucharistia, *animosa firmat fides, præter rerum ordinem*.

Sicut verò est solum *præter* non *contra* rerum ordinem, idem Christi corpus esse sub panis speciebus in vno loco, sic etiam idem similiter esse in multis eodem tempore, quia, vt inquit idem Scotus noster, quando duo sic se habent, quòd vnū est necessariò prius, & aliud posterius, & omnino contingenter se habens ad illud, id, quod sic posterius est, potest plurificari absque eo, quòd plurificetur illud prius: loca verò omnia, in quibus Christi corpus est in Eucharistia (sicut, & quilibet locus alius secundum se) sunt quid posterius illo, & ad illud omnino contingeter se habēt; ergo, etsi hæc multiplicentur, dum est, nimirum, idem corpus Christi in omnibus illis, nō tamen per hoc sequitur, quòd debeat ipsum corpus Christi plurificari, ita vt sint plura corpora eius: Manifesta est ratio, ideo pertrāseo: & quia etiam hoc ad scolas magis, quàm ad Ecclesias pertinet. 18

Hoc solùm addamus cum eodem Scoto ad rem nostram: *Mirum est, quod sequentes rationem, tantum sequantur imaginationem, quòd, quia imaginatio non separat locum à corpore, nec, è conuerso: nec percipitur vnum plurificari, sine alio, quod ideo dicatur simpliciter impossibile vnū sine alio multiplicari*: Sic Scotus: Tanti Doctoris ergo, admonitione excitati, discant omnes, & hi præcipuè, qui aliqua titubatione vel tentatione quandoque pulsantur contra Eucharistiæ veritatem, rationem sequi, non imaginationem: *Non enim debemus quærere naturam in gratia* (inquit S. Innocent. Papa) *neque consuetudinem in miraculo* 19

Quæramus ergo, & sequamur fidem, non sensum in Eucharistia, semper illud animo reuoluentes: *Quod non capis, quod non vides, animosa firmat fides, præter rerum ordinem*: Et nō solum in hijs, quæ diximus de vera Christi existentia sub exiguis panis, & vini speciebus, & in omnibus locis, quod erat primum propositum, sed etiam in alijs duob⁹ principalibus, quod, nempe, in Sacramento non sit panis 20

nec vini vlla substantia, & tertium pariter, quòd ad priora sequitur, & ad secundum præcipuè, videlicet, quod sint in eodem sola ipsa panis & vini accidentia sine subiecto vllo prorsus, quæ ideo etiam simul nunc pertractamus. Et pro vtroque præsertim communem Ecclesiæ & Sanctorum Patrum admonitionem, quam retulimus, denuo ad memoriam reducemus, quæ cum admonitione Scoti etiam coincidit, nempe, quod à sensuũ Iudicio inprimis cauere in his omnino debemus, nec eis, tanquam manifestè mendacibus vllam adhibere fidem; quia Catholica fides deprehendit, illos circa Eucharistiam præsertim vere mendaces, dùm verum in ea pa-
20 nem, & vinum esse judicant, & renunciant hoc idem intellectui etiam: cum tamen, nec panis, nec vinum verè in ea sint, sed vtriusque tantum pura accidentia sine vllo subiecto omninò cum Christi corpore, ac sanguine.

21 In hoc enim mentiuntur: prorsus mentiũtur verò, quia & ipsi ab obiectis suis decipiũtur: vnde rectè eis diceretur id, quod olim dixit Iepte filiæ suæ alio sensu tamen Iud. 11. *Decepisti me, & ipsa decepta es.* Decipiunt nos, vel deciperent ijdem sensus, si fides deceptionem ipsam non discooperiret & arceret, quia & ipsi decepti sunt, vt diximus: Vnde ait Cyrr. Ierosol. pro hac deceptione: *etiam si illud tibi sensus renunciat, fides tamen te confirmet*, nimirum, vt fidei, quæ verax est, credamus, non sensibus, qui sunt mendaces, quia etsi panis & vinum sint id, quòd videmus ante consecrationem, post consecrationem tamen, non est amplius panis, nec vinum, sed verè corpus, & sanguis Christi: & sunt ibi solæ panis & vini pura accidentia sine quocumque subiecto, vel substantia, vt postea etiam clariùs explicabitur: *Panis iste* (vt inquit S. Ambrosius) *panis est ante verba consecrationis, vbi accesserit consecratio, de pane, fit caro Christi, &c.*

Quòd verò sensus nostri errent, & mentiantur sæpissime, ac multis modis, manifesta experientia de omnibus comprobamus: visus enim primum, etsi alijs omnibus sit perspicacior, ac dignior, vnde etiam in superiori parte corporis locum obtinet, nihilominus decipitur & ipse, & frequenter: ideoq; etiã mentitur non raro, nec leuiter, estimans quòd magnum, sit paruum, quòd multum, sit modicum, quòd plura sint parua prædistantia, vel propinquitate, vel alia de causa, vt de Sole, Luna, & Stellis constat, quæ cum totam terram in magnitudine multum excedant, adeo tamen parua æstimat: similiter lignum rectum in aqua positum curuum putat: & de nocte nigros iudicat omnes colores: gustus etiam sensus male affectus, bonum cibum, malum: & malum dicit bonum: Auditus eodem modo sæpe fallitur: dùm vnum audiens, aliud sibi audire videtur: odoratus pariter in suis odoribus sæpe decipitur. Tactus tandem & ipse frequenter errat maximè præ debilitate, vel mutatione quacumque in se, vel in suo obiecto facta, sicut ex quotidiano experimẽto deprehendimus.

Sicut ergo in obiectis suis quibuscumque 22 sæpe decipiuntur sensus nostri, & idcirco nos etiam decipiunt, sic etiam in Eucharistia decipiuntur ratione eorundem obiectorum suorum diuersorum, sub quibus illa est, in colore, nimirum, in sapore, & in odore præsertim, æstimantes (vt dictum est) ipsis accidentibus, quæ in illa percipiunt, adhuc etiam eandem subesse substantiam panis, & vini, sed verè decipiuntur; quia sunt ibi accidentia illa sola sine priori illa substantia, & sine alio quocumque subiecto: Ideoque, sicut huiusmodi deceptiones sensuum experti in multis illis non credimus, sic in Eucharistia illis credere non debemus: quia de deceptione illorum per fidem certificati sumus: quia, *quod non capis, quod non vides, animosa firmat fides.*

Explicauit hæc omnia etiam Sanctus Hie- 23 ronymus, sic eandem Eucharistiam alloquẽs in morte sua. *Oculi in te videns albedinem, saporem sentit gustus, odorem olfactus, tactusq; subtilitatem reperit: sed auditus cordi repræsentat in te illa non fore accidentia: Hinc verè per se sola existunt accidentia sine subiecto: quia, non vt humanis videtur sensibus, panis es, sed Iesus Christus integer sicut in Cœlo ad Patris dexterã residet Deus & homo:* Hæc ille. Hinc idem rursum inferius, hac eadem ratione de sensuum deceptione vocat eamdem Eucharistiam humanorum sensuũ illusionẽ. *O humanorum illusio sensuum*, ait: & postea sequitur: *Franguntur illa, quia humanis sensib. in te videntur accidẽtia & tũ non frangeris, nec corrũperis: te dẽtes vidẽtur masticare veluti materialẽ panẽ, & tamen nunquàm masticaris.* Et confirmat Hieronymi doctrinam S. Chrisostom. in Ioan: per hæc verba. *Pareamus Deo: neque contradicamus: licet cogitationibus, vel oculis*

nostris videatur aduersari, quod dicitur: ipsius enim sermo infallibilis est: sẽsus noster seducitur: sic ille de Eucharistia.

24 Posset etiam hæc separatio accidentium à subiecto in Eucharistia sic scolasticè, vt alia probari ex Scoto eodem: quia, nempe, nulla est dependentiæ simpliciter necessaria alicuius absoluti ad aliquid, quod nõ est de essentia eius, sed tantum causa extrinseca, nisi ad causam extrinsecam simpliciter primam: modo accidentia, quæ in Eucharistia percipimus, vt quãtitas, color, sapor, & alia, sunt absoluta, subiecta verò eorum propria, nempe, panis & vinum, in quo erant ante consecrationem, non sunt de essentia ipsorum accidentium: ergo non est dependentia necessaria horum ad illa: ergo à primo ad vltimum possunt stare ipsa accidentia sine illis subiectis, saltem per Diuinam potentiam supplentem causalitatem eorundem subiectorum in sustentando ipsa accidentia, non tamen in seipso: sed hæc scolis linquamus.

25 Probatur tandem alia ratione in Eucharistia, nec panem, nec vinum verè esse, sed sola ipsa accidentia per se, ex ipsa præsentia corporis & sanguinis Christi in eadẽ, hoc modo. Si est verum Christi corpus sub panis, & vini specie post consecrationem, omninò necesse est, cum ibi antea non esset, hoc, vel loci mutatione, vel creatione, vel alterius rei in ipsum conuersione hoc factum esse: at verò fieri non posse constat, vt corpus Christi in Sacramento sit, quod ex vno in alium locum venerit: ita enim fieret, vt à Cœli sedibus abesset: quoniam nihil mouetur, nisi locum deserat, à quo mouetur. Creari autem corpus Christi, minus credibile est: ac ne in cogitatione quidem cadere hoc potest: relinquitur ergo, vt in Sacramento sit corpus Domini, quod panis in ipsum conuertatur: quare nulla panis substantia remaneat necesse est: ergo si ibi etiam accidentia præcipiuntur, sine subiecto ibidem existere; consequenter est asserendum.

Tandem sicut animosa firmat fides, quæ 26 de Eucharistia non capimus, nec videmus, sic etiam ea, quæ de hac ipsa fide in Tridentino Concilio legimus, firment quæ modo de hoc ipso scripsimus. Si quis dixerit in sacrosancto Eucharistiæ sacrificio remanere substantiam panis & vini vna cum corpore & sanguine Domini nostri Iesu Christi, negaueritque mirabilem illam & singularem conuersionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis, & vini, quam quidem conuersionem Catholica Ecclesia aptissimè transubstantiationem appellat, anathema sit. Amen.

SERMO DECIMVS SEXTVS.

De mirabilibus Eucharistiæ.

Comedetis vescentes, & saturabimini: & laudabitis nomen Domini, qui fecit mirabilia vobiscum. Ioel. cap. 2.

ARGVMENTVM.

Eucharistia in se mirabilis multa fecit etiam mirabilia nobiscum in Cœlo in terra, & subtus terram: & vbiq; circa quatuor genera rerum: & narrantur exempla de singulis. vt nos, qui eam sumimus, laudemus Dominum, qui fecit huiusmodi mirabilia nobiscum.

1 MIrabilis quidem valdè mihi videtur Prophetica sententia, quæ modò vestras. N. N. peruenit ad aures, & multifariam, multisque modis mirabilis: Et primò quidem, quia certè de mirabilibus est, ac de mirabilibus loquitur in ea Spiritus sanctus per Prophetam suum. *Qui fecit mirabilia vobiscũ.*

Mira-

Mirabilis insuper; quia non hominum mirabilia continet, sed mirabilia Domini: ait enim: *Laudabitis nomen Domini, qui fecit mirabilia vobiscum.*

Præterea, non de omnibus Domini mirabilibus sunt verba ista; nec de quolibet mirabili eius indiferenter: sed de illis tantum mirabilibus, quæ inter alia omnia mirabilia eius primum locum obtinent, suntque cœterorum omnium mirabilissima (vt sic loquamur) corpus, nempe, & sanguis eius in Eucharistia, quibus idem Dominus nobis vesci, & saturari præstiuit, ex immensa eius erga nos benignitate, ac humanitate: Vnde de ipsa Eucharistia ait nobis: *Comedetis vescentes, & saturabimini*: addens etiam immediatè: *& laudabitis nomen Domini, qui fecit mirabilia vobiscum.*

2 Sed non solùm hoc modo, vel hac ratione adeo mirabilem prædicamus Eucharistiam, vel miraculosam: quòd, nempe, in se, & ex natura sua sit mirabilis supra modum, ac stupenda: sed quia etiam nobiscum: hoc est erga creaturas omnes talis sit: *Qui fecit mirabilia vobiscum*, inquit Sacer textus: Et de hoc secundò solùm erit narratio nostra; scilicet; de mirabilibus, siue miraculis, quæ nobiscum; hoc est cum creaturis omnibus, iam fecit, & facit aliquando etiam ipsa Eucharistia, & in illa Dominus: vt ex his, magis, ac magis semper laudemus ipsum Dominum, qui & tribuit nobis eadem Eucharistia quotidiè pasci, & saturari: & mirabilia multa in ea nobiscum fecit, & facit in dies ad eiusdem gloriam, & spiritualem vtilitatem nostram: Hoc enim, & ipse Dominus per scripturam suam nobis mandat, cum ait. *Comedetis vescentes, & saturabimini, & laudabitis nomen Domini, qui fecit mirabilia vobiscum.*

3 Vt autem in miraculis istis enarrandis congruò ordine procedamus, ad tria genera illa reducemus, vt, nimirum, dicamus, aliqua in terra facta esse, alia supra terram, nempe, in Cœlo, & alia deniquè sub terra in locis varijs. De Eucharistia enim, & de Christo Domino, qui in illa est, & in illa hæc mirabilia facit nobiscum, posse dici puto illud Danielis capite sexto. *Ipse liberator, atq; Saluator, faciens signa, & mirabilia in Cœlo, & in terra: qui liberauit Danielem de lacu Leonum: faciens signa, & mirabilia in Cœlo, & in terra*: En duo prima Eucharistiæ mirabilia: *Qui liberauit Danielem de lacu Leonum*, qui, scilicet, subtus terrã est: en tertium.

Rursus, quia, vt quidam insignis Doctor scripsit: *Deus, qui ternario numero gaudet, diffunditur in creata per quaternarium.* 4 Cum demonstremus ipsum Deum ternario numero prædicto gaudentem, nempe, Cęli, terræ, & subterraneorum in perpetratione mirabilium Eucharistiæ, simul etiam ostendemus, quòd diffuderit se in creatis ipsis per quaternarium, eadem mirabilia Eucharistica circa quatuor creata, vel creaturis operando: quia in Cœlo circa quatuor illa contigerunt, & quæ in terra similiter circa quatuor, & denique ea etiam, quæ subtus terra sunt, circa quatuor pariter facta sunt.

Vnde pro ternario isto, & pro quaternario simul illud Esdræ 4. cap. 3. in merito fortè, cum ipso Domino vsurpare poterimus pro gratiarum actione, illum laudantes, qui fecit hæc mirabilia nobiscum, in Cœlo, in terra, & in omnibus abyssis: & semper circa quatuor, vt ostendimus.

5 Et quę sunt verba ista Esdræ Prophetæ quæ, & ipse ad Dominum loquutus est, etsi alio sensu? Audiamus, & attentè, quæso, nam pro re nostra certè videntur notatu digna. *Inclinasti Cœlos & statuisti terram: & commouisti orbem: & tremere fecisti abyssos: & conturbasti saeculum: & transijt gloria tua portas quatuor.* Hæc sunt verba ternarium, & quaternarium nostrum simul de Eucharistiæ mirabilibus præsignantia: & primo, cum ait Esdras primo ad Dominum: *Inclinasti Cœlos.* Ecce prima pars ternarij, mirabilia (dico) Eucharistiæ in Cœlo facta, in quibus ea, quæ in Cœlo sunt, eidem Eucharistiæ cum ipsis Celis simul, quasi inclinauit, & inclinare fecit ad eius, nempe, cultum, ac reuerentiam: vt statim videbimus. *Inclinasti Cœlos: & statuisti terram*: Terram, nimirũ, & quæ in terra sunt statuit Dominus cultricem similiter, ac veneratricem eiusdem Eucharistiæ: & hæc est ternarij nostri secunda pars.

Et

Et huic statim subnectitur tertia: *Et tremere fecisti abyssos*: Abyssos ipsos tremere fecit ad Eucharistiæ præsentiam, eamdem & ipsi recognoscentes, ac reuerentes: sicque totus orbis veluti commotus est, à Deo in eiusdem Eucharistiæ cultum & obsequium: *Commouisti orbem*, inquit. Vnde etiam additur in textu post ternarium immediatè quaternariũ prædictum: *Et transijt gloria tua portas quatuor*; Gloria enim, & maiestas Eucharistiæ, & ipsius Dei similiter in eadem transijt in Cœlo, in terra, & in abyssis, & semper & vbique per quatuor portas; hoc est per quatuor genera creatorum, in quibus, & circa quæ mirabilia ipsa diuersa edidit idem Deus, qui *& ternario numero gaudet, & diffunditur in creata per quaternarium*, & de eisdem mirabilibus hæc ad homines eloquitur, quæ & nos exponenda suscepimus: *Comedetis vescentes, & saturabimini, & laudabitis nomen Domini Dei vestri, qui fecit mirabilia vobiscum.*

6 Itaque hæc mirabilia miracula ternaria, & quaternaria simul, quæ Dominus Deus noster nobiscum fecit, distinctius, & sigillatim iam enarrare incipiamus: vt sic magis etiam eumdem laudare discamus, cum hoc ipsum frequenter in Psalmis nobis commendetur, *Annunciate inter gentes gloriam eius: in omnib. populis mirabilia eius*; & iterum: *Cantate ei, & psallite ei: narrate vniuersa mirabilia eius, &c.* Hinc ipse Dauid etiam pro exemplo nobis seipsum proponens, ait: *Pronunciabo mirabilia tua*, & rursus: *Narrabo vniuersa mirabilia tua.*

7 Et primò mirabilia Cœli narremus, quæ, nimirum, vel in Cœlo verè facta sunt, vel saltem ab illis, qui sunt in Cęlo, narraturi postea mirabilia terræ, & abyssorum: De ipsis sanè Cœlis in eisdem Psalmis prophetatum est, quòd hæc mirabilia de Eucharistia confiterentur, quæ in eisdem perpetrauda erant. *Confitebuntur Cœli mirabilia tua Domine*. Tanquam, nimirum, eorundem mirabilium oculatissimi testes.

Itaque vnum ex his mirabilib⁹ illud est, quòd B. Veronicæ Moniali Monasterij S. Marthæ Mediolani in spiritu eleuatæ in octaua Corporis Christi Domini reuelatum fuit, quòd, scilicet, in festo ipso Corporis Christi, magna festiuitas Eucharistiæ sanctissimæ in Cœlo etiam à tota Celesti curia celebratur (sicut ab hominibus in terra) in qua summo cum gaudio, ac tripudio omnes illi superne patriæ ciues, ante illã se prosternentes maxima cum reuerentia, & animi submissione eandẽ adorant, & incensant, habentes singuli citharas, & phialas aureas plenas odoramentorũ, suauissimè etiam cantantes cum sonitu tubę, & fistulæ, & citharæ, sambucæ, & psalterij, & symphoniæ, omnisque generis Musicorum: & ad hoc ipsũ se mutuò inuitãtes, ac dicẽtes. *Gaudeamus, & exultemus, & demus gloriam Deo: quia venerunt nuptiæ agni*: Nuptiæ, inquam, in quibus Agnus Dei sumẽdus traditur inuitatis ad illas, dũm illis prius ostenditur istis vocibus: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*: Agnus Dei, nempe, qui est filius Dei Iesus Christus Dominus noster, quia in istis nuptijs *sumitur, & recolitur memoria passionis eius mens impletur gratia, & futuræ gloria nobis pignus datur.*

8 Et hoc est primum mirabile de Eucharistia, quòd in Cœlo fit, sicut in spiritu vidit Sancta illa religiosa, de qua diximus: & hoc idem puto esse illud signum magnum, ac mirabile, quòd in spiritu similiter se in Cęlo vidisse scribit S. Ioannes in Apocalipsi c. 15. hoc modo. *Et vidi aliud signũ in Cœlo magnũ & mirabile.* Et inferius enim inter alia de hoc signo, se vidisse narrat *Angelos cantantes canticum Agni dicentes*: *Magna & mirabilia sunt opera tua, Domine Deus omnipotens*, Eucharistiæ, scilicet, mirabilia, de qua & nos cum Angelis cantamus ad eiusdem agni nuptias sępe euntes, & quasi secundũ post illos chorũ cõstituentes: *Ecce Agnus Dei; ecce qui tollit peccata mundi.* Hinc idem S. Ioan. ibidem c. 5. de eodẽ agno, & de eisdẽ Angelis similiter c. 5. hæc narrat. *Et vidi, & audiui* (in Cœlo, videlicet) *vocem Angelorum multorum in circuitu throni, & animalium, & seniorum: & erat numerus eorum millia millium dicentium voce magna: Dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & diuinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem*: & hæc de mirabilibus Eucharistiæ in communi, quæ in Cœlo facit Dominus.

9 Nunc iam tandem ad mirabilia singularia descendamus, quæ de eadem ipse facit circa singulares etiam personas, quæ in Cœlo sunt, quæ cum quatuor sint in genere, Christus Dominus, scilicet, Sanctissima Virgo mater eius, Angeli, & Sancti, dùm in istis omnibus Eucharistiæ mirabilia ostenderimus, ostenderimus simul in prima parte ternarij mirabiliũ eius ipsum quaternarium, vt promisimus,

nem-

nempe, in Cœlo: Et ab illo incipientes, qui est *Alpha, & Omega, principium, & finis*, Christus Dominus.

Audiamus mirabilia hæc, quæ fecit secum in Cœlo idem Dominus in illa & per illam. Sanctus Firminus Episcopus Ambiacensis in solemni die Paschæ, dùm Eucharistiam offerret, supra se eleuatus in Cœlis, vidit Christum Dominum manu propria eandem sibi Eucharistiam præbentem.

10 Tunc adimpletum est Ecclesiæ Sanctæ desiderium, quę ab antiquis sæculis sic ad eundem orabat, sicut notatur Ecclesiast. 136. *Innoua signa: immuta mirabilia: glorifica manum, & brachium dextrum.* Vel secundum Vatablum: *Renoues exempla, miraculaq́; commutes, illustra manum, brachiumq́; dextrum.* De Eucharistiæ miraculis, siue exemplis sunt hæc sacræ paginæ verba ex irrefragabili omnino testimonio, Summi scilicet Ecclesiæ Pastoris, quod est etiam in sacris registratum canonibus, nempe, in Clem. si Dominum, de rel. & ven. Sanct. Ibi enim pijssimus, ac feruentissimus ille Eucharistiæ cultor, ac venerator Vrbanus, vlz., Papa Quartus Eucharistiã summè commendans, hæc ipsa verba de illa exponit, eamdem nominans *memoriale, mirabile, ac stupendum, delectabile, suaue, tutissimum, ac super omnia preciosum: In quo innouata sunt signa, & mirabilia immutata.* Vnde, & Glossa ibid. glossando hoc verbum. *Mirabilia*, ait, *Quod optauit Ecclesia*. Eccles. 36. cap. ibi: *Innoua signa, & immuta mirabilia.* Impletum est ergo hoc Ecclesię desiderium, tunc quidem principaliter, quando ipsam Eucharistiam Christus Dominus instituit, in qua teste Psalmista. *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus: escam dedit timentibus se*, & omnia pariter priora miracula renouauit, compendiauit, recapitulauitque, vt ita dicamus, quæ miraculorum ab ipso factorum maximum est; vt legit Ecclesia ipsa ex Doctore angelico, & per quam denique innumera alia miracula fecit in Cęlo, in terra, & in ipsis abyssis, quòd modò prędicamus.

11 Et in Cœlo quidem hæc exempla, siue signa innouando, & hęc mirabilia, uel miracula immutando, etiam glorificauit manum, & dextrum brachium suum perfectè, ferventi Ecclesiæ petitioni annuendo: manus enim, & brachium dextrum, Dei verbum est, per quẽ Deus pater cũcta fecit, & sine quo nihil fecit. *Omnia per ipsum facta sunt: & sine ipso factum est nihil*, inquit Ioannes de illo.

Ipsum porrò verbum humanatum tota Trinitas sanctissima glorificauit in Eucharistia, quando idem Christus, qui dextrum Dei brachium, & manus dicitur, brachio & manu sua, quasi seipsum sic repræsentans, & signãs, eamdem Eucharistiam sancto illo Episcopo in aperto Cœlo ministrauit, vt ex hoc laudaret nomen Domini, qui fecit tunc mirabilia secum; secundùm Io. llis Prophetiam. *Comedetis vescentes, & saturabimini, & laudabitis nomen Domini, qui fecit mirabilia vobiscum.*

Mirabilia fecit secum Christus in Eucharistia circa matrem suam, & dominam nostrã; etiam nam Missam similiter celebrans deuotus quidam Religiosus ex obedientiæ sanctę præscripto, plures Angelos vidit, & vnum alijs fulgentiorem, qui Hostiam sanctissimã in Cœlum ante totam Trinitatem eleuauit, vbi ab omnibus quidem sanctis, & Angelis immenso gaudio, ac iubilio adorata, & thurificata est; sed ab ipsa Dei matre super alios oẽs. Item cum nouitius quidam nostræ Religionis, quòd austeritatem eius ferret grauiter, & proinde eam poenitus deserere statuisset, ante Altare maius Ecclesiæ procumbens, veniam priùs à Christo Domino, & ab ipsa eius Matre postulauit. Maria verò statim vas Eucharistiæ aperuit, à quo eius filius in elegantis pueri forma prosiliuit: statimque Mater instanter rogauit eũ, vt nouicio gratiam perseuerandi in Franciscano Ordine concederet, sicut de facto concessit. 12

13 Alia quamplura etiam de Christo Domino, & de Matre eius, circa eamdem Eucharistiam valde mirabilia legimus, quę silentio pro nunc donamus. Sicut & de Angelis similiter tacemus innumera ferè, quæ de eisdẽ legimus, & de eorum varijs vlsionibus, & apparitionibus circa eamdem Eucharistiã. Illud solùm de eis vltra prædicta hic repetere sufficiat, quòd de illis erga Christum Dominum scribitur in Euangelio. *Accesserunt Angeli, & ministrabant ei*: Frequentissimè enim leguntur eidem Christo in Eucharistia accessisse illi, eique ministrasse: & insuper eãdem quoque sæpe sæpius ijdem ministrauerunt hominibus summo cum studio, ac reuerentia

uerentia, nempe, Sanctis Machario, Honofrio, & alijs multis: & praeterea etiam Sacerdoti in eodem ministerio astiterunt, & inseruierunt saepissimè: Et Angelis ergo de Eucharistia praedictum fuit; sicut & hominibus praesertim. *Laudabitis nomen Domini, qui fecit mirabilia vobiscum.*

14 Et quidem de hominibus respectu mirabilium Eucharistiae scriptum videtur. *Nonne Dominus fecit sanctos enarrare omnia mirabilia sua, quae confirmauit Dominus omnipotens stabiliri in gloria sua?* Sic Eccles. 42. de sanctis, qui sunt in Coelo, & de mirabilibus Eucharistiae, quae illi verbis, & factis enarrauerunt ad Dei gloriam, & hominum salutem, sicuti quando Sancti Petrus, & Ioannes morituro iam Diuo Chrisostomo mirabiliter apparentes, eidem Sacra mysteria porrexerunt, dulcissima cum eodem miscentes colloquia, & Caelestem gloriam, insuper, ex Dei nomine eidem promittentes.

15 Sed sicut, quae in Caelo sunt omnia, Eucharistiae mirabilia, quae in Caelo ipso contigerunt, enarrauerunt, sic etiam ea omnia, quae in terra sunt (vt iam de Coelo in terram sermone nostro descendamus) ait enim, & Ioannes in quinto cap. suae Apocal. *Et omnem creaturam, quae in Caelo est, & super terram, & sub terra, & quae sunt in mari, & quae in eo, omnes audiui dicentes: sedenti in throno, & agno, benedictio, & honor, & gloria, & potestas in saecula saeculorum.* In Coelo quatuor distinximus circa Eucharistiae mirabilia, ex quibus eidem benedictio, honor, & gloria dicitur, scilicet, Christum, Mariam, Angelos, & Sanctos.

Modò subiungimus quatuor etiam in terra, scilicet, homines, Demones, omnia animalia, & alia quaecumque inanimata, in quibus Eucharistiae mirabilia reperimus: & haec praesertim nobiscum facta dicuntur, super terram, quia super terram & nos similiter summus. Ideoque & notiora, & certiora nobis, sunt nos ipsi enim, & vidimus, & audiuimus, & perspeximus, & manus nostrae contrectauerunt ea de verbo vitae: & testamur, & annunciamus vobis, vt, scilicet, laudemus simul omnes, *nomen Domini, qui fecit mirabilia nobiscum.*

16 Et quidem de Eucharistia in terra, ab ipso Domino instituta, & à Sacerdotibus quotidiè confecta, ac in terra continuò conseruata: & insuper de illius mirabilibus, quae in ipsa sunt, & quae per illam in ipsa fiunt, & facta sunt, illud verificatum puto, quòd Isaias 64. Dominum alloquens praenunciauit. *Cum feceris mirabilia, non sustinebimus.*

Haec in persona fidelium omnium dicuntur, qui mirabilia per Eucharistiam facta mente non sustinent. Hoc est, perfectè non capiunt, nec intelligunt, ob eorum multitudinem, ac magnitudinem: etsi perfectè illa credant, sicut nec etiam ipsam mirabilissimam in se Eucharistiam: Et sicut mens nostra istam non capit: sic nec etiam illa capit verbum nostrum, vel scriptum: quia, nec eam describere, nec enarrare sufficimus: Immò: *Multa dicemus* (vt scribitur Eccles 43.) *& deficiemus in verbis*: Nam, vt ait Doctor quidam. *Hoc sanè excedit omnem admirationem, omnem mentem, omnem sermonem, quòd fecit nobis vnigenitus filius Saluator noster: ignem, & spiritum manducandum ac bibendum praestitit nobis: corpus, & sanguinem suum:* sed de hoc modò non agimus.

Sicut verò omnem admirationem, omnem mentem, omnem sermonem excedit (vt inquit ille) quod fecit nobis Christus Eucharistiam nobis tradens, sic etiam per Eucharistiam mirabilia faciens: Ideoque ex vtroque à nobis laudandum est nomen eius pro viribus, de quo & sermo diuinus nos sic admonet. *Comederis vescentes,* &c.

Et quidem circa ipsos homines Eucharistiam comedentes in primis haec mirabilia facta discimus: & non solùm coram eis, & ipsis videntibus: sed ad ipsorum etiam vtilitatem corporalem, & non ad spiritualem solùm, vt alia omnia, nempe, ad sanitates, praesertim (vt de alijs omnibus Eucharistiae miraculis taceamus pene innumerabilibus) quod etiam Sancti Apostoli post Domini ascensionem ipsum rogantes, dicebant, vt habetur in eorū Actibus 4. cap. *In eo quod manum tuam extendas ad sanitates, & signa, & prodigia fieri per nomen sancti filij tui Iesu*: Quidam enim etiam ad Eucharistiam haec verba extendunt ad Dei filium Iesum Christum Dominum nostrum, qui in Eucharistia ad sanitates hominum manum suam multum extendit: & tunc 17

potis-

potiſſimum: nam infirmi ex omni genere, per illam ſanitatem receperunt: ſicut Euchariſtiæ varia exempla teſtantur, cœci, ſcilicet, ſurdi, muti, paralytici, febricitantes, & alij quamplurimi, ad quos ſpecialiter ſcriptura prædicat: *Laudabitis nomen Domini, qui fecit mirabilia vobiſcum.*

18 Et non tantum in hominibus, ſed etiam in Demonijs hæc Euchariſtiæ ſigna claruerunt: Vnde de vtriſque, ſimul illud ſapientiæ 10. enunciari poteſt. *Intrauit in animam ſerui Dei, ſtetit contra reges horrendos in portentis, & ſignis.* In ſolos enim Dei ſeruos intrare cupit Incarnata, & Sacramentata (vt ſic loquamur) Dei ſapientia: & ad hos tantum dicitur, *Comedetis veſcentes, & ſaturabimini*, reſpectu Euchariſtiæ. Et intrat primò in corpora ſeruorum Dei per ſanctam Communionem, vt per corpora in animas etiam intrare poſſit eorundem. Etenim: *Per nationes in animas ſanctas ſe transfert* (ſcribitur de eadem ſapientia in eodem Sap. libro ca. 7.) *amicos Dei, & Prophetas conſtituit: Neminem enim diligit Deus, niſi eum, qui cum ſapientia inhabitat*; vt habetur ibidem. Sicut verò intrat Euchariſtia in animas ſanctas, ſic ſtare dicitur contra reges horrendos, nempe, Demones, longè illos à ſeipſa repellens. Iob. 41. *Ipſe eſt rex ſuper omnes filios ſuperbiæ.* Filij ſuperbiæ homines, ſuperbi dicuntur: Horum omnium Rex dici poteſt quilibet Demon, tanquam ſuper omnes hics ſuperbiſſimus: ſicut et ſuper oīa horrenda horrēdus nimis, ut nimis notū eſt. Porrò contra ipſos Demones horrendos reges ſtetit Euchariſtia, quando illos ex hominum corporibus eiecit.

19 Et habemus de vtroque ſingulare exemplum in Gulielmo Abbate: ſeruus Dei erat iſte, & anima eius, ſancta: In illā quotidiē Euchariſtia intrabat, in eius corpus primò intrans, dùm Miſſam quotidiè, ac deuotiſſimè celebraret: Et illa pariter eodem tempore ſtetit contra regem horrendum Satanam, quando eundem de corpore cuiuſdam obſeſſi per eiuſdem Gulielmi miniſteriū expulit: Vnde prætereà, cum ab eo quæreret ipſe Diabolus, in cuius nam corpus intrare poſſet, poſtquam ab illo eiectus fuiſſet, reſpondiſſetque illi ſanctus Abbas (etſi ad eius tantum illuſionem) quod in ſuum intraret: Reſpondit Satanas, quòd non poſſet: & rationem adduxit ſtatim, quàm & nos ex ſcriptura referebamus; quia, nimirum, in illud Euchariſtia intrauerat: *Intrauit animam ſerui Dei.* Ideoque etiam idem Dei ſeruus illa munitus: *ſtetit contra reges horrendos in ſignis, & portentis*, illos de hominum corporibus deturbans. Hinc cum idem Gulielmus inſuper ad ſociorum ſuorum inſtantiam, eidem Demoni imperaſſet, vt in propria forma ſe eiſdem oſtenderet, præcepto aſtrictus id præſtitit, eosque ſummopere terruit; quia verè eſt horrendus nimis. De omnibus enim ſcribitur Iob. 25. *Vadent, & venient ſuper eum horribiles.*

Stetit tunc iterum Euchariſtia contra reges horrendos Infernales in ſignis, & portentis, & per illam Sacerdos ipſam deferens, contra alium obſeſſum, cum dixit Demon Sacerdoti, quòd ad ſe armatus veniſſet, eo quòd panem illum ſuper ſe portaret. Ipſe verò Sacerdos ad Diabolum: *Si panis eſt hic meneas: ſi autem corpus eſt Chriſti, tunc ſtatim exeas*: Et ſtatim de homine illo exijt; quare huic, & priori ſimul dicitur: *Comedetis veſcentes, & ſaturabimini, & laudabitis nomen Domini, qui fecit mirabilia vobiſcum.* In Demonijs ergo etiam Euchariſtia mirabilis conſpicitur. 20

Sed & in beſtijs etiam; Euchariſtiæ enim verba videntur Iſaiæ verba cap. 37. *Glorificabit me beſtia agri.* Boues ſpeciali ratione beſtiæ agri appellari videntur, quia, non ſolùm ſpatiantur in agris, & in illis paſcuntur, vt aliæ omnes, ſed etiam, quia agrum ipſum labore ſuo colunt, & frugiferum reddunt. Iidem verò boues, etſi non beſtiæ ſolùm, ſed beſtiæ inſuper alijs omnibus groſſiores, & rudiores habeantur, nihilominus, quaſi ratione pollentes, & ipſi in agro arantes glorificauerunt Chriſtum, cum, videlicet, ad locum peruenientes, in quo quidam pixidē cum Euchariſtia de Eccleſia ſublatam proiecerant, quòd non pretioſam ſicut putabant illam reperiſſent, & in ea aliquo modo cognoſcerent poſſeſſorem ſuum Ieſum Chriſtū, nā proſtrati adorauerunt illum, vlteriùs progredi nolentes, etſi ſœpius percuſſi: ſicque, & in bobus ſua mirabilia Euchariſtia fecit: vt ex hoc etiam laudemus Dominum, qui fecit mirabilia nobiſcum: *Et ſicut cognouit tunc bos poſſeſſorem ſuum, ſic & aſinus preſepe Domini ſui*: ſcilicet, vas, in quo erat Euchariſtia ad infirmum delata, digniorem enim dimmiſerunt in via Sacerdoti 21

locum, eundem ad infirmum etiam sequẽtes, ibique & ipsi genibus flexis Sacramentum adorantes. Vnde illud Hier. circa Eucharistiam adimpletum est: *Stupor, & mirabilia facta sunt in terra.*

22 Equus etiam & mullus in quibus non est intellectus, sępè leguntur eamdem Eucharistiam genu flectendo honorasse. Ouis quoque à Diuo Patre eidem addictissimo edocta, sicut & aliæ etiam, Eucharistiam, dum in Missa eleuaretur genu flexo, & voce balante venerabantur, & ad hoc ipsum exẽplo suo homines prouocabant, & ad memoriã illius, de quo sic Prophetauit Isaias c. 53. *Sicut ouis ad occisionem ducetur: & quasi agnus, sic corã tõdẽte se, obmutesset: & nõ aperiet os suũ.* Quid plura? Etiam canes Eucharistiam adorauerunt: scribit quidem de eis idem Propheta cap. 56. *Canes impudentissimi nescierunt saturitatem:* nihilominus de eisdem pariter alij scripserunt, quòd cum Donatistæ Heretici Eucharistiam canibus proiecissent manducandam, illi è contrario eandem venerati sunt, impios, ac sacrilegos nimis dominos suos dilaniantes, & eorum carnibus potius se saturantes.

24 Tandem canibus etiam porcos associemus, sicut eosdem associat Petri Epistola secunda cap. 2. *Canis reuersus ad suum vomitum, & sus lota inuolutabro luti.* Ipsi etenim sues, qui ex natura sua immundis delectantur, Eucharistiam tamen in immundo vase simul cum alijs immundis sibi ab incredula fœmina in cibum expositam, non solùm non comederunt, sed à comestione omnino cessantes, inclinati adorauerunt.

Et quid adhuc de miraculis Eucharistiæ circa animalia desiderare possumus? Respondebit fortasse aliquis, quòd de terrestribus solũ exempla retulimus, nullum verò de aereis, nec de aquaticis: Itaque, de his etiam non silebimus omnino.

25 De auibus hoc adducam solùm: quòd Sancti Faustinus, & Iouita cum militi cuidã, quem ad fidem conuerterant, Eucharistiam dare cuperent, quam tamen non habebant, ad eos statim de Cœlo Columba volauit paruulam hostiam in ore portans: Etsi enim scribatur Iob. 28. *Semitam ignorauit auis.* Hæc auis tamen semitam cognouit, per quã ad sanctos illos volans, Eucharistiam portaret, quam illi de ore illius tollentes, milui ministrauerunt.

Etiam in auibus ergo Eucharistiæ mirabilia claruerunt: & tandem in piscibus quoque idem asserendum est, quando præsertim Sanctus Mauritius in mari super magnum piscẽ, quem Ballenam vocant, è naui descendens, cum nonaginta quinque fratribus Missam celebrauit, quòd insulam illam reputassent, prę magnitudine, & immobilitate eius.

Vnde tandem de huiusmodi Eucharisticis 26 mirabilibus circa animalia ex omni genere, operatis; & nos pro compendio, & gratiarum actione Domino cum Psalmista cantabimus: *Omnia subiecisti sub pedibus eius:* sub potentia, nempe, eiusdem Eucharistiæ in perpetratione miraculorum: *Oues & boues vniuersas, insuper & pecora campi, volucres Cœli, & pisces maris: qui perambulãt semitas maris. Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in vniuersa terra.* Nam, & Propheta noster idẽ nobis prædicat alijs verbis: *Laudabitis nomen Domini, qui fecit mirabilia vobiscum.* Mirabilia verò magna fuerunt procul dubio, quòd non solùm Angeli, & homines, sed etiam bruta ipsa animalia ratione carentia Dei pedibus subijcerentur, eundem in Eucharistia, & ipsam Eucharistiam simul adorantes, ac venerantes.

Quare de hac brutorum reuerentia ipsum 27 Dominum locutum puto apud Ezechielem 38. hoc modo. *In die illa erit commotio magna super terram Israel: & commouebuntur a facie mea pisces maris, & volucres Cœli, & bestiæ agri, & omne reptile quod mouetur super terram, cunctiq; homines, qui sunt super faciem terræ.* Quia, nimirum, omnia terræ animalia (vt ostensum est) simul cum hominibus commota sunt ex Eucharistiæ præsentia ad ipsius venerationem: Et (quod magis est) non solũ hæc omnia hoc modo commota sunt, vt Eucharistiam adorarent, & honorarent, sed ipsa etiam immobilia, & quæ de se, vel per se nullo modo localiter moueri possunt, plantę, videlicet.

Nam cum aliquando Eucharistia de manibus Sacerdotis ad ægrotum eam portantis, in luto decidisset, nec genuflexns illam reperisset, ex eodem statim luto herbæ planta orta est, & ex herba flos, & ex flore tandem ipsa Eucharista prodijt; vt planum fieret, quòd in illa ille continetur, qui ait: *Ego flos campi, & lilium conuallium.*

Tandem non in animalibus, & in 28 insensatis solùm mirabilia Eucharistiæ visa

sunt

sunt, sed in petris quoque, nam in petram aliquando ipsa conuersa est, nempe, cum illa Hæretica quædam mulier Macedoniana sumere aulam esset, & ad hæc vsque tempora Constantinopoli cõseruari dicitur ipsa petra: *Petra autem erat Christus*, quia petra Eucharistia prius fuerat, in qua idem Christus erat.

29 Manifestum ergo satis ex prædictis omnibus relinquitur, quòd Dominus mirabilia Eucharistiæ circa ea omnia etiam, quæ sunt in terra, fecit, & circa ea pariter, quæ sunt in Cælo: sicque tam pro terrestribus, quam pro Cœlestibus eiusdem miraculis, de hominibus illam sumentibus prænuntiatum apparet id, quod à nobis modò est prædicatum: *Comedetis vescentes, & saturabimini, & laudabitis nomen Domini, qui fecit mirabilia vobiscum.*

30 Et quid aliud restat de promissione nostra? Hoc solùm restat, nimirum; vt ipsa mirabilia sub terra etiam demonstremus varijs in locis: sicut vsque modo in terra, & supra terrã, nempe, in Cœlo illa demonstrauimus. Vnde non immeritò Iudicio meo appellare poterimus illam, Ecclesiastici 43: *Vas admirabile opus excelsi*: Vas enim admirabile quodam videtur Eucharistia, & tam magnum, & tot, tantisque mirabilibus plenum, vt mirabilia, siue miracula sua effuderit in toto prorsus orbe, in Cœlo, & in terra, in mari, & in omnibus abyssis: in omnibus inquam creaturis, quæ omnes simul de tam admirabili opere, & de ipsius operis miraculis innumeris, sic mirantur, vt illis omnibus dicat; qui ipsum opº admirabile fecit Christus Dominus. *Vnum opus feci, & omnes miramini.* Ideoque etiam, vas admirabile vocatur in scripturis, & opus excelsi: sicut etiam iterum opus plenum gloria Domini. *Plenum est gloria opus eius*, inquit de illa idem Ecclesiastus capite 42.

31 Verùm ad hæc omnia dignum notatu videtur, quòd ipse Ecclesiastici liber, q semel Eucharistiã admirabile opus Dei tãtũ vocat, *Vas admirabile opus excelsi*: & semel etiam opus plenum gloria Domini solùm, idem aliàs capit. 11. eamdem nominat, opus altissimi, & admirabile, & gloriosum simul, & præterea etiam absconsum, & hoc in plurali loquutione, propter Christi corpus, & sanguinem sub panis, & vini specie contentum, his nempe verbis. *Mirabilia opera altissimi solius, gloriosa, & absconsa, & inuisa opera illius.* Ex hoc enim indicari videtur tertia pars ternarij nostri de Eucharistia, opera, nempe, miraculosa, quæ ipsa opus de se; & mirabile, & gloriosum, etiam sub terram operata est, quæ sunt omnino absconsa, & inuisa: sicut manifesta, & ab omnibus visa sunt, quæ in Cælo, & quæ in terra operata est: *Mirabilia* (inquit scriptura de istis) *opera altissimi solius gloriosa, & absconsa, & inuisa opera illius.*

32 Vnde insuper, sicut illa, quæ in Cælo, & quæ in terra facta sunt, ad quatuor genera reduximus, sic etiam illa, quæ sub terra sunt, cũ in ipsa terra alia tria elementa aliqua ex parte saltem, & inter se commixta reperiantur: aqua, nimirum, aer, & ignis: etsi propria aquæ sedes, quã elementum est, super terram sit: sicut eadem ratione super aquam aer, & super aerem ignis locum suum habent similiter. Ergo ab ipsa terra incipientes primò dicemus quod, in illa miraculum magnum Eucharistiæ factum est, quando terram fodiens quidam in profundo loco, super ipsum magna terræ eiusdem moles ruit, in qua, cum quasi sepultus per annum maneret, per singulas hebdomadas semel quidam cum pane, & lumine ei semper aderat: quando, nimirũ, ipso tanquam pro mortuo (vt reputabatur) vxor eius Missam celebrare faciebat: Vnde postea incolumis defossus est. Hic enim de numero eorum postea se fuisse narrabat, qui *viderunt opera Domini, & mirabilia eius in profundo*: Hic Dominum laudabat, quòd per Eucharistiam fecerat mirabilia secum. *Laudabitis nomen Domini, qui fecit mirabilia vobiscum.*

33 Sub terram, etiam aqua multa est: In aquæ elemẽto etiam mirabilia sua fecit Eucharistia, vt pote, quando Sanctus Satyrus, S. Ambrosij frater per illam, quam collo appensam in paruo vase gerebat, secundùm illorum temporum piam consuetudinem, maris naufragium saluus euasit: Tunc enim, etsi mirabiles essent elationes maris, magis tamen mirabilis fuit in altissima Eucharistia Dominus: Vnde, qui nauigabant mare, enarrauerunt mirabilia eius per Eucharistiam facta: Et sicut in mare, sic & in aere apparuerunt eadem mirabilia, vt iam dicebamus, & tunc præsertim; quando impia quædam fœmina Eucharistiam cùm sumpsisset, in odio tamen perse-

uerans, primò in Ecclesiæ medio ipsam Diuina eiusdem virtute eu omere coacta est, & aer statim non solùm excepit illam, sed immobilem etiam in se retinuit, quamdiù Sacerdos obuiam Christo in aere procedens, in vase suo illam reuerenter recepit, & ad Altare reportauit.

34 Tandem Eucharistia, quæ in terra, in aqua, & in aere miracula fecit, etiam in igne fecit *Fecit signa magna* vt scribitur Apocalip. 13. *vt etiam ignem faceret descendere*: scilicet, in capsam, in qua mulier quædam illam abscõderat: Nam cum illam aperiret, vt inde illam tolleret, flamma ignis ex ea processit, vt suo experimento disceret, quòd Eucharistia est carbo ignitus, vt illam nominant multi ex Patribus.

Illa tandem, quæ Iob testante, *facit magna, & instrutabilia, & mirabilia absque numero*: videlicet secundùm Diui Gregorij expositionem, magna virtute, inscrutabilia ratione, mirabilia multiplicitate.

35 Vnde eidem Eucharistiæ iam quasi pro epilogo eorundem omnium mirabilium suorum, siue in Cœlo, siue in terra, siue sub terra factorum illa Sancti Hieronymi morientis verba ad eamdem repetemus. *Omnia quæcumq; vis facis in Cœlo, & in terra, & in mari, & abyssis*. Et hoc ipsum est, quòd ab exordio sermonis vsque modo ex Ioelle celebramus. *Comedetis vescentes, & saturabimini, & laudabitis nomen Domini, qui fecit mirabilia vobiscum.*

Duo monui præsertim circa Eucharistiam. Primùm erat, vt laudemus omnes nomen Domini, qui fecit in illa tot mirabilia nobiscum, in Cœlo, in terra, & in mari, & abyssis, vt inquit cum Psalmista Sanctus Hieronymus. Secundùm verò, vt eamdem deuotè quam possumus, semper sumamus, vt fructibus, ac donis eius, saturemur: & ad hoc pariter idem Hironymus præcitata verba pronuncians, seipsum, & alios suo exemplo inuitauit, sic statim subiungens. *Eia ergo fidelis anima, gaude, epulare: ne mereris his pasci delicijs: ne pigriteris hoc frui conuiuio, in quo non carnes hircorum, aut taurorum, vt olim in lege, sed Saluatoris tui corpus sumendum proponitur.* O sacrum Conuiuium, in quo Christus sumitur: Verè sacrum, vereque admirabile Conuiuium, quòd etiam ideo fecit tot mirabilia nobiscum, quia vere est memoria Dei mirabilium.

Miraculum sanè in miraculo appellarunt quidam ex Patribus Lazari resuscitationem per eundem Christum factam: præsertim, quia ad eiusdem Domini vocem. *Lazare veni foras.* è sepulcro *statim prodijt, qui fuerat mortu' ligat' pedes & manus institis, & facies illius sudario erat ligata.* Vnde Interlinealis hæc verba explicans ait: *Sicut potentia est, quod surgit: ita quod ligatus adhuc prodijt, idest foras processit*: Et Sanctus Chrisostomus similiter: *Exijt ligatus, ne putaretur phãtasma: sed & hoc quod exibat ligatus, non minus videbatur esse, quam suscitari.* 36

His, dico, de causis miraculum in miraculo appellant nonnulli Patres suscitationẽ Lazari. Verùm Eucharistiam iure valde maiori, miraculum in miraculo, vel potius miraculum à in miraculis multis dici posse videtur, vel miracula multa simul, & collectionem quandam, siue multitudinem innumerabilem miraculorum vel mirabilium: & hoc etiam dupliciter in se, scilicet, & extra se, vt iam diximus: in se primò, & principaliter, quia miraculum maximum verissimè est, & mirabilissimum, quòd ad paucorum verborum prolationem, statim sub modici panis & vini speciè fit verum Christi corpus, & sanguis, & totus ipse Christus gloriosus & immortalis, sicut in Cœlis est: sicque ab omnibus quotidiè sumatur sine aliqua sui læsione, vel mutatione.

Item maximum similiter est miraculum, quòd idem Christus sit in omnibus mundi Altaribus, & sic sub qualibet minima cuiuslibet speciei particula, sicut sub tota ipsa specie panis & vini.

Item quòd sint in ipso Sacramento sola accidentia panis, & vini sine vllo protsus, cui inhereant, subiecto.

37 Hæc omnia, & singula, dico, & alia multa, quæ in alio sermone latius prosequimur, sunt in se absque dubio mirabilissima, & capacitatem nostram pœnitus excedentia: Sed præter hæc, innumera etiam alia mirabilia extra se operata est, & operatur frequenter ipsa Eucharistia nobiscum in creaturis omnibus, in Cęlo, nimirum, in terra & subtus terram etiam, sicut satis abundè iam per ipsa exempla monstrauimus. *Propter quod enim vnum quodque tale, & illud magis*, ex secundum philosophi doctrinam: si opera

Eu-

Eucharistiæ ſunt mirabilia, quæ facit nobiſcum, multò magis ſine dubio mirabilis eſt Eucharistia ipſa in ſe, tot mirabilia nobiſcum operans: propter hoc enim ſolùm nunc breuiter indicauimus quantum in ſe, vel ſecundùm ſe illa ſit mirabilis, vt cauſam, nempe, melius ſciremus tam mirabilium operum eius, quæ principaliter ſermone iſto explicāda ſuſcepimus ad eiuſdem Eucharistiæ laudem, illud ſimul Ioellis explanantes: *Comedetis veſcentes, & ſaturabimini: & laudabitis nomen Domini, qui fecit mirabilia vobiſcum.*

38 Vnde vt iam horum mirabilium narrationem terminemus: ſolùm pro eorum breui compendio addemus, quòd Eucharistia, quia tam mirabilis in ſe eſt, & talia, tantaque mirabilia nobiſcum operatur: idcirco non ſolùm miraculum, & maximum miraculum dici poteſt, ſed etiam prodigium: Vnde ſicut Ioel Propheta prius eam ſumendam prædicat, & poſtea eius mirabilia narrat, ſic Eccleſia in eiuſdem Eucharistiæ officio, poſtquam primum illam mirabilem indicauit ſub conuiuij nomine, cantans: *O ſacrum conuiuium, in quo Chriſtus ſumitur*, ſtatim ſubdit: *Recolitur memoria paſſionis eius*. Ex hoc ipſo prodigium, vel prodigia ratione duplicis ſpeciei illam ſimiliter inſinuans, & ad illam inuitans illis vocibus: *Venite, & videte opera Domini, quæ poſuit prodigia ſuper terram.* Sunt enim prodigia aliquando de prætéritis, ſicut id, quòd de Auguſto narratur, nimirum, quod aliquando de mari exiens, piſcis quidam in litore ſuper pedes eius inſilijt, prodigium à nonnullis reputatum eſt, quo ſignabatur, quòd Neptunus Sextum Pompeium iam recuſauerat, & pro eo ipſum Auguſtum in filium adoptauerat.

Præterea non tantum miraculum, & prodigium dicenda videtur Eucharistia, ſed etiam monſtrum, monſtrum, nempe, diuinum, quia in ea monſtratur diuina gratia, qua mens noſtra impletur, dùm illa à nobis ſumitur: vnde, & Eccleſia ſubdit: mens impletur gratia: Et tandem Portentum etiam illam nominabimus non immeritò futuræ gloriæ. *Et futuræ gloria nobis pignus datur.* Portentum, nempe, illud dicetur, quòd nobis Æternus Pater dedit: & de quo idem ad filium hominem factum ait Ezech. 12. *Filij hominis, portentum dedit te domui Iſrael*: De quo portento idem filius hominis, & filius Dei pariter teſtimonium perhibuit eidem domui Iſrael, Eccleſiæ, nempe, ſuæ, quòd vitam æternam portendat, dicens: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam*: Faxit idem Dominus, qui nobis tale portentum dedit, & tot mirabilia in illo nobiſcum fecit, vt quòd portendit nobis, aliquando det nobis ipſam, nempe, vitam æternam. Amen. 39



Sermo

SERMO DECIMVS SEPTIMVS.

Quòd omnia bona sunt in Eucharistia. Pro omnibus ante Eucharistiam expositam.

Omnia simul in te vno habentes, te non debuimus dimittere ire à nobis. Tob. capite 10.

ARGVMENTVM.

Omnia bona sunt in Eucharistia: Ideoque, illa à nobis nunquam est dimittenda.

1 HYPERBOLICE sanè dixit hæc quæ nos modo referimus verba Saræ, quondã Vxor Tobiæ, nimirum, supra modum dolẽs, quòd Tobiam filiũ, misisset Pater ad Raguelem in Rages Ciuitate Medorum pro pecuniæ cuiusdã recuperatione, vnde redditus eius nimis (Iudicio suo saltem) differebatur; At verissimè nos hæc ipsa modò repetemus de Eucharistia illam alloquentes nunc nobis in Altari illo præsentem, sicut & in eadem Æterni Patris, & Mariæ Virginis Filium Iesum Christum Dominum nostrum. *Omnia simul in te vno habentes, te non debuimus dimittere ire à nobis,*

2 Bona ergo omnia vere in Eucharistia habemus, & naturæ, scilicet, & gratiæ, & gloriæ. Bona fortunæ, bona corporis, & bona animæ; bona tandem temporalia, spiritualia, & æterna: præsertim verò Dei gratiam, virtutes quascumque, & alia omnia dona eius in hoc sæculo, & Dei gloriam in futuro: Et idcirco ipsam Eucharistiam non debemus dimittere ire à nobis, hoc est à corde nostro, ab ore nostro, & ab oculis nostris: quin, nimirum, semper credamus, amemus, colamus, & celebremus eam, & frequenter etiã, ac deuotè quam possumus, eamdem & offeramus, & sumamus, vt sic omnia bona etiam nunc, & semper per ipsam habeamus.

3 Certos nos reddit, ac securos de his omnibus idem, qui illam instituit. & in illa est Christ⁹ Dñus in scripturis Mal. c. 3. his verbis. *Sit cibus in domo mea: & probate me super hoc, dicit Dominus: si non aperuero vobis cataractas Cæli, & effudero vobis benedictionem vsque ad abundantiam: & increpabo pro vobis deuorantẽ.* Domus Christi est Ecclesia: In hac domo sua Eucharistia est, in qua caro eius est. de qua idem ait: *Caro mea verè est cibus.* Super hoc cibo ipse nobis præcipit, vt probemus eum, scilicet, vt experimento vero, ac practice (vt dicitur) cognoscam⁹ q̃ sicut in illa vna oĩa bona nũc habemus, vt docem⁹, sic per illã pariter omnia bona habebimus in futurum, & eterna præsertim super abundanter quam petimus, aut intelligimus. Ideoque illam non debemus dimittere ire à nobis. De æternis enim ac Cęlestibus, sic primò ait: *Si non aperuero vobis cataractas Cæli.* De alijs autem omnibus statim sequitur *Et effudero vobis benedictionem, vsque ad abundantiam,*

4 Et non solùm nobis promittit, quòd bona omnia super Eucharistico cibo nostro, quem in Ecclesia domo eius sumimus, sit nobis collaturus, sed, quòd etiam à malis omnibus sit per eandem nos liberaturus: subdit enim immediatè post bonorum promissionem. *Et increpabo pro vobis deuorantem.* Deuorans enim est

est aduersarius noster Diabolus, qui *tanquā rugiens, circuit quærens quem deuoret*, a quo nobis omnia mala eueniunt: sed non de malis modo agimus, quæ per Diabolum patimur: sed de bonis solum, quæ in Eucharistia habemus omnia simul.

5 De illa proculdubio enuntiare poterit quilibet illam dignè sumens id, quod de Increata Sapientia scribitur in Sap. libro cap. 7. *Venerunt autē mihi omnia bona pariter cū illa.* In Eucharistia enim, est ipsa Sapientia Incarnata Christus Dominus, qui eam instituit, à quo omne datum optimum, & omne donu perfectum, & cuncta bona procedunt: & proinde per ipsum in illa omnia nobis bona veniunt pariter cum illa: & cum illo similiter: quia cum illo etiam omnia nobis Pater donauit. *Per huius ergo Sacramenti virtutem* (inquit Inocentius Papa Tertius de myster. &c.) *vniuersæ virtutes augentur, & omnium gratiarum fructus exuberant. Illi enim in hoc Sacramento sumitur totus & integer, qui est fons, & origo totius virtutis, & gratiæ.* Hinc & Sanctus Ambrosius libro 5. de Sacramen. similiter, cap. 3. sic de Eucharistia ait. *Venisti ad Altare? Accepisti corpus Christi? Audi iterum quæ Sacramenta es consecutus. Audi dicentem Sanctum Dauid: & ille in spiritu hæc mysteria præuidebat, & lætabatur, & nihil sibi abesse dicebat. Quare? Quia qui accepit corpus Christi, non esuriet in æternum. Quoties audisti vigesimum secundum Psalmum, & non intellexisti? Vide quemadmodum aptus sit Cœlestibus Sacramētis. Dominus pascit me, & nihil mihi deerit: in loco pascua, ibi me collocauit, &c.* Hinc tandem & Chrisostomus exponens id, quòd de sanguine Christi in Eucharistia scribit Paulus ad Corinth. 1. capite 10. *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonnè communicatio sanguinis Christi est?* Sic ait in eiusdem Pauli persona. *Nam quando dico benedictionem, explico omnem thesaurum Dei beneficētiæ, & magna illa dona in memoriā reuoco.* Sic pro Paulo Chrisost.

Hinc Sacerdotes sic similiter in Missa orāt. 6
Vt quot quot ex hac Altaris participatione, sacrosanctum filij tui corpus & sanguinem sumpserimus, omni benedictione Cœlesti, & gratia repleamur. Et in Missa siue Liturgia S. Iacobi similibus verbis itidem. *Inclinantibus ceruices suas coram sancto Altari, & petentibus abs te dona spiritualia, emitte gratiamq; tuam bonam, & benedic omnibus nobis, omni benedictione spirituali, & quæ adimi non possit.* Omnia verò, quæ pro se, & pro alijs Sacerdotes petunt, certissimè obtinent, si tamen dignè petant.

Vnde ad hoc ipsum (vt puto) demon- 7
strandum, de Edoardo Rege Angliæ pijssimo, & Eucharistiæ addictissimo legimus, quòd dùm Missam audiret, vidit Hostiam in manu Sacerdotis in humanam formam mutatam, quæ extenta manu signo Crucis sibi benedixit, eique Rex profundissimè se inclinauit, omni benedictione spirituali, ac Cœlesti ab ea benedictus, ac repletus: Venerunt enim ei omnia bona pariter cum ipsa Eucharistia.

Itaque, & nos sanctissimi Regis exempla 8
sequentes, eandem & nos feruidè diligamus reuerenter colamus, ac deuotè, frequenterq; sumamus, vt in illa vna omnia bona habeamus, ideoque nunquam dimittamus eam ire à nobis. Non recedat à corde, non recedat ab ore nostro; quia si recedat, omnia bona sua cum illa pariter à nobis recedent. Non recedat, sed accedat nobis semper, & nos illi, vt cum illa omnia bona nobis semper accedant. Amen.



SERMO DECIMVS OCTAVVS.

Quòd Eucharistia est fons hortorum, & puteus aquarum viuentium.

Fons hortorum, puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano: Cantic. cap. 4.

ARGVMENTVM.

Eucharistia mysticè demõstratur fons hortorum, & puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano: quæ quidem dignè sumentibus veram vitam tribuentes, abluunt eos à peccatorum sordibus, fœcundant virtutum fructibus, & temporalium sitim, concupiscentięque ardorem in eisdem extinguunt: & sicut de Cœlo ad homines in terra descendunt aquæ istę, sic eosdem de terra in Cœlum ascendere faciunt.

NON propria tantùm, ac germana sortitur sacra Eucharistia vocabula, siue nomina in scripturis, sed similitudinaria etiam, ac metaphorica sœpe sœpius vt multis fantibus ac varijs tam proprijs, quam mutuatis excellentia, ac virtus eius aliquo modo explicetur, quæ est de se verè inexplicabilis, & indicibilis.

Cùm autem inter omnia, non postremum locum habeant illa, quæ iam indicauimus, *Fons hortorum, & puteus aquarum viuentium.* Idcirco ijsdem nunc illam pro viribus celebrabimus, de eadem canticum canticorum & nos cantantes, quòd iam intonauimus. *Fons hortorum, puteus aquarum viuentium: quæ fluunt impetu de Libano*: dùm, nimirum, primò ostendemus ipsam Eucharistiam mysticè esse fontem hortorum, & secundò etiã puteum aquarum viuentium, & tertiò loco denique, quòd Eucharisticæ hæc aquæ fluunt impetu de Libano, vt sic easdem aquas piè, ac reuerenter, vt oportet, gustare discamus.

2 Pro his omnibus verò inprimis, illud annotabimus, quòd docet cum alijs Sanctus Isidorus in libro orig. siue ethim. *Puteus, est locus defossus, ex quo hauritur aqua, à potatione dictus: fons caput est aquæ nascentis, quasi fundens aquas:* Sic Isidorus distinguit, ac describit simul puteum, & fontem. Verũ etsi aliud sit de se fons, & aliud puteus, nihilominus vnum pro alio sœpe accipitur, & idem dicitur & fons, & puteus simul etiã in scripturis, sicut postea clarius ostẽdemus. Tam puteus enim, quàm fons aquas habet: etsi fons ex eo surgentes, siue manantes semper: puteus autem etiam aliunde tractas, sed vterque illas ad potandum exibet: & qui fons dicitur, eo quòd aquas fundat, siue ad potum, siue ad alia, etiam puteus est, quia

quia defossus, & ex eo, tanquam ex profundo loco aqua hauritur: & e contrario, qui est verò puteus, etiam rectè fons dicendus est, quia aquas extra se aliquando fundat.

3 His ergo, & alijs de causis Eucharistiam non incongruè fontem, & puteum pariter Cœlestium aquarum mysticè in hoc sermone nostro, prædicamus, & fontem primò cum scriptura: *Fons hortorum, verè enim, ac necessaria fons omnium gratiarum dicenda est, cum fontem ipsum Cœlestium charismatum, ac donorum, omniumq; Sacramentorum auctorem Christum Dominum, admirabili modo in se contineat; à quo, tanquam à fonte ad alia Sacramenta quidquid boni, ac perfectionis habent deriuatur.* Sic Ecclesia in Romano Catechismo: *Is enim in hoc Sacramento sumitur* (inquit S. Inno. Papa) *qui est fons, & origo totius virtutis, & gratia.* Tradit hoc ipsum verbis explicitis Sanctus Ambrosius lib. 5. de Sacr. *Accedite ad eum* (ait) *& potate quia fons est:* Idem tradunt frequenter Ecclesiæ Patres. Hoc præ alijs satis clarè explicat Sanctus Chrisostomus multis in locis, & præsertim hom. 61. ad pop. Ant. sic enim de Eucharistia primum: *Ascendebat ex Paradiso fons fluuios emittens sensibiles: ex hac mensa fons ascendit spirituales emittens fluuios.*

4 Per fontem ergo terestris Paradisi Eucharistiam præfiguratam docet Chrisostomus: & immeritò quidem: sic enim de illo scribitur Gen. 2. *Fons ascendebat de terra, irrigans vniuersam superficiem terræ.* & rursus: *Fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradisum, qui inde diuiditur in quatuor capita.*

Paradisus n. quidam voluptatis, Mons Sion Christo Domino fuit, quia maximam illic sensit voluptatem, fontem illum ibidem emanare faciens, de eodem & ipse bibens, & nobis etiam tribuens, nam hoc ipsum se multum desiderasse, tunc etiam ore proprio confessus est, dicens Discipulis suis primis eiusdem fontis potatoribus. *Desiderio desideraui, hoc pascha manducare vobiscum, antequã patiar.* Ex ipsa Ierosolimitana terra fons iste, siue fluuius tunc primò ascendebat, vel egrediebatur, & postea in quatuor capita, hoc est in quatuor mundi partes diuisus est, & continuò diuiditur Sacerdotum ministerio ad ipsius Ecclesiæ spiritualem irrigationem.

Ad hoc enim idem fons, ab eodem Christo in eadem Ecclesia productus est, quasi in horto suo voluptatis, in quo cum hominibus delicietur, vt idem fatetur. *Deliciæ meæ, esse cum filijs hominum:* vt, nimirum, eosdem homines, tanquam hortí sui plantas ipso Eucharistico fonte rigaret.

Hoc enim, & ipse Dominus ab antiquis temporibus repromisit, dicens Eccli. 24. 5
Sicut aquæductus exiui de Paradiso: dixi rigabo hortum meum plantationum. Eucharistiæ enim (vt æstimo) vel Christo, vt in Eucharistia existenti, siue Sacramentato (vt quidã loquuntur) hæc verba tribui possunt, eodem sensu, quo ille dixit, etiam de eadem: *Ego sum panis viuus, qui de Cœlo descendi,* de quo alias: Qui verò panis dicitur, quia sub panis specie datur, & vt panis viuus animas nostras spiritualiter nutrit, ac conseruat, etiam fons, & aquæductus vocatur, quia easdem diuina gratia sua rigat, ac fœcundat virtutibus, ac sanctis operibus, quasi horti sui plantatationes: proinde subdit: *Rigabo hortum meum plantationum.* Vnde Ambrosius, vt iam referebamus: *Accedite ad eum, & satiamini, quia panis est: accedite ad eum, & potate, quia fons est.* Et Chrisostomus loco iam citato: *Apud hunc fontem plantata non in fructuosa salices, sed arbores ad ipsum Cœlum peruenientes, fructum habentes semper maturum, & immarcessibilem.*

At instabit aliquis fortasse, quomodo inter se concordant duo hæc scripturæ loca 6
pro Eucharistia. *Dixi rigabo hortum plantationum, & fons hortorum: puteus aquarum viuentium,* &c. Si Eucharistia fons horti est, quomodo fons hortorum? Si vnius tantum horti fons est, sicut Ecclesiasticus innuit, quomodo ex Salomonis Canticis, illam fontem simul multorum hortorum prædicamus? Non difficilis est quæstionis solutio. Primò enim dicendum, quòd idem est pro Eucharistia, quòd sit, vel dicatur fons hortorum, & fons horti. Nam pro hoc ipso, quod nostra vulgata legit: *Fons hortorum, puteus aquarum viuentium:* Septuaginta habent. *Fons horti puteus aquæ viuentis.* Deinde mysteriosè fortè ibi dicitur fons horti, quòd, scilicet, riget in ea Christus hortum suum, quòd est Ecclesia in communi. *Dixi rigabo hortum meum plantationum:* quia

vnam tantum habet Christus Ecclesiam, quæ per Eucharistiam continuò, quasi fonte perenni adaquatur, aquis, nempe, gratiarum, ac donorum multorum spiritualium, quæ in ea per Eucharistiam ipsam deriuãtur: & hac ratione forrasse, de hac irrigatione, & de Ecclesia generaliter loquens Dominus, hortum in singulari illam nominat. *Rigabo hortum meum*.

Quia verò hæc ipsa vna Dei Ecclesia generalis, multas habet speciales Ecclesias, in quibus diuiditur, speciales, scilicet, populos, & fidelium congregationes etiam pro varietate locorum totius orbis, per quam longe, lateque diffusa est: & quia etiam apud omnes est idem Eucharisticus fons, cuius gratiarũ aquis omnes iugiter irrigantur, ideo ad hoc significandum, fons hortorum in plurali in Canticis appellatur: idest omnium, & singularum, Ecclesiarum.

7 Etenim fons ille est, quem prædixit Zach. cap. 13. his verbis. *In die illa, erit fons patens domui Dauid, & habitantibus Ierusa lem in ablutionem peccat oris, & mestruata.* Vt manifestum enim primò supponimus, quòd Ierusalem, mysticè Ecclesia est, & domus Dauid similiter, fideles omnes: illis ergo, quia domus Dauid, hoc est, Christi sunt, & in Ecclesia per veram fidem habitant, Eucharisticus fons patet, illis, nempe, omnibus, & solis semper, & vbique est manifestus, & expositus, ad illorum placitum, ac voluntatem. Ecce fons patens: en Altare huius fontis patentis locus, omnibus liber, & apertus, & omnibus horis.

8 Fons quidam Iudeorum, fons signatus erat, & dicebatur: at fons Christianorum, qui est Eucharistia, dicitur, & verè est fons, patens omnibus illis: & fons hortorum, quia fons deliciarum, quasi in hortis gustare solemus, sed simul fons camporũ s l z. Ecclesiarum omnibus patentium, sicut & ipse fons patens est: Ideoque sub fontium camporũ nomine eamdem Eucharistiam promisit Dominus Isa. 41. dicens. *Aperiam in supinis collibus flumina, & in medio camporum fontes.* Fontes hortorum ergo, & fontes camporum: sunt corpus, & sanguis Christi.

9 Sed fontes insuper, & platearum, de quibus scribitur Prouerb. cap. 5. *Deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide.* Sunt enim verba Christi ad Ecclesiam de Eucharistia, vt mihi videtur: etsi enim vna sit in se Eucharistia, & vt sacrificium, & vt Sacramentum, & propterea fontem, vnum etiam & singularem illam modò vocemus, nihilominus respectu diuersorum locorum, & multarum specierum numero tàm panis, quàm vini, sub quibus per totum orbem quotidiè conficitur, fontes etiam in plurali dicitur: & quia semper, & vbique omnibus fidelibus huiusmodi fons in promptu est ad cuiuscumque libitum: ideo foras deriuari iubetur: & eadem ratione, & quia etiam communiter publice hoc fit, & cum fidelibus omnibus cuiuscumque status, & conditionis indifferenter, & absque exceptione, vel differentia vlla, sicut in his contingit, quæ in plateis diuidi solent, idcirco horum fontium aquas diuidi mandat in plateis eorundem fontium auctor Christus Dominus: mandat (dico) Sacerdotibus, vt Eucharistiam conficiant, & distribuant semper, & prompte omnibus fidelibus in Ecclesia, quasi in platea quadam illis omnibus communi, ac patenti. *Erit* (inquit Zacharias) *in die illa fons patens domui Dauid, & habitantibus Ierusalem.*

10 Sed ad quid deseruiet fons iste domui Dauid, & habitantibus Ierusalem, idest, omnibus Christianis? Audiamus, explicat enim hoc statim Propheta: *In ablusionem peccatoris, & menstruata*, ait: Tria sunt præsertim fontalis aquæ commoda, & vtilitates: Irrigat hortos, abluit sordes, sitimque & ardorẽ extinguit: eadem sunt fontis Eucharistici beneficia, & primum quidem indicatur, dùm dicitur *fons hortorum*, nimirum ad irrigationẽ eorum. Irrigat enim Eucharistiæ Sacramentum dignè sumptum animas nostras, fructuosis operibus iugiter eas fœcundas reddens, de quo iam diximus: Secundò Eucharisticus hic fons abluit sordes peccatorum, hoc verò docet Zacharias, dum ait, illum esse *in ablutionem peccatoris & mestruata*: Tertia & vltima Eucharistiæ virtus, vt fons est, est sitim, & ardorem vitiorum, ac terrenorum extinguere: & hæc similiter in eisdem Prophetæ verbis aliquo modo insinuatur secundùm aliàs eorundem translationes, vt statim dicemus.

11 Itaque ad secundam prius reuertentes, cũ Bernardo dicimus in cœna Domini. *Hoc Sacramentum minuit sensum in minimis, & in grauioribus tollit omnino consensum*; Item cum Ambrosio de benedict. Patriarch. capite 9. *Panis hic, remissio peccatorum est.*

Vnde

Vnde Sacerdos Diaconum communicans ait illi, sicut legimus, in Missa SS. Ioan. Chrisost. *Impertio tibi pretiosum & sanctum, & immaculatũ corpus Domini nostri Iesu Christi in remissionem peccatorum.* Propter hoc etiam Zacharias de eodem Eucharistię Sacramento testatur, *esse in ablutionem peccatoris.* Peccatorum, videlicet, communium, & leuiorum: *Et menstruatæ*: nempe, peccatorum turpium, & grauiorum, quòd menstrua grauem soleant maculam, ac fœditatem causare: etsi ad litterã per peccatorem, etiam specialiter viros accipere possimus, per menstruatam verò fœminas peccato similiter sordidatas, quòd illę etiam menstruatæ dicantur; vel per peccatorem, peccatum operis, per menstruatam verò, peccatum mentis: Quia secundum Gregor. hom. 10. in Ezech. *Peccator est qui delinquit opere, menstruata est mens, quæ labitur praua cogitatione.* Quodcumque ergo sit peccatum, siue graue, siue leue: virorum, aut mulierum: operis vel mentis in Eucharistiæ fonte abluitur, & expiatur, quæ fons est *in ablutionem peccatoris, & menstruatæ.*

12 Explicat hoc manifestè Chrisostomus citato loco, in quo etiam duas alias præcipuas fontis huius virtutes declarat, illam, nempe, de irrigatione, ac fœcunditate, de qua iam diximus, & tertiam pariter de refrigeratione, siue sitis extinctione, de qua postea dicemus. De hac ergo ablutione, de qua etiam Prophetia Zachariæ, sic ait Chrisostomus de Eucharistia scribens, & de Eucharistico sanguine signanter: *Hic est sanguis animarum nostrarum, hoc abluitur anima, hoc adornatur:* Sicut enim fontium quorumcumque aqua (vt & alia qualibet) nos & nostra omnia abluit, & maculas quascumque abstergit, sic multò verius, ac dignius incomparabiliter Eucharistia fons Cœlestis ac diuinus preuia dispositione potatum, abstergit omnem maculam quorumcumque peccatorum, ab animabus nostris, de quibus Hier. 2. *Maculata es in iniquitate tua coram me dicit Dominus*: & Tren. 4. *Denigrata est super carbones facies eorũ*: & alius quidam. *Anima si in peccatis fuerit, est nigrior coruo.*

13 Scribit siquidem Plinius lib. 31. suæ historię & alij cum eo in Hestiotide, fontem quemdã esse, qui Mele, vel Melo vocatur, de quo potantes oues nigræ, albę fiunt: sicut ibidem alium etiam esse narrat, qui albas, nigras eodem modo reddit, addens insuper, quòd de vtroque bibentes, variæ fiunt: hæc quidem credibilia sunt, sed nobis, qui illa non sumus experti, non omninò certa.

At certissimum omnino est, quòd Eucharisticus fons est in ablutionem peccatoris, & menstruatæ leuium, nimirum, & grauium etiã peccatorũ: de hoc enim fonte; sic testatur idem peccator in Psalmis ipsum alloquens. *Asperges me Domine hysopo, & mundabor lauabis me, & super niuem dealbabor. Non enim solum lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo* (inquit Sanctus Innocentius Papa) *quando sanguinem suum pro nobis fudit in Crucis patibulo, verum etiam quotidiè nos lauat à peccatis nostris in sanguine suo, quando eius sanguinem nos accipimus in salutari poculo.*

Fatemur tamen, per accidens tantum (vt scolastici loquuntur) Eucharistiam peccata mortalia delere: Nam Pœnitentię Sacramentum institutum est ad peccati actualis remissionẽ per se, sicut baptismus ad deletionem originalis. Et hæc de Eucharistici fontis ablutione.

Modò consideremus eiusdem fontis virtutem aliam, quæ est de extinctione sitis, & ardoris mali in nobis: & hæc enim simul cũ præcedenti de ablutione ipsa indicatur eisdẽ verbis Zachariæ: Nam, quod nos in vulgata lectione dicimus: *In ablutione peccatoris, & menstruatæ*, Hebrei, secundùm Pagninum, & alij etiam cum eis legunt. *Pro expiatione peccati, & pro aspersione.* 14

Sicut enim in fontes nostri sordibus expiant, & in ardore & siti refrigerant, sic Eucharistiæ fons Cœlestis à vitiorũ nostrorum maculis nos lauat, & sitim, & amorem temporalium, & ardorem fomitis, & concupiscentiæ in nobis ipsis temperat, & præterea facit nos terrena despicere, & Cœlestia semper, & Christum amare, & ad ipsũ Christum fontem Eucharisticum exclamare. *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontem aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus: sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum.*

Et rectè quidem, & non ad insipientiam nobis: quoniam hoc ipsum nos docet Chrisostomus citato loco, de Eucharistia inquiẽs. *Si quis æstuat, ad hunc fontem veniat, & æstum refrigeret, nam & siccitates resoluit, & cuncta, re souet inflammata non à sole, sed iaculis ignitis: superna enim principium habet, & inde radicem, vnde & irrigatur.* 15

Et quod docuit Chrisostomus idem & Christus, omnes sitientes ad seipsum Eucharisticum fontem sic ore proprio inuitans: *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat* Ioan. 7. Et ante hoc per Isaiam 55. cap. *Omnes sitientes venite ad aquas*. Vel iuxta Grecorum textum *Qui sititis ite ad aquam*.

16 Quænam vero sit hæc aqua, ad quam inuitat Dominus, explicet Diuus Hieronymus, dum hæc verba explicat hoc modo: *Ipse enim & aqua, & panis est, qui de Cœlo descendit*. Et cōcordat Hieronymi doctrina, cum doctrina scripturarum. Salomon enim sapientissimus fonti comparat messem, in qua granū ad cōficiendum panem colligimus Prouer. capite 6. veniet vt fons messis tua.

17 Conformis est etiam ipsis Cæsareis legib. Decernūt enim, aquam sub alimenti nomine comprahendendam esse in legato, quando tamen in ea regione factum est legatum, in qua aqua vendi solet: lex enim prima ff. de alimentis, vel cibarijs hæc est expresse. *Si alimenta fuerint legata, dici potest, etiam aquā legatā in esse, si in ea regione fuerunt legata, vbi venundari aqua solet*: Nobis ēt à Christo Domino ante mortem suam aqua hæc Eucharistica legata est, & verba legati illa sunt, quæ post illius institutionem legans protulit. *Hoc facite in meam commemorationem*: Et de hoc legato rogati fuerunt grauissimi, ac fidelissimi scribæ, siue tabelliones, eiusdem, videlicet, Discipuli, & Euangelistæ. In ea regione verò factum est hoc legatum, (scilicet in Ecclesia) in qua vendi consueuit ipsa aqua, & hoc lege speciali ipsius legantis, qui, nouo quodam legandi modo, contra, vel supra legem, tamquam legislator supremus, & per quem legum conditores iusta decernunt, sic legauit illam, vt etiam a legatarijs eandem emi voluerit: Ideoque ad legati huius acceptationem inuitans, sitientes, nempe, omnes, expresse præcipit eisdem simul & semel, vt hanc aquam emant. Attendamus verba eius: *Omnes sitientes venite ad aquas*. Hoc inuitamentum est: sed audiamus pactū, siue conditionem, vel potius obligationem legatarijs huiusmodi impositam, qua eos legans aggrauauit: *Et qui non habetis argentum, properate, emite & comedite*.

18 Emenda ergo est aqua ista: sed per hoc non turbari debent pauperes emptores, nec conqueri, quòd emere illam non possint, quia, nimirum, argentum, vel pecuniam nō habeant: quia emitur verū, sed absque argento, & absque alio quocumque pretio, prout similiter ibidem decernitur ab eodem legante Domino: *Venite, emite absque argento, & absque vlla commutatione, vinum, & lac*. Septuaginta enim dicunt: *Emite absque pecunia, & absque pretio vinum, & adipem*: de quo adipe postea.

Nullum ergo pretiū omnino pro hac aqua 19 Eucharistica, emenda necessarium est: nullū aliud pretium petit quam te, ò homo. Da te ipsum, & habebis illam. Te ipsum, nempe, bene dispositum, ac præparatum ad hanc aquam gustandam. Hoc verò præstare possunt quicumque pauperes etiam, & omnino pecunia carentes, pœnitusque miserabiles. *Nec timeant eloquij paupertatem* (inquit hoc loco Hieronymus) *si argentum forte non habeant; sed audiant Apostolum dicentem, Gratia salui facti estis*. Et Dominum ad Discipulos. *Gratis accepistis, gratis date*.

Non ergo temporali pretio comparanda 20 est hæc aqua nostra: quia non est, vt aqua communis: quia aqua est, quæ quidem bibitur, sed etiam comeditur: quia ipsa Eucharistia est, quæ sub panis specie manducatur, & bibitur sub vini specie similiter: & propter hoc dicitur, *Emite, & comedite*. *Mirumque in modum* (ait ibidem Hieronimus) *emunt aquas absque pecunia, & non bibunt eas, sed comedunt: ipse enim, & aqua, & panis est, qui de Cœlo descendit: ergo quod in quibusdam exemplaribus legitur: emite, & bibite, ab imperitis scriptoribus immutatum est, qui putauerunt esse consequentius, si biberentur potius aquæ, quam comederentur*. Sic Sanctus Hieronymus, & postea nonnullis interiectis, hæc infert ex præmissis pro Eucharistia. *Spreto igitur illo argento, & pecunijs, quibus aquas Domini emere non possumus, pergamus ad eum, qui tenens Calicem Sacramenti Discipulis loquebatur. Accipite & bibite: hic est sanguis meus, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum: quod vinum miscuit sapientia in cratere suo: omnes stultos sæculi, nudosque sapientiam non habentes prouocans ad bibendum. & vt non solum vinum emamus, sed & lac, quòd significat innocentiam paruulorum, qui mos, ac typus in occidentis Ecclesijs hodiè vsque seruatur; vt renatis in Christo, vinum, lacque tribuatur, de quo lacte dicebat, & Paulus, lac vobis potum dedi non solidum cibum: & Petrus: quasi modo nati paruuli, rationabile lac desiderate: vnde, & Moyses vinum, & lac in Christi* intel-

intelligens passione, mystico sermone testatur: gratiosi oculi eius à vino, & candidi dentes eius à lacte. Hæc omnia Sanctus Hieron. ad rem nostram.

21 Forte etiam idcirco dicitur, vt comedantur aquæ istæ Eucharisticæ, non potius, vel simul etiam, vt bibantur: quia, etsi bibantur sub vini apparentia, tamen quia hoc est à paucioribus, scilicet, à Sacerdotibus solùm, nã alij omnes communiter sub altera tãtũ specie communicant, nempe, panis, qui comeditur, propter hoc (dico) commedendæ, non bibendæ præscribuntur: sicut altera quoque species, in qua hæ aquæ bibuntur, videlicet, vinum, præcipitur, vt ematur simul cum lacte, vt dictum est: *emite absque pecunia, & absque vlla commutatione vinum, & lac:* quia lac expressius eamdem Eucharistiam sub vtraque specie representate videtur, nam cibus simul, & potus est: sicut & de ipsa Eucharistia dixit Dominus: *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* Etsi, quia lac verè magis cibus est, quam potus, & propter albedinem suam, eamdem Eucharistiam in specie panis, in qua communius manducatur, fortè expressiùs adumbret.

22 Sunt etiam aliæ rationes, cur Eucharistia hoc loco lac etiam vocetur, sicut, & aqua, & vinum: sed quia de hoc ex professo in alio sermone tractamus, ideo sub silentio illa pro nunc abscondemus: Sicut pari modo in alio loco obseruamus, cur hoc loco pro eodem verbo: *Lac*, lectio Greca ponit *adipem*, vt dictum est: *Emite absque pecunia vinum, & adipem:* contenti solum id ipsum refere, quod similiter refert idem Hieronymus post prædicta, statim subdens. *Pro lacte in præsenti loco septuaginta adipem transtulerunt, de quo Sanctus Dauid dicit in Psalmo, sicut adipe, & pinguedine repleatur anima mea.* & in alio loco: *Cibauit eos ex adipe frumenti, & de petra melle saturauit eos, qui adipes, non aliud quam mysticam carnem sonant, ad quam Dominus Discipulos hortabatur, dicens: Nisi comederitis carnem meam, & biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam in vobis. Vnde & in Getsemani traditus est, quod significat vallem adipeam.*

Cum ergo Eucharistia fons hortorum di- 23
citur, intelligendum est, quod hic fons, vel huius fontis aqua est simul, & vinum, & lac, & adeps, vt dictum est: & hac de causa, de fidelibus (vt puto) scribitur, Apocal. 7. *Non esurient, neque sitient amplius,* spirituali, nempe, fame, vel siti. *Quoniam agnus* (inquit) *qui in medio throni est, reget illos, & deducet eos ad vitæ fontes aquarum.* Ecce Agnus Dei, qui in Eucharistia, quasi in throno terrestri velatus semper est, sicut in Cœlesti throno ab omnibus reuelatus videtur, sicuti est. Hic (dico) Agnus Dei deducit fideles ad Eucharisticos fontes, qui verè sunt vitæ fontes; dicens illis: *Omnes sitientes venite ad aquas,* ad fontem hortorum, ad puteum aquarum viuentium, de quo modo loquimur.

Verum cum ad fontem istum horto- 24
rum, & ad puteum hunc aquarum viuentium, iam diutius ad Christi exemplum vos inuitauerim, & propter hoc illas vobis demõstrauerim aquas, & earũ naturam, & virtutem vtcumque, reliquum est nunc, vt, & de modo gustandi illas etiam, vos aliqualiter informem, sicut pariter informat Sanctus Bernardus sororem suam, ad eã scribens in lib. de modo bene uiuendi: ibi enim, sub serpentis, & fontis similitudine hoc illam docet his verbis. *Serpens enim cum cœperit ire ad bibendum, antequam veniat ad fontem, euomit omne venenum. Imitare ergo, & tu charissima hunc serpentem in hac parte, vt antequam venias ad fontem, idest ad communionem corporis, & sanguinis Domini nostri Iesu Christi, euomas omne venenum, scilicet, odium, iram, malitiam, inuidiam, voluntatem malam, & noxias cogitationes ex corde tuo.*

Hæc ad communicantes dico cum 25
Bernardo, & cum Chrisostomo ad vos etiam ministrantes. *Nam & ad vos sermonem conuertere necessarium est, vt multo cum studio hæc dona distribuatis.* Itaque, ò Sacerdos, *siue quis dux militia sit, siue præfectus, siue Princeps diademate coronatus, indignè autem accedat, prohibe: maiorem illo potestatem habes. Tu verò, si tibi quidem aqua fons traditus fuisset purus gregi custodiẽdus, & pecudem multum ore simum habentem vidisses deorsum inclinari, an ne permisisses, & fluentum turbare?*

Nunc

Nunc verò, non aqua sed sanguinis, & spiritus fontem habes creditum, & ceno fœdius habentes peccatum videns accedentes, non indignaris, nec arces, & quam consequeris veniam? Sic Sanctus Chrisostomus de Eucharistia sub fontis comparatione: Quia verè est (vt prædicamus) fons hortorum, scilicet, Ecclesiarum, & fidelium omnium: Sed fons, non terrestris, sed cœlestis ac diuinus, quia est idē Dei filius, de quo fonte cantat eidem Psalm. 35. *Quoniam apud te est fons vitæ*, cuius fontis aquas nobis ab antiquis temporibus Isaias prænunciauit dicens: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris.*

26 Vnde de hoc ipso referre possumus id, quòd scribit Sanctus Hieronymus exponens eiusdem Prophetæ alia verba de eisdem Eucharisticis aquis, quas iam fusè explicauimus: *Omnes sitientes venite ad aquas: Prouocat credentes ad flumen Dei qui repletus est aquis, & cuius impetus lætificat ciuitatem Dei: vt bibant aquas de fontibus Saluatoris*: sic ille. Vnde quia fons est Eucharistia Christi Saluatoris nostri, sicut etiam corpus & sanguis eius, duo fontes simul dici possunt, de quibus aquas gratiarum, ac donorum ineffabilium iugiter fideles hauriunt: Idcirco fons solis etiā dici posse videtur Iof.c. 18. Etenim, *Sol iustitia Christus Deus noster.*

In desertis lybiæ vltra Cyrenaicam regionem iuxta Iouis Ammonis Oraculū fons est cuius aqua mane, & vespere tepida est, meridiano autem tempore gelidissima, sub mediam verò noctem feruidissima. Vnde, & fontem Solis appellarunt, quòd à Sole regi videatur, & pro ratione diuersorum cardinū quos ille perlabitur, calorem tepore, teporemque frigore permutat: Tradunt etiam nonnulli, duos esse huius naturæ fontes, quorum alterum, à vicino oraculo Amonis fontem appellant, alterum apud Trogloditas collocant Ethiopiæ populos, eumque Solis fontem nominant: Non in Desertis lybiæ, vel Ethiopiæ, sed in hortis Catholicæ Ecclesiæ, in singulis Ecclesijs, quæ horti dicuntur spirituales, est fons hortorum Eucharistia. Hæc fons solis etiam dici potest: fons, scilicet, non Amonis, sed hominis, & Dei simul: idest Christi Domini: *Sol enim Iustitia Christus Deus noster*: Corpus, & sanguis eius in eadem Eucharistia, duo fontes dici possunt eiusdem omninò naturæ: quia est idem totus Christus sub vtraque specie contentus? Corpus eius, scilicet, sub panis specie: & sanguis eiusdem sub specie vini, ex vi verborum: reliquia verò hic & ibi, ex concomitantia, sicut alibi fusius explicamus.

Variatur verò fons iste solis notus non quidē in se vllo modo, sed pro varietate tantum eorum, qui de illo potantur: *Sumunt enim boni, sumunt mali, sorte tamen inequali*: quia eorū est dispar exitus: vlz., vitæ, vel interitus.

Hinc aliud inferendum de eodem fonte 27 nostro Eucharistico ex eisdem antiquis fontibus, quòd, nempe, sicut quidam olim populi superstitione adducti, coronas in fontibus conijciebant, quasi coronantes illos (sicut etiam de puteis faciebāt) & festa quædam eisdem celebrabant, quæ fontanalia, vel fontinalia dicebant: ita multò magis nos, quos Spiritus sanctus per Ecclesiam veram edocet Religionē, Eucharistico fonti nostro, verè corona dignissimo, quia est sanctum sāctorum, sacrum sacrorum, & Sacramentum Sacramentorum, vt Patres loquuntur, coronas deuotionis, reuerēriç, laudis, ac honoris, quas possumus, offerre debemus, eique dignè sua celebrare festa, ac solemnitates qualcumque in Ecclesia consuetas. Super omnia autem cauere debemus, ne, qui de se fons est semper saluberrimus, ac vitalis, culpa nostra fiat nobis noxius, ac mortalis ob indignam eius potationem, nimirum. Itaque *fons hortorum* est Eucharistia: Hoc iā satis fusè pertractauimus.

Sed est etiam & *puteus aquarum viuētium*: 28 Hoc modò clariùs exponendum est: Pro figura veritatis huius inprimis fuit locus quidam, iuxta quem Angelus Domini Agar à Domina sua Sara Vxore Abraham fugientē inuenit Gen. 16. Eundem enim primò fontē appellat scriptura, referens quòd Angelus Domini inuenit illam iuxta fontem in solitudine, & paulò inferiùs, subdit de eodē fonte: *Propterea appellauit puteum illum, puteum viuentis, & videntis me*: Eundem, ergo fontem etiam puteum appellauit: puteum verò dixit viuentis, & videntis se: quia ibidem apparuerat ei Angelus, à quo visa fuerat, qui immortali vita viuit. Hæc omnia verò, vt significaretur, quòd Eucharistia verè est fons, & puteus simul. In illa enim, & non iuxta illā verè, est Angelus testamenti omnium Angelorum Dominus, & creator Iesus Christus, qui cum verus homo sit, tamen de illo scribitur Iosue cap. 3. *Scietis quod Dominus Deus viuens*

viuens in medio vestri est: & rursus Eccli. 2 2. *Omnia vidit oculis eius*: Et est in Eucharistico fonte, & puteo in medio nostri non semel tantum, vt Angelus ille iuxta materialem illū fontem, vel puteum: sed à prima apparitione eiusdem fontis, quæ fuit Eucharistiæ institutio semper in eodem fuit, & erit continuo, vsq; ad mundi finem: quia denique, ipsa Eucharistia est *fons hortorum* (vt dictum est) *& puteus aquarum viuentium*.

29 Hinc alium legimus in nouo testamento puteum, qui similiter fons etiam ibidem nominatur, in quo pariter cum alia quadam muliere Samaritana idem Angelus testamenti Christus Dominus reperitur: Ideoque non minus, quàm prædictus eamdem Eucharistiam præsignasse videtur: sic porrò de illo narrat S. Ioannes cap. 4. *Erat autem ibi* (nēpe, iuxta ciuitatē Samariæ quæ dicitur Sicar) *fons Iacob*. Et iterum de eo Christo Domino ibidem subditur, quòd illuc aliquando perueniens, *fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem*: Deinde quod post aduentum eius ad fontem, illuc similiter *venit mulier de Samaria haurire aquam*, & quod (inter alia multa inter Christum & mulierum colloquia) dixit illa ad Christum, de eodem fonte. *Iacob dedit nobis puteum istum: & bibit ex eo ipse, & filij eius; & pecora eius*: En ergo primum, qui fons antea vocatus est, postea puteus appellatur: vt, nimirum, fortasse per hunc fontem, & puteum, repræsentatam intelligeremus Eucharistiam, quàm modo cū Canticis prædicamus fontem hortorum, & puteum aquarum viuentium.

30 Et verè: quia non Iacob, sed eius filius secundùm carnem Christus Dominus dedit nobis puteum istam Eucharisticum, quando Eucharistiam ipsam instituit; Et tunc etiam ex eo bibit, & comedit simul ipse, & filij eius: nempe, Sancti Apostoli: vnus enim ex illis, viz., Ioan. sic scribit 1. cap. 3. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur, & simus*. Et non solùm ipse Christus, & Discipuli eius, Iacob & filij eius, ex hoc puteo simul biberunt, & comederunt: sed etiam pecora eius postea, nempe, nos omnes fideles: *Nos autem populus eius & oues pascuæ eius*.

31 Verùm hoc amplius habet fons iste Sacramentalis, quòd nō habebat puteus siue fons ille Samariæ materialis, nimirum, quòd non sedet Christus iuxta illum, vt de illo scribitur, *Iesus ergo fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem*. Sed est in ipso fonte vere, & est insuper ipsemet fons hortorum, & puteus aquarum viuentium: & non solum hora sexta, vt ibi: *Iesus ergo fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem; hora erat quasi sexta*, inquit Ioannes: sed omnibus horis, & momentis etiā vsque ad vltimam horam, & momentum mundi.

At fontem sœpe iam nominauimus Eucharistiā: Modò puteū nominemus, *puteū aquarū viuentium, quæ fluunt impetu de Libano*. 32 Attendamus: Hæc omnia, vt mihi videtur, in lib. Num. Cap. 21. intelligimus per exemplum alterius putei, de quo ibi historicè, sic primò scribitur. *Ex eodem loco apparuit puteus, super quo locutus est Dominus ad Moysem: congrega populum, & dabo ei aquam*: Et iterum paulo inferius: *Puteus, quem foderunt Principes, & parauerunt Duces multitudinis in datore legis, & in baculis suis*. Dicitur primò de illo puteo, Dominum ad Moysem locutum esse, vt congregaret populum, vt aquam fontalē illi daret: Idem etiam Dominus, non quidē in loco speciali deserti, vt Moyses tunc Hebraicum populum, sed in Cœnaculo montis Sion primum suum populum, suos, nempe, Discipulos congregauit per seipsum, ibique puteum Eucharisticum eis dedit: sed aliud notabile de fonte illo deserti narratur ad mysterium, sacri Mysterij omnium myisteriorum mysteriosissimi. Dicitur primò, quòd Dominus puteum illum dare volebat Hebreis illis. *Apparuit puteus, super quo locutus est Dominus; congrega populum, & dabo ei aquam*: & tamē subditur iterum de hoc eodem puteo: *Puteus, quem foderunt Principes, & parauerunt Duces multitudinis &c.*

Si enim verum est (sicut pro verissimo, ac indubitato omnino est habendum) quòd Dominus miraculosè dedit illis hunc puteum: *Dabo ei aquam*, inquit, quomodo verum erit simul, quòd eundem puteum parauerunt Duces Hebreorum? *Puteus, quem foderunt Principes, & parauerunt Duces multitudinis*. Quò ad puteum Hebraicum, sic facile, & & breuiter soluitur quæstio, & tollitur apparens difficultas. Si dicamus, nimirum, quòd puteum istum quidem miraculosè (vt iam diximus) fodit Dominus, ad potationē populi. Verùmtamen, Principes eiusdem Populi baculis, vel fulcris suis, vt alij legunt, & alijs instrumentis eundem magis excauauerunt,

&

& dilatauerunt, vt commodius, & abundantius ex eo aquam haurire possent: sed est (dico) in verbis istis, & in facto ipso pariter mysterium pro Eucharistia, quam hic puteus exprimebat: Verè Christus Dominus memoriam faciens mirabilium suorum, in monte Sion puteum Eucharisticum fodit, quando ibidem eandem Eucharistiam instituit. Veruntamen post eum, gloriosi Principes terræ, & Duces multitudinis Christianæ, Sancti, nempe. Apostoli, & alij omnes Sacerdotes. Duces similiter eiusdem populi, post Apostolos, eundem puteum foderunt, dilatauerunt, parauerúntque, & parant semper, & vbique, eamdem Eucharistiam prædicando, conficiendo, ac ministrando per totum orbem.

33 Est enim, vt ille fons paruus, *qui creuit in fluuium maximum, & in aquas plurimas redundauit*, vt scribitur in lib. Hester. cap. 10. itaut ad omnes gentes idem fons, vel puteus iam peruenerit, & perueniat semper magis eodem modo dicaturque semper: *Ascendat puteus*, sicut Hebrei tunc cantabãt: *Tunc cecinit Israel* (inquit ibi scriptura) *carmẽ istud: Ascendat puteus*, Sacerdotes verò nostri, non alta voce canendo sed secreta pronunciando, dicunt, non, *Ascendat puteus:* Sed: *Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus.* Sicque statim puteus Eucharisticus, hoc est aqua putei, ipsa (dico) Eucharistia ascendit in Altari, & ex Altari in altum, vt adoretur, & deinde in os nostrum, vt bibatur & comedatur ab omnibus commodius, quia. *& aqua & panis est* (vt aiebat Hieronymus) *qui de Cœlo descendit:* quia puteus est aquarum viuentium: quia denique: *Omnis qui biberit ex hac aqua* (vt Saluator ait) *fiet in eo fons aquæ salientis*, idest salire facientis *in vitam æternam.* Nam dicit Glossa hęc ipsa verba Christi explicans: *Aqua corporalis deorsum fluit, spiritualis sursum salit, & in æternam gloriam bibentes subuehit, secundum illud etiam ipsius Domini Saluatoris. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.*

34 Vnde ob hoc etiam, fonti Paradisi terrestris comparat Sanctus Chrisostomus Eucharistiam; vt iterum diximus, de quo legitur: *Fons ascendebat e terra irrigans vniuersam faciẽ terræ: Ascendebat* (inquit ille) *ex Paradiso fons fluuios emittens sensibiles: ex hac mensa fons ascendit spirituales emittens fluuios.* Ille fons ascendebat ex paradiso terrestri: iste fons ascendit, & ascendere facit in paradisũ Cœlestem: quia, est aqua salientis in vitam æternam: videlicet *aqua spiritualis* (inquit Glossa) *quæ sursum salit, & in æternam gloriam bibentes subuehit*: Quod etiam S. Ambrosius sic apertè docet libro quinto de Sacram. *Tangit ergo Sacerdos Calicem, redundat aqua in Calicem; salit in vitam æternam, & bibit populus Dei, qui Dei gratiam consecutus est.* Fontalis aqua enim, tantum ascendit quantum & descendit. Eucharistia autem est (vt inquit Hieronimus) *aqua, & panis qui de Cœlo descendit:* Si ergo de Cœlo vsque ad terrã ad homines illa descendit, ergo etiam eosdẽ homines à terra in Cœlum ascendere faciet qui iam illuc ascẽdit, & in eadem Eucharistia est Christus Dominus.

Quia denique (vt prædicamus) *est puteus* 35 *aquarum viuentium*, non solum, sed *aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de libano*: hoc est de Cœlo: Manifestum est enim in scripturis, per montem Libanum, ob eius altitudinem, Cœlum intelligi: vnde propter hoc, sicut nostra lectio habet: *quæ fluunt impetu de libano*. Hebraica legit apud Pagninum: *Puteus aquarum fluẽtium ad libanum*, nempe, ad Cœlum: sicut de Cœlo fluunt eædem Eucharisticæ aquæ: *Et aqua enim, & panis est, qui de Cœlo descendit Eucharistia*, inquit Hieronymus: *Panis enim Dei est, qui de Cœlo descendit & dat vitam mundo*, inquit Christus: Et idcirco aqua viua dicitur, & puteus aquarum viuentium. Dicuntur autem fluere impetu de libano, & ad libanum, propter earum excellentiam, & virtutem, de quo aliàs. Etsi nec vacet forte mysterio, quòd a libano magis, quam ab alio altissimo monte fluere perhibeantur, quales sunt e.g. Olympus, & Ossa olim olympo coniunctus, & alij: quia Libanus candidatio interpretatur, eo quòd eius summitas niuibus multis semper candescat, ex quibus solis calore resolutis aquæ illæ generantur impetu sic ab eo descentes. Et ideo tacitè quasi ex hoc admonemur: ne nos nigri peccatis nostris simus, qui aquas istas Eucharisticas bibimus à loco candido, nimirum, è Cœlo ad nos fluentes: ne has gustantes aquas dilatemus animam nostram, sicut Infernus, ad quos aquas suas mittit Paradisus: ne postea etiam ipsæ aquæ in Infernum culpa nostra nos descendere faciant, quæ sua natura & impetu nos facerent (si velemus)

lemus) in Cœlum ascendere, quod iam satis manifestè ostendimus. Sicut enim, *qui* (dignè scilicet) *manducat meam carnem, & bibit meũ sanguinem habet vitam æternam*, inquit Christus, ita per oppositũ, ait Paulus: *Qui manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit*: hoc est, æternam similiter damnationem.

36 Aquis nonnullis talem dedit vim natura, vt à genere quodam hominum nulla ratione potari possint, nempe ab impudicis, vel periuris: & si de facto bibantur, acriter ab eisdem puniuntur: fons enim apud Thianam ciuitatem esse fertur, qui à periurijs potatus, eos sic affligit, vt inde amplius discedere nõ possint: sicut etiam aquæ fluminis cuiusdam in Bithinia eisdem periurijs potantibus vt ardentes flammæ redduntur. Si hęc saltem credita sunt, quanto magis firmiter persuasum nobis esse debet Eucharisticas aquas, nullo modo à malis esse potandas, etsi illas bibant, ab eisdem similiter suæ temeritatis pœnas esse subituros? Manifesta sunt de his omnibus exempla innumera, ex quibus apertè monstratur, quòd: *Qui manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat, & bibit*, etiam in hoc sæculo aliquando, & non in futuro solùm. Manifesta hæc facta sunt in illis præsertim, qui (vt legimus) indignè ad Eucharistiã accedentes, nulla via, vel arte eam in ore sumere valuerunt, vel sumptam deglutire, & in illis pariter, qui eamdem euomere sunt coacti, & in illis tandem quibus Sanctus Macharius ob eorum indignitatem vidit à Demonijs accensos carbones in os poni, dùm communicarent: sumptas vero Sacramenti particulas per se ad Altare redire.

37 Itaque ne similia patiamini, fratres, memẽtote Eucharisticas aquas de libano monte fluere, qui candidatio interpretatur: *Fons hortorum puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano*, vt ostendatur, nos etiã candidatos esse debere, & à peccatis puros, in quos per sanctam Communionem eædem aquæ fluunt, sicut vnumquemque monet S. Pasc. de corp. & sang. Dñi cap. 17. hoc modo. *Fili, hoc mysterium dum communicas, dilata sinũ mentis tuæ, emunda conscientiam, & percipe, non quantum mica exibet, sed quantum fides capit: quia in Christo plenitudo diuinitatis manet, in te autem, non quanta est, sed quantum idoneus fueris, præstatur.*

Et tandem meminerimus etiam, quod fluũt 38 de se illæ aquæ: non vi ergo, vel labore, aut studio à nobis trahendæ, vel portandę sunt, vel alio modo cum difficultate habendæ: sẽper in promptu sunt, & obuiæ nobis in Ecclesia: sufficit solùm aperire os, vt illas gustare possimus: quasi enim dicunt nobis cum Sacerdote de illis. *Dilata os tuum: & implebo illud*. Psal. 80.

Eia, ne Tantalo quæso assimilemur, quem 39 deplorat ille dicens:

Heu miser in medijs sitiens stat Tantalus vndis,
Et poma esuriens proxima habere nequit:

Fabulatur Poetę, Tantalum ad inferos à Dijs condemnatũ, perpetua fame sitiq; torqueri, etsi in medijs stet vndis, & poma eius capiti imminentia sint, & eidem proxima: quasi Tantali nos Christiani sumus frequẽter: Hoc mihi dicere liceat: In medijs sumus semper Eucharisticis vndis: Illum in eodem Sacramẽto proximum semper habemus, de quo canit sponsa. *Sicut malus inter ligna siluarum, sic dilectus meus inter filios*, Cantic. 2. Et tamen, & esurimus, & sitimus, malum hoc non comedentes, nec bibentes vndas istas, uel raro saltem, & sine gustu: Immo Tantalo illo fabuloso vere sumus in hoc peiores, vel infeliciores: quia, quòd ille (secundum fabulam) sitiat iugiter in medijs stans vndis: & quod pariter poma habens proxima, nihilominus esuriat semper, hoc culpæ suæ, vel defectui non est tribuendum, nam quo magis os aquis, manusque pomis admouet, vtrumque ab illo magis se elongat: Vnde non mirandum quod continua fame sitique crucietur: sed non sic impij, non sic: indeuoti, dico, fideles, quin potius, non solùm proximum semper nobis omnibus est Eucharistiæ Sacramentum, & in promptu, quotiescumque illud sumere disponimus: sed nec ad ipsum os nostrum, vel manus prius extendendæ sunt, ipsum enim prius ori nostro approximat per Sacerdotum ministerium.

Vnde solùm os nobis aperiendum est, vt eodem impleatur. *Dilata os tuum*, quod tamen non præstamus.

Quare iure merito id nobis eueniet, 40 verè, quod de Tantalo illo fabulose narratur, nempe, quod ideo fuerit à Dijs ad inferos relegatus, quod cum Deos ipsos conuiuio excepisset, vt eorum diuinitatem probaret, Pelopem filium mem-

bratim discerptum eisdem apposuit : illi verò a nefandis epulis abstinuere omnes: vna Cerere excepta, quæ pueri humerum deuorauit. Deus enim verus nobis (non nos illi) exibet sacrum conuiuium, in quo Christus sumitur veri Dei filius; quod si non gustauerimus, vel indignè, verè, ac iuste ad inferos condemnabimur : sicut de Tantalo. Poëtæ ng untesque de hoc ipso iam prolata sententia ab eodem Dei filio, cuius carnem manducamus, & sanguinem bibimus in eodem conuiuio. Hæc est autem sententia. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Si non vitam in Cœlo ergo mortem in Inferno : vt Paulus similiter testatur. *Qui enim manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat, & bibit.* Iudicium, idest condemnationem, vt dicebamus.

Itaque iam tandem mementote, charissimi eorum, quæ ab initio proposuimus, 41
& quæ sæpius explicando etiam, replicauimus : quòd, nimirum, primò Eucharistia est in se fons hortorum, scilicet, deliciarum. Non sit ergo nobis nostra culpa causa pœnarum. Præterea quòd est puteus aquarum viuentium : non sit ergo nobis, ob defectum nostrum, origo tormentorum. Et tertiò quòd aquæ istæ Eucharisticæ fluunt è libano, & ad libanum : idest è Cœlo descendunt, & ad Cęlum ascendere faciunt, qui eas dignè bibunt : non ergo vitio nostro, quia, nimirum, non gustamus eas, vel indignè gustamus, ad infernum nos descendere faciant æterna morte damnatos, sed earum virtute potius ascendamus omnes in Cœlum æterna vita Beati. Amen.


SERMO DECIMVS NONVS.

Quod Eucharistia est panis propositionis mysticus.

Accipies quoque similam, & coques ex ea duodecim panes &c. Leuit. 24.

A R G V M E N T V M.

Eucharistia per propositionis panes manifestè figurata probatur ex eorundem panum nomine, & ratione. Hæc non solùm Sacerdotum est, vt panes illi : sed aliorum omnium. Verùmtamen, in loco sancto, hoc est, in anima sancta in primis illam omnes comedere debent : quia sanctum sanctorum est de sacrificijs Domini magis, quam propositionis panes : sicut etiam hoc ipsum eorum nomen, eidem Eucharistiæ plus conuenit.

1 
TRadunt vnanimiter sacrarum Scripturarum interpretes, tam multas, ac varias quas illę nobis exibent de Eucharistia vmbras, vel figuras, non eadem ratione vel modo eandé exprimere, vel repræsentare, sed multis sanè, ac varijs : quędam, n. præsertim vt sacrificium est, illam adumbrant: aliæ verò, vt Sacramentum: quædam etiam, vt sacrificium, & Sacramentum simul: nonnullæ pariter ratione Christi Domini, qui in eadem veraciter continetur, ipsam referunt: aliæ etiam propter panis, ac vini species, sub quibus ipsa conficitur. Præterea eiusdem Eucharistiæ effectus, atquè fructus admirabiles figuris itidem sæpe indicantur. Ali-

Aliquando etiam dignam ad eandem ſuſcipiendam preparationem, ac diſpoſitionem per eaſdem edocemur. Tandem vſus etiam, ac continuata frequentia eiuſdē Sacramenti, quæ ſemper in Eccleſia perdurauit, perdurabitque, in figuris ſimiliter nō ſemel traditur. Varias ex his in ſermonibus noſtris opportunè adducimus, & explicamus.

2 Vnicam modò præ illis omnibus prælegimus, quæ ſit ſermonis huius velut currus, & auriga, illam, nempe, panum propoſitionis, quam ab initio propoſuimus. Hæc ſiquidem non ipſam Euchariſtiam tantum, ſed & eiuſdem ſumptionem & ſumptionis modū expreſſè ſatis, ac diſtinctè exprimere videtur, quantùm tamen figuræ conuenire poteſt, & non vnica ratione ſolùm, ſicut quamplures aliæ, ſed diuerſis profectò, prout ſermonis eiuſdem decurſus, quem aggredimur, demonſtrabit. Quæ tamen omnia, vt congruò ordine procedamus, ad duo præcipuè redigemus.

Primum erit ipſum nomen, & ratio panum horum propoſitionis, qui Euchariſtiam ſecundùm ſe præfigurabant. *Accipies quoque ſimilam &c.* Hoc eſt primum.

Secundùm verò eſt panum eorundem ſumptio, ſiue comeſtio, quæ eiuſdem Euchariſtię dignam ſumptionem pariter indicabat illis præſertim verbis. *Eruntque Aaron, & Filiorum eius. & comedent eos in loco ſancto, &c.*

3 *Accipies quoque ſimilam, & coques ex ea duodecim panes.* Hæc et quæ ſequuntur de panibus propoſitionis, ad Euchariſtiam referunt quamplures ex Patribus, per ipſos panes propoſitionis Euchariſtiam figuraliter interpretantes. Sic Diuus Hieronymus contra Iouinianum, Sic Cyrill. Alexand. in Ioan. Sic Eſichius ſimiliter in Ioan. Sic Cyprianus de coena Domini. Sic Ambroſius in Lucam. Sic Chriſoſtomus ſæpe in ſuis homilijs. Sic Auguſt. diuerſis in locis ſuorum operum. Sic tandem Paſchaſius de corpore, & ſanguine Domini, & alij multi. Ex his idē Cyrillus de ſancto Tabernaculo lib. 9. loquens de panibus propoſitionis ait. *An verò parum euidenter ille panis è Cœlo nobis demonſtrabatur, qui aliquando in Sanctis Eccleſiarum menſis proponendus eſſet, & vitam mundo dat.* Sanctus Iſidorus lib. 1. de Eccleſ. offic. Non ſolùm per panes propoſitionis Euchariſtiam intelligit, exemplum referens, quod de eis, & de Dauid ſcriptura narrat, ſed addit inſuper. *Tantum intereſt inter propoſitionis panes, & corpus Chriſti, quantum differt inter ſe corpus & vmbram, inter imaginem & veritatem, inter exemplaria futurorum & ea ipſa, quæ per exemplaria figurabantur.*

Et notiora fiunt hæc per ea omnia etiā, quæ de ipſis propoſitionis panibus ſcriptura ipſa tradit loco citato, & alibi ſimiliter. 4
De eis enim ſic primò ſcribitur Exod. ca. 25. *Et pones ſuper menſam panes propoſitionis in conſpectu meo ſemper.* Panes propoſitionis ex hoc dicuntur, quia ex Dei præcepto, in Tabernaculo primum, et poſtea in templo, quod Tabernaculo ſucceſſit, ponebantur à Sacerdotibus. Hi panes iugiter ſuper menſam puriſſimam, vt inquit ſcriptura, coram Domino: ſiue ante Dominum: Vel ante faciē, vel vultum, ſiue conſpectum eius ibidem ſtatuebantur. Hoc eſt in Dei præſentia, & ad eius gloriam, honorem, ac reuerentiam.
Vnde etiam ob hoc ſecundùm 70. Interpretes, & alios: panes faciales, ſiue vultuales, vel conſpectuales dicebantur: vel panes facierū Hebraicè, ſiue vultuum. Etſi alia ratione ēt, de qua poſteà, ſint his nominibus appellati. Quia ergo ponebantur, ſiue proponebantur ſemper ſuper mūdiſſimam illam menſam coram Domino in Tabernaculo prius, & poſtea in templo, ideo, panes propoſitionis dicti ſunt in ſcripturis: de his enim Dominus ad Moyſem, vt prædiximus. *Panes ſuper menſā panes propoſitionis in conſpectu meo ſemper.* Et de eiſdem ſimiliter repetit verba, quæ nos aſſumpſimus. *Accipies quoque ſimilam, & coques ex ea duodecim panes, quorum ſe nos altrinſecus ſuper menſam puriſſimam coram Domino ſtatues.*

Hæc autem omnia in figura contingebant illis. In figura, ſcilicet, Euchariſtici panis: Hic enim non in Tabernaculo Moyſis, nec in templo Salomonis ab antiquis Sacerdotibus, vt illi, ſed à Chriſto Domino, qui eſt Sacerdos ſecūdùm ordinem Melchiſedech, Apoſtolis ſuis in menſa puriſſima Montis Sion primò propoſitus eſt: & poſt eum ab eiſdem, & ab alijs Sacerdotibus eorundem ſucceſſorib. ſemper proponitur, & proponetur ſemper vſq; ad mūdi finē ſuper puriſſimā Altaris mēſam, & non ſingulis Sabbathis ſolùm, vt propoſitionis panes, de quib. lex ſtatuebat. *Per ſingula Sabbatha mutabuntur cōram Domino ſuſcepti à filijs Iſrael fœdere ſempiterno:* Sed ſin- 5

gulis etiam diebus: singulis enim diebus in veritate cantare possunt Christi fideles omnes id, quod in primario Eucharistiæ festo potissimum cantare consueuerunt. *Panis viuus, & vitalis hodiè proponitur*, & illud similiter. *Quem in sacra mensa cœna, turba fratrum duodena, datum non ambigitur.*

6 In quibus verbis satis apertè declaratur Eucharistiam non solùm panem propositionis nonum dicendam esse, sed insuper excellentiam eius, ac sanctitatem longè esse maiorem, quã propositionis panis, vt iam cum Isidoro diximus. *Panis viuus* (canit Ecclesia) *& vitalis hodiè proponitur*. Mortuus enim erat ille panis propositionis, non viuus, non vitalis vllo modo: nam purus, ac naturalis tantum panis. Sicut panis, quo vescimur ad corporis nutrimentum, quomodo vescebantur illo etiam Mosayci Sacerdotes. At panis Eucharisticus, etsi panis verus, ac naturalis videatur, re vera tamen panis non est, sed panis solùm accidentia habet: & est verè panis animarum, non corporum, & panis viuus, non mortuus, quia eundem continet, qui vita est, nempe, Christum Dominum, qui ait. *Ego sum via veritas, & vita*: & rursus de seipso, prout in Eucharistia est. *Ego sum panis viuus, qui de Cœlo descendi*: Vitalis verò etiam dicitur: nam eodem teste. *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.*

7 Vnde hic panis noster viuus non mutatur, sicut propositionis panes *per singula Sabbata mutabantur*, vt inquit scriptura: sed mutatur solùm materialis panis, in quo ille conficitur. Vnde Sanctus Cyprianus de cœna Domini. *Per singula Sabbatha panes propositionis iam frigidi, & duri mutari consueuerant, & calidi panes eiusdem numeri in mensa proponi: Iam nulla fit panis mutatio: vnus est panis, caloris continui, status integri, qui semel oblatus Deo, in sapore dulcissimo, & candore perseuerat*: sic ille. Hic viuus, ac vitalis animarum panis hodiè nobis omnibus proponitur à Christo Domino, & à Sacerdotibus eius, & omnibus diebus pariter vsque ad consummationem sæculi in purissima, ac sanctissima simul Altaris mensa, ad Dei gloriam, ac reuerentiã: ad laudem eius, & honorem: & insuper ad spiritualem refectionem, & salutem nostram: Sicut primitus ab eodem in sacræ mensa cœna turbæ fratrum duodenæ propositum non ambigitur verbis illis: *Accipite, & manducate ex hoc omnes. Hoc est enim corpus meum.*

Et quidem iure meritò: quia & propositionis panes duodecim erant: quia pro duodecim tribubus etiam proponebantur. 8
Vnde & ipse duodecim tribus triticum, vel similam Sacerdotibus dabant, ex qua ijdem illos conficiebant, & super mensam purissimam illam ponebant: sex scilicet, ex vna parte eiusdem mensę, & sex alios ex altera singulis Sabbathis illos mutantes veteres, nempe, comedentes, & recentes calidosque pro eis substituentes. *Sumes quoque similam, & coques ex ea duodecim panes, quorũ senos altrinsecus super mensam purissimam coram Domino statues.* Sic enim Dominus de his panibus ad Moysem: & rursus ex eisdẽ sic. *Per singula Sabbatha mutabuntur coram Domino, suscepti à filijs Israel fœdere sempiterno.* Panis noster etiam pro duodecim primò Apostolis, qui ex eisdem tribubus erant à Christo propositus est, dum diceret illis. *Accipite, & manducate ex hoc omnes. Hoc est enim corpus meum, quod pro vobis datur.* Et non pro illis solùm est propositus, sed pro omnibus etiam fidelibus, qui in primis illis duodecim fidelibus quodammodo continebantur, & per eosdem repræsentabantur. Sicut in duodecim Patriarchis ipse duodecim tribus Israel: & præterea sicut illis duodecim prima vice institutionis eius hic propositionis panis propositus est à summo Sacerdote Christo Domino, sic ab eisdem, qui tunc similiter per eundem Christum Sacerdotes instituti sunt, alijs fidelibus propositus est: sicque successiue ab alijs itidem Sacerdotibus proponitur, & proponetur semper eodem modo cunctis fidelibus, secundùm eiusdem Christi Domini pręceptum. *Hoc facite in meam commemorationem.* Quia verè est propositionis panis, de quo per figuram similiter statuebat idem Dominus. *Pones super mensã panes propositionis in conspectu meo semper.* Et impletur quotidie figurale præceptum: nã quotidiè in veritate canimus, vt iam diximus. *Panis viuus, & vitalis hodiè proponitur.*

Explicat de Eucharistia hæc omnia ferè, quæ de hoc pane propositionis traduntur, Origenes homilia 13. in Leuit., & duas insuper de hoc rationes assignat, breuibus his ver- 9

verbis. *Si redeas ad illum panem, qui de Cœle descendit, & dat huic mundo vitam: illum panem propositionis, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine eius.* Sic ille pro prima ratione: deinde pro secunda subiungit immediate. *Etsi respicias ad illam commemorationem, de qua dixit Dominus. Hoc facite in meam commemorationem, inuenies quòd ista est, commemoratio sola, quæ propitium facit hominibus Deum.* Sic Origenes: quasi dicat. Antiquus ille panis propositionis panis dictus est, quia pro filijs Israel in mensa illa coram Domino proponebatur. In Eucharistia, ille pro fidelibus omnibus proponitur, quem proposuit Deus propitiationem, siue propitiatorem, Iesum Christum, nimirum, Dominũ nostrum: sicut scripsit Paulus ad Romanos tertio capite: *Ipse est enim propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi,* vt inquit Ioannes in prima cap. 2. *Quia nobis reddidit placatum Deum Patrem, cuius prius eramus inimici.* Sic Vgo exponens pauli verba illa ad Rom: similiter enim c. 5. idem Paulus ait. *Cum enim inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortẽ filij eius.*

10 Præterea, alia ratione speciali est panis propositionis Eucharistia: quia, nempe, eadem propitium facit hominibus Deum, vt cũ Origene diximus: testatur siquidem Ecclesia ipsa in Missa hunc fidelibus suis panem per Sacerdotes proponens in Altaris mensa, quòd quoties huius Hostiæ commemoratio celebratur, toties opus nostræ salutis exercetur, videlicet, vberrimi illi incruentæ Hostiæ fructus per incruentum sacrificium ad nos manant, vt Romanus Chatechismus exponit.

11 Pro omnibus his bonis, ac beneficijs, quæ nobis Eucharistia confert, eadem nobis quotidiè proponi dicitur: & ex hoc propositionis panis rectissimè vocatur: sicut pro omnibus omnino in ara Crucis semel propositus est Christus.

Ideoque hæc secunda propositio, quæ quotidiè, & vbique iteratur, viua memoria est primæ illius propositionis, quæ semel tantùm in Caluario facta est: quod est ratio altera de eodem proposito nobis pane, ex Origene. Sic enim eidem Moysi præcepit Dominus in Leu. citato loco de panibus illis. *Et pones super eos thus lucidissimum, vt sit panis in monimentum oblationis Domini.*

In memoriam duodecim tribuum erant panes illi, quæ frumentum, vel similam ex qua fiebant Sacerdotibus offerebant: & pro eisdem duodecim tribubus vicissim illos Domino Sacerdotes offerebant, sicque omnes ab eodem ali protestabantur. Panis noster etiam, quem Sacerdotes eidem Domino quotidie offerunt, est in memoriam oblationis illius, quam de seipso Dominus in ara Crucis fecit, sed non pro duodecim tantum tribubus offertur, hoc est pro illis solùm, qui sunt de duodecim tribubus Israel, & ad Christum conuertuntur, sed pro omnibus omnino populis, qui etiam eodem spiritualiter aluntur. Ipse enim Christus cum primum hunc propositionis panem proposuit sanctis suis Discipulis, hanc eamdem potestatem in Sacerdotio eis tribuẽs, id eisdẽ facere mãdauit dicẽs. *Accipite, & manducate ex hoc omnes. Hoc facite in meam commemorationem. Hæc quotiescumque feceritis in mei memoriam facietis.*

Proinde sicut Thus in vase ponebatur ex Dei ordinatione super panes illos, in monimentum oblationis Domini: quia, videlicet, Thus Deo offertur in igne crematum, vt fiebat de illo posito super panes propositionis: sic nos quoque eodem modo, Thus super Eucharistia ponimus, dum eam in Missa, vel aliàs incensamus, & incensando oramus dicentes. *Dirigatur Domine oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo, &c. Sacerdotes enim sancti, incensum & panes offerunt Deo.*

Tandem sicut simul cum Thure 12
etiam sal panibus illis apponebatur secundùm 70. Orig., & alios iuxta illud Leu. 2. *Quidquid obtuleris sacrificij sale condies*, sic & panis noster Eucharisticus quum offertur, & proponitur in Missa, sal sapientiæ Diuinarũ scripturarum & expositionis earũ, per conciones, & sermones varios adhibetur.

Et quid plura adhuc referimus, vt Eu- 13
charistiam propositionis panem comprobemus? Vnum adhuc solùm pro hoc ipso annotemus ad rei complementum, scilicet, materiam ipsam panum illorum, ex qua fiebant, simulq; illorum formam, ac magnitudinem præsertim: fiebant panes illi ex simila frumenti candidissima, ac purissima, & sine fermento: Azimi enim erant, & valde magni: nam singuli duas decimas habebant, vt inquit textus, erant slz. 13. librarum cum dimidia. *Accipies quoq; similã, & coques ex ea duodecim panes, quorum singuli habebunt duas decimas.*

Coque-

14 Coquebantur verò secundùm nonnullos hi panes non in furno, vt fit communiter, sed in quodam vase, vel instrumento ferreo vel aureo, aut alterius metalli, sicut nos Hostias nostras: & propter hoc, ex vtraque parte eamdem faciem, siue figuram habebant: & idcirco etiam, qui in hac sunt sententia (quod tamen omnino non asserimus) facierum panes, vel panes faciales, siue vultuales, vt diximus, appellatos volunt.

Ex eadem prorsus frumenti simila, panis fit, in quo Eucharistia conficitur: idem etiam azimus est. Et Christus Dominus in Eucharistia contentus ex candidissima, ac purissima Virgine conceptus est, & natus, sine vllo omnino fermento malitiæ, vel nequitiæ; sed azimus similiter, idest candidissimus, ac purissimus: Nam: *Peccatum non fecit: neque dolus inuentus est in ore eius.* Parui quidem sunt nostri propositionis panes quantitate molis: continent tamen eum, cuius magnitudinis non est finis. Habent singuli panes Eucharistici duas decimas; hoc est duas perfectiones, generaliter loquendo: Denarius enim numerus perfectus est, & perfectionem significat: Christus verò, qui in ipso Sacramento veraciter continetur, duas in se naturas habet prorsus perfectissimas; diuinam, nempe, & humanam; Verùm inuisibilis illa, quia, Deum nemo vidit vnquam: alia verò, cum qua in terris visus est, visibilis est. Idcirco etsi Hostia, in qua Eucharistia conficitur, in ferro coquatur, vt de pane propositionis nonnulli dicunt, non tamen figuram ex vtraque eius parte vt ille, habet, sed ex vna tantum, figuram, scilicet, eiusdem Christi Crucifixi: quia secundùm humanam naturā solùm passus est.

15 Et hæc de vtroque propositionis pane secundùm se diximus: Reliquum est, vt & de ipsum sumentibus subijciamus. *Eruntque Aaron, & Filiorum eius: vt comedant eos in loco sancto*: Ecce statim quorumnam essent propositionis illi panes, qui eos comedebāt, & in quo loco eos comedere debebant, Aaron solummodò summi Sacerdotis, & aliorum etiam inferiorum Sacerdotum, & filiorum eius erant hi panes.

Hi soli commedebant eos, & insuper in loco sancto, qui erat locus quidam specialis templi, vel Tabernaculi.

Ratio verò ob quā soli Sacerdotes, & solùm in loco sancto comedere poterāt hos panes, est illa, quam subdit statim Dominus hæc præcipiens, *sanctum sanctorum est de sacrificijs Domini, iure perpetuo.*

Hæc suo ordine breuiter explicemus, & 16 primò dicendum, quod ad mysterium forsassis, cum Sacerdotum tantùm essent panes illi, & illi soli similiter eos, manducare possēt non dixit tamen Dominus: *Erunt Sacerdotum*, sed: *Erunt Aaron, & filiorum eius*; Vt per hoc, nimirum, inueret, quòd non sufficit Euāgelicorum Sacerdotum sola dignitas, officium, vel nomen, vt dignè mysticos propositionis panes conficiant, sumant, & dent cæteris, neque omnes qui Sacerdotes sunt, hæc laudabiliter præstant, sed ij tantùm, qui primò, non assumunt sibi honorem, sed *vocantur à Deo tanquam Aaron*: & qui insuper, eiusdem Sacerdotis summi Aaron sanctitatem, æmulatur, quā etiam ipsum nomen ei⁹ adumbrat. Interpretatur enim Aaron *mons*, siue *Montanus*, quia montes esse debent Sacerdotes, per iustitiæ altitudinem. *Iustitia enim tua sicut montes Dei*. & quia in Cælestib. montibus iugiter per considerationem, & affectū vt Cœlestium montium montani habitare debent: sanctorum enim Sacerdotum præsertim est illa vox. *Nostra autem conuersatio in Cœlis est.*

Et quod de Sacerdotibus dicimus, de om- 17 nibus etiam fidelibus suo modò intelligendū est: quia illorum omnium similiter est Eucharisticus panis, & non Sacerdotum solùm, vt propositionis panes (etsi Laici, siue seculares, vt plurimùm, non tam frequenter, vt Sacerdotes illum comedere soleant) vt videlicet, & ipsi cum Sacerdotibus eundem sumentes panem, iusti quantum possunt, esse curent. Quod manifestè satis docet Sanctus Cyprianus loco citato dicens:

Nec solos Sacerdotes ad panis huius dignitatis Leuiticæ prærogatiuam admittit: Vniuersa Ecclesia ad has epulas inuitatur. Æqua omnibus portio datur: integer erogatur: distributus nō dimembratur: incorporatur, non iniuriatur: recipitur, non includitur: cum infirmis habitans, non infirmatur, nec pauperum ministerio indignatur: fides pia, & mens syncera hunc habitatorem delectant: neque immensi, & omnipotentis Dei magnitudinem pauperculæ domus nostræ angustiæ offendit, vel arctat. Hæc Sanctus Cyprianus.

Est etiam valde efficax & pro scriptura quam exponi-

exponimus & pro Sacerdotibus,& alijs omnibus vulgatum exemplum de eisdem propositionis panibus, & de Dauid simul, & socijs eius, quibus etiam cogente necessitate eos Abimelec Sacerdos dare noluit, nisi prius interrogasset. *Si mundi sunt pueri,& maximè à mulieribus*, sicut in eadem scriptura narratur. Vnde Sanctus August. vel alius ad fratres in heremo serm. 37. de hac re sic scribit. *Si ergo interrogauit Sacerdos, vtrum serui Dauid mundi essent, propter panes propositionis accipiendos, quid agere debemus nos miseri Sacerdotes propter corpus Domini accipiendum?* Sed de Sacerdotibus fusius in proprio sermone.

18 Pro illis,& pro Christianis omnibus faciūt quæ sequuntur: *Vt comedant eos in loco sancto: quia sanctum sanctorum est de sacrificijs Dñi.* Non solum statuit Dominus, qui nam comedere possint propositionis panes, sed etiam locum, in quo comedendi sunt, vt iam diximus, nempe, locum sanctum. *Et comedent eos* (ait) *in loco sancto.* Nullus quidem in terra sanctior locus Ecclesia. Hic solus locus est in quo (extra necessitatis casum) Eucharistia sumitur: sed alius tamen est locus sanctus, non quidem materialis, vt Ecclesia, sed spiritualis, nimirum, anima nostra à peccatis munda, in qua vult Dominus, vt figuratis propositionis panis, qui Eucharistia est, comedatur, & hoc potissimum significant verba eius. *Vt comedant eos in loco sancto: locus ergo sanctus anima est pura*, inquit Orig. in præcitata hom. Et iterum, hanc ipsam legem: *Et comedent eos in loco sancto*, de Eucharistia declarans, sic subiungit: *simili modo etiam tibi lex ista proponitur, vt cum acceperis panem mysticum, in loco mundo manduces eum: hoc est, ne in anima contaminata, & peccatis polluta Dominici corporis Sacramenta percipias:*

19 Vnde ibidem etiam scriptura subdit rationem prædictorum, cur, nempe, solùm Sacerdotes.& eorum filij comedere poterant panes illos,& cur in loco sancto tantum, vt explicatum est: *quia sanctum sanctorum est* (inquit) *de sacrificijs Domini* iure perpetuò: Quę ratio Eucharistiæ conuenit multò verius, quā propositionis panibus, quę sancta, & sancta sanctorum, absolute,& anthonomasticè appellatur à patribus: & (vt inquit Bernardus, vel alius apud ipsum) *est sacrum sacrorum, Sacramentum Sacramentorum.* Panum horū oblatio non erat sacrificiū propriè dictum: sed vocantur hic sacrificium, idest oblatio per catachresim, vt inquit Cornelius à Lapide hoc loco. Sanctum verò sanctorum dicuntur, secundùm eundem & alios, quia in ipso sancto templi offerebantur, cum aliæ victimæ extra sanctum in Atrio eiusdem templi offerentur: & quia propter hoc etiam sanctissimè habebantur inter alias oblationes Domini: Et hoc sonant eiusdem scripturæ verba de eis, *sanctum sanctorum est de sacrificijs Domini iure perpetuo*: Eucharistia verè est sanctum sanctorum,& sacrificium sacrificiorum Domini, sicut speciali sermone clariùs demonstramus,& verè iure perpetuo, nam vsque ad mundi finem perdurabit, ille verò panis iam habuit finem.

Hinc, aliam dabimus cum Origenem & alijs, verbis istis adhuc pro Eucharistia interpretationem. Sic Origenes. *Vides quomodo non dicit: sancta tantum, sed sancta sanctorum, ac si diceret, cibus iste sanctus, non est cōmunis omnium, neque cuiuscumque indigni, sed sanctorum est.* Chrisost. item in Epistola ad Hebreos, sic cum Orig. concordans scribit. *Sanctis hæc sancta concessa sunt:* quod statim confirmat per exemplum Grecorum suorum, inter quos Diaconus in missa ad communionem vocans fideles, clamat. *Sancta sanctis. Ac si diceret* (inquit idem Chrisostomus) *si quis non est sanctus, non accedat.* Item aliud in prędictis verbis obseruat idē Chris. subdēs. *Non simpliciter dicit: à peccatis mundus, sed sanctus; Sanctum enim, non mundatio à peccatis tantum facit, sed etiam præsentia spiritus, & bonorum operum opulentia:* hæc Sanctus Chrisostomus. Et hæc etiam sufficiant: quia sæpe in alijs sermonibus, hoc idem prosequimur argumentum. Amen. 20



SERMO

SERMO VIGESIMVS:

Quod Eucharistia est panis Angelorum, factus cibus viatorum, &c. Pro omnibus ante Eucharistiam expositam.

Ecce panis Angelorum, factus cibus viatorum: verè panis filiorum, non mittendus Canibus. Sequent, Corp. Christi.

ARGVMENTVM.

Deus, qui ab ipso mundi exordio panis fuit Angelorum in Cœlo, suiipsius fruitione eos satians, dũ Eucharistiam instituit, factus est panis viatorum hominum in terra. Non est tamen verè omnium viatorum indifferenter iste cibus: sed solùm filiorum: eorum, nempe, qui Deum Patrem præsertim in dilectione imitantur: nequaquam verò eorum, qui propter vitium aliquod meritò Canes appellantur, & ob Luxuriam, Iram, vel odium potissimum: quos idcirco specialius ipsa Eucharistia auersatur.

1 NAturaliter quæ inaudita sunt attentè audimus: quæ noua sunt studiosè videmus: quæ mirabilia sunt sollicitè consideramus. Inaudita sunt N.N. quæ ego nunc annuntio vobis: noua sunt, quæ ostendo vobis: mirabilia sunt, quæ vobis propono: Eucharistia, nimirum, tersancta, & illa quoque, quæ de eadem modò ad vos sum prædicaturus: inaudita quidem sunt, nam, *quis audiuit vnquam tale?* inquit Isaias, vltimo noua sunt, nam, *quis vidit huic simile?* vt idem subiungit. Mirabilia tandem: quia, vt tertiò subdit. *Nunquid parturiet terra in die vna?* Nunquam enim parturiuit, vel parturiet in futurum terra hoc mirabile Eucharisticum, in quo *memoriam fecit Dominus mirabilium suorum, escam dedit timentibus se:* sed parturijt illud Cœlum in die vna: quia est *panis viuus, qui de Cælo descendit:* nempe, in die illa, qua Christus Eucharistiam sanctissimam instituit; En, charissimi, ista mirabilia, ista noua, ista inaudita, quæ nunc auditis, quæ nunc videtis, quę nunc consideratis: *Ecce* (inquam) *panis Angelorum, factus cibus viatorum: verè panis filiorum: non mittendus canibus.* Quia ergo ista inaudita sunt, illa & vos attentè (vt dicebam) audite: quia noua, studiosè videte: quia mirabilia denique, sollicitè etiam considerate: audite inquã simul & semel nũc Eucharistiæ verbum: videte Eucharistiæ Sacramentum: considerate Eucharistiæ mysterium: dum, videlicet, auditis etiam, dum videtis, dum consideratis, primò, quòd panis Angelorum factus est cibus viatorum, secundò, quòd hic panis Angelorum verè est panis filiorum: & tertiò, quòd non est mittendus canibus.

Ecce ergo quam bonum, & quam iucũdum, nunc datur omnibus hominibus nuntium, cum ijsdem hominibus nuntiatur, quòd 2

panis

panis Angelorum in Cœlo Beatorum, factus
est cibus hominum in terra viatorum: Deus
enim qui vbique est: Nam, *Cælum & terram
ego impleo dicit Dominus:* Cum prius in Cœlo
semper Angelos seipso, & Beatifica sui ipsius
fruitione refecerit, quasi inuisibili quodam
cibo, ac potu simul, sicut vnus ex eis, Ra-
phael nomine testatus est. Tobie 12. *Ego n.
cibo inuisibili, & potu qui ab hominibus videri
non potest vtor* (Deus quidem inuisibilis
est, & Angelus similiter) quando tamen
*misit idem Deus filium suum in terris natum ex
muliere, factum sub lege:* Dei filius Euchari-
stiam visibiliter instituens, cibum se fecit visi-
bilem hominum viatorum visibilium, sicut &
illæ etiam secundum eamdem, quam assum-
psit humanam naturam, in terris visus est, &
cum hominibus conuersatus est.

Ante hoc enim *in toto orbe panis deerat: &
3 oppresserat fames terram,* vt scribitur Gen. c. 47.
Erat tunc Deus solum panis inuisibilis, non
visibilis, & Angelorum tantum non hominũ.
& solùm in Cęlo erat ille panis, vbi comede-
batur ab Angelis, non autem in terra, vbi co-
medi posset ab hominibus: sed in toto orbe
terrarum hic panis deerat: vnde *oppresserat
fames terram* idest homines, qui in terra erãt.
Et ideò fame peribant: Quare de Angelis,
quasi dolebant, eo quòd illi in Cœlo, tanquã
in domo patris sui hoc pane abundarent,
homines verò in terra fame perirent.
Vnde sic præ fame clamabant. *Quanti mer-
cenarij in domo Patris mei abundant panibus,
ego autem hic fame pereo? Omnes enim illi sunt
administratorij spiritus* Heb. 1. Et non solùm
Dei ministri sunt, sed etiam hominum, ex Dei
ordinatione (etsi natura hominibus nobilio-
res sint) quia *in ministerium missi propter eos, qui
hæreditatem capiunt salutis;* sicut ibidem
scriptura subdit: Hominibus verò dedit po-
testatem filios Dei fieri ipse Deus. *Cui enim
dixit aliquando Angelorum: filius meus es tu: ego
hodiè genui te?* vt ibidem additur. Quare
Deum vt patrem rogabant homines ab eodẽ
edocti, vt daret illis hunc panem dicentes ei.
*Pater noster qui es in Cœlis: panem nostrum
quotidianum da nobis hodiè:*

Hinc Pater amãtissimus, hæc videns, & au-
diens, dixit de eisdem filijs suis. *Misereor su-
per turbam: quia ecce iam triduo,* idest tribus
temporibus, scilicet, naturæ legis, & gratiæ:
sustinent me, nimirum, vt dem illis hunc panẽ
Eucharisticum. *Nec habent, quod manducent,*
ad æternam, nempe, vitam: *et si dimisero eos
ieiunos in domum suam,* scilicet, sine cœlesti,
hoc pane. *Deficient* spiritualiter *in via vitæ*
huius.

Idcirco: *In qua nocte tradebatur,* dedit 4
illis hunc panem dicens illis. *Accipite, & mã-
ducate ex hoc omnes:* Venouus certè Ioseph,
de quo, postquã scriptura loco iam citato nar-
rauit, quòd *in toto orbe panis deerat,* subiungit
postea, quòd *alebat eos* (scilicet fratres suos)
*omnemq; domum Patris sui præbens cibaria sin-
gulis.* Et ille enim pane Eucharistico, quem
primò proprijs manibus dedit primis filijs
suis Sanctis Apostolis, aluit, & alebit semper
totam simul Ecclesiam, quæ domus Patris
sui etiam dicitur, sicut & sua, præbens, nimi-
rum, quotidiè per ministerium Sacerdotum
suorum singulis alijs filijs suis, omnibus, nem-
pe, fidelibus, eundem cibum, quem olim pe-
tebant dicentes: *Panem nostrum quotidianũ
da nobis hodiè.* Et hoc modo: *panis Angelorũ
factus est cibus viatorum: verè panis filiorum:*
& quotidiè, & vbique. *Panis Angelicus fit
panis hominum.* Vnde verè panem Angelo-
rum manducauit, & manducat homo.

Hinc apud Bernardum Auctor sermo- 5
nis in cœna Domini, sic de hoc ipso Sacer-
dotes alloquitur.
*Beatus ille Dauid Prophetarum eximius, Deo vi-
uenti charissimus, in spiritu ante sedẽtem in thro-
no legerat in quodam promptuario mysteriorum,
quæ & quanta Dominus naufraganti mundo
per vestrum clementer exhibiturus erat ministeriũ.
qui Cœlestis consilij factus interpres, gratulando
cecinit. Panem Angelorum manducauit homo:
Vnde ad exprimendam rei tam fructuosæ certitu-
dinem, dilucidè figurauit præteritum pro futuro.
panem, inquiens, Angelorum manducauit homo.
O stupenda Dei miseratio. Verbum carnem,
Deus cinerem, figulus lutum, vita morticinium
induit, vt iumenta, manducarent panem Angelo-
rum: homines iumenta erant. Homo enim, cum
in honore esset, non intellexit: comparatus est iu-
mentis insipientibus, & similis factus est illis.*

Sic Doctor ille, & bene quidem Dauid 6
gratulando cecinit. *Panem Angelorum man-
ducauit homo:* quia antea lamentando cane-
bat Ieremias. *Paruuli petierunt panem, &
non erat qui frangeret eis.*
Paruuli enim sunt homines Angelis natura,
& tempore minores: Petebant hi paruuli à
Deo Patre suo, qui est in Cęlis, hunc panem,
dicentes ei: *Pater noster qui es in Cœlis. panem*

vestrum quotidianum da nobis hodiè, vt dicebamus, sed *non erat qui frangeret eis*: Tandem idem Pater propter nos homines, & propter nostram salutem descendens de Cœlis *Accepit panem, & benedixit, ac fregit, deditque* eisdem filijs suis ipsum instanter petentibus, dicens illis. *Accipite, & manducate ex hoc omnes: hoc est enim corpus meum*; Quod expressè refert etiam Sanctus Paschasius de Corp. & Sangu. Domini cap. 15. *Quia nisi ille frangeret hunc panem* (inquit) *paruuli omnes ieiuni remanerent: Hinc quoque Propheta suspirans, quia necdum venerat Christus, aiebat in lamentationibus suis. Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis: & ideo hic solus est, qui frangit hunc panem, & per manus ministrorum distribuit credentibus, dicens, Accipite, &c.*

7 *Quam bonus panis, & quam mirabilis* (inquit Sanctus Bernardns de vita solitaria ad fratres de monte Dei) *de quo in Cœlo Angeli saturantur, & in terra homines reficiuntur: quem manducat Angelus pleno ore in patria, comedit peregrinus homo pro modulo suo; ne lassetur in via: Christus panis viuus, qui est refectio Angelorum, ipse est redemptio, & medicina hominum.* Hinc Sanctus Hieronymus hunc Angelorum panem mox sumpturus in morte, sic illum affatus est: *Tu panis Angelorum tua visione Angelos reficis, & glorificas: tu esca es animæ, non corporis: impinguas mentem, non ventrem: qui in te non impinguatur in virtutibus, nimis æger iacet in flagitijs*: Tandem: *Panis ille Angelorum* (inquit Sanctus Cyprianus in serm. de cœna Domini) *omne delectamentum habens, virtute mirifica omnibus, qui dignè, & deuotè sumunt, secundum suum desiderium sapit: & amplius quam manna illud heremi implet, & satiat edentium appetitus, & omnium carnalium saporum irritamenta, & omnium exuperat dulcedinũ voluptates.*

8 Hinc obiter, & nos apparentem quandã de eodem manna soluemus contradictionẽ, ad commendationem panis Angelorum, qui est factus cibus viatorum, & per ipsum manna manifestè figuratus. De manna enim antequam illud Dominus Hebreis daret, dixit ad illos: *Ecce ego pluuã vobis panem de Cœlo*: & cum illud iam pluisset eis, iterum dixit ad eosdem Moyses: *Iste est panis, quem dedit vobis Dominus ad vescendum*: & nihilominus postquam iam diutius ipsum manna panem à Deo, & à Moyse vocatum manducauerant, conquæsti sunt contra vtrũque, dicentes, quòd sibi panis deesset: Sic enim de eis legimus Num. ca. 21. *Locutusq;* (scilicet, ille populus) *contra Deum, & Moysẽ, ait. Cur eduxisti nos de Egypto, vt moreremur in solitudine: Deest panis, non sunt aquæ: anima nostra iam nauseat super cibo isto leuissimo.* Cibum quidem appellauerunt manna, etsi leuissimum, non tamen panem; immò panem sibi deesse lamentabantur, cum tamen, & eorum Sacerdos, & Propheta Moyses, & Deus præsertim per illum, ipsum manna panem antea nominassent: *Deest panis*, inquiunt: De manna verò addunt; *Anima nostra iam nauseat, super cibo isto leuissimo*: Tollitur de facili difficultas, si dicamus, manna hac ratione solùm à Domino, & à Moyse dictum panem, quia panis, pro quocumque cibo interdum accipitur in scripturis: & quia, pro pane, siue vice panis, alium panẽ illis non habentibus à Domino datum fuerat: quo sensu ab eodem Domino, & à Moyse similiter panis est appellatus. Non erat verò panis verus, & ordinarius. Vnde ordinarium panem hi non habentes, de illo in veritate dixerunt. *Deest panis.*

Rectè quidem, sed melius adhuc, & clariùs respondet obiectioni Christus Dominus eosdem alloquens Hebreos de ipso manna: 9
Sic enim primò ait de illo: *Non Moyses dedit vobis panem de Cœlo*: De Eucharistia verò, quia per manna figurabatur, statim subiunxit. *Sed Pater meus dat vobis panem de Cœlo verum. Panis enim Dei est, qui de Cœlo descendit, & dat vitam mundo*, quia, vt inquit Lyranus hæc eadem verba Domini exponendo. *Manna non fuit propriè panis verus: quia fuit figura panis spiritualis dati in Sacramento: Et ideo, est verus panis, qui fuit figuratus per illum.* Hæc ille.

Sicut autem Eucharistia valde verior 10
panis est, quam manna, sic nos Christiani, quibus ipsa Eucharistia data est, vt cibus viatorũ verius etiam sumus viatores quam Hebrei, quibus similiter manna datum est, tanquam viaticum. *Nam illi quidem in Palestinam erãt profecturi* (inquit Sanctus Chrisostomus) *& propterea figuram viatorum habebant: tu verò debes in Cœlum migrare. Nam sicut manna* (inquit Sanctus Innocentius Papa) *populum illum per vastitatem inuia solitudinis ad terram promissionis perduxit, sic Eucharistia populum istum, per incolatum via præsentis ad patriam Pa-*

radisi

radisi perducit: Vnde rectè viaticum appellatur, quia reficiens in via, ducit ad patriam. In præsenti enim vita, quasi in via sumus, qua ad patriam pergimus, inquit Sanctus Gregorius. *Non enim habemus hic ciuitatem permanentem, sed futuram inquirimus*, ait Sanctus Paschas. Et quia (dico) in præsenti vita, quasi in via viatores sumus, qua ad patriam Paradisi pergimus, ciuitatem illam futuram, & permanentem inquirentes, proinde sancta Mater Ecclesia nobis viatoribus filijs suis Eucharisticum panem à sponso suo, & patre nostro Iesu Christo pro nobis sibi relicto ostendens, & porrigens, ne illo ieiuni deficiamus in huius vitæ via, dicit nobis de eodem: *Ecce panis Angelorum: factus cibus viatorum: verè panis filiorum*, vt illo refectos tanquam veriori viatico quam manna, ad paradisi patriam nos perducat: cum tamen manna viatores suos Hebreos ad terram promissionis non perduxerit.

11 ¶ *O sacrum peregrinationis nostræ viaticum, quo de hoc nequam sæculo peruenitur ad Cœlestis Ierusalem consortium! Patres nostri in Deserto manna comedentes, non peruenerunt ad terram promissionis! qui verò te comedit, ambulabit vsque ad montem Dei Oreb.* Sic enim orabat viator ille sanctissimus ante Eucharistiam in fine viæ & vitæ suæ: quando pedem vltimũ (vt dicitur) in ipsam paradisi patriam positurus erat, sicque futurus comprehensor, nimirum, Sanctus Hieronimus in morte eamdem Eucharistiam, cibum viatorum omniũ, ac verum viaticum, tunc sumpturus: quando specialius etiam, ac proprius illam viaticum nominamus & nos viatores, pro transitu ad cœlestem patriam, eadem multo magis quã Hebrei indigentes, & pro certo habentes, quòd ideo cibus Angelorum, factus est cibus viatorum, vt Angelis similes faceret eosdem viatores, eodem cum illis cibo vescentes. Ideo enim panis Angelorum ad homines venit, vt homines ad Angelos perueniret: quod comedebant comprehensores, comedunt viatores, vt viatores euadãt cõprehensores. Qui erat panis Angelorum quiescentium in Cœlo, factus est panis hominum ambulantium in terra, vt cum quiescentibus Angelis, aliquando requiescerent & homines. Panem sanctorum comederunt peccatores, vt peccatores ascriberentur inter sanctos. Denique panis Angelorum immortalium factus est cibus hominum mortalium, vt per illum & ipsi homines immortales redderetur, commensales, & sodales facti sanctorum ciuium. Et hæc significamus, cum Eucharistiam demonstrantes, de illa cantamus. *Ecce panis Angelorum, factus cibus viatorum.*

Et prosequitur adhuc de eadem. Verè 12
panis filiorum, non mittendus canibus. Patrum est filijs suis procurare panem, & de illo sollicitos esse: vnde etiam de malis parẽtibus dicitur Iob. 24. *Vigilantes quasi ad prædam, præparant panem liberis. Videte qualem charitatem dedit nobis Deus, vt filij Dei nominemur, & simus*, inquit Ioannes Apostolus. Panem itaque nobis filijs suis prouidit clemẽtissimus, ac pijssimus Pater noster, ac Dominus Iesus Christus, & panem quidem optimum, ac excellentissimum, panem, nempe, Angelorum, quia factus est cibus viatorum. Etenim, hic est verè panis filiorum, Eucharistia, videlicet, sanctissima, quàm quotidiè per Sacerdotes tanquam domus suæ, idest Ecclesiæ œconomos, ac dispensatores, ab eodẽ recipimus, sicut etiam ab eodem quotidiè petimus, ab eadem pariter instructi, dicentes. *Pater noster qui es in Cœlis, panem nostrum quotidianum da nobis hodiè*, vt sæpe diximus, statim enim, ac promptè respondent ijdem Patris nostri dispensatores Sacerdotes eundem panem ostendentes, ac porrigentes nobis: *ecce panis Angelorum, factus cibus viatorum, verè panis filiorum.*

Verùm super omnia scire, & diligenter 13
considerare debent ijdem filij, nempe, fideles omnes, quòd sicut est Eucharistia verè panis filiorum, sic etiam est filiorum verorũ solùm. Et si quærant aliqui, quinam sunt hi, veri filij Dei, scilicet, & veri fideles, quorum tantum veraciter est iste panis D. Paulum ad Eph. 5. cap. audiãt. *Estote imitatores Dei, sicut filij charissimi: & ambulate in dilectione, sicut, & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem, & Hostiam Deo in odorem suauitatis.* Veri, ac boni filij parentes suos diligunt, eosque imitantur quantum possunt. Itaque, cum Patrem habeamus ipsum Deum, vt filios suos, & verè filios nos comprobemus, vt etiam nostrum, tanquam verorum filiorum, fit Angelorum panis, verè panis filiorum, ipsum Deum & nos primò totis viribus imitari debemus, sicut nos adhortatur Apostolus dicens. *Estote ergo imitatores Dei, sicut filij charissimi.*

Sed in quo nam specialiter Patris nostri imitatio consistit? *Ambulate in dilectione* (ait Paulus) *sicut & Christus dilexit nos.* Deum, nempe, diligendo, & in hoc semper propiciendo.

In hoc imitatio Patris nostri Cœlestis consistit: quia, sicut scribit Doctor Angelicus hæc verba explanans. *Dilectio est tale bonũ, in quo debet homo proficere, & tale debitum, quod debet homo semper soluere.*

14 Quia verò secundùm Gregorium, *probatio dilectionis, exibitio est operis:* ideo subdit Apostolus: *Et tradidit semetipsum pro nobis hostiã & oblationem Deo in odorem suauitatis.* Idcirco sicut Christus dilectionem suam ad homines exibitione operis ostendit, & in duobus præsertim, quæ hic Paulus adiungit, nimirum, seipsum pro nobis tradendo hostiam, & oblationem in Cruce, & in Altari similiter, sic & nos, si ipsum veraciter, vt verifilij diligim⁹, nos ipsos debemus eidem tradere, & offerre, vt, videlicet, id totum, quod sumus, & possumus, sit eiusdem Patris nostri voluntati conforme, & ad eius gloriam, & obsequium ordinatum: sic enim veri filij Dei erimus, & nostra vere erit Eucharistia, nam verè panis filiorum decantatur.

15 Verùm non solùm, hæc omnia, nos veros Dei filios probant, sed aliud quoque, qđ immediatè subnectit idē Apostolus, nempe, si mundi à peccatis simus. *Fornicatio autem* (inquit) *& omnis immunditia aut auaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos.* Ait enim & Ioann. 1. cap. 3. *Omnis qui natus est ex Deo, non peccat.* Veri filij Dei non multum peccãt, vel non multum saltè in peccato perseuerãt. Itaque si à peccato diligẽter cauemus: si Dei, & proximi amore flagramus: si amorem ipsũ virtuosis operibus demõstramus, & hoc modò Dei filios nos comprobamus, nostra verè erit Eucharistia, tanquam verorum filiorũ, cantamus. n. cum Ecclesia. *Ecce panis Angelorum, factus cibus viatorum: verè panis filiorum.*

16 Vnde etiam additur statim. *Non mittendus canibus.* Quia, videlicet, est panis filiorum, non canum: propterea non mittendus est canibus, sed filijs. Hoc est, non dandus malis, sed bonus hominibus, secundum illud etiam Eph. 3. *Videte canes, videte malos,* quia vt inquit Christus. *Non est bonum sumere panẽ filiorum, & dare canibus.* Et quia hoc non est bonum, sed malum, & malum maximum, idcirco hoc ipse expresse prohibuit Sacerdotibus, quando etiam dixit eis. *Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos.* Sicut enim nomine canum, peccatores intelliguntur, sic per sanctum, Eucharistia potissimum, quæ (vt sæpe dicimus) anthonomasticè sancta & sanctũ sãctor. dicit. margarita etiam hoc loco vocatur: quia (vt inquit hic Glossa) eadem res, dicitur sãctum & margarita. Vnde secundum Augustinum etiam, idem Eucharistiæ Sacramentum, dicitur *sanctum, quòd non debet corrumpi, margarita, quia non contemni.*

Verè enim Eucharistia, dici potest margarita, vel margaritum fulgens Ecclesiæ, vt scribitur prou. 25. siue *monile, vel ornamentũ,* vt alij legunt: quo, tanquam pretiosissimo, ac singularissimo omnino ornamento à sponso suo Christo Domino ornata est. 17

Vnde & Ioannes propterea fatetur, se eam in spiritu vidisse *paratam, sicut sponsam ornatam viro suo:* id est ipso Christo, qui seipso in Eucharistia existenti tanquam monili, vel margarita Cœlesti, ac Diuina eandem ornauit: Et dicitur primò Eucharistia, margarita, vel margaritum fulgens, quia in toto prorsus orbe terrarum clarissimè fulget, cùm in ea ipse sit, qui est *candor lucis æternæ, & lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientẽ in hunc mundum.*

Et non solùm mundi, & Ecclesiæ præsertim dicenda est, margarita, & margaritum fulgens ipsa Eucharistia propter summam eius excellentiam, & sanctitatem, sed thesaurus etiam eiusdem, & totius mundi pariter, & iure merito: thesaurus, nimirum, Cœlestium diuitiarum, quo nomine insignitur ab ipsa Ecclesia in Romano Catechismo, in quo præterea thesaurò, sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi sicut etiam ipse Christus, thesaurus absconditus primò fuit in agro vteri Virginalis, & modò absconditus est in ijs, quæ in agro materiali nascuntur, panis, nempe, & vini accidentibus in Altari, quasi in argo alieno. 18

Vnde tandem afferendum est ad rem nostram, quòd iure merito prohibet expressè idem Dominus, ne hæc margarita, vel thesaurus Eucharisticus sanctissimus omnino, ac pretiosissimus, & plus valens, quam Cœlum & terra simul, & omnia quæ in eis sunt, detur canibus, 19

nec

nec mittatur ante porcos, ne forte pedibus suis conculcent eum.

Hoc est, ne ministretur peccatoribus quibuscumque, vt statim clariùs explicabimus, ne indignitate illam sua vilipendant, ac conculcent: quia de thesauro abscondito in agro ipsum etiam Euangelium testatur: quòd, qui inuenit eum, *vendit omnia quæ habet, & emit agrum illum*, vt de agro possit ipsum thesaurum sibi accipere: Et similiter, quòd, qui inuenit pretiosam margaritam, *dedit omnia sua; & comparauit eam*; vt, nimirum, significetur, nos respectu Eucharistiæ & propter illam, & illius amorem, deuotionem, ac reuerentiam, & vt illam semper dignè conficere sumere, colere, ac venerari possimus, temporalia omnia quæ habemus, parum curare debere, immo etiam contemnere, & dimittere, in quantum in hoc nos impedire, vel perturbare quoque modo possent.

Idcirco, dico, de illa statuit Dominus. *Nolite sanctum dare canibus: neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne fortè pedibus suis conculcent eas*: Sicut etiam ab Ecclesia vocatur. *Verè panis filiorum, non mittendus canibus*.

20 *Canes ad vomitum reuersi: porci nondum conuersi*: inquit Rab. pro explicatione eorundem Domini verborum. Et Sanctus Petrus 2. cap. 2. *Contigit enim illis illud veri prouerbij, canis reuersus ad suum vomitum, & sus lota in volutabro luti*.

Illud autem veri prouerbij, quod à Diuo Petro citatur, est in cap. 26. Prouerbiorum Salomonis sic exaratum. *Sicut canis, qui reuertitur ad vomitum suum, sic imprudens, qui iterat stultitiam suam*.

Cum ergo per canem, quilibet peccator significetur, qui postquam in confessione peccata euomit, iterum ad illa committenda reuertitur, tanquam canis ad vomitum suum, hac de causa præcipit Dominus, ne huiusmodi humanis canibus Eucharistia detur. *Nolite sanctum dare canibus*: quia, videlicet, *est verè panis filiorum non mittendus canibus*.

Et quia etiam valdè immundi sunt canes, & pro immundis habebantur etiam in veteri lege: & propterea nolebat Dominus canes sibi offerri: sicut fiebat de bobus arietibus, capris, & alijs multis animalibus.

Idcirco, per canes significabtur homines, quacumque peccati, vel vitij, immunditia immundi, sicut eadem ratione ijdem, etiam porci à Christo vocantur. *Canes ad vomitũ reuersi: porci nondum conuersi*, dicebat Rab. Ideoque, sicut non datur sanctum canibus, nec margaritę mittutur ante porcos, sic peccatoribus immunditia lethalis peccati, immũdis Eucharistica margarita, quæ sanctum sanctorum, dicitur nullo modo est danda, vel mittenda, siue hic canes dicantur, quia ad vomitum reuertuntur, siue porci quia nondũ conuertuntur.

De porcis modò non loquimur, sed 21 de canibus solùm, qui hoc ipsum etiam repræsentant, quod porci in hac parte, nempe, actualem peccati immunditiam, ac fœditatem habentes, & præsertim repetitam, vel renouatam. Nam propter vtrumque Eucharistia vere panis filiorum non mittẽdus canib. nominatur. *Canes sunt* (inquit incertus serm. in cęna Domini inter Bernardi opera) *qui irreuerenter accedunt: & ideo iudicati recedunt. Qui enim secundum carnem viuunt, & post carnalia euagantur cathena vitiorum compediti, cũ Iuda proditore venenum accipiunt, spirituali suspendij laqueum incurrunt grauissimè damnandi, cum pro multiplici reatu, tum pro Sacramenti cõtemptu; quod reuera accipiunt, sed essentia, non salubri efficacia*: similiter, & Sanctus Chrisostomus de omnibus indignè communicantibus interpretatur ipsa Domini verba, quę iam & nos pro eisdẽ adduximus, hoc modo. *Audiamus qui indignè modò Sacramentis participamus, audiamus qui indigni ad mensam illã accedimus. Nolite sanctum dare canibus: neq; ante sues margaritas vestras spargere: ne pedibus conculcent*.

Etsi verò propter quodcumque lethale 22 peccatum homines canes vocentur, & vt canes consequenter à Sacramento Altaris arceantur illis præsertim vocibus Diuinæ scripturę: *Foris canes*, quia, nimirum, de eodem intra Altaris septa cantatur. *Ecce panis Angelorum, factus cibus viatorum: vere panis filiorum, non mittendus canibus*, potissimum, tamen, propter carnalia peccata: illi, nempe, qui (vt nunc dicebamus cum alijs) *secundum carnem viuunt, & post carnalia euagantur*.

Hos enim, specialius, ac manifestiùs ijdem canes repræsentant, qui in ipsis quoq; Ecclesiis carnali immunditiæ vacant.

Hos,

Hos, dico, Eucharistia ideo singularius abhorret, & auersatur: quia in illa est Christus Dominus Virgo, & *Corona Virginum, cuius mater Virgo est, cuius Pater fœminam nescit*, vt Virgo quædam similiter dixit. Ille, nimirum, qui est speciosus forma pro filijs hominum, candidus, & rubicundus, candor lucis æternæ, & speculum sine macula: *Foris* ergo hi canes: extra septa Altaris Luxuriosi: longè ab Altari immundi, & impudici omnes: *Canes impudentissimi* (vt ait Isaias 66.) *nescierunt saturitatem*: Quia (vt paucis dicamus) Eucharistia *est panis filiorum* non mittendus canibus.

23 Et non Luxuriosi solùm, sunt canes, sed iracundi etiam: Canes frequenter latrant, rixantur, mordent, lacerant, & rabidi etiam fiunt aliquando: Ideo iracundos homines representant, quia enim secundum Salomonis sententiam Prou. 22. *Qui facilis est ad irascendum erit, & ad peccandum proclivior*: idcirco huiusmodi homines, quasi canes facti, latrant quasi canes & illi persæpe, Deum blasphemando, & proximum iniuriando, mordent, hunc & illum infamando: lacerāt etiam fratrē suum, sævius in rebus, vel in personis multipliciter offendendo, & aliquando etiam, quasi vsque ad rabiem, vel furorem. Hinc odia intestina, hinc inuidię & liuores: hinc denique discordiæ rixæ lites, & contentiones varię, ac interminabiles in huiusmodi hominibus tanquam in canibus. *Vnde bella, & lites in vobis?* Interrogat Sanctus Iacobus: & statim respondet. *Nonne hinc, ex concupiscentijs vestris, quæ militant in membris vestris?* Hinc & Paulus ad homines istos, quasi ad canes ait: *Quòd si inuicem mordetis, videte ne ab inuicem consumamini*. Hoc modo canes erant illi homines, quos ideo timebat Dauid, etsi rex, sicque conquerebatur de illis. *Circumdederunt me canes multi: concilium malignantium obsedit me*. Ideoque etiam à Deo auxilium postulabat contra vnumquemque eorum, dicens illi. *Erue à framea Deus animā meam: & de manu canis vnicam meam*.

24 Quia ergo propter iram, & odium, & alia huiusmodi canina vitia etiam homines canes vocantur, idcirco Eucharistia canes huiusmodi singulariter odit, & detestatur, quoniam illam Saluator noster reliquit, *tanquam symbolum eius vnitatis, & charitatis, qua Christianos omnes inter se coniunctos, & copulatos esse voluit*, vt testatur Concilium Trident. Quare ad ipsam sic exclamabat S. Augustin: *O Sacramentum pietatis, ò signum vnitatis, ò vinculum charitatis*.

Hinc denique, & Ecclesia panem filiorum illam prædicat, inter quos est charitas, & insuper panem non mittendum canibus, inter quos ira, & odium regnant: *Verè panis filiorum non mittendus canibus*. Vnde & August. exponens verba illa Ioann. 6. de Iudeis. *Litigabant ergo Iudei ad inuicem dicentes: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? Litigabant* (ait) *quia panem concordiæ non intelligebant: qui hunc panē manducant non litigant ad inuicem. per hunc enim habitare facit vnanimes in domo*. Et hoc ipsū est, quod nos modò de eadem toties repetimus. *Verè panis filiorum non mittendus canibus*.

Ergo meminerimus, ò Christiani, nos omnes filios esse posse, si volumus: & filios 25 Dei: Dedit enim nobis idem Deus *potestatem filios Dei fieri: si autem filij, & hæredes: hæredes quidem Dei* in gloria: *cohæredes autē Christi* in Eucharistia, quæ est panis filiorum, non mittendus canibus. Itaque, fratres, si aliquis ex nobis fortasse per luxuriam, iram, odium vel aliud quodcumque huiusmodi vitiū hactenus canis fuit, qui per castitatem, charitatē, & amorem, & virtutes alias filius esse debuit: studeat totis viribus quantocius rursum filiū Dei fieri, vt Eucharistia dignus habeatur, quę est panis filiorum, non mittendus canibus: etsi enim canis per naturam, non possit non esse canis: ille tamen, qui canis est per culpā solùm, potest denuo desinere esse canis, & rursus filius fieri per gratiam, vt sicut in hoc mundo viatores manducamus panem Angelorum comprehensorum factum cibum viatorum, sic facti & nos vt illi comprehensores, eundem cum illis panem in Cœlis mādicemus in æternum. Amen.

SERMO

SERMO VIGESIMVS PRIMVS.

Quod Euchariſtia eſt panis viuus, qui de Cœlo deſcendit.

Ego ſum panis viuus, qui de Cœlo deſcendi, Sanctus Ioannes capite ſexto.

ARGVMENTVM.

Euchariſtia multifariam, multiſq; modis eſt panis, & panis viuus qui de Cœlo deſcendit.

1 PAnis eſt Euchariſtia, & panis dicitur: quia in pane conficitur, quia panis fuit, quia panē ſenſus æſtimat, quia denique, omnia, quæ materialis panis in corpore præſtat, illa myſticè operatur in anima: eā enim nutrit, reficit, auget, cōfortat, roborat, atque ſuſtentat, & valdè præſtantius, quam viſualis panis corpus noſtrū: & quia etiam, ipſa ſola eſt tota, vera, atque perfecta eiuſdem animæ in hac vita refectio, & ſunt iſta ſatis de ſe clara, & nota.

Verùm cur Euchariſtia dicatur, panis viuus qui de Cœlo deſcendit, non adeo omnibus manifeſtum eſt: ideoq; modo paulò clariùs explicandum eſt.

2 *Ego ſum panis viuus, qui de Cœlo deſcendi,* dixit Chriſtus ore ꝓprio indicato loco apud Ioan. de Euchariſtia: dicitur ergo Euchariſtia panis viuus primū ad differētiā corporalis panis qui ex grano fit, & de terra naſcitur, & vita omnino caret: Vnde & panis mortuus dici poteſt: Panis autem Euchariſticus viuus eſt, & viuus dicitur, quia eum continet, qui eſt vita, nempe, eundem Chriſtum Dominū qui ait. *Ego ſum via, veritas, & vita:* & verá inſuper animæ vitam confert ſpiritualem, ſcilicet, & æternam. *Qui manducat hunc panem viuet in æternum,* inquit idem Dominus de eadem Euchariſtia: & rurſus. *Panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita.*

Ipſe Chriſtus etiam ratione Euchariſtiæ, & in quantum in illa verè, ac realiter continetur, dicitur, & verè eſt panis viuus, qui de Cœlo deſcendit, quia ipſe Dominus noſter Ieſus Chriſtus (inquit ad hæc verba Sanctus Amb. lib. 6. de Sac.) conſors eſt Diuinitatis, & corporis. Quia ſuā humanitatem, quā pro nobis aſſumpſit, in Euchariſtia eſt ſingulari modo; illam verò aſſumendo de Cœlis deſcendiſſe dicitur, qui in Cœlis, & vbique eſt, & fuit ſemper. *Propter nos homines enim, & propter noſtram ſalutem deſcendit de Cœlis: & incarnatus eſt de Spiritu ſancto, ex Maria Virgine, & homo factus eſt.*

3 Cum etenim ab ipſo mundi initio ſemper fuerit ſecūdum Diuinitatem tantum Angelorum panis in Cœlo, cuius glorioſa fruitioue illi ſolùm nutriebantur, humanam ex Virgine aſſumendo naturam in terris: factus eſt cibus etiam hominum, vt cantaretur, *Panis Angelicus, fit panis hominum*: Et idcirco veraciter idem ait. *Ego ſum panis viuus, qui de Cœlo deſcendi. Peruaſerat fames in terra.* Vt teſtatur ſacra Geneſis hiſtoria, ſcilicet, ob huius viui panis in terra carentiam. Ipſe etiā *nobiles eius interierunt fame* iſtā, vt Iſa. quinto capite teſtatur. *Paruuli enim tunc petierunt panem*: homines, nempe, Angelis conditione, & tempore minores, petierunt per multa annorum curricula hunc maiorum, videlicet, Angelorum panem, ſed (proh dolor), *Non erat qui frangeret eis.* Cu-

Cupiebant saturari de micis, hoc est de Sacramenti huius micis, siue particulis, quæ postea de mensa diuitis Christi in ipsius prima institutione, Sanctis Apostolis ceciderunt: sed nemo per quinque millia annorum spatium, & vltra, illis dabat. Tandem hoc dedit Hieremias Ecclesiæ optimum consilium. *Leua ad eum manus tuas pro anima paruulorum tuorum, qui defecerunt in fame*: Vel: *Qui fame exanimati sunt*, hebraica translatione Tren. 2. Acceptauit Ecclesia consilium, & ad Deum manus, & cor, & os simul leuauit deuotissima, ac breuissima pariter oratione illa ad eundem clamans: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodiè.* Vnde deprecationem horum paruulorum, & matris eorum ille suscipiens, *accepit panem, & benedixit, ac fregit, deditque illis dicens. Accipite, & manducate ex hoc omnes. Hoc est enim corpus meum.* Quia: *ego sum panis viuus, qui de Cœlo descendi.*

4 Hinc Pitagoricorum doctrina quædam de pane, vt vera certè ex parte approbatur, in quantum, nimirum, docuerunt, panem amicitiæ veræ Symbolum esse. Vnde etiam illud cōmune dictum ortū duxit. *Nihil in farina pulchri⁹ pane*, quo significabatur in vita nihil esse vera amicitia amabilius. Et panis enim viuus, qui de Cœlo descendit, Dei ad homines amicitiæ, & amoris perfectissimi, ac summi, non solùm Symbolum verum est, vel signum, sed firmissimum, prætereà ac certissimum testimonium, & fructus singularissimus. *Quid enim pulcrum eius, aut quid bonum eius* (scribitur Zach. 9. de Eucharistia) *nisi frumentum electorum, & vinum germinans Virgines?* Verùm, etsi in hoc sententiam Pitagoreorū approbemus, vt dixi, in eo tamen, quod docet: *Panem ne frangito*, signātes amicitiam non esse frangendam, vel dirimendam, in sensu nostro illam omninò reprobamus! Nam panem nobis fregit Dominus, ad veram nobiscum signandam, & confirmādam pariter amicitiam, & amorem. Cum enim nos semper dilexisset, in finem vitæ suæ præsertim, & dilexit, & diligere demonstrauit, seipsum panem viuum de Cœlo descendentem nobis frangens, ac porrigens. Vnde, & de hoc gloriatur, dicens: *Ego sum panis viuus, qui de Cœlo descendi*: ac si diceret. Ego qui prius panis in Cœlo eram Angelorum solùm, propter amorem hominum descendi de Cœlo (è Cœlo tamen non discededo) vt me panem facerem etiam hominum.

Vnde, & Aaug. serm. 9. de Natiuitate Dñi. 5
Vt panem Angelorum manducaret homo, Dominus Angelorum hodiè factus est homo: Et Sanctus Bernardus, vel alius Auctor sermonis illius in cœna Domini, qui inter Sancti Bernardi opera reponitur. cuius etiam initium sunt hæc ipsa verba, quæ modo ex Psalmo retulimus. *Panem Angelorum manducauit homo*: eadem verba discutiens, sic primò exclamando ait: *O stupenda Dei miseratio: Verbum carnem, Deus cinerem, figulus lutum, vita morticinium induit, vt iumenta manducarent panem Angelorum.*

Sic primò Doctor ille, postea pergit clarius, & diffusius explicare hoc ipsum, & causas dictorum sic assignare. 6
Homines iumenta erant. Homo enim, cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Non est indignum, immò festiuum recolere, in quantum sublimitate homo constitutus fuerat: sed operæ precium est consequenter attendere, quam grauiter corruit, minus pensando quid ex se, vel quid esset ex Deo.

Primus namque parens noster Paradisi accola constitutus est. Dominus terræ stabilitus est, ciuis superna Ierusalem designatus est: Domesticus Domini factus est: Cuius amore, & agnitione ditatus est, consors Angelorum, frater, & cohæres virtutum: nihil prorsus indigentia nihil sentiens molestiæ: cui erant in promptu, quæ postulabat, non dico necessitas, sed etiam pia voluntas, cum nihil esset in anima, quod offenderet, nihil in carne, quod puderet. Hic honor, & hæc erat dignitas hominis, prosperari, & florere in præmissis. Et hæc ex Deo: sed positus in honore, quid ex se foret, non intellexit, limus, videlicet, puluis, foliū aridum, stipula sicca, lutea, & fragilis testa, pellis morticina. sed inimicus, & planè desipuit honoris fastigio delectatus. Et continuò in se expertus est, quòd tanto post tempore homo de filijs captiuitatis, & prudenter aduertit, & veraciter protulit, dicens: Qui se putat aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit. Væ misero, quòd non fuit, qui iam tunc diceret ei Quid superbis terra, & cinis? Repentina igitur conuersione seipsum inuenit homo propter infirmitatem iacentem in stabulo. Stabulum quid est? Mundus est. & propter pecorinam similitudinē indigens erat fœno. Ea propter cibus Cœlestis, mutauit se in pabulum pecoris, homini mutato in pecus.

Panis

Panis enim Angelorum, factus est fœnum. *Vnicus patris filius hominis, Verbum quippe, caro factũ est, & iuxta Prophetã: Oĩs caro fœnũ. Comedunt igitur Angeli Verbum de Deo natum. Comedunt homines Verbum fœnum factum: Pane suo viuunt Angeli in Cœlis, & Beati sunt: Fœno suo viuunt homines in terris, & sãcti sunt: Fœnum quippè illud de prato Virginalis Vteri collectum, factum est refectio iumentorum. Verbum, vt fœnum fieret, latuit in Virgine; Sol in sidere, artifex in opere.*

7 Huiusque modo Auctor prædicti sermonis: Quæ omnia sic ex integro recensui, vt verbũ Domini de Eucharistia, quod assumpsi, clariùs exponerem. *Ego sum panis viuus, qui de Cœlo descendi.* Quod etiam eodem ferè modo, sed breuius ex Diuo Chrisostomo habemus tom. 3. de Sancto Acacio Pastore, &c. Vbi sic scribit. *Quia præsepe brutorum mensa est: humanitas verò tùm ipsa in brutorum naturam degenerauerat. Homo enim, cum in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis: Cœlestem illum cibum in brutorum mensa apponit, vt quorum animi sensusq́ bruti essent, ad præsepe, tanquam ad suam mensam accedentes, non amplius gramen, quo bruta animalia pascuntur, inueniant, sed eum qui pronunciauit. Ego sum panis viuus, qui de Cœlo descendi.*

8 Sicut verò Philosophorum instituta in hoc ad stipulantur nobis, sic etiam Poetarum figmenta. Quare ex his etiam nonnulla hic adducamus, sicut in ipsis etiam diuinis scripturis aliquando adducuntur.

Deum quemdam præ alijs Poetæ finxerunt quem *Pan* vocabant. Hunc totius naturæ Deum dicebant. Vnde etiam à Greca dictione: *Pan*, quæ totum, vel omne, siue vniuersum significat, nomen accepit. Hunc insuper fabulabantur, Cœlum habuisse patrem, matrem verò terram. Ideo verò de Cęlis in terris descendisse autumnabant; quòd ibidem cum alijs Dijs habitare, nõ posset. Fabulæ sũt istæ, & fictiones meræ: at verissimum est, ac omnino certissimum, quòd Iesus Christus Dominus noster: Verè est *Deus Cœlorum creator aquarum, & Dominus totius creaturæ, vt scribitur Iudith nono capite.* Et insuper est verè panis, & panis viuus, qui de Cęlo descẽdit. Patrem tantum in Cęlo habens, & in terra matrem. Nam immensus, quo in homines ferebatur amor, eundem de Cœlo in terrã descendere per inca nationẽ, quasi coegit. *Sic enim Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.* Et hac ipsa de causa homo factus Dei filius, panem insuper se fecit, & panem viuum in Eucharistia, quo nomine ipse se nominauit, dicens. *Ego sũ panis viuus.* Sicque, Deus pan verè, Deus, nempe, verus, ac viuus, & panis verus, ac viuus similiter, à nobis etiam iure merito appellatur.

Et facit pro hoc ipso vnum aliud, quod 9
de eodem Deo Pan fingunt ipsę fabulę, quòd nimirum, Ninpham quamdam nomine *Echo*, vehementer amauerit, & cum eadem deliciari consueuerit. Ninpha enim hæc dilecta naturam humanam, & omnes homines adũbrasse videtur, cum quibus esse in Sacramento Pan noster suas esse dixit suas delicias, nẽpe, ob amorem suum vehementissimum ad illos. *Et delicia mea* (inquit) *esse cum filijs hominum.* Ad eosdem enim ore proprio, quasi Pan ad dilectam suam Echo. *Ecce* (inquit) *vobiscum sum omnibus diebus, vsq; ad consumationem sæculi*, in eodem, scilicet, Sacramento. Et verè Echo dici possunt homines, in quibus esse per gratiam suam, & præsertim in ipso Sacramento Christus suas delicias vocat. Echo enim vox repercussa est priorem supponens, ex qua causatur. Vnde significare potest amorem ipsorum hominum ad Deum; qui ex amore eius ad illos ortum habet, & præterea eosdem homines Deũ redamãtes. *In hoc enim est charitas* (ait Ioann. 1. cap. 4.) *non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse dilexit nos.* Et item ibidem. *Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos.* Et idem Dominus, de ijs, qui diligentem se prius Deum, diligunt, dixit. *Si quis diligit me: & Pater meus diliget eum: & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Quia ego Christus Dominus est verè Deus, & Deus, qui & panis est, & panis viuus, qui de Cœlo descendit: ideo de Cœlis, ad nos in terris descendere voluit, nobiscumq; manere omnibus diebus vsque ad consumationem sæculi, vt nos pariter omnibus diebus vsque ad consumationem sæculi, seipso pane viuo pasceret, atque satiaret: pane illo, nempe, frumentaceo, de quo in Psalmo dicitur. *Et adipe frumenti satiat te.*

Tradunt quidem, qui de sanitate, & de ægritudine scribunt. Quòd *omnis repletio mala, panis autem pessima*: sed repletio panis huius, non pessima, sed optima est: quia panis est viuus, qui de Cœlo descẽdit, quia hic pa-

nis, est ipsemet Deus, qui est optimus.

Et est etiam maxima repletio ista de Deo pane vivo, sicut & optima: quia ipse Deus replens, sicut est optimus, sic et est maximus. Vnde, dùm eodem Deo pane vino nos replemus, eidem Psalimus in gratiarum actionē, Prophetiam pro Historia, & futurum pro præsenti vsurpantes. *Replebimur in bonis domus tua: sanctum est templum tuum.* Vel secundū Hebraicam translationem: *Saturabimur bono domus tua sancti templi tui*. Sacramentum enim Eucharistiæ secundùm se absolutè, & anthonomastice, bonum Dei, & sancti templi eius dici potest, secundùm illud etiam Zachariæ, iam citatum de eodē Sacramento. *Quid enim bonum eius est, aut quid pulcrum eius; nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?*

11 Et sicut hac ratione, bonum in singulari dicitur, Eucharistia, sic bona etiam in plurali, ad indicandum corpus, & sanguinem Christi in eodem Sacramento contentum sub bina panis, & vini specie. Nam vtroque replemur, & satiamur: repletiq; ac satiati cātamus. *Replebimur in bonis domus tua: sanctum est templum tuum.* Et hoc idem alijs his verbis repetimus: *Saturabimur bono domus tua sancti templi tui.*

Ideoque bonam etiam pro certo habemus huiusmodi repletionem, ac saturitatem, etsi de corporali repletione verùm sit quod docent medici, *omnis repletio mala, panis autem pessima*: & quod vnus inter illos valdè egregius, nēpe, Cornelius Celsus scriptū reliquit, *Nunquam vtilis est nimia satietas.*

12 Sciendum est tamen hoc loco, quòd vt bona sit etiam ipsi repleto hæc repletio, quæ de se semper bona est, & optima, summopere cauendum est, ne qui vnum hunc Psalmum cantat, *Replebimur in bonis domus tua*, alium etiam eodem tempore psallat simul, & semel, istum, nempe: *Repleta est malis anima mea*: hoc est dictu, ne qui pane hoc viuo Eucharistico, qui de Coelo descendit, repleri vult, sit etiam repletus eodem tempore peccatorum, vel vitiorum pane, qui de Inferno ascendit, & de quo etiam scriptum est in Prouerbijs 4. *Comedunt panem impietatis.* Nam, sicut mala sunt ipsa peccata, & vitia, quibus se repletum fatetur, dicens, *Repleta est malis anima mea:* & ipsa repletio peccatorū, vel vitiorum similiter mala est, ac pessima, sic etiam malam reddit, ac pessimam ipsam Eucharistiæ repletionem de se tamen semper bonam ac optimam, vt iam diximus: de illa enim similiter cantamus omnes, & tunc præsertim, cum hoc pane nos replemus. *Mors est malis, vita bonis.* Est enim mors malis in hoc mundo illis, slz., qui fateri cogūtur. *Repleta est malis anima mea*: & mors æterna in Inferno.

Vnde cum dixerint. *Repleta est malis anima mea*, statim immediate subijciunt. *Et vita mea Inferno appropinquauit*. *Qui enim manducat, & bibit indignè* (inquit Paulus) *iudicium sibi manducat, & bibit, non diiudicans corpus Domini:* sicque manducantium & bibentium culpa, fit illorum repletio pessima, & pessima etiam illorum mors in Inferno: quia: *Mors peccatorum pessima.*

Cum tamen optima sit de sui natura repletio huius panis, vt dicebamus, & vitæ æternæ collatiua. *Panis enim Dei est* (ait Dominus) *qui de Coelo descendit, & dat vitam mundo*: & aliàs: *Qui manducat hunc panē viuet in æternum.* Et quia deniq; panis iste, est idē Dei filius, & de seipso, Eucharistico pane idem testatur. *Ego sum panis viuus qui de Coelo descendi.*

13 Et sicut de Coelo in terram descendens panem se viuum ostendit Dei filius, vt iam diximus, sic in terram cum descendisset intra Virginis vterum, & ex ipso vtero, quasi ex nouo quodam terreno Coelo rursum per natiuitatem ad homines descensurus esset, quia seipso opportuno tempore in Sacramento eosdem saturaturus erat, in domo panis, nēpe, in ciuitate Betlhem nasci voluit, & in presepio, qui locus est pabuli, collocari, ibique primitus hominibus manifestari: quasi in pistrino, & in pistrini sporta omnib. seipsum, vt viuum panem Eucharisticum mox futurū manducandum exibens, & ad sui ipsius esum inuitans.

14 Quare ab ipsa etiam natiuitate sua, se, Deum Pan, statim ostendit. Quemadmodū enim scripserunt Poetæ, Pan Deum esse pastorum, illorumque, & ouium simul specialem curam gerere. Vnde Virg. 2. Eglo.

Pan curat oues, ouiumque magistros.

Ex quo ēt nudū repsētabāt, & pelle quadā tātum circundatum. Sic veraciter Sanctus Lucas de Pan nostro scripsit, quòd natus, pastoribus statim, qui *erant in regione eadem vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suum*, per Angelū est annunciatus, quasi Pan, verè

verè pastorum Deus,& ouium simul,qui verè curat oues, ouiumque magistros, omnes homines,nimirum, & hominum spirituales pastores, præsertim. *Angelus pastores ait: annuncio vobis gaudium magnum, quia natus est vobis hodiè Saluator mundi, qui est Christus Dominus in ciuitate Dauid*. Quasi Pan rursus, qua & ipse,vt pan nudus inueniẽdus nuntiatur pastoribus pro signo,& non pelle quidem, sed pannis inuolutus. *Et hoc vobis signum inuenietis infantem pannis inuolutum*.

15 Hinc Sanctus Gregorius de hac ipsa sua natiuitate in ciuitate Dauid,nempe, Bethlem scripsit (quod etiam in eiusdem natiuitatis festo cantatur) *Bene in Bethlem nascitur: Bethlem quippe domus panis interpretatur; ipse namque, est qui ait. Ego sum panis viuus, qui de Cœlo descendi*.

Quod nos etiam hodiè prædicamus: Cum igitur (subiungo ego) Bethlem ex Sancti Gregorij sententia, domus panis interpretetur,& Christus Iesus Dominus noster,sit panis viuus , qui de Cœlo descendit, cum in Bethlem nascatur , quæ est domus panis, in domo propria nasci dicẽdus est, & nõ in aliena. Vnde & idem Gregorius non ausus est dicere, quòd in alieno absolutè, nascebatur, sed quasi in alieno. Quasi in alieno autem eum nasci dicit, non quia in Bethlem nascatur, nã clarum est, quòd hac ratione in proprio,non in alieno nascitur,quia certè nascitur panis in domo panis. *Bethlem quippe domus panis interpretatur:* Sed duplici alia de causa præsertim,nempe, quia *non in parentum domo,* quæ erat in Nazareth,*sed in via nascitur:* & secundò. *Quia per humanitatem, quam assumpserat, quasi in alieno nascebatur:* sic enim idem Sanctus Gregorius postquam dixerit. *Bene in Bethlem nascitur: Bethlem enim domus panis interpretatur, &c.* Hinc in eodem sermone suo pergit seipsũ explicare magis de hoc verbo. *In alieno*, his verbis. *Alienum, videlicet, non secundum potestatem, dico, sed secundũ naturã. Nã de potestate eius, scriptũ est: In propria venit. In natura n. sua ante tẽpora natus est, in nostra venit, ex tempore. Quia ergo æternus permanens temporalis apparuit, alienum est, vbi descendit.* Hæc omnia S. Gregor. vt exponeret, quod de Domino dixerat nascente, nimirum, quod: *Quasi in alieno nascebatur*.

Quia verò ante hoc, dixerat similiter. 16 *Bene in Bethlem nascitur. Bethlem quippe, domus panis interpretatur: ipse vero est, qui ait: Ego sum panis viuus, qui de Cœlo descendi.* Et quia insuper,hoc ipsum de Eucharistia nobiscum intelligit, id ipsum hoc modo post prædicta sic exponit. *Et quia per Prophetam dicitur. Omnis caro fœnum: factus homo, fœnum nostrum vertit in frumentum: qui de seipso ait. Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsũ solum manet.* Et addit etiam rationem aliam pro eiusdem doctrinæ suæ confirmatione, quam & nos ex alijs iam Patribus latius explicauimus,quòd,nempe, natus in Bethlem domo panis,in præsepio domo pabuli, fit reclinatus dicens. *Vnde, & natus in præsepio reclinatur. Vt fideles omnes, videlicet, sancta animalia carnis suæ frumento reficeret: ne ab æterna intelligentia pabulo ieiuna remanerent*. Hæc Sanctus Gregorius ibi de hoc Christi præsepio. Vnde sic & August. de eodẽ sermone, sl2. de natiuitate Domini. *O præsepe splendidum, in quo non solum iacuit fœnum animalium, sed cibus inuentus est Angelorum:* Et idem in sermone primo de eadem natiuitate sic Mariam alloquitur. *Lacta mater cibum nostrum, lacta panem de Cœlo venientem, & in præsepe positum, velut piorum cibaria iumentorum.* Sed de his omnibus multa iam scripsimus, verbum Domini sæpius repetentes , & explicantes. *Ego sum panis viuus, qui de Cœlo descendi.* Reliquum erit tandem,vt verba hæc frequenter, studioseque meditemur : tantoque beneficio viui huius panis, qui de Cœlis ad nos descẽdit,gratos,dignosq́,nos ipsos,quãtum possumus,reddamus,frequẽter etiam dignè,ac deuotè ipsum colentes,ac sumentes; vt per eum etiam spiritualiter hic viuamus Et in Cœlo æternaliter. Amen.



SERMO VIGESIMVS SECVNDVS.

De triplici vita ex Eucharistia.

Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Sanctus Ioannes capite sexto.

ARGVMENTVM.

Triplicem confert Eucharistia vitam, spiritualem, nempe, aeternam & corporalem, etsi non eodem modo: & referuntur de spirituali, & de aeterna, variae sanctorum Patrum authoritates & rationes, sicut de corporali varia exempla.

1 Sicut desiderio desiderauit Dominus noster Iesus Christus Eucharistiam instituere, sic nô minus procuIdubio desiderauit, vt omnes homines, & in illam firmiter crederet, & eandem semper reuerenter colerent, ac dignè susciperent. Propter hoc, ante illius institutionem, de eâ frequêter loquebatur ad Discipulos suos, & ad alios: ipsam comendans, & ad illius fidem, ac deuotionem omnes disponens. Quia verò nihil magis diligunt homines, quâ vitam, nihil quę est illis odiosius, quam mors. Idcirco, ad hoc, vt qui vitam multum amant, etiam illud amarent, ex quo veram vitam certò se consecuturos sperarent, aeternam, nimirum, de Eucharistia differens, etiâ de vita aeterna differebat, illam promittens omnibus, qui dignè Eucharistiam sumerent: est quę hoc à Patribus diligenter obseruatum ad nostram doctrinam & consolationem. Sic enim scribit Euthymius prae alijs. *Meritò sermoni de pane, ac de vita immoratus est, sciens, illum quidem necessarium, hanc verò dulcem hominibus.* Et Chrisostomus haec eadem verba Domini exponens. *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*: *Vita* (ait) *vbique meminit: nam eius trahimur cupiditate: & nihil suauius, quam non mori.*

2 Itaque & nos Saluatoris nostri vestigia sequentes, eiusdem verba de Eucharistia, & de vita simul, quam per ipsam habemus, sermone hoc nostro repetemus, praesertim probantes primò, quòd Eucharistia triplicem nobis vitam conferat: nempe, vitam animae spiritualem, & vitam etiam aliquando corporalem, & denique vitam aeternam, de harum qualibet Christi verba exponentes. *Panis quê ego dabo, caro mea est pro mundi vita*: etsi non inficiet de spirituali vita, & de aeterna solùm propriè, ac principalius verba ista à Patribus interpretari. Fidelis re vera sermo, & omni acceptione dignus qui fit de vita mortalibus vitam sic amantibus, de vita, nimirum, quam nobis praestat ille panis, qui etiam caro Christi est, de quo idem Saluator, ait. *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Nam: *Panis* (inquit S. Cyprianus de cęna Domini) *quem Dominus porrigebat Discipulis, non effigie, sed natura, omnipotentia verbi factus est caro.* Itaque cum hic panis factus omnipotentia verbi caro sit pro mundi vita: triplicem hanc, quam confert mundo vitam, iam explicate incipiamus, & ab illa incipiamus, quam primò etiam habemus, à spirituali. & corporali nimirum, quam habemus in hoc mundo, & postea de aeterna dicemus, quam habebimus in Coelo.

3 Etsi

3 Etsi verò præallerta Domini verba, & alia omnia de vita ratione Eucharistiæ, quæ in Euangelio legimus, possint de spirituali, & de æterna simul intelligi: spirituali tamen vitæ videntur magis conuenire. illa præsertim. *Panis enim Dei est, qui de Cœlo descendit, & dat vitam mundo:* Et illa. *Ego sum panis vitæ: qui venit ad me, non esuriet:* Et illa tandem. *Caro mea verè est cibus: & sanguis meus verè est potus, qui manducat meam carnem, & bibit meũ sanguinem, in me manet, & ego in eo.*
Cum enim hæc de vita corporis ad modum materialis cibi, & potus intelligi nequeant, de vita animæ spirituali manifestè accipienda videntur, & illa vltima, præcipuè. *Caro mea verè est cibus, &c.* Quòd, scilicet, sicut materialis cibus, & potus vita corporis est, nam ipsum conseruat, sic Eucharistiam quæ verè est cib⁹ animæ, & verè potus, spiritualem vitam, in illa speciali modo similiter conseruat, vitam, nempe, prius supponendo in ea: quia cibus & potus viuorum est, non mortuorum spiritualiter ob mortale peccatum: sicut etiam materialis cibus, & potus, viuis, non mortuis datur. Vnde hac de causa Eucharistia à Christo instituta est sub corporalis illius cibi, & potus specie, qui est communior, gratior, & vtilior ipsi corpori, nempe, panis, & vini. Et hoc significare voluit Dominus, cum dixit. *Caro mea verè est cib. & sanguis me⁹ verè est pot⁹.* Vnde Sanctus Chrisost. hæc declarans, ait. *Significat esse verũ cibum, qui animam fulciat.* Et Interl. ad illa de eadem Eucharistiæ verba. *Hic est panis, qui de Cœlo descendit, &c. Non sic* (ait) *morientur in anima, qui me Cœlestem panem dignè manducant.* Et eodẽ sensu ẽt locut⁹ est idẽ Dñus cũ dixit. *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mũdi vita*, vita, scilicet, animæ spirituali.

4 Docet hæc omnia satis clarè Sanctus Cyprianus de cœna Domini per similitudinem corporalis panis his verbis. *Sicut panis communis, quem quotidiè edimus, vita est corporis, ita panis iste super substantialis vita est animæ, & sanitas mentis.* Catechismus Romanus alia adhuc vtitur similitudine ad idem. *Vt enim* (inquit) *etsi nulla extrinsecus panis, & vini mutatio appareat, tamen eorum substantia in carnem, & sanguinem Christi verè transit, ita etiam tametsi in nobis nihil immutatum videtur interius tamen ad vitã renouamur, dũ verã vitã Eucharistiæ Sacramento accipimus.* Sic Catechismus de spirituali animæ vita per Eucharistiam, de qua & Christus. *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Et hoc ipsum etiam magis exposuit, cum adiecit. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.*

Hæc enim verba Sanctus Cyrillus duabus, & illis similitudinibus illustrat, quarum prima, est hæc. *Sicut si quis liquefactã ceram aliam ceram infuderit, alteram cum altera per totum commisceat, necessarium est: sic qui carnẽ, & sanguinem Domini recipit, cum ipso ita coniungitur, vt Christus in ipso, & ipse in Christo inueniatur.* Altera similitudo est. *Sicut paruum frumenti totam massam fermentat, sic per paruam benedictio totum hominem in seipsa attrahit, & sua gratia repplet. Quia* inquit Vgo de S. Victore, de Sacram. Corp. & Sangu. Christi. *Alibi quod manducatur, incorporatur: quando autem caro Christi manducatur, non quod manducatur, sed qui manducat, ei quem manducat, incorporatur. Idcirco voluit Christus à nobis manducari, vt nos sibi incorporet.* Et est cum Vgone etiam Sanctus Paschasius in suo tractatu de Corp. & Sangu. Domini cap. 14. idem omnino referens & addit insuper. *Cibus est, non carnis, sed animæ: venit, vt comedat, nõ vt cõsumat: vt gustet, nõ vt incorporetur. Ore comeditur, sed stomaco non digeritur: reficit animum, sed non effluit in secessum.* Et hoc ipsum est profectò id, quod idem Christus D. Aug. exposuit p vocẽ hanc de Cœlo delapsam. *Cibus sum grandium: Cresce & manducabis me: nec tu me mutabis in te, sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me.* Et hoc denique (subiungo) esse carnem Christi esse pro mundi vita, vt idem Saluator testatur. *Panis, quẽ ego dabo, caro mea est pro mundi vita.*

Explicat hæc Domini verba latius adhuc, ac distinctius Sanctus Cyprianus ibidem hoc modo. 6
Sicut in persona Christi humanitas videbatur, & latebat Diuinitas, ita Sacramento visibili inuisibiliter diuina se infudit essentia, vt esset religioni circa Sacramenta deuotio, & ad veritatem, cuius corpus Sacramenta sunt, syncerior pateret accessus vsque ad participationem spiritus: non quòd vsque ad consubstantialitatem Christi, sed vsque ad societatem germanissimam eius hæc vnitas perueniisset. Solus quippe filius Patri consubstantialis est: nec diuisibilis est, nec partiabilis substantia trinitatis: nostra verò, & ipsius coniunctio, nec miscet personas, nec vnit substantias, sed affectus consociat, & confœderat voluntates.

Hæc

Hæc Sanctus Cyprianus ad hæc verba Dñi. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in illo.*

7 His consentanea multum docuit Sanctus Chrisostomus in illud Pauli 1. Cor. capite 10. *Panis, quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est? Cur non dixit participatio?* Ait ille: postea statim respondet. *Quoniam voluit aliquid amplius significare, & magnam indicare coniunctionem: non solùm enim communicamus, eo quod sumus participes, & sumimus, sed etiam, eo quòd vniamur. Cur autem addidit. Quem frangimus? Hoc enim licet videre in Eucharistia: in cruce autem non itidem, sed vtiquè ei contrarium: os enim (inquit) eius non comminuetis ex eo: sed quod non passus est in cruce, hoc in oblatione patitur propter te, & patitur frangi, vt omnes impleat.*

Hæc ibi Sanctus Chrisostomus, & similia prorsus habet paulò inferiùs explicans illa eiusdem Apostoli verba. *Quoniam vnus panis, & vnum corpus multi sumus.* Sic enim ait. *Quid enim dico communicationem? sumus ipsum illud corpus. Quid enim est panis? Corpus Christi. Quid autem fiunt, qui sumunt corpus Christi? Non corpora multa, sed vnum corpus, quomodo enim panis ex multis granis compositus est vnitus, & nusquam appareant grana, sed sint quidem ipsa, non manifesta autem sit eorum differentia propter coniunctionem, ita etiam inter nos, & Christo coniungimur. Non enim ex alio quidem corpore tu, ex alio autem ille nutritur, sed ex eodē omnes: Et ideo subiunxit. Omnes enim ex eodē pane participamus.*

8 Sanctus Cyprianus loco citato de eadem vnione cum Christo, & vita spirituali hęc addit pro eisdem Domini verbis. *Panis quem ego dabo, &c. Dixerat sanè huius traditionis magister, quòd nisi manducauerimus eius carnē, & biberimus eius sanguinem, non haberemus vitam in nobis, spirituali nos instruens documento, & aperiens ad rem adeo abditam intellectum, vt sciremus, quod mansio nostra in ipso sit manducatio, & potus, quasi quadam incorporatio, subiectis obsequijs, volūtatib. iunctis, affectib. vnitis: Esus igitur carnis huius quadam auiditas est, & quoddam desiderium manendi in ipso, per quod sic imprimimus, & eliquamus in nobis dulcedin. m charitatis, vt hæreat palato nostro, & visceribus dilectionis infusus, penetrās, & imbuens omnes animæ corporisq; recessus. Potus, & esus ad eandē pertinēs rationem, quibus sicut corporea nutritur substantia, & viuit & incolumis perseuerat, ita vita spiritus hoc proprio alimento nutritur.*

Hæc omnia ex Cypriano de spirituali vita per Eucharistiam, de qua & Christus Dominus. *Panis, &c.*

Nunc pro eadem, aliam cum eodem subiungamus similitudinem. *Sicut misit me viuens pater, & ego viuo propter patrem: & qui manducat me, & ipse viuet propter me.* 9

Hoc est, secundum Interlinealem Glossam. *Sicut ego homo viuo propter patrem, viuum, cui vnior: sic, qui me manducat, & mihi vnitur, viuet propter me:* Vel secundum aliorum sententiam. *Quemadmodum pater fons vitæ, qui me misit, in me manens, quia eiusdem essentiæ est, vitam æternam atque essentialem mihi communicat: ita ego fons etiam vitæ, quam à patre accepi, tanquam ab ingenito principio, manens in homine qui me manducat, perpetuam illi vitam impertior.*

De hac spirituali vita, quam nobis Eucharistia confert scriptum videtur Oseæ 9. *Panis eorum, anima ipsorum.* Sicut enim anima vita est corporis (nam tandiu viuimus, quandiu in corpore manet anima ipsum corpus informans, & animans) Sic animæ vita Eucharisticus panis dici potest, & eiusdem animæ, quasi alia anima: Quia hoc præstat Eucharistia animę, quod anima corpori pręstare solet, vt explicauimus: etenim: *Si Deus est animus nobis, vt carmina dicunt*, vt inquit Cato: cum hic panis, Deus verè sit, qui ait: *Ego sum via veritas, & vita*, ergo idem panis erit animus nobis, anima, nempe, & vita nostra spiritualis, vt carmina dicunt scripturarum: *Panis eorum, anima ipsorum*; &: *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Vnde idcirco etiam, idem panis, quia est ipse Deus, qui est animus nobis, nobis etiam præcipuè est pura mente colendus, sicut idem Poeta infert. 10

Hinc Theophilatus Glossans verba ista Christi. *Ego sum panis viuus, qui de Cœlo descendi*, ait. *Non puri hominis carnem comedimus quæ nihil posset proficere, sed Dei carnem, quæ idcirco viuificatiua est, vt ferrum ignitum ignis actum habet:* Et rursus. *Non est enim puri hominis caro, sed Dei, & hominis.* 11

Hinc Cyrillus etiam super hæc ipsa Saluatoris verba. *Caro mea est pro mundi vita*, sic ait. *Dei verbum vniens seipsum propriæ carni, fecit ipsam viuificatiuam*: Et iterum. *Quoniam igitur Saluatoris caro, Verbo Dei, quod naturaliter vita*

est

est, coniuncta, viuifica effecta est: quando eam comedimus, tunc vitam habemus in nobis illi coniuncti, qua vita est: Hac de causa in exsuscitandis mortuis, non solummodò verbo, atque imperio, vt Deus vtebatur; verum etiam carnem suam, quasi cooperatricem nonnunquam adhibebat, vt reipsa ostenderet, carnem quoque suam, quoniã sibi coniuncta est, viuificam esse, atque fideles doceret, suum non alterius corpus esse.

Hic rursus idem sic concludit. *Dedit igitur pro omnibus corpus suum Dominus, & per illud rursus vitam in nobis immittit.*

12 Et possunt alio modo etiam ad rem nostram Oseæ verba interpretari, nimirum, si dicamus, ideò panem eorum, nempe, fideliũ dici animæ ipsorum, quia etiam verè est panis animæ, non verò corporis, vt panis corporalis, ac materialis, & ad animæ vitam principaliter, non ad vitam corporis est ordinatur.

Vnde, & Psalmista etiam, sic de illo in Psalmo 21. Prophetauit. *Edent pauperes, & saturabuntur, & laudabunt Dominum, qui requirunt eum: viuent corda eorum in seculum seculi.* Et iterum ibidem. *Et anima mea illi viuet.* Pauperes primò, qui hunc panem Eucharisticum edere merentur, & illo satiari, pauperes spiritu sunt, nimirum, humiles, non habentes inflantem spiritum, qui est superbia, nec consequenter peccata alia (lethalia saltem) quorum omnium illa caput est, & radix. Et tradit hoc expressis verbis Sanctus Cyprianus vbi supra dicens: *Pauperes quidem spiritu, ad hoc mysterium eligit, & diligit Spiritus Sanctus: & eorum, qui pompaticè & gloriosè sueris se Altaribus ingerunt, obsequia detestatur.* Et rursus. *Vident hæc Sacramenta pauperes spiritu, & hoc vno contenti ferculo, omnes huius mundi delicias aspernantur, & possidentes Christum, aliquã huius mundi possidere supellectilem dedignantur.*

Sic Cyprianus. Ob hoc ipsum Psalmista de huiusmodi pauperibus spiritu, nempe, humilibus, quorum specialius est panis, & caro Eucharistica: sic testatur. *Viuent corda eorũ in sæculum sæculi:* idest, viuent spirituali vita, quæ in corde, hoc est in anima consistit, in hoc seculo, & postea vita beata in Cœlo. *Quia* (vt inquit iterum ibidem Cyprianus) *Qui manducat ex hoc pane, vltra non esurit, qui bibit, vltra non sitit. quoniam mysterij huius: sic sufficit gratia, sic reficit intelligentia; vt cuicumque tanta rei innotuerit plenitudo, omnis consummationis fine inuento, Christi baiulus, ipsum ferat in pectore, ipsum gerat in mente, & in omni tempore habitatori suo, dicta, & facta iubilatione, consona laudes resonent, & gratiarum actionis decantent.*

Viuent corda eorum in sæculum sæculi, 13 iterum dicamus: Quia cibus ille, cibus est cordis, inquit Augustinus in ipsa Glossa, quia viuificat spiritualiter, vt ait Lyranus eadem verba declarans: quia denique est pro mundi vita. *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.*

Verùm hic liceat ex præcitatis Psalmi verbis vnum morale inferre pro nobis: si viuunt corda eorum, hoc est animæ eorum, qui hunc panem dignè edunt. *Viuent corda eorum,* inquit, & rursus: *Anima mea illi viuet.* Ergo corda eorum, animæ illorum, qui hunc panem non comedunt, non viuunt. Procul dubio ita res se habet. Et idem psalmista, qui primum asseruit, secundùm etiam affirmauit: primum illud erat. *Edent pauperes; & saturabuntur: viuent corda eorum in seculum seculi.* Secundùm verò, est hoc in alio Psalmo: *Aruit cor meum: quia oblitus sum comedere panem meum:* idest: Mortuum est cor meum (illa enim, quæ viuunt vegetatiuè solùm, vt plantæ, cum arent, tunc mori dicuntur.)

Quia, nimirum, est logicorum regula. 14 *Si affirmatio, est causa affirmationis, & negatio negationis.*

Quia affirmatur de nonnullis, quòd hunc panem comedunt, ideo affirmatur etiam; quod eorum corda viuunt. Ecce affirmatio prima causa secundæ affirmationis. *Edent pauperes. Viuent corda eorum, &c.* Ecce secunda affirmatio à prima illa causata: Et quia (dico) illa affirmatio, est causa affirmationis huius,

Ideo etiam altera negatio primæ, scilicet, affirmationis, & ei opposita, causa est alterius negationis secundæ affirmationis contrariæ.

Hæc verò est negatio prima. *Oblitus sum comedere panem meum.* Secunda verò, quæ ab illa prima causatur, ista est, *Aruit cor meum:* idest, *mortuum est cor meum; quia* (nimirum) *oblitus sum comedere panem meum.*

15 Et docuit nos Incarnata sapientia hanc doctrinam, ait enim primò. *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Panis quem ego dabo,* nempe, ad edendum: en prima affirmatio: *est pro mundi vita*: en secunda affirmatio cuius illa prima est causa.
Vtraque negatio etiam ab eodem Domino docetur, circa eamdem Eucharistiam, sicut vtraque affirmatio. *Nisi manducaueritis carnē filij hominis, & biberitis eius sanguinem*, inquit pro prima negatione, *non habebitis vitam in vobis*: id est, diu non poteritis habere spiritualem vitam in vobis, inquit pro secunda à prima illa procedente.

16 Quia denique sic causa est Eucharistia vitæ spiritualis, vt etiam vita dicatur: Sic enim illā nominant quidam populi, & multi etiam ex patribus, sic Sanctus Augustinus in serm. 2. de verbis Apostoli, dum etiam verba Saluatoris explanat de Eucharistia, pro ipsa vita, quæ modo, & nos referebamus. *Nisi mādu-caueritis carnem meam, & biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam in vobis.* Post hæc enim subdit statim. *Et hoc diceret de vita quis alius, quam ipsa vita? Erit autem illi homini mors, non vita, qui mendacem putauerit vitam.* Et inferius, sic rursus colligit. *Manducet ergo qui manducant: bibant qui bibunt: esuriant, & sitiant: vitam manducent: vitam bibant. Illud manducare, refici est: sed sic reficeris, vt non deficiat vnde reficeris: Illud bibere, quid est, nisi viuere? manduca vitam, bibe vitam, habebis vitā, & integra est vita. Tunc autem hoc erit: id est vita vnicuique erit corpus, & sanguis Christi, si quod in Sacramento visibiliter sumitur, in ipsa veritate spiritualiter manducetur: spiritualiter bibatur.*
Hæc omnia Sanctus Augustin. Hinc idem in primò sermone de Aduentu citans hæc ipsa verba Domini, ait iterum. *Mutet ergo vitam, qui vult accipere vitam. Nam si non mutet vitam, ad iudicium accipiet vitam: & magis ex ipsa corrumpitur, quam sanetur, magis occiditur, quam viuificetur.*

17 Vitam similiter appellauit Eucharistiam Sanctus Hieronymus quando in fine corporalis vitæ, hāc spirituale vitā sumpturus erat, & per illam statim ab hac temporali vita, ad æternam transiturus: sic enim inter alia multa referente Eusebio, orauit ad eandem Eucharistiam. *Tu certe vita es, qua omnis viuit creatura, & sine qua moritur: Tu es vita vitalis, dulcis, & amabilis, atque iucunda.*

Ipsa etiam Ecclesia vitam eam vocat, dum de illa quotidiè cantat. *Mors est malis, vita bonis.* Quia tandem, & ipse Christus primò vitam, & vitam totius mundi simul nominauit illam. *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.*

Præterea secundùm Theophilatum. 18
Christus non dixit, figuram gerit carnis: sed caro mea est: Panis enim, qui à nobis in mysterijs sumitur, non solùm gerit figuram carnis Christi, sed ipse est vera caro Christi. Transmutatur n. panis in carnem Domini inenarrabilibus verbis per mysticam benedictionem. Non videmus autem carnē, ve nos in assumptione horror inuadat. Hinc & Augustinus tract. 26. in Ioan. ad hæc ipsa Saluatoris verba: *Panis quē ego dabo, &c.* ait. *Hoc quando caperet caro, quod dixit panem carnem? Vocatur caro, quod non capit caro, & ideo magis non capit caro, quia vocatur caro.*

Vel dicemus etiam ideo fortassis rectissimè, ac verissimè dixisse Diuum de Eucharistia. *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*: quia Eucharistia quæ est mundi vita, panis fuit, sed caro est; est panis in apparentia, caro in existentia: panis sensibiliter, caro realiter: panis secundum formam, caro secundū essentiam: panis in specie, caro in re: panis exterius, caro interius: panis corpori, caro intellectui. Panis denique, & caro simul dicitur, quia panem esse sensus renunciat, sed carnem esse, fides confirmat. 19
Ideoque veracissimè de hoc pane, & de hac carne sua ait Christus. *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.*

Dicamus tandem Eucharisticus hic panis est caro Christi pro mundi vita. 20
Idcirco sæpe mutatam legimus ipsam Hostiā in carnem Christi visibiliter, & in ipsum Christum etiam, & in forma pueri frequenter: & hoc non solùm, sed vt certius adhuc, & manifestius omnibus redderetur hoc Domini verbum, quòd, nempe, Eucharistia, quam nobis dat sub forma panis, est eius caro pro mūdi vita, Hostia quædam aliquando in propria forma remanens pro medietate, altera pars in carnem mutata est. *Vt dum in vna eademque substantia hic panis, illic carnis adesse consideras speciem, in vtroque verè carnis, verique panis indifferenter intelligas virtutem: quia & ipse est panis, q de Cœlo descendit: & ipsa nihilominus caro, quæ de Virginalis vteri materia prodijt.*

Hæc

Hæc ait Petrus Dam. euentum hostiæ prædi-ctum narrans, per quem (vt dixi) magis verba Domini declarantur. *Panis quem ego dabo, &c.*

21 Et sicut hic panis, & caro ista Eucharistica, est pro mundi vita spirituali, vt sufficienter iam exposuimus: sic etiam pro corporali, & pro æterna, vt statim ostendemus. Dicet autem quis in primis cum Augustino: *Quantum pertinet, fratres mei, ad mortem istam visibilem & corporalem, numquid nos non morimur, qui manducamus panem de Cœlo descendentem? Sic sunt mortui, & illi, quemadmodum & nos sumus morituri, quantum atinet (vt dixi) ad mortem huius corporis visibilem, atque carnalem.* Cur ergo, vel qua ratione, aut veritate dicitur, Eucharistiam triplicem nobis conferre vitam, nimirum, non solum spiritualem in hoc mundo, & æternam in Cœlo, sed etiam corporalem in hoc mundo pariter? Et ipsi enim Sancti Apostoli, qui primò Eucharistiã de manu Domini susceperunt, & valdè dignè & sanctè etiam omnes. (Si Iudam de eorũ medio tollamus) & similiter tot alij pijssimi, ac sanctissimi viri, ac mulieres ex tunc vsque modo: & tamen sic sunt mortui illi, quemadmodum & nos sumus morituri, qui manducamus Christi carnem, & bibimus eius sanguinem. Cur ergo docemus, Eucharistiam vitam præstare corporalem, si omnes moriũtur corporaliter, qui illam sumunt, quantumcumque piè, ac deuotè sumant?

22 Respondendum est ad hęc breuiter, Eucharistiam in se, & generaliter à morte corporis nos non liberare, nec corporalem vitã de se donare sumentibus: neque hoc vnquã affeuerare intendimus: sed solùm dicimus primò, quòd ipsam corporalem vitam sæpe conseruat, ac prorogat, & multò melius, ac perfectius, quã cib. & potus corporalis pot. Habemusque de hoc ipso certissima, ac manifestissima testimonia in multis, qui ipsam solam Eucharistiam sumentes, non solùm multis diebus, & mensibus, sed multis etiam annis vixerunt, & omnino sani incolumes, & fortes sine alio quocumque cibo, vel potu. Vidit ætas nostra (vt hoc solùm ex quam pluribus referamus) in Hispania Monialem quandam nostri Ordinis Sanctæ Claræ sanctitate, ac prophetiæ spiritu satis vbique famosam, Aloysiam nomine del Ascensione, Monasterij Sanctæ Claræ de Carrion Abbatissam, quę annos circiter quadraginta nullum cibum, vel potum sumpsit sola Eucharistia contenta, qua quotidie deuotissimè se reficiebat: sicque panis, quem Christus illi dabat, qui est caro eius, erat illi pro vita etiam corporali, sicut idem testatur. *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.*

Præterea Eucharistia non solùm vitam corporalem tuetur, ac conseruat aliquando ad modum materialis cibi, vel potus, sed etiã miraculosè magis, sicut accidit quando puerum quemdam in succenso furno ab ipso patre Iudeo positum, quia Eucharistiam sumpserat, ab omni prorsus ignis læsione defedit. 23 Vlterius, non tantum vita corporalis fuit Eucharistia viuis, vitam ipsam eisdem mirabiliter conseruans, sed ipsis etiam mortuis, vitã illis restituens, nam puerum alium, quem mater mortuum pepererat, ab eadem matre inuocata, viuum eidem reddidit. Quamplures alij similiter à morte per Eucharistiam liberari meruerũt, sicut historiæ testantur. & hoc modo panis & caro Christi Eucharistica fuit eis pro corporali vita. *Panis, quem ego dabo, &c.*

Sicut verò Eucharistia est hominibus in mundo habitantibus pro vita spirituali, & pro corporali etiam quandoque, ita quoque pro æterna semper: & hoc ipsum etiam ijsdẽ verbis suis, quæ repetimus, significauit Christus Dominus. 24 In hoc enim sensu prius dixit. *Ego sum panis vitæ*, scilicet, secundum Interlinealem. *Qui pasco, donec pastos iungam vitæ*: Quia (vt inquit Sanctus Chrisost. hæc exponens) *Vitam nostram sustentat & præsentem, & futuram.* Quia denique ipsemet Christus ait de vita æterna specialiter. *Siquis manducauerit ex hoc pane viuet in æternũ.* Et iterũ, *Qui manducat hunc panẽ, viuet in æternum*, & rursus adhuc: *Qui manducat meã carnẽ, & bibit meũ sanguinẽ, habet vitã æternã, & ego resuscitabo eũ in nouissimo die.* Addidit verò post promissionem vitæ ęternę quam Eucharistiam sumenti confert, quòd illum suscitabit in nouissimo die: ne eò quod per ipsam dixit, nos habere vitam & vitam æternam, idcirco aliquis existimaret, hunc nũquam esse moriturum corporaliter, sed viuũ hinc ad cœlum migraturum. Quia ad vitam spiritualem tantum in hoc mundo, & ad vitã æter-

nam in cœlo ipsa Eucharistia per se ordinata est; non verò ad corporalem etiam, & ideo de ipso ait. *Et ego resuscitabo eum in nouissimo die.* Ipsum necessariò priùs corporaliter moriturum manifestè insinuans: cum non resuscitetur, nisi qui priùs moritur.

25 Promittitur verò vita æterna specialiter dignè sumentibus Eucharistiam, & eidem specialiter adscribitur à Christo Domino, quia hoc Sacramentum singulariter etiam ordinatum est ab eodem ad conseruationem vitæ spiritualis, per vnionem amoris specialem cum eodem, per cuius perseuerantiam peruenitur ad vitam æternam. Et quia etiã ipsa Eucharistia specialius nos adiuuat pro assecutione eiusdem gloriæ, contra tentationes Diaboli, & tribulationes huius mundi, & quæcumque aduersa nos muniens, & fortes, ac constantes nos reddens, quæ illam nobis quoquo modo impedire, vel retardare possent. Hac de causa (dico) Eucharistiç assignatur vita æterna, quæ aliàs obseruatoribus præceptorũ, & consiliorũ suorũ ab eodẽ Christo Dño repromissa legitur in Euangelio

Hinc insuper valdè piè nonnulli estimãt
26 corpora nostra propter Eucharistiam sanctè susceptam speciali quodam decore, ac pulcritudine ab eodem ornanda esse in cœlo, quasi quadã aureola, quę Virginib., & alijs in cęlo confertur, sl 2. propter Christi corporis puritatem, ac splendorem, cum quo per deuotam illius sumptionem quasi vnum, & idẽ efficiuntur. Hinc Rupertus Abbas in Deut. rationem assignans, cur moriente Domino terra tremuit, & monumenta aperta sunt. *Quia corporibus iustorum* (inquit) *hoc expediebat, vt contigerunt in sepulchris corpus huius mortui, quod afferebat resurrectionem mortuorum: & idcirco ad suscipiendum illum reptantes & auidè se dilatauerunt.* Hoc Rupertus: pro quo etiam facere potest id, quod docet Gregorius Nissenus, in Catechetica oratione capite 37. dum ait, *Aliter fieri non posse, vt nostrum corpus sit in immortalitate, nisi per Communionem cũ immortali factum sit particeps incorruptionis.* Verùm de his modò non agimus, sed de immortali vita solùm, quàm habebimus post resurrectionem in anima, & in corpore simul per Christi panem & carnem dignè in hac vita à nobis sumptam, sicut promisit nobis idem Dominus. *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.*

Referunt quidem fabulæ cibum quem- 27
dam dari, qui ab illis Ambrosia dicitur, quem proprium Deorum immortalium esse fingũt: sicut etiam potum quemdam ijsdem Dijs tanquam peculiarem assignant, qui Nectar ab illis vocatur. Vnde extat illud Martialis: *Iupiter Ambrosia satur est, & nectare viuit.* Traditur insuper qui sic fabulãtur Poetæ, quòd non comedatur à mortalibus Ambrosia, nec ab eisdem Nectar bibatur: & quod si de facto illud comedant, vel bibant, immortales, & ipsi vt Dij fiant. At fabulæ sunt istæ, & fabulationes, vt dicebamus, quas fabulosi Poetæ fabulantes narrauerunt nobis: sed non vt lex Domini: nõ vt Christi Euangelium, quod verissimum est, atque certissimum, docens Eucharistiam, cibum simul, & potũ esse Dei, verè imortalis, quia est ipsemet Dei filius: caro, nempè, eius, quæ verè est cibus, & sanguis eius, qui verè est potus. Et prætereà idem primò comedit cibum hunc, & hunc bibit potũ, quandò vtrumque instituit: Verùm, non ille solus vtrumque gustare voluit, qui solus verè Deus immortalis est, sed gustandum dedit, etiam hominibus mortalibus: vt per illius gustum, Dij fiant immortales, sicut illis promisit, qui Diuino cibo hoc, & potu dignos fecit, dum hæc, nimirum, pronuntiauit. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.* Quia, vt inquit Sanctus Paschasius loco citato capite 16. *Christi caro est vera caro, & tamen panis viuus, qui de cœlo descendit, verè Catholicè prædicatur: Caro quidem secundùm gratiam: panis verò secundùm efficientiam: quia sicut hic panis terrenus vitam subministrat temporalem, ita ille cælestis præstat æternam, & cælestem: quia vita est sempiterna.* Quia, vt inquit Incertus apud Bern. de cœna Domini: *Cibus iste non est ventris, sed mentis: Non est enim datus ad ruinas huius vitæ, quæ vapor est ad modicum parens, sed ad æternam vitam animæ conferendam: iste est panis, qui nescit putrescere: non vadit in secessum: sed vadit in excelsum: illuc reducit hominem, vnde traxit imaginem.* Hæc ille.

Dixit quidem Diabolus ad Patres nostros
de quodam cibo. *Nequaquam moriemini: scit* 28
enim Deus, quòd in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dij scientes bonum, & malum. Promisit eis per esũ illius cibi, quod mortem euaderet, & immortales fierent: sicut Dij: at in veritate non stetit,

tit, sed mendacium loquutus est. *Quia mendax est, & pater eius*, vt de illo dixit Dominus. Nam cũ verè antea vt Dij essent, & quasi immortales, quia nec mortem gustassent, sed à præsenti vita ad æternam, vt tales translati fuissent, si cibum illum contra Dei præceptũ non comedissent: comedẽtes illum, se mortis facti sunt statim, vt verè homines, & non mortis vnius tantùm, sed triplicis, æternæ nimirum, corporalis, ac spiritualis, vt notum est.

Idcirco alium cibũ adinuenit Dominus Diabolico illo cibo ex diametro (vt dicitur) oppositum, tanquam verum contra trinã mortem remedium, quo trinam nobis vitam conferet Eucharistiam, nempe, de qua idem ait: *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mũdi vita.* *Cibus enim ille vetitus* (ait Damianus de cœna Domini serm. 1.) *quem primus homo intumescẽte superbia, & gula pruriente percepit, per vniuersa eius viscera vitiorum omnium, ac mortalis corruptionis venena diffudit. Contra hoc igitur lethale virus anthidotum à Christiano populo sumitur, per quod spiritualis morbi pestilentia salubriter euomatur.*

29 Olim certè apud Galatas, Celtas, & nationes alias cibus aliquando triplicis mortis causa erat, corporalis, nempe, spiritualis, & æternalis: siquidem prouocantes illi se inuicem post cibum quandoque ad arma, corporalem mortem sibi inuicem inferebãt: ex hoc vero etiam spiritualis mors, absque dubio cõsequebatur propter huiusmodi peccatũ: post vtramque autem mortem, etiam æternam subibant eadem ratione: sed cibus Christi, panis eius, & caro, quia est verè cibus; est etiam pro mundi vita, & triplici vita, triplici illi morti omnino opposita à Diabolico cibo originata. Vnde hac de causa vita vocatur (vt iam dictum est) ratione vitæ triplicis, quam nobis præstat. Hinc Sanctus Ignatius in Æpistola ad Eph. vocat eam *pharmacum immortalitatis, mortis anthidotum, vitam in Domino concilians per Iesum Christum, medicamentum purgans vitia, & omnia pellens mala.* Et Dominus de eadem. *Qui manducat meã carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam*: Et iterum. *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.*

30 Et ait: *est*: non: *erit pro mundi vita*: quia etiam in præsenti per Eucharistiam vitam habemus spiritualem, & aliquãdo etiam corporalem, & non æternam tantùm in cœlo, vt satis abundè iam demonstrauimus. Similiter de æterna vita ait etiam, *habet* in præsenti, nõ *habebis* in futuro: *habet vitam æternam*, inquit, & hoc multiplici de causa, primò quidem propter infallibilem certitudinem eius, quia, qui dignè in hoc mundo Eucharistiam sumit, ita certus, ac securus est, se per eam habiturũ vitam æternam, ac si nunc de facto illam haberet. Præterea dicitur *habet*, in præsenti, quia nunc habet eam in spe, habiturus postea illam in re. Item, quia nunc habet ipsam gratiam: quæ est, quasi semen vitæ æternæ, & gloriæ.

Vnde ipsa gloria, vitæ æternæ gratia consumata dicitur. Vel tandem, dicit Dominus, quòd Eucharistia *est pro mundi vita*, & quod eam dignè sumentes habent nunc etiam vitam æternam. *Hæc enim mensa* (inquit Sanctus Chrisostomus hom. 21. 1. cor.) *est neruus nostræ salutis mentis vinculũ. fiducia fundamentum, spes, salus, lux, vita: si cum hac mensa illuc excesserimus, cum magna fiducia sacra ascendemus vestibula, veluti quibusdam armis aureis vndique muniti. Et quid dico futura? Hic in terra tibi cœlum facit hoc mysterium. Aperi ergo cœli portas, & perspice, vel potius, non cœli, sed cœli cœlorum, & tunc videbis quod dictum est. Nam quod illic est omnium pretiosissimum, & maximè honorandum, hoc ostendam tibi situm in terra: sicut enim in regia id, quod est omnium magnificẽtissimum, non sunt parietes, non tectum aureum, sed corpus regis sedens in solio: sed hoc tibi nunc videre licet in terra. Non enim Angelos, nec Archangelos, neque cœlos, & cœlos cœlorum, sed ipsum horum ostendo Dominum. Vidisti, quemadmodũ, quod est omnium præstãtissimum, & maximè honorandum vides in terra. Neque solùm vides, sed etiam tangis, sed etiã comedis, & eo accepto domũ reuerteris.* Hæc Chrisost. Propter ista omnia verissimè ait Christus, nos per Eucharistiã habere etiam in hoc mundo non solùm vitã spiritualem, & etiam corporalem aliquando, sed etiam æternam. *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.*

Et possumus hęc ipsa adhuc ratione alia 31
comprobare, quasi pro sermonis nostri compendio: quia, nimirum, Eucharistia non solùm triplicem hanc vitam nobis affert, quod prolixè iam satis monstrauimus, sed quia insuper à malis omnibus nos liberat quæ illam nobis quocumque modo auferre possunt, vel differre

ferre: quia *est medicamentum purgans vitia & omnia pellens mala*, vt nunc dicebamus ex Diuo Ignatio. *Quia*, vt inquit Damasc. *omnes morbos immissasque calamitates purgat*: quia, vt tradit Sanctus Cyrillus Alexandrinus. *Non mortem solùm, verum etiam morbos omnes depellit: sedat enim cum in nobis manet Christus saeuientem membrorum nostrorum legem, pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit, agrotos curat, collisos redintegrat, & sicut pastor bonus, qui animam suam pro ouibus posuit, ab omni nos erigit casu*.

32 His omnibus tandem vnum addendum videtur, nimirum, prædicta omnia de vita triplici quam Eucharistia præstat, non de quocumque eam sumente indifferenter intelligi, sed solùm de eo, *qui* (vt ait Augustinus) *pertinet ad virtutem Sacramenti, non qui pertinet ad visibile Sacramentum: qui manducat intus, non foris: qui manducat in corde, non qui premit dēte: de eo tantùm intelligenda sunt*, secundū Glossam quādam. *Qui comedit cum fide operāte ex dilectione, comedit in vitam aeternam: qui verò aliter, in mortem.*

Audiamus vltimò pro his omnibus exemplum, quòd recenset idem Chrisostomus lib. sexto de Sacerd. *Quidam mihi narrauit, non ille quidem ab alio edoctus, sed dignus habitus, qui id, & vidisset ipse, & audisset, quòd qui de hac vita emigraturi sunt, si mysteriorum huiusmodi cum pura, ac mundā conscientia fuerant participes, spiritum afflaturi, ab Angelis illorum corpora satellitum more stipantibus propter assumptum illud sacrū, hinc rectà in cœlū adducuntur.* Sic Sanctus Chrisostomus, quæ diligenter quæso & nos consideremus, vt cum pura, ac munda conscientia Eucharistiam sumentes, spiritum afflaturi, rectà nos quoque in cœlum adducamur in vitam æternam: quia: *Panis, quem ego dabo* (ait Christo) *caro mea est pro mundi vita.*

Vt autem sit nobis hic panis, pro 33
æterna vita, quando in hac vita illum sumimus, & aliàs etiam, frequenter sic deuotè, ac reuerenter salutemus, & oremus eum, sicut eundem salutauit, & orauit Sanctus Hieronimus, quando illum in morte summēs, fuit illi pariter æterna vita. *Aue panis vita, qui de cœlo descendisti, dans te sumentibus dignè vitam, non sicut manna, quod in Deserto nostris pluit patribus, de quo omnes, qui manducauerunt, mortui sunt. Certè, qui te dignè sumit, quamquam morte corporali anima à corpore separetur, non moritur in aeternum: quia non illa separatio mors est, sed de morte ad vitam transitus. Vnde qui te dignè manducat in mundo moriens, tecum aeternè viuere incipit. Amen.*



Sermo


SERMO VIGESIMVS TERTIVS.

De Christi Sanguine in Eucharistia.

Hic est enim Sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Sanctus Matth. cap. 26.

ARGVMENTVM.

Eucharistici sanguinis excellentia, virtus, & effectus in verbis istis latè explicantur: Hincque dignè à nobis sumendus, ac venerandus demonstratur.

1 

Icut certum habent fideles omnes, eundem omnino, & totum Iesum Christum Dominum nostrum, sub vtraque Eucharistiæ specie, & sub qualibet similiter vtriusque speciei particula, quantumcumque exigua vel parua, realiter, veraciterquè contineri, etsi non eadem prorsus ratione, vel modo, vt aliàs distinctius explicamus, sic eisdem fidelibus pariter firmum esse debet, ac notū, ea omnia, quæ de Eucharistia dicuntur in communi, de vtraq; specie intelligenda esse: hoc est de eadem Eucharistia prout continetur sub panis specie, quam, prout continetur sub specie vini similiter. Verùmtamen, quia primò, sub specie panis tantùm ab omnibus (demptis Sacerdotibus) suscipi solet, & ad communem populum hoc solo modo communicantem sermo etiā habetur: ideo de corpore Christi tātum in communi, vel de ipsa Eucharistia secundùm se, vt plurimū scribunt, & loquuntur omnes, nunquā verò vel rarò de ipso Christi sanguine Eucharistico solis Sacerdotibus concesso, quòd circa illū sufficiēter instructi, & deuoti ijdē supponantur, secundò etiam, quia aliquando vt verùm supponitur, quod tamen fallum est, & quia verè Laici etiam, siue (vulgo) Seculares quamplurimi magna pietate feruent in eundem Altaris sanguinem. Iddirco, vt istis, & illis satisfactum aliqua ex parte saltem videatur, nonnulla etiam de eodem sanguine singillatim tradēmus, nempe, de eius excellētia ac dignitate, primum, & secundo de eiusdem virtute, & fructibus, ex quo tam multa alia de Eucharistia in communi, & de Christi corpore scribimus: hoc verò ex verbis Domini præelectis. *Hic est n. sanguis meus noui testamenti*. Hoc primū erit, *Qui pro multis effundetur in remissionē peccatorū*, hoc erit secundū.

2 Pauca, vel breuia sunt hæc verba quidem, ac de se manifesta, sed tamen grauia multum, multumque significantia, ac consideratione dignissima, sunt enim de Christi sanguinis excellentia, ac dignitate, quo nihil excellentius, nihil dignius: sunt de eiusdem sanguinis efficacia, & fructu, quo nihil efficacius, nihil fructuosius: & sunt denique, eiusdem Christi verba, & de ore eius procedentia, quibus nihil verius, nihil certius, nihil denique firmius esse potest. Vnde ex hoc ipso solùm eundem satis laudatum esse, ac commendatum, asseuerare possumus, etsi omnes homines, & Angeli simul sufficienter illum laudare non possent, vel celebrare, quia, nimirum, idem Christus illius laudator est, & quia eiusdē sanguinis, hæc summa laus est, quòd eiusdem Christi sanguis sit, & esse dicatur, & ab ipso dicatur, sicut verè dictus est, quando eundem in

vino

vino Calicis consecrauit, & nobis ad bibendum tradidit, hęc ipsa tantum verba proferẽs de illo: *Bibite ex hoc omnes: hic est enim sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur, in remissionem peccatorum.*

Quare, & nos eadem verba, dum repetimus, excellentiam eius prædicantes, id totum dicimus & summũ, quod de eo dicere, vel excogitare vnquam possumus. *Hic est enim sanguis meus*, vel *Calix sanguinis mei*, sicut ad Altare pronunciamus, quod idem est: & multò magis etiam dum subiungimus de sanguinis eiusdem immenso fructu in nobis: *qui pro*
3 *multis effundetur in remissionem peccatorum.*

Et Paulus enim ipsum Christi sanguinem extollens, dum ad Ephesios scribit 1. cap. hoc vnum tantum de eo prædicauit. *Habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum.* Quidam etiam insignis Orator Etnicus Philippum Macedoniorum Regem extollens, ex vno tantum ipsum se satis laudasse ęstimauit, nempe, ex filio eius, qui Alexander Magnus est appellatus. *Hoc* (inquit) *dixisse sufficiat, filium te habuisse Alexandrum*: Inter sanctos etiam Ecclesiæ Rethores simile quid reperimus, & præsertim de Gregorio Nazianzeno, vt alios omittamus; & hic enim dum cognatum suum, suæ, nimirum, Sororis Gorgoniæ virum commendare vellet; ex eiusdem Sororis admirabili sanctitate solum satis se illum commendasse putauit, dicens in Oratione de laudibus eiusdem Gorgoniæ: *Vultis vno verbo virum describam? Vir illius.* Itaque sanctorum, ac prophanorum etiam vestigia sequentibus de Christi sanguinis præcellentia, hoc dixisse sufficeret, sanguis illius, vel ipsum sanguinem habuisse filium Dei, & filium Virginis Mariæ simul, vel ab ipso filio habitum fuisse, & de facto nunc etiam haberi: sicut enim quum primum ille ipsum suum sanguinem hominibus propinauit, de illo solum pronunciauit (vt dictum est) *Hic est sanguis meus*, & hoc pro summo eiusdem sanguinis encomio, vel præconio: sic etiam dum Sacerdotes eundem quotidiè conficiunt, ipsa sola verba etiam in laudem eius replicant: & ego itaque hoc vno verbo. *Hic est enim sanguis meus*, dixissem omnia, quæ de illo dicere possem.

Verùm, quia satis hæc nota sunt, nonnulla alia, non omnino vulgata de eodem referam, præsertim quatenus in Eucharistia continetur.

De hoc in primis egregia prophetia videntur Ecclesiastici verba in principio 24. c. 4
Sapientia laudabit animam suam, & in Domino honorabitur, & in medio populi sui gloriabitur, & in Ecclesiis altissimi aperiet os suum. Etsi enim multipliciter exponantur verba ista, sequor tamen modò, Rabani, Lyrani, & aliorũ sentẽtiã, qui Dei filio Incarnato specialiter illa tribuũt. Inquit ergo primum de Christo Domino scriptura: *Sapientia laudabit animam suam*, idest Christus laudabit seipsum. Anima enim pro ipsa persona aliquando accipitur, videlicet, pro ipso toto composito, cuius est anima. Et eodem modo exponũtur de eodem Christo quæ sequuntur. Verùm de illo secundùm se modò non loquimur, sed de eius sanguine solùm, & prout in Eucharistia illum fidelibus suis, tradit, & seipsum totum dicens. *Bibite ex hoc omnes: Hic est enim sanguis meus.* Quòd, nimirum, tunc laudauit Incarnata sapientia animam suam, & seipsum, quando sanguinem suum laudauit. *Anima enim omnis carnis in sanguine est*, vt tradit Leu. cap. 17. Vel secundum 70. Interpretum. & Hebreorum lectionem. *Anima enim omnis carnis, sanguis eius est.* Nõ quòd propriè anima sit ipse sanguis, sicut nonnulli philosophi senserunt, teste Aristot. lib. 1. de anima, & præsertim Empedocles secundùm etiam illud Marronis, Purpuream euomit ille animam: sed hoc intelligendo causaliter, & concomitanter, quia, scilicet, anima, & per consequens vita carnis, idest animalis, causatur, sustentatur, & conseruatur in sanguine, quasi dispositione, & vehiculo, eo quòd sanguis præ alijs humoribus, calorẽ naturalem, & humidum radicale ministret, & foueat, & spiritus vitales formet.

Hinc Augustinus lib. 2. contra aduers. legis, & Prophet. cap. 6. sic ait, dictum est. *Anima omnis carnis est sanguis: quomodo dictum est, Petra autem erat Christus: scilicet, non quia hoc erat, sed quia hoc significabatur.*

5 Itaque cum ex scripturis, & Augustini interpretatione, Anima sanguinem significet, & sanguis etiam dicatur rationibus prędictis, dum prędicamus Christum Dominum animã suam laudasse, dicentes de eo. *Sapientia laudauit animam suam*, etiam simul, & semel laudasse suum sanguinem fatendum est (sicut & seipsum consequenter) cum, viz. nobis illum tradens, dixit. *Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*

Vn-

Vnde, & in citato loco Leuitici simile, quid omnino subditur de ipso sanguine? sic enim paulò antè legimus. *Anima omnis carnis in sanguine est*: & postea statim subditur. *Et ego dedi illum vobis, vt super Altare in eo expietis pro animabus vestris: & sanguis pro anima piaculo sit*: & clariùs Hebraica translatione secundùm Pagninum. *Ego autem dedi eum vobis super Altare ad expiandum animas vestras: quia sanguis ipse animam expiabit.* De sanguine enim Christi satis verius, ac manifestius, quàm de sanguine brutorum id intelligitur, qui in eius passione pro nobis effusus animas nostras à peccatis expiauit. *Dilexit enim nos* (inquit Ioann. in Apocal. cap. 1.) *& lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* Et Paul. ad Heb. 9. *Si enim sanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quantò magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad seruiendum Deo viuenti.*

Idcirco de ipso suo sanguine idem Christus Dominus ait. *Hic est sanguis meus, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Et sicut semel ille in passionem ipsum effudit in remissionem peccatorum, sic nobis tradidit illum, vt in memoriam illius primæ effusionis quotidiè super Altare illi offeramus in remissionem similiter peccatorum: *& ad expiãdum animas nostras: quia sanguis ipse animam expiabit*, vt in Hebraico textu nũc legebamus. Sed nil amplius de hoc modo, quia ad hoc ipsum aliàs redibit sermo noster.

6 Ergo ipse Christus suum laudauit sanguinem, & suam animam (sicut & seipsum consequenter) quando de ipso suo sanguine, quẽ ad bibendum tradebat Discipulis, dixit. *Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus.* Et similiter ipsum sanguinem laudat populus Christianus, & Christum principaliter, quòd eundem sanguinem sibi dederit, & in potũ, & in remissionem peccatorum, id ipsum continuè repetens in Altari. *Hic est, enim sanguis meus, &c.*

Vnde ipsa scripturæ prophetia, hoc modo impletur de eodem sanguine: *Sapientia laudabit animam suam*, sicut & de fidelibus ipsum sanguinem venerãtibus impletur similiter id, quod in illa immediate subiungitur de eodẽ. *In Deo honorabitur. & in medio populi sui gloriabitur.*

7 Hinc Bernardus ipsum sanguinem Christi laudans, sic ad illum exclamat. *O sanguinem Christi summè reuerendum, in Altari poculum, in Cruce pretium, in cœlo pro nobis ad Deum Patrem aduocatum.* Tria hic dicit Diuus Bernardus de Christi sanguine valde notabilia: primum quòd sit in Altari poculum: secundũ, quòd sit in Cruce pretium: tertium, quòd aduocatus sit in cœlo pro nobis ad Deum Patrem.

Duo priora impleuit Christus sanguinem suũ in poculum tunc dando, & paulò post in pretium. *Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus.* En primum. *Qui pro multis effundetur*, En secundum, & pro vtroque ipsa Incarnata Sapientia suum sanguinem laudauit, & nos cũ illo prophetiam complendo: *Sapientia laudabit animam suam, & in Deo honorabitur, & in medio populi sui gloriabitur.* Sed progreditur adhuc ipsa de sanguine Christi prophetia: & id quod in illa statim sequitur ad prædicta, illud ipsum est, quod de eodem sanguine tertio loco docet Bernardus in præallegata sententia, nempe, quod Christi sanguis sit in cœlo pro nobis apud Deum Patrem aduocatus: sic enim scriptura sequens. *Et in Ecclesiis altissimi aperiet os suum.*

8 Nec quis miretur, quòd hoc de Christi sanguine exponamus ipsum os suum aperire dicentes, nam Sanctus Paulus in Epistola ad Hebreos cap. 12. non solùm Christi sanguinem aperire os suum testatur, verum etiam eundem loqui. *Et testamenti* (ait) *noui mediatorem Iesum, & sanguinis aspersionem melius loquentem, quam Abel.* Quæ verba exponens de eodem Christi sanguine, Diuus Gregorius lib. 13. cap. 8. suorum moralium, dum simul illa verba Iob c. 16. *Terra ne operias sanguinem meum, neq. inueniat in te locum latendi clamor meus*, de eodem, & de clamore eius interpretatur (de quibus iterum, & nos agemus) sic scribit. *Notandum quod subditur. Nec inueniat in te latendi locum clamor meus. Ipse enim sanguis redemptionis, qui sumitur, clamor nostri Redemptoris est. Vnde etiam Paulus dicit: & sanguinis aspersionem melius loquentem, quam Abel: de sanguine Abel dictum fuerat, vox sanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra: sed sanguis Iesu melius loquitur, quam Abel: quia sanguis Abel mortem fratricida fratris petijt. Sanguis autem Domini vitam persecutoribus impetrauit.* Hæc Gregorius.

9 Alij ex Greco sic verba Pauli interpretātur. *Melius loquitur sanguis Christi*: hoc est meliora, vtiliora, præstantiora, quam sanguis Abel: quia, nimirum, sanguis Abel clamauit vindictam: nam Gen. 4. idem Dominus ad fratricidam Cain dixit. *Vox sanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra*. Et similiter de sanctis omnibus cantat Ecclesia illorum omnium simul solemnitatem celebrans. *Sub throno Dei omnes sancti clamant, Vindica sanguinem nostrum Deus noster*. Sed sanguis Christi, multò melius, & meliora, vtiliora, ac præstantiora loquitur, & clamat: quia loquitur, & clamat misericordiam, gratiam, & remissionem peccatorum, sicut per Christi gratiam, & misericordiam, ab ipso in remissionem peccatorum nostrorum effusus est, eodem asserente; & similiter quotidiè in nobis effunditur in remissionem pariter nostrorum peccatorum, & ad illius primæ effusionis gratam memoriam. *Qua morte Domini, liberati sum⁹* (inquit Ambros., vt habetur de consec. dist. 2.) *huius rei memores in edēdo, & potando carnē, & sanguinē, quæ pro nobis oblata sunt significam⁹*. Hæc duo sunt verba, quę loquitur Christi sanguis, melius, vel meliora quam sanguis Abel: verba inquam, non mortis, vel vindictæ, qualia Abel sanguis fatur, sed verba vitæ, Indulgentiæ, & remissionis peccatorum nostrorū, vt dictum est verba illa, nempe, de quibus prophetauit Ecclesiasticus, *In Ecclesijs altissimi aperiet os suum*: quia in Ecclesijs hæc sua verba per Prædicatorum suorum voces annunciare facit, sicut & ego modò eadem annuncio vobis, & eiusdem sanguinis virtutem, & efficaciam simul, secundo loco, cum Domino dicens. *Hic est sanguis meus, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*.

10 Et hoc ipsum est, quod relata iam prophetia ex Ecclesiastico immediatè subiungit postquam dixerit. *In Ecclesijs aperiet os suū*: hoc modo. *In conspectu virtutis illius gloriabit*. Hæc enim sunt verba sanguinis Christi, & eiusdem Christi, quæ in prima Ecclesia, nimirū, in Monte Sion idem Dominus loquebatur de eiusdem sanguinis sui virtute, ac potentia, dum ipsum sanguinem suum, tunc in vini Calice à se consecratum, in conspectu suo habebat, & illius fructum considerabat, Discipulisque porrigebat, & de hac ipsa gloriabatur dicens. *Hic est sanguis meus, qui pro multis effūdetur in remissionem peccatorum*. Et hæc ipsa similiter verba sunt, quib. à nobis modo idem celebratur, sicut & ab omnibus vbique fidelibus. Vnde addit ibidem Ecclesiasticus. *Et in medio populi sui exaltabitur*. Et præterea aliud etiam notabile de eodem sanguine ibidem subinfert. *In plenitudine sancta admirabitur*. Pro his verbis enim, sic habet Tigurina lectio, *In sancta multitudine miraculo est*. Verè enim Eucharistia miraculum est, miraculorum Christi, & miraculorum ab ipso factorum maximum, quod quotidiè per totum terrarum orbem fit in sancta plenitudine, & multitudine fidelium, qui hoc ipsum tam admirabile miraculum etiam mirantur, hoc est magna cum spirituali voluptate intuētur dū, slz. panis in corpus Christi, & vinū in Christi sanguinē similiter p Sacerdotū ministeriū in Ecclesia super Altari conuertuntur.

Narratur quidem, quòd spicæ nonnullę 11
tritici à messoribus in agro sanguine madidæ aliquando repertæ sint. Vinum etiam in Calicem Regis Serse infusum ter in sanguinē versum dicitur: scribunt præterea nonnulli, quòd aliquando sanguis è cœlo pluerit. sed hæc omnia, vel falsa reputantur, vel præstigiosa, vel ad summum quadam occulta vi naturali, siue artificiali tantùm operata, & non miracula vera vllo modo. Neque verus sanguis fuit in his, sed apparens tantùm, & quid sanguini simile. At sanguis Christi in calice vere sanguis est, sed vinum apparet: & miraculo maximo idem vinū in sanguinem Christi transubstantiatur, & verissimè de eo dicit Sacerdos simul cum Christo, & in persona eius, dum ipsa transubstantiatio fit, *Hic est enim Calix sanguinis mei noui, & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*. Et hoc modo impletur Ecclesiastici scriptura inter fideles, & nunc præsertim in nobis. *In medio populi sui exaltabitur: & in plenitudine sancta admirabitur*, siue alia translatione. *In multitudine sancta miraculo est*: & hoc modo adimpletur id etiam, quod ibidem de hac ipsa re adijcitur. *In multitudine electorū habebit laudē, & inter benedictos benedicetur*. Popul⁹ .n. Christian⁹, popul⁹ elect⁹ dicit, vlz. à Deo ex oib. alijs mūdi nationib., & ab eodē specialiter benedict⁹, q iugiter benedicit, laudat, glorificat, exaltatq; Christi sāguinē, & virtutē ei⁹, in psona illi⁹ dicens. *Hic est sanguis meus, &c.* Sicq; iam tādē de Christi sāguine, & de virtute eius prophetiam ex Ecclesiastico desumptam, absoluimus.

Aliam

12 Aliam nunc assumamus de eodem sanguine pro nobis in passione effuso, & nobis in calice dato, breuiorem quidem, sed clariorẽ, & euidentiorem; idque secundum Gregorij magni doctrinam in præcitato iam loco moralium. Est autem huiusmodi prophetia in supradicto cap. 16. Iob annotata. *Hæc passus sum absque iniquitate manus meæ, cum haberem mundas ad Deum preces.* Verba sunt Christi Domini hæc prophetalia verba Iob. *Absque iniquitate enim manus suæ* (inquit Sanctus Gregorius hæc ibi exponens) *pertulit, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius: & tamen dolorem Crucis pro nostra redemptione tolerauit:* sic ille. Et hæc est Christi sanguinis, & passionis eius vtilitas, atq; fructus, quã modò prædicamus, cum eodem dicentes. *Hic est sanguis meus, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*

13 Hinc, etsi totum de se Missæ sacrificium secundùm eiusdem præceptum in memoriam offeratur eiusdem passionis suæ, dum ipsum eius præceptum in eadem refertur. *Hæc quotiescunque feceritis in mei memoriam facietis.* Tamen, vt manifestius, & efficacius ante omnium oculos ponatur & mors Domini, & passionis genus, ipse sanguis distinctim à corpore, & sub distincta vini specie à specie panis consecratur, sicut etiam distinctè sumitur vtrumque communiter. Verba verò illa, quę adduntur: *pro vobis, & pro multis,* à Matthæo, & Luca, singula à singulis sumpta sunt, quæ tamen Sancta Ecclesia spiritu Dei instructa simul coniunxit: pertinent autem ad passionis fructum, atque vtilitatem declarandam. Nam si eius virtutem inspiciamus, pro omnium salute sanguinem à Saluatore effusum esse, fatendum erit: si verò fructum quem homines ex eo perceperunt cogitemus, non ad omnes, sed ad multos tantùm eam vtilitatem peruenire facile intelligemus. Cum igitur *pro vobis,* dixerit, eos qui aderant, vel delectos ex Iudeorũ populo, quales erant Discipuli excepto Iuda, quibus cum loquebatur, significauit. Cum autem addit *pro multis,* reliquos electos ex Iudeis, aut gentibus intelligi voluit. Rectè ergo factum est, vt pro *vniuersis* non diceretur, cum hoc loco tantum de fructib. passionis sermo esset, quæ salutis fructum delectis solùm attulit. Atque huc spectant verba illa Apostoli. *Christus semel oblatus est, ad multorum exaurienda peccata:* & quod Dominus apud Ioannem inquit. *Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi: quia tui sunt.*

Doctrina est hæc Ecclesiæ, cui doctrina 14
diuinarum scripturarum, & sanctorum Patrum est omnino conformis de Christi sanguine pro nobis effuso in passione sua, & de virtute, ac fructu eius. Vnde, & Incertus Doctor de cœna Domini inter Bernardi opera, hæc ipsa verba de Christi sanguine exponẽs. *Hic est sanguis meus, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum,* sic ait. *Effundetur dictum est, quia passim, & viliter quem vtiq; punctura vepriũ, fossio manuum, & pedum cum clauis, lateris apertio cum lancea militari, fortius exprimentes ad medium torrentis fuderunt extrinsecus: Eratque ille sanguis pretiosior, chariorq; Balsamo, per quem sordium nostrarum facta est mundatio:* sic ille de Christi sanguinis effusione in passione, ac de efficacia eius.

Hæc (inquit Christus) *passus sum absq; ini-* 15
quitate manus meæ, cum haberem mundas ad Deũ preces. Et secundùm 70. Interpretationẽ. *Iniustum autem nihil fuit in manu mea: deprecatio autem mea munda.* Hæc enim verba sic rursus explanat Sanctus Gregorius. *Qui solus præ omnibus mundas ad Deũ preces habuit, quia & in ipso dolore passionis pro persecutoribus orauit dicens. Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.* Et addit. *Quid enim dici, quid cogitari in prece mundius potest, quam cum & illis misericordia intercessionis tribuitur, à quibus tolleratur dolor. Vnde factum est, vt redemptoris nostri sanguinem, quem persecutores sæuientes fuderant, postmodum credentes biberent, eumque esse Dei filium prædicarent.* Hæc omnia sanctus Doctor cum scriptura dè sanguinis Christi efficacissima virtute, & de mundissimis eius precibus. *Vt Redemptoris nostri sanguinem* (ait) *quem persecutores sæuientes fuderant, postmodum credentes biberent.*

Quibus consentanea omnino scripsit 16
Diuus Augustinus de vtilitate agendæ pœnitentiæ: & legitur de consecr. distinct. 2. *Tunc eis Petrus* (inquit) *annuntiauit eum colendum, quem crucifixerunt, vt eius sanguinem biberent credentes, quem fuderunt sæuientes.* Vbi Glossa sic: *legitur in actibus Apostolorum, quòd Iudei ad prædicationem Petri compuncti, dixerunt ad eum, & ad alios Discipulos. Quid faciemus, nos ò viri fratres? Tunc Petrus ait illis. Pœnitentiam agite, &c. Et hoc est quod dicitur hic. Tunc eis Petrus annuntiauit: Tunc eis: cum dixe-*

runt Iudei ei. Quid faciemus & nos viri fratres? Ait tunc Petrus. Credite ipsum esse Deum, quẽ crucifixistis. Hæc Glossa ad August. verba. Hinc idem August. rursus in Psalmo 58. ad Iudeos eosdem. *Iam & securi bibite sanguinẽ, quem fudistis.* Item in Psalmo 75. de eisdem. *Ipsum sanguinem, quem per insaniam fuderunt, per gratiam biberunt.*

16 Verùm nos modò non loquimur ad Iudeos, ex quibus, sicut pauci modò in Christũ credere volunt, sic pauci etiam eius sanguinẽ bibunt, quem eorum parentes fuderunt: ad Christianos est sermo noster, qui & in Christum credunt, & sanguinem eius quotidie sumunt, prædicant, ac venerantur. Hinc verba illa Iob immediatè sequentia post prædicta: *Terra, ne operias sanguinem meum:* Verba Christi ad Christianos dicẽda sunt sine dubio, hęc enim idem Gregorius, sic explicat. *Peccanti homini dictum est: Terra es, & in terram ibis. Quæ scilicet, terra Redemptoris nostri sanguinem non abscondit, quia vnusquisque peccator redemptionis suæ pretium sumens, confitetur, ac laudat, & quibus valet proximis innotescit: Terra etiam sanguinem eius non operuit, quia sancta Ecclesia redemptionis suæ mysterium in cunctis iam mundi partibus prædicauit.* Sic Gregorius, sic & nos modo in hac mundi parte prædicamus, frequẽter repetentes. *Hic est sanguis meus, &c.* Sicque, & Iob verba verificamus: *Terra ne operias sanguinem meum,* & verba Ecclesiastici simul iam exposita de eodem Christi sanguine. *In medio populi sui exaltabitur, & in multitudine electorum habebit laudem, &c.*

17 Sic, & Isaiæ prophetiam aliam comprobamus, cap. 26. *Reuelabit terra sanguinem suum, & non operiet interfectos suos, sanguis enim eius, in medio eius est:* Sic denique, & aliam Ezechielis cap. 24. libri sui. *Super limpidissimã petram effudit illum, non effudit illum super terram, vt possit operiri puluere.* Ecce enim sanguis Christi in medio nostri est, non super terram, sed super petram Altaris dupliciter limpidissimam, nempe, & artificis manu primò, & secundò Pontificis consecratione. Ideoque puluere neutiquam operiri potest, vel terra; quin potius eum terra reuelat, & releuatur à terra, & in nobis effunditur super ipsam Altaris petram: sic enim expresse statuit is, cuius sanguis est, Christus Dominus. *Terra ne operias sanguinem meum,* quia non vt operiremus sed vt biberemus, illum tradidit nobis Dominus, quando etiam statuit in remissionem peccatorum nostrorum ipsum erat effusurus dicens. *Bibite ex hoc omnes: hic est enim sanguis meus, &c.*

Et quia de Christi sanguine tractatũ hoc 18
loco instituimus ratione ipsius potationis, sicut etiam eadem de causa de eiusdem excellentia, virtute, ac fructu principaliter disseruimus, & præclara valdè, & notabilia sũt, quæ de ipso sanguine, & de eiusdem mysterij ratione, vel causa docuit Sanctus Cyprianus in suo sermone de cœna Domini, dignum, & iustum reputaui hic integra trãscribere: vt ex his etiam magis, ac magis eãdem Christi sanguinis præstantiam, ac dignitatem exaltare discamus, sicut nobis Diuina oracula mandant.

Noua (ait S. Cyprianus de Eucharistia 19
scribens, & de sanguine specialiter) *est huius Sacramenti doctrina, & scola Euangelica hoc primum magisterium protulerunt, & Doctore Christo primum hæc mundo innotuit disciplina, vt biberent sanguinem Christiani, cuius esum legis antiqua auctoritas districtissimè interdicit: lex quippè esum sanguinis prohibet: Euangelium præcipit, vt bibatur: In quibus mandatis hoc maximè discernere debet Christiana religio, quòd sanguis animalium, à sanguine Christi per omnia differens, temporalis tantùm habeat viuificationis effectum, & vita eorum finem habeat, & sine vlla renouatione terminum constitutum. Ideoque ad obtinendam æternitatem non potest proficere, quod semel obrutum non surgit vlteriùs, nec aliqua ei superest virtus, quod sine vlla spe præcisis radicibus mors penitus exsiccaret. Vita verò hominis, licet aliquam habeat affinitatem cum sanguine, non tamen solo sanguine regitur, sed anima sanguini dat calorem, & nutrimenti effectum, sicut & cæteris, quæ in corpore sunt propria distribuit officia & diuidit motus, & quasi talenta partitur. Nec oportuit, vt sanguini humano sanguis pecudum misceretur, quia vita rationalis hominis vita bestiali consociari nõ habet, sed omnino à fidelium animis, quasi sanguis impurus, detergenda est hæc carnalis opinio, ne putetur vita hominis eo modo transitoria, quo vita pecudum euanescit, vel quòd sanguis consubstantialis sit animæ, & necesse sit vtrumque superueniente suffocatione dissolui. Carne quidem animalibus similes sumus, sed vita dissimiles: Ideoque, quod commune cum eis habemus, nobis incorporare licenter possumus: quòd verò dignitati nostræ non conuenit, & ab æternitate alienum videtur, à nobis subtilissimo legis*

legis iudicio separamus. Bibimus autem de sanguine Christi ipso iubente, vita aeterna cum ipso & per ipsum participes, animalis vitae peccata, quasi sanguinem impurum horrentes, & fatentes, nos per peccati gustum à beatitudine priuatos, & damnatos, nisi nos Christi clementia ad societatē vitae aeternae suo sanguine reduxisset.

20 Haec omnia Sanctus Cyprianus, quasi pro commēto verborum Domini à nobis assumptorum. *Bibite ex hoc omnes. Hic est n. sanguis meus, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*

Ex quibus omnibus certè iam colligere licet immensam, ac singularem, nimis Domini nostri Iesu Christi erga nos bonitatem, charitatem, misercordiam, ac benignitatem, qui sanctissimum, pretiosissimumque sanguinem suū non solùm pro nobis effundere dignatus est in remissionem peccatorum nostrorum, sed eundem insuper nobis bibendum tradidit ad salutem. Quae duo etiam in Apocalypsi sua cap. 1. Sanctus Ioannes notanter exagerauit, de eodem Christo Domino sic scribens. *Quid dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo*: hoc primum est: secundum addit statim: *Et fecit nos regnum, & Sacerdotes Deo, & Patri suo*: fecit enim nos Sacerdotes, vt eundem sanguinem suum simul cum corpore Deo, & patri suo offeremus, & vtrumq; etiam sumeremus; & hoc fecit, quando & ipse Sacerdos secundum ordinem Melchisedech in coena vtrumque eidem patri suo obtulit, & nos Sacerdotes constituens, nobis similiter offerre praecepit, dicens. *Hoc facite in meam commemorationem.*

21 In quo profectò eximius eiusdem ad nos amor, ac misericordia mirificè eluxit. Vnde Augustinus in Psalm. 32. hom. 2. *Verè magnus Deus* (inquit) *& magna misericordia eius, qui nobis dedit manducare corpus suum, in quo tanta perpessus est, & sanguinem bibere.* Hinc & Chrisost. hom. 60. ad pop. Antioch. de amore Christi in sui sanguinis exhibitione, & de eiusdem sanguinis laudibus, inter alia, haec tradit, quae etiam pro epilogo nobis esse possent eorum omnium, quae hoc loco de eodem sanguine retulimus. *Hic sanguis floridam nobis reddit regiam imaginem, hic decus indelebile, hic animae generositatem tabescere non permittit, eam irrigās iugiter, ac nutriens.* Itē infra sic, *Hic sanguis effusus omnem terrarū orbem abluit.* Et iterum. *Hic est salus animarum nostrarum, hoc abluitur anima, hoc adornatur, hoc inflammatur, hic mentem nostram igne reddit splendidiorem, hic aurō clariorem animam facit. Hic sanguis effusus est, & coelum fecit accessibile, horrenda, s. Ecclesiae mysteria, horrendū Altare.* Item rursus. *Hic sanguis antea semper praesignabatur in sacrificijs, in iustorum caedibus. Hic terrarum orbis est pretium, hoc Christus emit Ecclesiam, hoc eam prorsus adornauit: sicut enim homo seruos emens, aurum erogat, & rursus eos ornare volens, id auro facit, sic & Christus, & sanguine nos emit, & ornauit sanguine.*

Haec omnia os illud aureum Chrisostomus de Christi sanguine, & singulari eiusdem praecellentia, & de vtilitate, ac fructibus eius, quae & nostro hoc sermone explananda pro viribus suscepimus, eiusdem verba sequentes. *Hic est sanguis meus, &c.*

Quibus hoc addam pro vltimo sermonis termino. Non solùm in passione Christi, sanguis eius effusus est in remissionem peccatorum: sed quotidie etiam, dum è caelo quasi in calicem effunditur, & de calice in nobis ipsis in Missa, in qua primam eius effusionem in cruce per Christum factā cōmemoramus: & hoc à Diuo Ambrosio didicimus, quod et inter canones sacros registratum est, vbi supra de cons. dist. 2. sic enim ait. *Si quotiescunque effunditur sanguis Christi in remissionem peccatorum effunditur, debeo meritò semper accipere: qui semper pecco, debeo semper accipere medicinā:* Et Augustinus similiter. *Iteratur quotidiè haec oblatio, licet semel Christus passus sit: quia quotidiè peccamus, peccatis, sine quibus mortalis infirmitas viuere non potest: & quia quotidiè labimur quotidiè pro nobis Christus mysticè immolatur. Si quotiescunque effunditur sanguis Christi*, inquit Ambrosius. De prima enim effusione ab ipso Christo in cruce facta, clarum est hoc non posse intelligi: quia haec illa tantum vice facta est. *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est*, inquit Petrus 1. c. 3. & Paulus ad Heb. (vt dictum est) *Christus semel oblatus est, ad multorum exaurienda peccata.* Ergo hoc de alia effusione accipiendum est, in qua prima Christi effusio repraesentatur; sic enim & Glossa haec Ambrosij verba glossat. *Effunditur: i. significatur effundi: sanguis* i. in cōmemorationem effusionis ipsius offertur. Itaque, quia secunda, & quotidiana haec nostra Christi sanguinis in Altari effusio primae effusionis in cruce remmemoratiua est, & in remissionem peccatorum nostrorum, sicut & illa prima, quam significat: ergo cum semper

peccemus, semper debemus hanc peccatorum sumere medicinam. *Qui semper pecco* (ait Ambrosius) *debeo semper accipere medicinam.*

Verum ex quo Glossam verborum prio-
23 rum Ambrosij attendimus. *Si quotiescumq; &c.* Attendamus pariter Glossam posteriorum horum, nempe, *Qui semper pecco. debeo semper accipere medicinam*: hæc est enim horũ Glossa. *Debeo semper praparare me habilem, & dignum ad accipiendum.* Et confirmat ipsa Glossa hanc verborum interpretationẽ statim, per alia eiusdem Ambrosij verba prædictis valde conformia, quę habentur in eadem dist. cap. Non iste. *Accipe* (ait Ambrosius) *quotidiè, quod quotidiè tibi prosit: sic viue, vt quotidiè merearis accipere.* Et hæc sunt, quæ Sacerdotibus & ego cum sanctissimo Sacerdote pro fine repeto. *Accipe quotidiè, quod quotidiè tibi prosit*: Et cum eodem etiam statim subiungo. *Sic viue, vt quotidie merearis accipere:* Quilibet ergo Sacerdos similiter, cum eodem Doctore seipsum recognoscens peccatorem, dicat. *Qui semper pecco, debeo semper accipere medicinã:* Et cum verbis Ambrosij verba glossæ iungat, & impleat. *Debeo semper praparare me habilẽ, & dignum ad accipiendum.*

Ne de Sacerdotibus non se habiles, & dignos ad illum accipiendum (saltem quantum possunt) præparantibus, illud impleatur, quod Sapientiæ cap. 7. scribitur de alio sanguine, & de peccatoribus quibusdã. *Humanum sanguinem dedisti insultis.* Quia, nimirum, hi non ad vtilitatem, & fructum Christi sanguinem percipiunt, sed ad æternam potius damnationẽ. Etenim lata est iam ipsa condemnationis sẽtentia, & in actis Ecclesiæ redacta contra huiusmodi Sacerdotes indignos. *Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi mãducat, & bibit.* Iudicium enim hoc loco pro condemnatione capitur, sicut, & alibi frequenter in scripturis.

Et de ore Christi, hæc eadem condemnatoria sententia prodijt in Psalmo 29. *Qua* 24
vtilitas (ait) in sanguine meo, dum descendo in corruptionem? Nulla vtilitas omninò, sed damnum multum, & damnatio æterna in Sacerdotibus vitiorum, ac peccatorum corruptione corruptis, de quibus idem psalmista ait. *Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in iniquitatibus, non est qui faciat bonum:* quando, scilicet, in eis Christi sanguis per eius possessionem descendit, & in ijs maximè, qui lamente corrupti sunt (licet non corpore) vt ipsa corruptio merito dici possint, in quibus non ad vllam vtilitatem eorundem, sed ad æternam potius damnationem descendit, eodem Christo atteſtante: *Qua vtilitas in sanguine meo dum descendo in corruptionem?* Vnde alij veraciter pro eisdem Sacerdotibus trasferunt. *Dum descendo in foueam.* Alij verò. *Dum descendo in sepulcrum. Quia sepulcrum patens est guttur eorum*, vitiorum, nempe, putredine fœtens, in quo descendit Christi sanguis. Nam fouea sunt, de qua idè psalmista. *Donec fodiatur peccatori fouea:* fouea inquam immunditiarũ multiplicium peccatorũ Itaque, Sacerdotes charissimi, *emundemus nos ab omni inquinamento carnis, & spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei*, vt non ad damnationem, sed ad gratiam in hoc seculo Christi sanguinem bibamus, & ad gloriam in futuro. Amen.



Sermo


SERMO VIGESIMVS QVARTVS.

De Eucharistia, & Beata Virgine.

Venter tuus, sicut aceruus tritici, vallatus Lilijs. Cantic. cap. 7.

ARGVMENTVM.

Ratione Eucharistiæ Maria aceruus tritici dicitur vallatus Lilijs, Virginitatis, & puritatis præsertim, ad exemplum nostrum. Ob hoc eidem laudes, & gratiarum actiones.

1 

VIros sanè habent sacra Canticorum Cantica interpretationes, ac sensus, & sub metaphora potissimum mutuorum amorum, ac colloquiorum sponsi, & sponsæ pastorum. Per sponsum verò communiter Deus secundùm se intelligitur, vel vna signanter ex tribus Personis Diuinis: Sponsa etiã multiplex est, Ecclesia, nimirum, Sanctissima Virgo, pia anima, contemplatiui, religiosi, pastores, Sacerdotes, homines casti, &c. Sponsi Spiritus sancti, ad sponsam Mariam Virginem de Eucharistia, sunt prælibata verba: *Venter tuus sicut aceruus tritici vallatus Lilijs*: sic enim illa interpretantur Sanctus Ambrosius, Rupertus Abbas, & alij multi, præsertim ex recentioribus: etsi aliæ multæ etiam sint eorundem expositiones, eodem modo & nos illa nunc explicaturi sumus, manifestius demonstrantes hæc eidem Virgini conuenire ratione eiusdem Eucharistiæ, & Christi Domini in illa veraciter contenti, quodque idcirco ipsius Virginis Venter, dicitur aceruus tritici primò, & secundò, quòd sit vallatus Lilijs.

2 Itaque, consueuerant inprimis Palestini triturantes (vt quidam scribunt) aceruum tritici floribus, & lilijs, præcipue vallare, & ornare, eiusdem tritici abundantiam, & procedentem ex eadem lætitiam signantes. Vnde etiam hæc facientes, canebant, & quasi diem festum ducebant: ex hoc similitudinem trahens pastor sponsus laudat sponsam suã, & ventrem eius, quòd sit latus in imo, & in summitate acutus, & ex omni parte æqualiter, ac moderatè tumens, tanquam aceruus tritici, & quod insuper idem sponsæ suæ venter, & ipsa sponsa, potissimum, sit in omnib. semper, & vbiq; pudicitia, & honestate decorata, quæ per lilia alba præcipue Symbolizatur. Et ob hoc dicitur venter eius non solùm sicut aceruus tritici, sed etiam vallatus lilijs: & hic est horum verborum litteralis sensus: etsi hoc, quod dicitur de lilijs, fragrantiæ vestimentorum ipsius sponsæ quidã assignare soleant: sed hæc modo ommittamus.

3 *Venter tuus sicut aceru' tritici vallatus lilijs,* ait Spiritus sanctùs sponsus ad Mariam Virginem, quam in eisdem Canticis potissimum suam sponsa vocat. Quia, vt dicit Ambros. de institut. Virg. cap. 14. *In ea simul aceruus tritici, & lilij floris gratia germinabat, quoniam Christum generabat granum tritici, & lilium. Ipsa est ager minime cultus* (inquit de Virgine S. Epiphanius serm. de laud. Virginis) *quæ Verbum velut granum frumenti suscipiens, etiam manipulum germinauit. Ipsa Clibanus intellectualis, qui igneni, & vita panem habebat.* Sic ille. Certe *semen cecidit in terram bonam, &* ortum

ortum fecit fructum centuplum semen enim, est verbum Dei. Huius seminis terra bona est, Virgo Maria. In illam cadens ipsum verbum Dei Patris per Incarnationem, dedit fructum suum, nam ortum, ex ea fecit fructum centuplum: hoc est copiosissimum, & maximum, quod est Eucharistia, quam pro nobis instituit: ex seipso enim vnico grano tam magnum huius sanctissimi tritici aceruum fecit in Ecclesiæ horreo, quod ex eodem fideles omnes per vniuersum orbem ex tunc saturati sunt, & saturabuntur etiam vsque ad finem sæculi: & tamen nunquam deficiet, nec etiam vel paululum minuetur,

4 Tradit similiter omnino Gregorius Nissenus de Eucharistia loquens, & de ipsa Virgine. *Huius corporis panem* (ait) *non aratio, non satio, non agricolarum opus effecit, sed terra, quæ intacta permansit, & tamen plena fuit, quo famescentes mysterium Virginis edocti, saturantur.*

Concinit Gregorio Grisologus simili voce: *Ipse est panis de cœlo, qui satus in Virgine, fermentatus in carne, in passione confectus, in fornace æstus sepulcri, in Ecclesiis conditus, illatus Altaribus, cælestem cibum quotidiè fidelibus subministrat*. Et quod Gregorius, & Grisologus, & alij omnes, concorditer cantauerunt, hoc idẽ Dominus noster Iesus Christus omnium magister & Dominus sic prior intonuit: *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert*: Quamdiù enim granum frumenti (sicut & quodlibet aliud granum) solùm manet, & non seminatur in terra, verè solũ manet, nullũq; fructũ affert. si aũt in terra de seminãtiũ manib. cadit, multũ fructũ affert, & eo maiorẽ, quo ipsa terra melior ẽ.

5 Quia ergo Dei semen Patris Æterni Verbũ in Virgine, quæ terra optima erat, in Incarnatione est à tota Trinitatẽ seminatum, & mortuum postea est in Cruce, ideò plurimum fructum attulit: quia *cælestem cibum quotidiè fidelibus subministrat*, nempe Eucharistiam, vt ait Grisologus. *Quo famescentes mysterium Virginis edocti, saturantur*, vt docet Nissenus. *Quia* (inquã) *ipse est frumentum, quo viuere debet fidelis anima, granum, de quo spiritualis seges debet surgere*. Et est hæc ordinaria Glossa, ex Augustino verborum Domini. *Nisi granum frumenti, &c.* Qui addit etiam de Eucharistia signanter. *Cum sint multa grana seminum, nulli se comparat, nisi frumento. Vnde mos capit Ecclesia, de hoc solo grano conficit corpus Domini.*

Hoc modo glossantur Domini verba, quibus se granum frumenti vocare dignatus est: quia sub frumenti specie Eucharistiam institurus erat, sicque quasi in aceruum magnum seipsum multiplicaturus, ex quo fideles suos omnes vsque ad mundi finem pasceret. Et hic est aceruus frumenti, siue tritici, quo plenus fuit Virginis vterus.

Vnde & ipse vterus per figuram, nempe, cõtinens pro contento sumendo, aceruus tritici dicitur. Propter hoc, & nos ipsi fideles, vt noui Palestini ante hunc nouum aceruum tritici Virgineum, & ad eius laudem, hoc Canticorum Canticum læti cantamus. *Venter tuus, &c.*

6 Vnde & Beatus Petrus Damianus serm. 2. in Natiu. B. Virginis. *Hic dilectissimi fratres mei* (ait) *his rogo perpendite, quam debitores sumus huic Beatissimæ Dei genitrici, quantasque illi post Dominum de nostra redemptione gratias agere debemus. Illud siquidem corpus Christi, quod Beatissima Virgo genuit, quod in gremio fouit, quod fascijs cinxit, quod materna cura nutriuit, illud, inquam, absque vlla dubitatione, nõ aliud, nunc de sacro Altari percipimus, & eius sãguinẽ in Sacramentũ nostræ redẽptionis bibimus. Hoc Catholica fides habet. Hoc sancta Ecclesia fideliter docet.* Hucusque Beatus Damianus. Sed nec fecit hic dicendi finem. Audiamus adhuc, quid ex his colligat. *Nullus ergo humanus sermo in laude eius inuenitur idoneus. De qua mediator Dei, & hominum cognoscitur incarnatus. Impar est illi omne humanæ linguæ præconium, quæ de intemerata carnis suæ visceribus cibum nobis protulit animarum. Illum, videlicet, qui de semetipso perhibet dicens: Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi: si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Per cibum namque, à paradisi sumus amœnitate deiecti. Per cibum quoque ad paradisi gaudia reparati. Cibum comedit Æua, per quem nobis æterni ieiunij fame mulctauit. Cibum Maria edidit, qui nobis cœlestis cõuiuij aditũ patefecit.* Hæc ille.

Hinc & Augustinus eandem Virginem 7
alloquens pro Eucharistia, sic ait in serm. 19. ad fratres in heremo, de Vigilia Nat. Domini. *Hic est panis, qui de cœlo descendit, quem Virgo nobis cras præsentabit, quem in gremio portauit, quem in vtero baiulauit sine grauamine, quem & peperit sine corruptione.* Hinc idem Augustinus rursus in sermone 1. & 9. de Natiuitate Dom. *Agimus cum gaudio dicamus Sancta Virgini Maria ma-*

ria ma-

ria matri Domini nostri Iesu Christi, dicamus, & non confundamur. Lacta mater Christum, & Dominum nostrum, & cibum: lacta panem de cœlo venientem, & in præsepi positum, velut pioru cibaria iumentorum.

8 Hinc & Ecclesia ipsa hoc tam singulare beneficium corporis Christi, ab eadem Virgine recognoscens, inprimis de ipsa in Missa frequenter memoriam facit, eamque summis, ac reperitis laudibus celebrat, pro vt videre est in ipsis Missis etiam siue liturgijs Sanctorum Apostolorum, & præsertim in Diuina Missa, San. Iacobi fratris Domini, quam cum alijs legimus in secundò Tomo Grecolatino Bibliothecæ veterum patrum: sic enim in eadē immediatè ante ipsam corporis Christi consecrationem dicit Sacerdos de eodem Christo Domino verba faciens. *Qui de cœlo descendit, & carne indutus est, ex Spiritu sancto, & Maria Virgine Matreque Dei, qui conuersatus cum hominibus, omnia dispensauit ad salutem generis nostri, & qui voluntariam, & viuificam per Crucem mortem expers ipse peccati, pro nobis peccatoribus subiturus, ea nocte, qua tradebatur, vel potius seipsum tradebat pro vita, & salute mundi, accepit panem in sanctas, &c.*

Hæc ibi Missa S. Iacobi. Post consecrationē verò corporis & sanguinis ante communionem iterum reddit ad laudes, & ad gratiarū actiones eiusdem Mariæ, & primo eiusdem salutationem Angelicam recitat, sicut tunc temporis recitabatur, antequam ab Ecclesia adderentur verba illa. *Sancta Maria Mater Dei, ora &c.* Hoc modo, videlicet. *Aue Maria gratia plena: Dominus tecum benedicta, tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui: quia Saluatorem peperisti animarum nostrarum.* Deinde rursus exclamat Sacerdos. *Præcipuè, Sanctissima, Immaculata, super omnes benedicta, gloriosa, Domina nostra, Deipara, Semperq; Virginis Maria.* Iterum, cantores ad eandem Virginem immediatè. *Dignum est, vt te verè Beatam dicamus Deiparam, semper Beatam, & omnibus modis immaculatam, & Matrem Dei nostri honorabiliorem quam Cherubim, & gloriosiorem, quam Seraphim, qua sine corruptione Deum Verbum peperisti. Te ueuera Deiparam magnificamus.*

Hinc obiter notatu valde dignum videtur in prædictis verbis *Omnibus modis immaculatam.* Singulare testimonium pro eiusdem Virginis conceptione sine originali peccato.

9 Sed necdum finem habent Virginis encomia pro Eucharistia. *Rursus canunt*, sic legitur in eadem Missa statim post prædicta de Maria. *Tibi, o plena gratia vniuersa creatura gratulatur, Angelorum cœtus, & hominum genus, quæ es templum sanctificatum, paradisus spiritalis, Virginum gloria, ex qua Deus carnem assumpsit, & puer factus est Deus noster, qui est ante sæcula, tuum enim vterum thronum fecit, & tuum ventrem latiorem, & ampliorem cœlis ipsis reddidit. Tibi ò gratia plena vniuersa creatura gratulatur. Gloria tibi.* Hæc omnia ibidem.

Hinc rursus pro Virgine Sanctus Hieronimus ad eandem Eucharistiam pro viatico, morte instante sibi delatam.

Tu es Deus meus, & Dominus meus, qui pro me 10 *passus es, an fortè alius? Certè tu es ille, qui cū Deus, esses solus ante omnia tempora, & sine principio genitus à Deo Patre, æterna & inuestigabili generatione, qui cum ipso patre, & Spiritu sancto vnus Deus es intra vnius puellæ corpusculum te clausisti factus homo, sicut ego sum, verè & Deus, & homo es. Sic enim in Virginalis vtero hominem suscepisti, quod nec sine homine Deus es, nec sine Deo homo: quamuis neque humanitas sit Diuinitas, nec Diuinitas humanitas: non sunt cōfusa natura, quamuis sit vna, & eadem in te persona. Nonne es caro, & pater meus? Verè sic.* Omnia hæc statim moriturus. Hier.

Audiamus tandem ad rem ipsam etiam 11 Bernardum in prologo suorum sermonum in cœna Domini, sic enim ait loquens de Eucharistica mensa, & de Virgine simul. *In ea inuenies cibum, non ventris, sed mentis, non holocausta medullata, nec boues cum hircis, sed illum agnum de Virgine natum, qui coram per cutientibus se, obmutuit, & non aperuit os suum.* Hæc omnia sic integra adduximus, quia sicut pro instituto nostro multum deseruire videntur, sic Eucharistiæ, & Virginis deuotis non parum placitura speramus: & nos enim eandem Virginem pro Eucharistia collaudantes eique gratias agentes, quantum possumus, & scimus, hoc eidem canticum pro Eucharistia cantamus. *Venter tuus, sicut aceruus tritici.*

Statuunt Cæsareæ leges ff Ad exibendū 12 leg. De eo, §. si quis. *Quod ex re nostra fit, nostrū esse verius est.* Christus autem ex Maria Virgine factus est, ex eadem, nimirum, conceptus, & ex eadem natus, ergo ipsius Mariæ est: ergo ipsius est corpus, & sanguis eius, quem in Eucharistia sumimus, ergo ipsius etiam est hac

hac ratione, & in hoc sensu ipsa Eucharistia. Etsi enim Eucharistia ex illa non prodierit immediatè, sed illam idem Christus instituerit: quia tamen eius corpus ex Virginis corpore formatum est, & ex purissimo sanguine eius, in eiusdem visceribus: Et quia ideo verius de illo, quam Adam de Eua, dicere potest Virgo. *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea:* & hic solùm est in Eucharistia, & nihil aliud præter nuda accidentia. Propter hoc (dico) eidem Virgini Eucharistia vt sua est referenda, & summæ eidem à nobis gratiæ agendæ, quia. *Quod ex re nostra fit, nostrũ esse verius est,*

13 Et propter hoc eiusdem Virginis vtero etiam ipsam Eucharistiam adscribimus, & ipsum vterum aceruo tritici comparamus, ad Virginè dicentes. *Venter tuus, sicut aceruus tritici*, quia ex earundem legum præscripto, *quod in vtero est, habetur pro iam nato*, leg. Et iã oi ff. De minoribus.

Vnde & in eorundem digestorum volumine extat titulus *De ventre in possessionem mittendo*, &c. Etsi enim humanæ illę leges, id quod statuunt. *Quod in vtero est habetur pro iam nato*, declarent, habere locum, quando agitur de commodo eius, qui in vtero est, præcipuè l. *Cum quidam*, ff. De acquir. vel omitt. hæred. Nihilominus secundùm diuinas leges: & in casu nostro, quia, scilicet, de eo loquimur, qui & statim natus, & antequam natus etiam, & in vtero manès, de seipso verissimè ait Prou. 8. *Per me reges regnant. & legum conditores iustà decernunt:* Idcircò non in commodum eiusdem existentis in vtero, sed in commodum aliorum, vt sibi placuit, hoc legum effatum accipiendum est, in bonum, nempe, & salutem hominum. *Nam propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis, & incarnatus est de Spiritu sancto, ex Maria Virgine, & homo factus est.* Et similiter propter nos homines solûm, & propter nostram salutem aceruum se fecit Eucharistici tritici. Et quia talis futurus erat tempore præfinito, talis etiam ab vtero matris appellatus est, & propter rei certitudinem, & quia etiam talis ex tunc erat virtute, & potentia, sicut ipsum tritici granum in terra satum hoc modo aceruus tritici in potentia, & virtualiter dici potest.

Quia verò hæc omnia in gloriam, & laudem matris Christi præsertim, & Ventris eius redundant, ideo ipsam laudantes, ac celebrantes, eidem cantamus. *Venter tuus, sicut aceruus tritici, &c.*

Certè hoc nomen aceruus tritici, illud 14
esse videtur, de quo, qui hoc nomen habuit, nempe, Christus Dominus, sic apud Isaiam c. 49. testatur. *Dominus ab vtero vocauit me: De ventre matris meæ recordatus est nominis mei.* Nomen enim Christi frumentum fuit, quo se ore proprio nominauit, & frumentum, quod in terram, Virgineam cadens per incarnationem, multum fructum attulit. *Nisi granum frumenti*, &c.

Hoc autem idem est, quod aceruus tritici, & tritici Eucharistici, vt sæpe declaratum est: modo, hoc nomine ab vtero, à Patre, vocatus est. De ventre enim matris suæ Virginis Marię, recordat⁹ est huius nominis sui, quod est. *aceruus tritici*, & hoc nomen etiam ventri ipsi damus ad Gloriam eius, ventrem accipientes pro eo qui est in ventre, & pro nomine eius, dum eidem dicimus. *Venter tuus, &c.*

Et confirmat idem pater filij sui testimo- 15
nium, Ezech. cap. 36. *Vocabo frumentum* (ait) *& multiplicabo illud, & non imponam vobis famem.*

Ecce quomodo omnino inter se concordant Pater Æternus, & filius suus, sicut Vnum sunt inter se secundum Diuinitatem simul cum Spiritu sancto vnus Deus, & vna voluntas. Pater promisit se vocaturum filium suum frumentum. *Vocabo frumentum*, ait de filio: & de facto nõ solùm post Natiuitatem eius, sed quia: *De ventre ipsius recordatus est nominis sui*, ab ipso vtero, eundem frementum vocauit, idem filius. *Nisi granum frum. &c.* Et insuper frumenti aceruum: quia in terram cadens, multum fructum attulit: Quia, nempe, additur in scriptura. *Et Multiplicabo eum:* quando, videlicet, ipsum frumentaceum panem transubstantiando, corpus suum verè effecit, dicens. *Hoc est corpus meum.* Tunc (dico) filius seipsum, & Pater & Spiritus sanctus eundem frumentum Eucharisticum sic fecit, & vocauit, & multiplicauit, vt aceruus etiam tritici hac ratione diceretur. *Vocabo frumentũ* (inquit) *& multiplicabo illud: & multiplicare faciam illud*, legitur Hebraice apud Pagninũ. Per Sacerdotes enim nunc continuo in Ecclesia idem frumentum eodem modo vocat, & multiplicare facit eisdem vocibus suo nomine ab eisdem prolatis. *Hoc est enim corpus meum*, vt sit, nimirum, fidelibus suis in cibum, & contra famem, non quidem corporum, sed animarum. Vnde in eadem Scriptura ad ipsos fideles ait Dominus de hoc frumento.

Voca-

vocabo frumentum, & multiplicabo illud, & nõ imponam vobis famem: Quo famescentes (inquit Nissenus) *mysterij Virginis perdocti saturãtur.* Et idcirco eidem Virgini cãtatur. *Venter tuus, &c.*

16 Audiamus, & Ambrosij verba, de hoc eodem aceruo tritici, quem & nos palestinorum illorum æmuli, nostris verbis quasi lilijs, iam diutius vallauimus, quia est aceruus tritici vallatus lilijs: vt lilia lilijs addentes, adhuc melius ipsum laudibus, ac preconijs nostris, quantùm valeamus, ipsum pariter vallemus. *Quia* (inquit Diuus Ambrosius in allegato loco) *de vno grano tritici aceruus est factus, completum est illud Propheticum Psalmi 64. Et Valles abundabunt frumento.* Venter Virginis aceruus tritici, verè est factus de vno illo grano, quod in eius ventre a tota Trinitate (vt diximus) seminatum est, sicque Psalmidica prophetia est impleta. *Valles abundabũt frumento.* Vallis siquidem, & profundissima propter profundissimam humilitatem Maria fuit, quando Dei mater electa, eiusdem ancillam humilissimè se reputauit, & pronunciauit, ad Angelum, qui sibi hoc ipsum ex illius nomine renunciabat, sic respondens. *Ecce Ancilla Domini: fiat mihi secũdum verbum tuũ.* Et quia talis vallis fuit, statim hoc frumento diuino abundauit. In eodem enim momento è cœlo cecidit in Ventrem eius Virgineũ granũ frumẽti, frumẽtũ electorũ illud, & vinũ simul, quod Zacharia teste, germinat Virgines, idest germinare facit virgines: quia germinare fecit ipsam Virginem, & germinauit ipsum frumentum electorum, & vinum rursus ipsũ, scilicet, Dei filium, filium suum etiam faciens, dum eumdem tunc concepit, & post nouem menses peperit, qui tandem in Eucharistia frumentum, & vinum apparuit. *Germinauit enim radix Iesse. Orta est Stella ex Iacob. Virgo peperit Saluatorem.* Tuncq; primò eidem Virgini hoc nostrũ canticor. Cant. *Venter tu' &c.* cantatum est a Gabriele, alijs tamen his verbis, quasi noua quadam, & Angelica translatione. *Concipies in vtero, & paries filium: & filius altissimi vocabitur.* Nam, *Angelus Domini nunciauit Mariæ: & Concepit de Spiritu sancto,* ipsum Dei filium. Propter hoc iure meritò, ac veraciter illius vterus (dicitur) aceruus tritici, & vallis insuper frumento abundans. *Et Valles abundabunt frumento.*

Quia, nimirum, frumentum desiderat nubes, 17 vt scribitur Iob 33. hoc est nubium aquam desiderat, duplici ratione, vt notat Lyranus hoc exponens. primò ad temperamentum caloris, nõ frumentum adduratur, dum humectatur in terra per aquam, quam ipsæ nubes spargunt: secundò ad frumenti nutritionem. In frumento nostro verò nubes Diuina venit, nempe, Spiritus sanctus, qui in nube, non semel apparuit. *Spiritus sanctus* (inquit ad Virginem Angelus) *superueniet in te*, qui, nimirũ, contra calorem quemcumque illam obumbrauit. *Et virtus obumbrauit tibi.* Et insuper Diuinæ gratiæ aquam sic abundanter in ea sparsit, vt eadem plena esset, & vt eadẽ plena ab eodẽ salutaretur. *Aue gratia plena.* Hæc omnia verò propter frumentum Diuinum, quod in vtero suo à tota Trinitate tunc satum illa germinauit, & enutriuit. *Quod enim ex te nascetur sanctum* (subdit Angelus) *vocabitur filius Dei: frumentum n. desiderat nubes.* Quia vere Vallis frumento abundans erat. Et de vallibus scribitur Psal. 103. *Qui emittis fontes in conuallibus.* Non solùm enim ipsarum cœlestium gratiarum plena fuit Maria, sed insuper ipsarum aquarum, ac gratiarum fons Spiritus sanctus in ea superuenit, quando frumento isto hæc vallis profundissima plena apparuit. Ideoque certissimè de ea Prophetatum est. *Valles abundabunt frumento.* Sicut & nos ad illam similiter repetimus. *Venter tuus sicut aceruus tritici. Quia de vno grano tritici aceruus factus est* (ait Sanctus Ambrosius) *completum est illud Propheticũ Psalmi. Et valles abundabunt frumento.*

18 Hinc Græca lectio habet. *Valles multiplicabunt frumentum;* & Aquila, *Electum, eximium, frumentum, vel cibum.* Hinc de Vallibus ijsdem Psalmus subijcit. *Clamabunt, etenim Hymnum dicent.* Non possunt enim hæc exponi de materialibus frumenti vallibus: quia iste non clamant, nisi metaphoricè. Ergo de alijs vallibus accipienda sunt. Vallis certè Maria, vt diximus, quia cum plena hoc frumẽto suo esset, verè clamauit, cum Elisabeth cognatam inuiseret, & Hymnum illum dixit. *Magnificat anima mea Dominum.* Non: *Vallis* verò in singulari dicit, nec. *Clamauit,* sed in plurali *Valles:* & *Clamabunt:* Quia Vallis altera fuit ipsa Elisabeth, & profunda similiter ob humilitatem: & abundauit eodem Mariæ frumento, aliquo modo, gratijs, nempe, & bene-

beneficijs eiusdem frumenti, quando ab ea te Virgine frumentum hoc in vtero habente visitata est, & tanquam vallis, & ipsa præ humilitate, exclamauit, & dixit. *Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?* Valles ergo (non vna tantùm) cum abundarent frumento, Maria, népe, & Elisabeth simul clamauerunt, & Hymnum dixerunt, & Maria præsertim. Vnde & Hieronymus pro mysticis his vallibus prædicta Psalmi verba sic transtulisse videtur. *Plena frumento canent valles*, etsi hæc de Maria præsertim intelligenda sint, sicut illi solùm nunc cantamus. *Venter tuus, sicut aceruus tritici.*

19 Nec vacat mysterio fortè ad rem nostram Grecorum textus. *Valles multiplicabunt frumentum*, si, nimirùm, plurale pro singulari ex licentia, & vsu scripturarum de Maria istud sic exponamus ratione Eucharistiæ, quam frumentum multiplicatum, iam probauimus. Etsi enim Christus, & Sacerdotes, non Maria, hoc frumentum multiplicent, dum Eucharistiã conficitur, tamen & ipsa aliqua ratione ipsum vt vallis multiplicasse, dici potest, secundùm Grecorum lectionem, non solùm ratione allata, scilicet, quia Christum concepit, ac peperit, qui est in Eucharistia, sed etiam, quia, sicut Christus causa est Eucharistiæ, quia illam instituit, & illam, quotidiè Sacerdotũ ministerio consecrat, sicque seipsum frumentum vocando, & multiplicando, vt ex Ezechiele declaratum est, sic quia Maria Virgo, vt Mater Christi, illius, causa est aliquo modo, & ex Philosophorum tàm moralium, quàm naturalium doctrina: *Quod est causa causæ, est causa causati*; cum Christus multiplicet, & det nobis Eucharisticum frumentum, etiam illa idem frumentum nobis multiplicare, & dare dicenda est. Quia *Valles abundabunt frumento. Valles multiplicabunt frumentum*. Et propterea regratiantes eam fideles, & collaudantes, cantant eidem. *Venter tuus, sicut aceruus tritici.*

20 Cererem fingunt Poetæ Deam frugum esse, & insuper triticum adinuenisse ad cibum hominum. Vnde hoc nomen *Ceres*, aliquãdo pro ipso pane ab eisdem accipi solet. Sed hæc fabulę sunt, & figmenta poetarum. Sicut & ipsa Ceres Dea fabulosa est. At verissimum est, quòd Maria, etsi non verè Dea sit, Mater vera tamen est Dei veri. Hic enim fructus est ventris sui vnicus; hic frumentum, ac cibus, quem illa hominibus attulit: Etenim, *Nobis datus, nobis natus ex intacta Virgine.* Ipsa idcirco verè *Dei Mater alma, atque semper Virgo.* Verè hæc Alma, nõ illa, ab alendo, quia frumento Eucharistico fructu ventris sui nos alit, nam *Venter eius aceruus tritici.* Verè Alma Mater Christi Maria est, non fabulosa Ceres, quia verè non solùm frumẽtum Eucharisticum fidelibus adinuenit, sed etiam vinum, quod falsò pariter Bacco suo ijdem Poetæ adscribunt. Hæc enim ambo ad alimentum pertinet, à quo Almæ nomen illi Cereri dederunt. Hoc enim Dominus primò promisit ijsdem fidelibus Deut. 33. verbis illis. *Oculus Iacob in terra frumenti, & vini, cœliquè caligabunt rore.* Terra enim non solũ frumenti, sed etiam vini est Beata Virgo: quia cibum, & potum, scilicet, corpus & sanguinẽ Christi, de quo idem ait. *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*, hominibus præparauit ad alimentum perfectum in Sacramento. Hoc nos, quasi Mater Alma alens. Hoc vident oculi nostri, quos Iacob figurauit. *Oculus Iacob* (ait scriptura) *in terra frumenti, & vini: cœliquè caligabunt rore.* Quia tunc Maria terra fuit frumentũ & vini, de quo loquimur, quando cœli caligauerunt rore Spiritus sancti, quando, scilicet, annunciante eam Angelos, Spiritus sanctus in eam superuenit, & Dei filius homo in ea factus est. Quando hoc modo illud etiam Isaiæ cap. 45. vaticinium in Ecclesia vulgatum, impletum est in ipsa Virgine. *Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustum: aperiatur terra, & germinet Saluatorem.*

Hanc enim terram prævidit idem Propheta quando eandem Virginẽ similiter vocauit c. 3. *Terram frumenti, & vini; terram panum, & vinearum.* Christus enim est fructus terræ huius, qui ab illa datus est nobis; & de qua scribitur. *Terra dedit fructum suum.* Dedit enim hæc terra fructum suum, & fructus pariter dedit seipsum nobis. De illa siquidem, sic Sanctus Augustinus. *Suscepit Christus de terra terram, & de carne Mariæ carnem accepit. & ipsam carnem nobis ad salutem, ad manducandum dedit.* Vnde meritò, vallis Maria abundans frumẽto in scripturis dicitur, & vallis multiplicans frumentum, quia non solùm pro se, sed etiã pro nobis hoc frumento abundauit, & ipsũ multiplicauit, vt explicauimus: & præterea ex sic multiplicatum nobis dedit aliquando proprijs manibus.

Eadem

Eadem .n. (sicut narrat) apparens Siluestro Abbati, & petens ab illo, an hoc frumentum Eucharistiæ, cuperet, cum illum hoc se deside rasse ex ore eius audisset, illud proprijs manib. eidem ministrauit, idemque cum alijs præstitit, vt statim dicemus.

22 Itaque, si Maria, quia vallis ob profundissimam humilitatem fuit, frumento diuino abundare meruit, vnde & venter eius aceruus tritici dicitur, simus & nos valles, hoc Sacramentum suscipientes humiliter quantum pos sumus, sicut suadet tunc Ecclesia Centurionis verba proponens. *Domine non sum dign', &c.* Hæc enim verba. *Valles abundabunt frumento:* etiam Arnobius de Eucharistiam, dignè suscipientibus intelligit, sicut de illis etiam non incongruè dici potest id, quod de Virgine hactenus prædicauimus. *Venter tuus, sicut aceruus tritici:* sed hic venter est vallatus Lilijs.

23 Lilijs vallatum diximus ventrem sponsæ pastoralis ob eius pudicitiam, & honestatem & propter fragrantiam vestimentorum eius. Et posset hoc ipsum de Virginis vtero eadem ratione congruentius affirmari; sed quia hic ventrem eius consideramus respectu Eucharistiæ, ideo in ordine ad ipsam solùmodo exponendum est clarus aliquantulum, ac diffusius. Non vnico ergo, sed duplici vallo vallatum dicimus hunc Mariæ Virginis quasi Eucharisticum ventrem, vallo, nempe, virginitatis, & vallo puritatis.

24 Fuit certè ab antiquis temporibus etiam ipsi gentilitati lilium virginitatis Symbolum, etsi & alia quoque significauerit apud diuersos, quæ nostræ non sunt considerationis. Mariæ verò virginitas, potissimum, omnium aliarum summa, ac dignissima (sicut & illa Virgo è, ac Regina omniū Virginum) per ipsa Lilia euidenter significatur, quæ ventrem sui semper vallauerunt, ex quo nobis sanctissimū Eucharistiæ triticum prodijt. Et est quidem firmissimum hoc liliorum vallum Virginitatis Mariæ: nam firmissimo etiam fuit voto firmatum. Tria verò fuerunt hæc valli Virginitatis eiusdem lilia: Virgo fuit primo ante partum: En lilium vnum: Virgo fuit in partu: En aliud lilium: Virgo fuit similiter post partū: En tertium lilium.

25 Hinc narratur in Cronicarum nostrarum prima parte de Beato Egidio, qui fuit vnus ex primis Sancti Patris nostri Francisci socijs, eximiæ sanctitatis, ac miraculorum gloria clar'. quòd cum Theologus quidam ex sacro Prædicatorum Ordine, qui grauissimè à Demonio tentabatur contra purissimam Matris Dei Virginitatem ad eum venisset pro remedio, vel consilio, & hoc ipsum, sibi antea à Deo reuelatum fuisset, Prædicatori obuiam factus, priusquam ab illo, vel verbū audisset, dixit ei. *Prædicato frater. Virgo ante partum:* & statim baculo, quo sustentabatur, terram perforauit statimque etiam ibidem pulcherrimum lilium ortum est. Postea iterum dixit eidem. *Prædicator frater Virgo in partu*, & simili modo terram perfodiens, secundum lilium natū est, tertiò iterum addidit. *Prædicator frater Virgo post partum*, & tertio terram esforando, tertium quoque lilium prodijt: & subito à tētatione sua liberatus est Dominicanus ille: & stupore plenus, de euentu Deo deuotas gratias egens, ab eodem recessit.

Quia ergo Maria tripliciter Virgo fuit, tria etiam tunc apparuerunt in terra nostra lilia eiusdem Virginitatis suæ diuina Symbola, ac testimonia: & hæc sunt lilia, quæ ventrem suum tritici aceruo compara tum, ob Eucharistiam (vt dicimus) circumdederunt semper, de quo extat singulare eiusdem encomium in scripturis. *Venter tuus, sicut aceruus tritici vallatus lilijs.*

Vnde etiam de eadem Eucharistia id enunciari potest, quod in laudem eiusdem Virginis cantat Ecclesia. *Circumdabant eam flores Rosarum, & lilia conualium.* Lilia conualium, quia vallium sunt amica lilia. ipsa verò Virgo vallis humilitatis fuit frumento diuino abundans, vt sæpe diximus. Ad ipsam verò frumenti abundantiam, & fœcunditatem inuenidam, etiam rosarum flores, quæ ipsam fecunditatem symbolizant, ex aliquorum sententia, eandem cum lilijs circumdare narrantur. 26

Et iure meritò quidem Virginis vterum lilia vallant, quia & ipsa Virgo, lilium dicitur, de illa enim canit idem filius eius. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Et quia rursus ipse filius eius, lilium similiter se nominat ore proprio, dicens Cantic. 2. *Ego flos campi, & lilium conualium*; nam simile simili gaudet; & omne simile similiter suum simile apetit, & quia insuper, sicut in vallibus nascuntur, & multum germinant triticum, & lilium etiam; triticum quidem in earum parte 27

planiori, & cultiori, lilia verò in remotiori, & minus culta, & infœcunda, hinc & inde ex omni parte ipsum circumdantia triticum. Vnde scriptum est. *Valles abundabunt frumento*: & filium etiam, dicitur *lilium conuallium*. sic & Christus Dominus, qui granum frumenti, in Virginis vent re quasi in valli erat, & tritici panis acervus futurus in Eucharistiæ Sacramento, pro Christianorum omnium cibo, ijsdem virginitatis lilijs, cum Matre vallari voluit: sicut olim Hebrei, & aliæ nationes, acervum tritici in area lilijs vallabant, & de hoc ipso idem seipsum simul cum Matre laudat nouo hoc cantico. *Venter tuus, sicut acervus tritici vallatus lilijs.*

28 Vel alio adhuc sensu dicamus ipsam Eucharistiam acervum tritici vallatū lilijs, quia sicut Christus Virgo etiam post primam vltimæ cenæ suæ communionem sæpe legitur proprijs manibus quampluribus Eucharistiā ministrasse, & signanter duobus fratribus Ordinis nostri in Conuentu Caietæ in ipsa feria quinta in Parasceue, anno eiusdem natiuitatis 1222, vt refert Pr̄ Vuadingus noster in tomo 1. suorum annalium. Sic Maria Virgo etiam eandem Eucharistiam ministrasse sæpe traditur, & signanter, fratri alio Minori proprijs manibus, sicut eædem historiæ nostræ testantur: & cum similiter Sanctæ Opportunæ Abbatissæ morti iam proximæ eandem sumenti astitit ipsa B. Virgo, cui illa etiam sorores suas commendauit. Lilia ergo tunc cum lilio, Christus & Maria cum Eucharistia: acervus tritici tunc visus est lilijs Virginalibus vallatus. *Venter tuus, sicut acervus tritici vallatus lilijs.* Hinc & eidem Virgini, quasi pro præmio vallationis eius, quia scilicet, Virgo filium in vtero vallauerat, quia eidem in Eucharistia frequenter præsens fuerat, præsertim cum ministraretur infirmis ex hac vita statim emigraturis, idem filius eius Matrem suam hinc similiter emigraturam eodem modo vallauit, Eucharistiam itidem illi ministrans (sicut & in vita, etiam frequenter, ac deuotissimè candē sumpserat) vt nonnulli scribunt, dicens illi. *Accipe chara mea, quod mox implebitur tibi in regno meo vna cum Patre meo.*

29 Et vnde hæc omnia, fratres? quia certè lilia liliorum amica sunt. Virginitatem ergo lilia significant, sed & puritatem etiā: Liliū Christus, lilium Maria: Virgo filius, Virgo & Mater: purissimus ille, & illa purissima: filius ergo Virgo, & purissimus Matrem Virginem, & purissimam sibi effecit, sicut liliū liliū. elegit: & hoc ipsum est, quod Esdras Propheta cum eodem filio loquens 4. lib. c. 5. dixit illi. *Dominator Domine ex omnibus floribus orbis elegisti tibi liliū vnū*. Hinc eiusdē Matris venter acervus tritici prædicatur vallatus lilijs, nempe, Virginitatis, & puritatis, vt diximus: *Venter tuus, &c.*

Et ad huius rei ostensionem fortassis, quā- 30
do Mater sibi, & filio suo domum construendam, & domus locum deuotis suis Romanis coniugibus demonstrare voluit, hoc per niuē puritatis etiam Symbolum mirabiliter effecit. Quia .n. in hoc festo ista dictamus, in quo miraculum ipsum Ecclesia recolit, ideo hæc pauca de hoc ipso pro opportunitate adijcim⁹. Quia ergo Christus ille est, qui Iob 37. ca. testante, *præcipit niui, vt descendat in terra*: de facto Matris intercessione *impetu suo accelerauit niuē*, vt scribitur Eccli 43. Nam ante hiemale tempus, in quo solùm nix in terram descēdere solet, illam accelerans nonis nēpe Augusti, Romæ partē Exquilini mōtis niue cōtexit, quo tēpore in vrbe maximi calores esse solent: hoc verò ad designandam matri suæ, & sibi pariter domum, nempe, Ecclesiam, vt notum est. Vnde facti memoria quotannis in hac solemnitate speciali quodā modo renouatur per aliā quasi niuem, flores, nempe, albos florū folia, & alia huiusmodi niuem repræsentantia, quæ in eadem Ecclesia S. Mariæ Maioris ab alto varijs in locis dimittuntur. Vnde de nouo nix in terram descendere videtur: hoc autem, in tempore Diuinorum officiorum præsertim, & in frequentiori populorum concursu: sicut & ego spirituali cū delectatione vidi.

Ipsa ergo nix, quæ tunc de cœlo super mō- 31
tem illum venit, non solùm Sanctæ Mariæ Ecclesiam designasse, sed etiam eandem Virginē repræsentasse videtur, nimirum propter puritatis suæ niueum candorem. Nix enim illa est de qua sic prophetauit Hieremias cap. 18. *Numquid deficiet de petra nix libani? Petra autem erat Christus*. inquit Paulus. Ex hac enim Libani Maria summum puritatis, & sanctitatis suę candorem habuit meritò passionis suæ præuisæ: ideoque nix, & ipsa Virgo vocatur, & niui montis Libani, qua semper abundat in summitate sua, comparatur ab Hieremia. *Numquid deficiet de petra nix libani?*

Et

Et hac eadem ratione de Libano venire iubetur in canticis. Est verò, hæc non mea excogitatio, siue conceptus, vt dicitur, sed Diui Hieronymi clara doctrina. Ipsam legamus: illam enim legit, & Ecclesia eamdem Dei matrem celebrans, & de illa explicans illud Canticorum. *Veni de Libano sponsa mea.* Hæc enim ille de Maria scribit.

Non immerito igitur venire de Libano iubetur, quia Libanus candidatio interpretatur: erat .n. candidata multis meritorum virtutibus, & dealbata niue candidior, Spiritus sancti munerib. simplicitatem columbæ in omnibus repræsentans: quoniam quidquid in ea gestum est, totum puritas & simplicitas, totum veritas & gratia fuit, totum misericordia & iustitia, quæ de Cælo prospexit: & ideo immaculata, quia in nulla corrupta.

Hæc omnia Hieronymus. Ex quibus profectò constat manifestè, cur Mariam lilio comparemus, & niui, & cur lilium insuper, & nix vocetur etiam in scripturis. Vnde præterea ratione Eucharistiæ illi cantamus. *Venter tuus sicut aceruus tritici vallatus lilijs.* Lilijs, nempe, puritatis & innocentiæ.

32 *Circumdedit enim virum in vtero, sicut Hieronimus Sanctus testatur: & non aliunde accepit:* inquit idem Hieronymus de illa. Quia, nimirum, Dei filius aceruum tritici in Virginis vētre se fecit, dum hunc virum in ipso vtero suo circumdedit, qui tamen duplici vallo, nempe, Virginitatis, ac puritatis semper vallatus fuit, quod de eadem occasione Eucharistiæ iam multoties replicauimus eidem cantantes. *Venter tuus*, &c.

33 Sed quia lilia etiam, etsi suaniter oleāt, ob nimiam tamen contrectationem eorum fœtere incipiunt: ne & nos similiter longa nimis de lilijs tractatione, tedium legentibus inferamus, ab illa iam cessabimus.

34 Itaque cum multoties diximus cum canticis, Ventrem Virginis, & ipsam Virginem ratione Eucharistiæ vallatam esse lilijs Virginitatis & puritatis. *Venter tuus, sicut aceruus tritici vallatus lilijs.*

Quando & nos Eucharistiam suscepturi sumus, & Venter noster, vt aceruus eiusdem Eucharistici tritici est futurus, Virginitate, vel honestate, & castitate saltem, & puritate simul ornati simus. Scribitur enim Osee 14. *Israel germinabit sicut lilium.* Israel idem est quod videns Deum: hi sunt fideles omnes, qui per veram fidem Deum vident mentis oculi præsertim in Eucharistia: lilia ergo castitatis & puritatis potissimum & nos habeamus, vel lilia etiam simus per huiusmodi virtutes. Nam scriptura dicit *Israel Germinabit sicut lilium.* Sed quid vel quomodo germinabimus sicut lilium Eucharistiam sumpturi? Explicat hoc Ecclesiasticus c.39. his verbis. *Florete flores, quasi lilium & date odorem, & frōdete in gratiam.* *Florete*, idest sicut estis pudici, & puri intus, hoc etiam exterius ostendite in exemplum aliorum. Insuper, *date odore*, scilicet, bonæ conscientiæ Deo, & bonæ famæ proximo. Denique, *frondete in gratiam*, idest producite frondes bonorum operum, vt grati sitis & Deo, & hominibus. Vel Illud *In gratiam*, omnibus tribus prædictis adaptari potest, in hoc sensu, nimirum, vt & florere, & odorem dare, & frondere modo exposito debeamus in gratia existentes, quia à gratia, & à charitate hæc omnia prouenire debent, vt Deo placeant: quia gratiam bonam, scilicet, Eucharistiam tunc recepturi sumus: & ob hoc fortè dici etiam posset hæc tria facienda in gratiam, idest propter gratiam, nempe, Eucharistiam: sic enim nos verè lilia comprobabimus, vel lilijs ornatos. *Venter*, &c.

His virtutum lilijs Maria Virgo perfectissi- 35
mè ornata fuit, idcirco de illa canitur. *Venter &c. Quæcumque ergo sibi Mariæ exoptat præmiū, ipsius imitetur exemplum*, inquit Ambrosius. Præmium potissimum Mariæ est filius eius. Vt hoc premium & nos consequi mereamur, eumdem filium suum in Eucharistia suscipientes, Matris suæ imitemur exemplum, potissimum verò Virginitatis, honestatis, puritatis, & aliarum quoque virtutum, & sanctorum operum. *Talis .n. fuit Maria, vt illius vnius vita, omnium disciplina sit*, ait idem Ambrosius. Inter alia verò, ipsam Eucharistiam ab illa etiam recognoscamus, vt sæpe diximus: & eidem pro gratiarum actione, cantemus. *Venter tuus, sicut aceruus tritici vallatus lilijs.*

Amen.

SERMO VIGESIMVS QVINTVS.

De Eucharistia, & Mortuis.

Mortuo ne prohibeas gratiam, Ecclesiastici cap. 7.

ARGVMENTVM.

Eucharistia gratia est, quæ mortuis non est prohibenda, sed impendenda, quia & talis gratia est, & quia est etiam mortuorum, gratia quam à viuis expostulant.

Dubium ingerunt non vulgare hæc tria verba quæ protulimus ex ipsa statim appræhensione eorum, seu (vt dicitur) prima facie, vel fronte. Videntur enim nos admonere, ne faciamus illud, quod nedum facimus vnquam, sed nec etiam facere excogitamus, nempe, gratiā mortuis, At dubiū omne cessabit, & tolletur ambiguitas quælibet, si in ipso sanctæ scripturæ textu antecedentia verba legamus, duplicem ex eodem colligentes gratiam vnam, nimirum, quæ fit viuis, alteram verò, quæ exibetur mortuis, de prima sunt verba, quæ præcedunt, illa videlicet. *Gratia datur in conspectu omnis viuentis,* De altera verò, sunt illa quæ adhæc immediatè sequuntur; & à nobis pro eisdem mortuis nunc proponuntur. *Mortuo ne prohibeas gratiam,*

Gratia quidem secundùm vsitatem huius vocabuli acceptionem, solùm viuis non mortuis præstatur, sicut beneficia, seruitia, fauores, & similia, non verò aliquid horum mortuis impenditur, vel impendi dicitur. Verùm mortuis aliud præstatur, quod à scriptura, gratia pariter appellatur alia significatione. Et quænā hęc gratia? Duplex vtiquè, sicut duo pariter sunt, quæ mortui sunt, scilicet, anima eius, & corpus, siue cadauer; vtrique parti. n. sua gratia conuenit, animæ quidem gratia suffragiorum Ecclesiæ, corpori verò gratia conuenientis sepulturæ.

De hac duplici gratia præsertim intelligendū est Ecclesiastici præceptum iam relatum ex Doctorum omnium sententia: *Mortuo ne prohibeas gratiam;* Hoc est, ne prohibeamus, sed impendamus potius vtramque hanc gratiam cuilibet mortuo. *Mortuo ne prohibeas gratiam.*

2 Verùm non de vtraque hac mortui gratia nos hic agimus, sed de animæ gratia solùm: & rursus cum hæc etiam quadruplex sit generaliter loquendo in Sanctorum Patrum doctrina, ipsa, nempe, Eucharistia, oratio, ieiunium, & elemosina, de hac prima solùm erit nobis sermo, quæ harum omnium animę gratiarum præcipua est, & summa, & quæ etiam idcirco absolutè gratia, & bona gratia aliquando vocatur, de Eucharistię, nempe, sacrificio, & de eisdem mortuis simul prælibata verba latius, ac distinctius explicantes, nimirum, *Mortuo ne prohibeas gratiam:* & hoc duplici ratione, primò, quia ipsum Eucharistię sacrificiū est, gratia etiam mortuorum, secundò, quia mortui gratia illa egent, & instanter illam à viuis exposcunt.

3 Inprimis verò notandum videtur, quòd ante hæc verba de mortuis, sic immediatè legitur in scriptura. *Gratia dati in conspectu omnis*

uis viuentis; & sic habent textus correctiores. Quia non vacat mysterio forte, & ad rem nostram, quòd duobus alijs modis prædicta verba legant. *Gratia datus*, inquiunt antiquæ quędam bibliæ. Alij vero, & Vgo Cardinalis, signanter ita explicans, sic illa scribit. *Gratia datur in conspectu omnis viuentis.* Sed quocunque modo dicamus, mire inseruiunt instituto nostro, dum illa de Eucharistia, sicut etiam & sequentia explicamus; suppono enim primum, quod ipsa Eucharistia non solùm bona gratia, & gratiarum actio interpretatur (de quo aliàs non semel) sed quòd etiam gratia absolute, à quibusdam vocatur, maxime ab antiquis. Sic dicta est in Synodo Cæsaraugustano, dum quędam statuit de sumptione illius: & hoc refert etiam Baronius in suis annotationibus in Martirologio Romano.

4 Gratia ergo Eucharistia est, & gratia vocatur etiam hic, & alibi in sacris litteris, secundùm Sanctorum Patrum sententiam. Et hæc gratia (inquit Ecclus) datur in conspectu omnis viuentis, secundùm aliquorum lectionem, quia quotidie in Altari coram omnibus conficitur, & datur à Sacerdotibus omnibus hominibus, vt eam venerentur, ac sumant: & in hac verè est ille, de quo tunc præcipuè, cum datur, in eadem Ecclesia cantant ijdem Sacerdotes dantes. *Nobis datus, nobis natus, ex intacta Virgine.* Et hac eadem ratione alij legunt. *Gratia datus in conspectu omnis viuentis*, quia, nimirum, Eucharistia nihil aliud est, quā Christus in cibum & potū datus hominibus sub panis & vini speciebus, quasi in quibusdam vasis: quia, sicut in eadem Eucharistia se nobis dedit ex gratia, & benignitate sua tantùm, & non ex vllo merito nostro, sic ipse quoque gratia vocatur, cantat enim Ecclesia in officio Trinitatis: *Charitas Pater, Gratia filius, Communicatio Spiritus sanctus.* Et hinc tertio dicitur eadem Eucharistia adhuc *Gratia dati*, hoc est eiusdem Christi in cibum & potum hominibus dati. Sicùt verò viuentibus data est Eucharistia ab eodem Christo Domino, sic etiam mortuis: etsi præcipuè prouiuis ab eodem sit instituta: Et propterea de illa primò scribit. *Gratia datur*, vel *datus*, vel *dati in conspectu omnis viuentis*: deinde statim subijcitur pro mortuis. *Mortuo ne prohibeas gratiam*. Quasi dicat de mortuis ad viuos Dominus: Verè & viuentium, & mortuorum est gratia ista Eucharistica: de ipsa gratia singularissimam facit Deus gratiā, ac beneficium tam illis, quam illis: verùm inter mortuos, & viuentes magnum discrimen est.

Viuentes enim semper vident gratiam istam in Altari, & semper habere illa possunt, quia hæc, *Gratia datur in conspectu omnis viuentis*, nullusque est, qui hoc prohibeat, vel prohibere possit: Sed mortui non sic. Non est hæc gratia in cōspectu mortuorum, sicut est in conspectu viuorum, vt de illius fructu ad voluntatem suam participare possint ad refrigerium pœnarum suarum, sed hęc per viuos procurari illis debet, non prohiberi illorum malitia, vel negligentia. Idcirco ad viuos sic ait Dominus de mortuis pro hac gratia. *Mortuo ne prohibeas gratiam.*

Quin potius iure meritò de Christo Domino in gratiarum actionem dicemus pro ipsa Eucharistia, quæ gratiarum actio rectissimè interpretatur id, quod de Booz cecinit eadē de causa Noemi socrus Ruth. *Benedictus sit à Domino: quoniam eamdem gratiam, quam præbuerat viuis, seruauit & mortuis.* 5
De qua enim alia gratia hoc loco loquebatur Noemi, quam dixit ipsum Booz præbuisse viuis; & seruasse etiam Defunctis? Vtique de gratia frumenti, quæ Eucharistiæ gratiam manifestissimè figurauit, quòd, viz. ipse Booz se valdè humanum, ac misericordē cum ipsa Ruth ostenderit, permittens ei liberè triticum, & alia grana in agro suo colligere post messores suos, in quo parentum etiam suorum se recordari monstrauit, quos similiter dilexerat. Quid enim clariùs Eucharistiam quam triticum, repræsentat, in qua conficitur, & in Ecclesiæ agro post Sanctos Apostolos primos tritici huius Eucharistici messores, omnes nos quotidiè colligimus? Hinc & ab illis audimus verba similia verbis Noemi. *Benedictus sit à Domino*, &c. Quia ipsa Eucharistia in Altari sub panis tritici specie oblata Deo per Sacerdotes, sicut præbetur viuis solùm in cibum, vt Sacramentum, sic, vt sacrificium mortuis etiam (sicut & viuis) seruatur ad remissionem suorum peccatorum, pœnæ, scilicet, quam pro eisdem in purgatorio sustinent.

Sicut etiam orat Sacerdos idem sacrificiū vtrisque offerens, dum ait de illo. *Sit viuorum, atque mortuorum fidelium remissio omnium delictorum.* Sic enim ab ipsis Sanctis Apostolis in Ecclesia ordinatum est, vt (testatur 6

Chri-

Chrisost.hom.69.ad Pop.Antioch.his verbis. *Non temere hæc ab Apostolis sancita fuerunt, vt in tremendis mysterijs Defunctorum agatur commemoratio. Sciunt enim illis inde multum contingere lucrum, multam vtilitatem.*

7 Multum profectò contingit mortuis lucrũ multa vtilitas, ex Eucharistiæ sacrificio: ideo gratia respectu mortuorum etiam dicitur. Per hoc enim gratia verè illis fit, & magnum certe, ac singulare prorsus est illis beneficiũ; ijsdemque gratissimum, ac vtilissimum, cum pro illis offertur Eucharistica ista gratia. Ideo ne tanto bono, ac lucro ob malitiam, vel incuriam nostram priuentur, sic admonét nos cœleste scripturarum oraculum. *Mortuo ne prohibeas gratiam.*

8 Hinc & alius Ecclesiæ Pastor, Diuus, nẽpe, Clemens Romanus in Constitut. Apost.c.30. ad eandem gratiam mortuis non prohibendam, sed deuotè potius impendendam fideles omnes exortatur dicens. *Conuenite in cœmeteria, sacros libros, in his legentes, & psallentes pro his, qui in Domino obierunt, & typum regalis corporis Christi, acceptabilemque Eucharistiã offerte.*

Et sunt huius lucri, & vtilitatis euidentia testimonia, exempla quamplurima, quale est illud de quodam concionatore ex inclita Patrum Predicatorum familia, qui sermonem ad Populum habiturus, nuntiam habuit animã quandam Purgatorij, à qua, ex aliarum omniũ nomine etiam rogatus est, vt omnes in sermone suo populo commendare vellet (sicut de facto commendauit) quòd scirent, nimirũ sibi ipsis *inde multum contingere lucrum, multã vtilitatem*: nam quindecim millia ex illis piorum suffragijs de Purgatorio egressuræ erant. Et hæc ipsa ratio est, propterquam & scriptura vnumquemque fidelium admonet, hoc modo, *Mortuo, &c.*

Rectè enim frumento Ruth, quod in agro Booz illa collegit, comparauimus Eucharistiam: Booz namquè frumentum per messores suos colligebat, & pro familia sua iussit tamen eisdem messoribus suis, vt de manipulis spicas remanere permitterent, & proijcerent etiam de industria: & insuper, quòd si illa cũ eisdem metere voluisset, non prohiberent. Et hæc sunt verba scripturæ libri eiusdem Ruth cap.2. *Surrexit* (scilicet Ruth) *vt spicas, ex more colligeret.* Et postea subdit statim. *Præcepit autem Booz pueris suis, dicens, Etiam si vobiscum metere voluerit, ne prohibeatis eam, & de vestris quoque manipulis proijcite de industria, & remanere permitite, vt absque rubore colligat, & colligentem nemo corripiat.*

Additur etiam aliud singulare de hoc grano Ruth, nempe, quòd tres modios collegit, & ad Noemi socrum suam detulit in ciuitatem. Modò quid sibi hæc volunt? Attendamus. Magnum in his mysterium videtur.

Booz Christus Dominus est: Interpretatur enim Booz, *In quo est virtus*, vel, *In quo est robur*, vel, *Fortitudo*.

Paulus verò de illo ait 1. Cor.1. *Prædicamus Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam.* Ipse. *Dominus fortis, & potens, Dominus potens in prælio*, qui fortissimos, ac robustissimos, superauit, Diabolum, nempe, mortem, mundũ, & Infernum. *Vis videre* (inquit Aug. in Ioan.) *quam iste filius Dei fortis sit? Omnia per ipsum facta sunt. & sine ipso factum est nihil. & sine labore facta sunt. Quid ergo illo fortiùs, per quem sine labore facta sunt omnia?*

Booz messores Sacerdotes sunt, qui in Ecclæ. agro Eucharistiæ frumentum colligunt pro Christi familia, qui sunt omnes Christiani. Verumtamen ijsdem præcipit, vt spicas eiusdem linquant Ruth spiculanti, & vt easdem illi proijciant de industria, quia idem sacrificium Sacerdotibus, & alijs fidelibus charitatiue, ac sollicitè pro Mortuis etiam offerri, & applicari, & nullo modo eisdem prohiberi mandat. *Mortuo, &c.*

Ruth *saturata* interpretatur: quia qui saturantur hoc frumento Eucharistico, sumentes ipsum, mortuis etiam deserunt, qui per Noemi intelliguntur. Noemi mulieribus de illa inter se dicentibus. *Hæc est illa Noemi*, respondit. *Ne vocetis me Noemi, idest pulcram, sed vocate me Mara, idest amaram, quia amaritudine valdè repleuit me omnipotens.* 9

Verè Noemi dici possunt omnes Purgatorij animæ, quia pulcræ quidem sunt natura, gratia, & innocentia, in qua decesserunt. Verùm nunc vocandæ videntur non Noemi, hoc est, pulcræ, quia in tenebris illis stantes, & flammis igneis circumdatæ, nulla in eis apparet pulcritudo, sed potius *Mara*, idest, amaræ, quia certè amaritudine, ac dolore earundẽ pœnarũ ac tormentorum valdè repleuit eas Dominus.

Maxima enim illa amaritudo est, & ingens tormentum, quo plenæ sunt, & quo acerrimè cruciantur: testatur siquidè Diuus Anselmus in p. ep. ad cor. c.3. de eis in hũc modum 10

Grauior

Grauior est ille ignis, quàm quidquid potest homo pati in hac vita. Omnia enim tormenta, quæ hic sunt, multò faciliora sunt. Et idem ferè tradit Augustinus in Psalmo 37. Et Gregorius similiter in Psal. 3. pœnitentialem. Sic de eodem Purgatorij igne scribit. *Illum transitorium, ignem omni tribulatione præsenti existimo intolerabiliorem*, Ven. Beda etiam in eundem Psalmũ 37. ait. *Correctionem Purgatorij grauiorem esse, quicquid vnquam passi sunt latrones, vel Sancti Martires, vel quicquid grauius homo possit excogitare*. Vt ergo, ab ipsis pœnis, tàm inhumanibus, Defunctorum animas liberemus, gratiam Eucharisticam cùm Christo eisdem reddimus, vt scriptura nos docet, vt sic ab amaritudine pœnarum liberatę consolentur, & ex natura pulcrę, ex ipsa etiam gloria, quàm statim consequuntur, pulcherrimę omninò reddantur: Sic enim & ipsa Noemi, quę se ob angustias, ac ærumnas varias Noemi vocari prohibebat, dicens. *Ne vocetis me Noemi, hoc est pulcram, sed vocate me Mara, idest amaram*, viso frumento sibi à Ruth nuru sua delato, vehementer lætata est, & pro gratiarum actione dixit ad eam. *Sit, benedictus qui misertus est tui*. Et cum cognouisset, quòd Booz erat, in cuius agro spicas collegerat, iterum de eo dixit id, quòd & nos aliàs de Christo retulimus. *Benedictus sit à Domino, quoniam eamdem gratiam, quàm prebuerat viuis, seruauit, & mortuis*. Et animæ enim Purgatorij à pœnis solutæ Dominum similiter benedicũt, & ad ipsum exclamant, & ad deuotos suos pariter pro gratiarum actione, dicentes. *Sit benedictus, q. misertus est nostri. Benedictus sit à Domino, quoniam eamdem gratiam, quàm prebuerat viuis, seruauit & mortuis*. Eamdē enim Eucharisticam gratiam, quàm prębet viuis, nobis etiam mortuis seruauit ad refrigerium, & ad solutionem, pœnarum, quas in Purgatorio patiebamur.

11 Tradit hoc ipsum Sapientiæ liber c. 4. hæc verba. *Quoniam gratia Dei, & misericordia, in sanctos eius. & respectus in electos illius*. De iustis viuentibus principaliter hæc interpretantur, sed de mortuis etiam interpretari possunt, quia mortuos Purgatorij & nos verè sãctos, hoc ē firmos ĩ Dei gratia, & amore & ab eodē verè electos certò scimus: illos verò, q. adhuc viuunt, solũ Dñus infallibiliter cognoscit, *qui absconditorum est cognitor* (vt scribitur Daniel. c. 13.) *& nouit omnia priusquam fiant*, tùm etiam quia ibi magis elucet misericordia, vbi maior est miseria, sicut est in Purgatorio plusquam in mundo. Vnde terram miseriæ, & tenebrarum Iob illud appellat. Cum ergo mortui Purgatorij certè electi, & sancti sint in hoc sensu etiam apud nos; Et cùm hi magis miseri sint, quàm sancti in hoc mundo viuentes, ideò hac ratione saltem ad illos præsertim gratiam hanc Dei, & hominum misericordiam Eucharisticum, nempe, sacrificium ad eorum miseriam subleuãdam, congruum est peruenire. Ideoquè iustè, ac piè de hac præcipitur. *Mortuo ne prohibeas gratiam. Quoniam gratia Dei, & misericordia est in sanctos eius*.

Et non hoc solùm, sed *Et respectus in electos illius*. hoc est condigna retributio, sicut Interlinealis exponit, quæ est vita æterna, quàm ijdem mortui obtinent à Purgatorio exeuntes, quæ etiam gratia dicitur consummata. *Gratia enim Dei, vita æterna. in Christo Iesu Domino nostro*, inquit Paulus ad Rom. 6. Et de vtraquè gratia pariter possunt verba a nobis electa intelligi. *Mortuo ne prohibeas gratiam*. 12

Sicut verò non prohibendam demonstrauimus mortuis omnibus Eucharistiæ gratiã hac ratione speciali, quia, videlicet, talis gratia ē, sic modò et alia rōne singulari, idē ostēdemus, sicut proposuimus; nempe, quia hæc gratia est etiam mortuorum, supponendo semper id, quòd iam in præcedentibus supposuimus, & supponendum monuimus, de illis, nimirum, tantùm mortuis hoc intelligēdum esse, qui huiusmodi gratiæ digni sunt, & capaces, quia in gratia mortui sunt, & in Dei amicitia, sine lethali culpa, & in Purgatorio pœnam reliquam suis peccatis debitam purgant, ac soluunt, de quorum quolibet scriptum est. *Mortuo ne prohibeas gratiam*. 13

Et habemus ad hoc insigne exemplum, qd̄ etiam recenset Ecclesia, hanc eandem mortuis gratiam conferens, ad fidelium omnium instructionem, quòd certè, & attentè audire, & studiosè obseruare debemus omnes. De Iuda, inquam, Machabeo; *Quia considerabat* (inquit textus 2. Machab. 12.) *quòd hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam*. De mortuis hic loquitur, vt clarum est, & non de omnibus, sed de mortuis pijs, ac iustis solùm, qui cum pietate, & gratia Dei, mortis dormitionem acceperant, Hos certò sciebat ille, quòd gratiam habebant sibi à Deo repositam, vt sacrificijs, & alijs sufragijs viuorum à penis suis liberari possint, & per hoc æternam gloriam aliquan- 14

do consequi, quæ cõsumata gratia est, vt iam diximus: quia hoc nouerat, & alta mente considerabat fortissimus, & pariter pijssimus, Machabeus, ideo *duodecim millia dragmas argenti misit Hierosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, iustè, & religiosè de resurrectione cogitans.* Sacrificium illud quòd liberali illa eleemosina sua fieri iussit pro peccatis mortuorum, Eucharistiæ sacrificium manifestè præfigurabat, quòd pro eisdem nos offerimus, in Missa, nimirum, *Eteyim non est negandum* (ait Augustinus in Enchiridio, ad Laurentium) *defunctorum animas pietate suorum releuari parentiũ, cùm pro illis sacrificium Mediatoris offertur.* Non negandum, vt negant infideles, & Heretici communiter, sed fatendũ, vt cum Ecclesia omnes fatentur Catholici, Eucharistiæ sacrificium mortuis prodesse ad totalem, vel ad partialem saltem liberationẽ, sicut ibidem immediatè subdit Augustinus. *Quibus autem prosunt aut ad hoc prosunt, vt plena sit remissio, aut certè, vt tollerabilior sit eorum damnatio, idest pœna Purgatio.* Et insuper sępe cum Machabeo considerandum: *Quòd hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam* Eucharisticam, quæ à Christo mortuis reposita est, & destinata: est enim ille mysticus Booz (vt dicebamus) qui *eandem* Eucharistiæ *gratiam, quam præbuerat viuis, seruauit, & Defunctis.*

15 Ex hac verò consideratione, ipsum Eucharistiæ sacrificium pro eisdem offerre debemus, & eleemosinis, & alijs modis curare, vt vt offerratur, illius incitati exemplo, qui idem considerando, *duodecim millia dragmas argẽti misit Hierosolimam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium:* testatur enim Sanctus Dam. in oratione pro fidelibus Defunctis, ipsum Iudam in ea re, summæ pietatis, ac charitatis munere perfunctum esse, & insuper de eodẽ, sic inquit. *Vnde factum est, vt Diuina scriptura quemadmodum alijs omnibus nominibus, hoc quoque nomine summis eum laudibus erexerit, ac mirificè commendarit.* Quòd, videlicet, non surdus auditor fuerit verborum Domini. *Mortuo ne prohibeas gratiam:* sed promptus factor operis, nam *duodecim millia dragmas argenti misit Hierosolimam offerri pro peccatis mortuorũ sacrificium.* Et hoc ipsum ad fidelium suorũ pariter exemplum Ecclesia recitat, eandem Eucharistiæ gratiam mortuis ijsdem in Missis (vt diximus) communicãdo, & verba nostra opere implendo. *Mortuo ne prohibeas gratiã.* Quia in Purgatorij pœnis stantes ista gratia egent, vt citius, ac leuius ab illis valeant liberari: nam propter hoc etiam eadem gratia est illis à Christo, & ab Ecclesia destinata.

Hinc Salomon in Prouerbijs suis ca. 11. ad 16
hoc ipsum nos sic hortatur. *Mitte panem tuũ super transeuntes aquas, quia post multa tempora inuenient illum.* Per aquas enim omnes homines hoc loco intelligit, & pauperes præsertim, quibus per panis, & aliorum necessariorum erogationem subuenire suadet. *Aquæ, quas vidisti, populi sunt,* Apoc. 17. cap. Vnde etiam certos illos reddit, quòd in iudicio de hoc a Deo reperient retributionem magnam testatur enim idem Dominus in Euangelio ad omnes eleemosynarios, quòd sibi factum reputat id, quòd pro eius amore pauperibus fecerint. *Quòd vni ex minimis, vel minoribus his fecistis, mihi fecistis.* Item. *Venite Benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.* Et statim rationem huius subiungit. *Esuriui enim, & dedistis mihi manducare, &c.*

Verùm quòd de omnibus egentibus hic 17
scribitur, de mortuis, specialiter intelligi posse videtur, tùm quia mortui, plusquam viui, egent suffragiorum subuentione, tùm etiam quia nullo modo sibi ipsis subuenire possunt, sicut egentes viui quicumque: & tertiò etiã quia respectu mortis, per quam homines ex hac ad aliam vitam transeunt, transeuntes aquę hic dicuntur, secundùm illud 2. Reg. c. 14. *Omnes morimur, & quasi aqua dilabimur super terram, quæ non reuertuntur amplius.* Hac de causa, dico, aquæ transeuntes dicendi videntur mortui, quibus subuenire hortatur scriptura, per panis Eucharistici sacrificium præsertim, & alio etiam quocumque consueto Ecclesiæ sufragio: nãm nomine panis etiam omne beneficium intelligitur, sicut scribit Vgo Cardinalis hæc verba exponens.

Hinc & Ecclesia ipsa per Sacerdotes mini- 18
stros suos eisdem mortuis hunc panem mittens; quasi de aquis transeuntibus pro eis, sic Deum orat. *Vt qui ex hoc sæculo transierunt, ad perpetuæ Beatitudinis consortium peruenire concedas.* Etsi enim hinc transierint, qui in Christo mortui sunt, & ad cœlum iter inchoauerint, nondum tamen illuc peruenerunt, nec peruenire possunt, donec vltimum etiã quadrantem pœnarum culpis suis debitarum, vel saltem Ecclesiæ sufragijs adiuti, ac subuenti soluant in Purgatorio, sed ibi, quasi in hospi-

tio

tio peregrini consistunt, donec inde satisfa-ctione peracta, ad cœlestem patriam peruenire mereantur. Audiamus hæc ipsa, à Nazianz. in oratione funebri in laudem Cæsarij fratris sui. Sic enim ille de omnibus Purgatorij mortuis,&de fratre Cæsareo specialiter. *Et nostras, & eorum, qui ad hospitium prius peruenerunt, animas Deo commendemus. O Domine omnium creator suscipe nunc quidem Cæsarium, velut primitias quasdam nostræ peregrinationis, &c.* Hæc Nazian. hoc ipsum præstandum, toties inculcauimus, illud repetentes. *Mortuo ne prohibeas gratiam.*

19 Et hoc est panem mittere super transeuntes aquas, secūdum Salomonis Consilium; super eos inquam, qui ex hoc sæculo transierunt. Et hoc denique, quòd expressius Tobias etiā æstimatione sua iam moriturus, filio suo commendauit, dicens ei c. 4. *Panem tuum, & vinū tuum super sepulturam iusti constitue:* pro litterali enim sensu sic Glossa quadā adhæc verba; *Fortè ad consolationem parentum post sepulturam iubet fieri conuiuia, quòd opus est misericordiæ:* vel fortè, super tumulo mortui iubet fieri eleemosinas, quia antiquissimus multarum gentium vsus fuit in suorum morte parētum alijs parentibus, vel propinquis exibere conuiuia ad mutuam consolationem de mortuo; & similiter, eleemosynas quamplures pauperibus elargiri, & præcipuè panis, ac vini, quæ super Defuncti sepulcrum quidam ponere consueuerunt, vt, scilicet, illas sumerent pauperes aduenientes, & ex hoc ad orandum pro ipso mortuo magis prouocentur.

20 Verùm quo ad mysterium, prophetia sunt hæc verba Eucharistici panis & vini, quæ Sacerdotes sancti super sepultos mortuos non quoslibet, sed iustos solum ponere intendūt, Missas .s. pro eis celebrantes, qui sunt in Purgatorio, ad quòd illos Tobiæ verba inducūt. *Panem tuum, & vinum tuum super sepulturam iusti constitue.*

21 *Non cibus imperatur, aut potus, sed sacra oblationis veneranda communio releuatur,* inquit hoc loco Sanctus Ambrosius, contra etiam superstitiosvm quemdam errorem infidelium, nonnullorum, qui in suorum morte parentū, & amicorum, super ipsum sepulcrum cibos, & vina ponebant, ad cibum & potum ipsarū animarum de sepulcris exeuntium, vt illi falsò putabant, de quo cum miraretur etiam Augustinus, hæc scripsit sermone 15. de sanctis, de quadam solemnitate loquens, in qua hoc potissimùm facere ijdem gentiles solebant. *Miror* (ait) *cur apud quosdam infideles hodiè tàm perniciosus error increuerit, vt super tumulos Defunctorum cibos, & vina conferant, quasi egressæ de corporibus animæ carnales cibos requirant:* Et statim admirationis suæ rationem hanc subiungit: *Epulas enim, & refectiones corpus tantū requirit, spiritus autem, & anima his non indigent,* Et ideò infert. *Cessate ergo fratres, ab hoc gentili infidelitatis errore.* Hæc ille.

Non indigent animæ Defunctorum pane, 22 & vino materiali, sed spirituali quidem, quod sub materialis panis, & vini speciebus in Missis pro eisdem offertur. Ideò à materiali pane cessandum, quia error hic est perniciosus infidelium; non cessandum vero à spirituali, & Eucharistico: nàm de hoc, & ipsa scriptura ait. *Mortuo ne prohibeas gratiam.* Et de eodem rursus. *Panem tuum, & vinum tuum super sepultura iusti constitue:* quia etsi egressæ de corporibus animæ carnales cibos non requirant spiritualem tamen, ac sacramentalē cibum, & potum simul a viuis etiam expostulant, vt per illum à pœnis suis penitus liberatæ transire mereantur tandem ad requiem æternam. Hoc autem eisdem verbis quibus Dominus etiam ab eisdem illum non prohiberi statuit. *Mortuo ne prohibeas gratiam.*

Nàm & illorum omnium Ecclesiæ Sanctæ testimonio sunt aliæ voces, his omninò 23 similes, quibus tàm sæpe ad nos clamant. *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me:* quæ in libro Iob cap. 19. scribuntur, & ab Ecclesia eorum nomine quotidiè eisdem viuis replicātur, vt super miseros illos misericordia moti, Eucharisticum cibum & potum illis communicemus. Bis verò repetunt clamantes. *Miseremini &c.* Quia nimis miserabilis, ac misericordia digna est hæc illorum miseria, propter pœnarum suarum magnam vehemētiam & durationem, vel quia, sicut magna est eorum miseria, sic magna egent misericordia, quasi dicant. Cito cito tàm miseris misericordiam præstare. Vel tandem bis, quia ad aures, & ad cor loquuntur nostrum hi miseri, misericordiam postulantes.

Item bis repetunt etiam illud verbum: *mei.* 24 Mei potius (inquiunt) quam aliorum omniū misereri debetis, quia illis omnibus sum miserior

rior. Vbi ergo maior est miseria, ibi sit maior, & misericordia. Nam miseria, & misericordia inuicem correlatiua sunt. Quot modis verò dicitur vnum correlatiuorũ, tot modis dicitur & reliquum ex logica. Multis modis magna est miseria mea, sit etiam multis modis magna misericordia vestra practica, & nobis impensa, nempe Missarum, orationũ, Ieiuniorum, & eleemosynarum: Et hoc petimus, cum dicimus. *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei:* aiunt, quasi clarius dicere velint. Ex quo non miserentur, vt tenentur parentes. *Miseremini mei, miseremini mei saltem vos amici mei.* Maior verò misericordia omnium misericordiarum, quæ eisdẽ miseris exiberi possint, & quam illi præsertim implorant, est Eucharistia. *Ipsum autem Eucharistiæ mysterium* (inquit Chrisostomus) *quantùm misericordia plenum sit, initiati solummodo nouerunt.* Ideò quæ, hanc maximam misericordiam instanter, expostcentes, clamant ijdem mortui dicentes. *Miseremini mei, &c.*

25 Item clamant animæ Defunctorum, idem quæ magna, & miserabili, lacrymabilique voce continuò repetunt, vt possunt, nàm ad longinquos sic clamare solemus, & similiter ad inhumanos, ad crudeles, ad surdos, & ad eos qui (vt dicitur) surdum faciunt, hoc est, quasi surdos se habent, vel tales in facto se ostendunt, & aures habent, & non audiunt, vt saltẽ ipso magno, importuno, doloroso, ac lacrymoso clamore, sępiusq; repetito, ad commiserationem huiusmodi homines commouere possimus, sicquè quod ab eisdem petimus, impetrare: elongati sunt certè viui à mortuis multùm locali distantia. Inter hos, & illos verè chaos magnum firmatum est: sed multò magis à corde, & ab amore viuentium remoti sunt. De illis idcirco illud Vulgatum, verificatur: *Quòd longè est ab oculis, & à corde lõgè abest.* Mortuorum certè, est illa querimonia de viuentibus. *Obliuioni datus sum, tamquam mortuus à corde.* Psal. 30. In ijsdem viuis illud Dauidicum adimpletum manifestè videmus respectu mortuorum. *Perijt memoria eorum, cùm sonitus.* Psal. 9. Simul enim cum *sonitu cāpanarum*: qui in exequijs mortuorum fit, etiā cessat in viuis cognatis, & propinquis, & quãcumque coniunctis, & in amicis etiã mortuorum memoria. Sicut verò tunc cum sonitu mortuorum perit memoria, ac finitur. Sic etiam & amor eorundem, vnde extat antiquorum quorundam prouerbium. *Post mortis dorsum vertis dilectio dorsum: finitâ vita, finitur, & Amor.*

26 Et refertur ab Incognito prius, & nunc cognito, dùm cum alijs in hoc eodem sensu verba illa Psalmi 77. declarat. *Dilexerunt eum in ore suo, & lingua sua mentiti sunt ei: cor autem eorum non erat rectum cum eo, nec fideles habiti sunt in testamento eius.* Quamplurimi certè propinquos suos, & eos maximè, à quib. hæreditatem expectant, verbis solùm, & ore diligunt, vel se illos diligere fingunt, multa eisdem promittentes, se facturos, ad animarum suarum suffragium, simul cum testamentorũ adimpletione: sed quia verè & corde eos nõ diligunt: quia cor eorum non est rectum cum eis, sed solùm dilexerunt eos in ore suo hoc modo: proinde, statim post mortem *perijt memoria eorum cum sonitu*, clareq; cõuincuntur, quòd lingua sua mentiti sunt eis, cor autem eorum non erat rectum cum eis, dùm eos se diligere affirmabant: etenim nec fideles habiti sunt in testamento eorum adimplendo, nec in alijs omnibus promissis. Quare, vt vnò verbo dicamus. Verissimum est illorum effatum his maximè temporibus. *Mortuus nõ habet amicum.*

27 Nec contraria est huic sententiæ Diuinæ scripturæ sententia, quàm modo adduximus, & in qua etiam secundùm Ecclesiæ interpretationem ijdem mortui amicos nominare videntur viuos suos, & maximè carnaliter coniunctos: *Miseremini mei, miseremini mei saltẽ vos amici mei.* Duplices enim sunt amici: vel duo amicorum genera, vt modo cum psalmista distinximus, scilicet, veri amici, & falsi, siue ficti, falsi hi sunt, qui diligunt in ore suo solùm, & lingua sua mentiuntur, & quorum cor non est rectum cum eis, quos se diligere affirmant: veri autem amici sunt, qui ore, & corde diligunt, vnde & fideles sunt in testamento mortuorum suorum, & in alijs quamplurimis, quæ pro eorundem Defunctorum salute exequuntur pro viribus suis. *Si amor est, magna operatur*, vt scripsit D. Greg. Papa, itẽ: *Si operari renuit, amor non est*: De primis amicis, hoc est de falsis est scripturæ prima sententia. *Dilexerunt eum ore suo &c.* de veris aũt alia prouerbialis allata. *Mortuus non habet amicum*: quia veros amicos non habent communiter mortui. Nam. *Omni tempore diligit, qui amicus est* (inquit Prou. 17.) *& frater in angustijs comprobatur.* Vnde legitur, quòd Iob orabat pro amicis suis cap. vltimo.

Vnde

28 Vnde amicos nominant ijdem mortui: præsertim viuos propinquos suos, ab illis misericordiam instanter, ac multoties implorantes: quia hi verè amici esse debebant, & verè erant, vel tales saltem se ostendebant, dum secum viuebant, talesuè æstimabantur ab alijs.

Quos autem amicos dicunt, statim persecutores etiam appellant, & carnium suarum deuoratores, de hoc ipso simul conquerentes. *quare persequimini me sicut Deus, & carnib⁹ meis saturamini?* quia eorundem viuorum bonis ac substantijs, vt propinqui eorum fruuntur, quæ illi in carne viuentes carnium, siue corporum suorum labore, sudore, ac ipso quasi sanguine compararunt. Caro enim nihil aliud est, quàm sanguis condensatus, vt inquit Aristoteles, lib. n de generatione animalium.

Vnde, & secundus sanguis dicuntur ipsę facultates, quas suo sanguine acquisitas eisdē reliquerunt, factis amicos sperantes illos post mortem, quos viuentes nouerāt lingua tales. Non habent, ergo mortui amicos, veros saltem, quinimò, & illos, quos amicos sperabāt & qui amici esse debebant, etiam inimicos experiuntur, persecutores, & occisores.

29 Quare acriter de eisdem repetitis vocibus lamentantur, hoc expressè obijcientes eis. *Quia manus Domini tetigit me: quare persequimini me, sicut Deus, & carnibus mei saturamini?* Quasi dicat eorum vnúsquisque. Qua de causa, qua ratione, siue qua saltem occasione, vel prætextu, cùm Deus iustissimæ punitionis suę manu tangat me, vos etiam tàm iniustè tamen, eodem modo in eisdem pœnis me permanere finitis, & inhumanitate vestra me detinetis, suffragium nullum mihi impendentes orationis, eleemosynæ, & cæterorum, maximè verò Eucharistici sacrificij? Cur illud præsertim pro me non offertis, vel offerri curatis, sicq; quasi prohibetis; cum tamen scriptum sciatis: *Mortuo ne prohibeas gratiam?* Cur ex amicis, quales vos testabamini, quales esse deberetis, quales reputamini, qualesque & ego speraui, persecutores meos vos ipsos comprobatis, & more persecutorum, ignis pœnas in me elongatis, & præterea tanquam ipsis bestijs, ac feris, quæ sibi benefacientibus non modò, non malefacere, sed etiam benefacere nouerūt, deteriores, ac crudeliores, carnibus meis saturamini, bonis meis, nimirū, diuitijs, pecunijs, facultatibus vos implendo, & impinguando, & nullam tamē nobis misericordiam faciendo, etsi hoc quotidie, ac continuè tàm magnis, & affectuosis vocibus à vobis efflagitem? *Miseremini mei, &c.*

30 Clamant igitur *quotidiè qui iacent in tormentis, clamant, & pauci sunt, qui respondeant, vlulant, & non est qui consoletur eos.* Ait Diuus Augustinus in serm. 44. ad fratres in heremo, qui est de pietate, charitate, & suffragijs Defunctorum. Et vlterius contra inhumanitatem, ac crudelitatem horum propinquorum etiam inuehitur. *O quàm grandis* (ait) *crudelitas, fratres mei: O quàm grandis inhumanitas: Clamant ad nos quotidiè, qui dum vixerunt, multa mala pro nobis sustinere voluerunt, nec eis subuenire curamus.*

31 En hoc idem, quòd diximus ex scriptura. Hi sunt clamores Defunctorum, hę voces eorum, & echo velut familiaris vocis nostræ, quæ iam tandiu per me vestris insonuit in auribus: *Mortuo ne prohibeas gratiam.* hæ, scilicet, *Miseremini mei, miseremini mei saltem vos amici mei,* quibus gratiam suffragiorum, & præcipue illius, quòd inter suffragia Defunctorum primum locum obtinet, sacrificium nempe, Deo gratissimum, ipsisque mortuis vtilissimum, tàm obnixè postulant, attamen clamorosis his vocibus, ac lamentabilibus, multi surdi sunt, vel vt surdos se habent (vt dicebamus) ob eorum immisericordiam, & crudelitatem. *Crudeles enim sunt, & immisericordes,* vt habetur Hier. 50. Ideò, & persecutores suos ijdem mortui vocant illos, & carnium suarum deuoratores, quasi feras bestias. *Quare persequimini me, sicut Deus, & carnibus meis saturamini?*

32 Hinc idem Augustinus in prædicto loco prosequitur horum propinquorum, exagerare inhumanitatem, ac feritatem exēplis etiam nonnullis. *O vere magna inhumanitas!* (exclamat iterum) *Ecce enim infirmus iacet, & clamat, & à medicis consolatur: Clamat porcus, & omnes cum eo clamare non cessant, cadit asinus, & omnes eum subleuare festinant: sed clamat in tormentis fidelis, & non est qui respondeat: Ecce vestra inhumanitas, fratres.*

Audite o immisericordes, o crudeles erga defunctos vestros erga parentes, & propinquos ipsos. hæc est gratia, & amor vester, hæc reuerentia vestra, ac solicitudo circa illos, hæc gloriatio & gloria, hic honor, magis sollicitos esse de bestijs, & de ipso porco & de asino, quàm de proprijs parentib. Eia non amplius de his, quia stomacum, quasi faciunt, vt dicitur, vel nauseam fastidiunt siquidem valdè, & hæc narrantem, & hæc audientes, & pios: præsertim.

33 Ad pœnas potius nostrum conuertamus sermonem, nam terrore fortè commouebũtur, qui non commouentur rubore: Tam grãdis est, tamque communis hæc culpa, vt Ecclesia in suis generalibus Concilijs hos excõmunicandos statuerit, eos etiam occisores, seu necatores egentium vocans, quòd & nos iam cum scriptura prædicauimus. Sic verò Concilium Carthaginense 4. c. 9 5. & habetur etiam in sacris Canonibus 13. q. 2. *Qui oblationes Defunctorum negant Ecclesiis, aut difficulter reddũt, tãq̃ egẽtiũ necatores excõmunicẽtur.* Quòd hic ordinauit Carthaginense Concilium, illud idem renouauit, ac confirmauit Valense, in c. 4. & ferè eisdem verbis: & affert etiam de hoc tres rationes, sicut distinguit Glossa, quarum prima est: Quia hi infideles reputãtur: secunda, quia voluntatem defunctorum non seruant: tertia, quia pauperibus necessaria subtrahunt: Sic enim ipsum Concilium de crudelibus istis inter multa alia, quæ breuitatis gratia prætermittuntur (sicut etiam de Concilio Agathensi silemus, idem pariter statuente.) *Vt infideles sunt ab Ecclesia abijciendi;* sic primo ait hoc Concilium, & postea. *Hi enim tales, quasi egentium necatores, nec credentes Iudicium Dei credendi sunt.*

34 Diuus Paulus etiam ad Tim: in prima sua scribit 5. c. *Siquis suorum, & maximè domesticorum curam non habet, hic fidem negauit, & est infideli deterior.* Verè, & inmeritò hi necatores egentium, animarum, videlicet, fidelium Defunctorum dicuntur ab Ecclesia, qui immisericordes sunt, & inhumani ad illas. Item eodẽ nomine (vt mihi videtur) & alijs etiam consimilibus, quibus, & nos iam illos cum Ecclesia vocauimus: & damnauimus, vocantur similiter, & damnantur in libro Sapientiæ c. 12. nempe, *filiorum suorum necatores, sine misericordia, & commestores viscerum hominum, & deuoratores sanguinis à medio Sacramento tuo, & auctores parentes, animarum inauxiliatarum, &c.*

Hinc illud Ambrosij in libro de officiis, quòd habetur etiam dist. 86. c. *Pasce fame: si non pauisti, occidisti*; nam hæc est horum verborum Glossa. *Occidit quis alium per subtractionẽ panis corporalis, & spiritualis*, sicut, ex alijs locis eorundem Canonum demonstrat. Panis aũt spiritualis Defunctorum, sunt suffragia eorũ, & panis maximè Eucharisticus sub materialis panis forma delitescens in Altari, quem panem ijdẽ mortui à viuis petunt, dũm aiũt. *Mortuo ne prohibeas gratiam.* Quòd & nos iã diutius pro eisdem Mortuis viuis ipsis replicauimus.

35 Itaque sicut mendici, & pauperes, postquã longa temporis mora ad ianuas diuitum fortiter clamauerunt, panem vel aliam quamcũque eleemosynã exposcentes, silent tandẽ, & discedunt, siue recipiant, siue non, siue multũ, siue modicum sit quòd receperunt, patientiã submissis verbis implorantes: Sic postquam Defunctorum voces ad aurium, & cordium omnium vestrum, per voces nostras, quasi per earum interpretes, vel nuncios, iam diutius, ac sæpius clamauerunt, panem præcipue Altaris petentes. *Mortuo &c.*; iam silebunt, & ego cum eis vos relinquens, & dulcibus, ac submissis verbis, patienter vos demulcens, per sermonis ipsius, quasi compendio. Sicq; etiã memoriam vltimo renouabo: & hoc ipsum sanctæ scripturæ, & Sancti eiusdem Augustini verbis ex præallegato sermone, & simul ex Maci citato loco: *Mementote fratres, quòd sancta, & salubris: pia, & fœlix, & suauis Deo, & Angelis est cogitatio, pro Defunctis exorar, vt à pœnis, quas pro peccatis patiuntur, soluantur.* Et iterum. *Attendite fratres mei, attendite, qa non solùm pauperib: in via misereri debemus, sed & Defunctis cum omni diligentia misereri, & subuenire studeamus.*

Hoc est quòd Ecclus suadet alijs verbis. 36 *In requie mortui requiescere fac memoriam eius.* Ob requiem mortui, nimirum, vt requiescat in pace, sicut pro eisdem rogamus cum Ecclesia: in corde nostro nos qui viuimus, mortuorum memoriam jugiter requiescere faciamus, vt sic & orationibus, & alijs modis, & præcipuè omnium potiori, nempe, Eucharistica gratia, eis auxilium impendamus, vt à pœnis illis liberatæ in æterna Beatitudine requiescant, quòd tam sæpe ex eadem scriptura replicauimus, *Mortuo ne prohibeas gratiam.* Christus enim etsi pro viuis Eucharistiam instituerit, tamen etiam ad mortuos destinauit. San-

sancti huius sacrificij valorem etiam illis applicando per ministros suos. *Eadem gratiã, quam præbuerat viis s. seruauit Defunctis*, vt sæpe diximus.

37 Angelus enim ille est noui testamenti, qui prãdium quòd Habacuc ad viuos deferebat, nempe, ad messores suos in agro, ad Danielem in lacu Leonum existentem per eundem deferri voluit, ex quo paulò post ille educt' é. Lacus est Purgatorium, in quo non est aqua, sed ignis purgãs Defunctorum animas à peccatorum suorum maculis: ideò in lacu dicitur esse Daniel, qui, *Iudiciũ Dei*, siue: *Iudicauit me Dominus*, significat: quia animæ Defunctorum iudicio Dei iudicatæ ibi manent, quo ad vsque Eucharisticum prandium paratum viuis, ad easdem per Sacerdotes, quòd Habacuc repræsentat, applicatione deferatur. Vnde postea ex lacu illo liberentur. De Eucharistia enim, & de lacu illo purgante, & de animabus, quæ in hoc lacu pœnas sunt, dixit Zach. c. 9. ad eundem testamenti Angelũ Christum Dominum, hanc liberationem earum per ipsum fiendam prophetans, & per sui sanguinis virtutem. *Tu quoque in sanguine testamenti tui eduxisti vinctos de lacu; in quo non est aqua*. Hic est profundus lacus, a quo illas liberari postulat Ecclesia, sanguinem ipsum Christi in Missæ sacrificio pro illis offerens, & dicens: *Domine Iesu Christe, rex gloria, libera animas omnium fidelium Defunctorũ de pœnis Inferni, & de profundo lacu*. Quando, nimirum, non solùm non prohibet, sed facto exibet mortuis gratiam istam Eucharisticam, vt per virtutem eiusdem sanguinis Christi, & passionis eius, in qua effusus est ab ipso profundo lacu liberentur. Hinc subdit. *Et signifer Sanctus Michael repræsentet eas in lucem sanctam, quam olim Abrahæ promisisti, & semini eius*: Item. *Hostias, & preces tibi Domine laudis offerimus: tu suscipe pro animabus illis, quarum hodiè memoriam facimus: fac eas Domine de morte transire ad vitam*. Vnde cum hæc orasset aliquando B. Ioannes de Alverna Ordinis nostri in Ecclesia antiquiori maximo cum feruore, ac compassione ad mortuorum animas, gratiam hanc Eucharistiæ pro eisdem offerendo, vidit in eleuatione Hostiæ animas easdem de Purgatorij lacu exeuntes in maximo numero, ac velocissime, sicut scintillas de fornacis incendio.

Hinc etiam obseruare possumus, quòd de 38
pœnis Inferni liberari petit Ecclesia animas Defunctorum, non tamen de Inferno: quia pœnæ Purgatorij pœnæ sunt Inferni, illis enim in grauitate, & acritate quasi æquiparantur: Tamen locus ille pœnarum Purgatorium, & lacus est, non Infernus: *Quia in Inferno nulla est redemptio*, at bene in Purgatorio, quod firmiter credens Ecclesia Christum orat. *Libera animas omnium fidelium Defunctorum de pœnis Inferni, & de profundo lacu, &c.* Et hoc ipsum Salomon etiam satis manifeste indicasse videtur in Prouerbijs c. 11. De Damnatis enim loco primo ait. *Mortuo homine impio nulla erit vltra spes*: scilicet liberationis. *Quia in Inferno nulla est redemptio*. Vnde addit statim de eisdem. *Et expectatio sollicitorũ peribit*; id est frustrabitur. Posteà immediate subdit de existentibus in Purgatorio, *Iustus de angustia liberatus est*. Iusti enim sunt qui in Purgatorio sunt, qui de angustia pœnarum suarum Ecclesiæ suffragijs, & Eucharistia potissimum liberantur. Ideo de illis cantat, dùm pro eis ipsũ Eucharistiæ sacrificium offert. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur. A modo iam dicit spiritus, vt requiescant à laboribus suis: opera enim illorum sequuntur illos.* Sic Apoc. 14. de purgantibus. Sed ammodo iam dicit nobis etiam spiritus, vt requiescamus à laborib. sermonis nostri: Vt ergo nobiscũ quantocius fidelium animæ à laboribus suis requiescant in pace. *Mortuo, o viuens, ne prohibeas gratiam*, & maxime Eucharisticam. *Ora ergo pro Defunctis* (inquit Augustinus in præcitato sermone suo) *vt dum fuerint in æterna vita, pro te orare non negligant: expectant enim nos, vt iuuentur per nos*. Amen.



SERMO

SERMO VIGESIMVS SEXTVS.

Quòd Eucharistia est amicorum, & charissimorum Dei.

Comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi. Cant. cap. 5.

ARGVMENTVM.

In Eucharistia inuitat Dominus fideles omnes ad suum comedendum corpus, & suo se inebriandum sanguine, sub amicorum, & charissimorum nomine: etsi eos specialiter, qui Sacerdotes non sunt, tanquam amicos solùm, & ad solam etiam eiusdem corporis comestionem: Sacerdotes verò, etiam tanquam charissimos, & ad eiusdem Sanguinis quoque ebrietatem: ad quos pariter sermo in fine dirigitur, dùm suadentur simul, ne inebrientur vino, neque luxuria: ne damnet illos ebrietas carnis, sed potius saluet ebrietas spiritus.

AMicos, & charos nobis, & quoscunque, verè diligimus, ad conuescendũ nobis libenti animo inuitare solemus: estque hoc antiquissimum, & fuit pariter commune, & delectabile semper, atque iucundum apud omnes gentes. Hinc Plato mensam vocabat parentem amicorum. Hinc legimus, quòd Marcus Crassus cùm inimicus esset Ciceronis, ad eum misit, dicens, se cum illo cęnare velle, sicque amici facti sunt, qui antea inimici erant ad inuicem. Hinc etiam de alio quodam infideli narrant ipsæ Diuinæ paginæ, scilicet, Gen. 29. *Vocatis multis amicorum turbis ad conuiuium fecit nuptias.* Hinc quidam ad nuptias similiter inuitatus, sub amici nomine ad superiorem locum iterum inuitatur. *Amice ascende superius.* sicut in nuptijs etiam amicus est vocatus ille, qui vestem tamen nuptialem non habebat. *Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem?* Et tandem, ille quoque filius in Euangelio sic cum patre conquæstus est. *Ecce tot annis seruio tibi, & nunquam mandatum tuum præterivi, & nunquam dedisti mihi hœdum, vt cum amicis meis epularer.* Præterea etiam profanæ historiæ similia narrant de alijs infidelibus: Cæl. enim Rod in suis antiquis lectionibus, inter alia hæc habet. *Persarum Rex si quem ex amicis vellet à multis honorari & coli, cibariorum partes de mensa ad eũ mittebat.* Athenæus similiter scribit de Alexandro Magno: Quòd *sexaginta, vel septuaginta amicos apud se in cœna frequenter habebat.*

Hinc tandem, & Dominus noster Iesus Christus, qui iam Discipulis suis contestatus fuerat. *Iam non dicam vos seruos, sed amicos meos,* morem seruans omnium populorum cum eisdem, præsertim morti iam proximus, duplici simul conuiuio eos tanquam veros amicos excepit, nempe, legali pasqua- a.

lis

lis agni, quem tunc cum illis comedit, & conuiuio sacramentali corporis, & sanguinis sui, dicens illis. *Accipite, & manducate ex hoc omnes: hoc est enim corpus meum. Bibite ex hoc omnes: hic est enim sanguis meus.* Quasi diceret eisdem. *Comedite amici, & inebriamini charissimi,*

3 Vnde etiam Sanctus Hieronymus de Eucharistia explicans illa verba Ezech. c. 44. *Princeps ipse sedebit in ea* (scilicet in porta) *vt comedat panem coram Domino*, sic ait primò de Christo. *Ipse est Princeps, & Pontifex secundum ordinem Melchisedech, & hostia, & Sacerdos qui in conspectu Patris nobiscum cælestem comedit panem, & vinum bibit, de quo loquitur in Euangelio. Non bibam de genimine vitis huius, nisi cum bibero illud nouum in regno Patris mei: in illo videlicet regno, de quo, & ipse alibi ait: regnum Dei intra vos est: clausaq; erit porta. Nemo enim potest passionis Domini, corporisque eius, & sanguinis pro maiestate rei Sacramenta cognoscere:* sic ille. Et post hæc omnia, sic subdit immediatè, & ad rem nostram magis. *Tantaque bonitatis est, & clementia Princeps noster, vt cum solus sedeat imperta, qua clausa est, & panem coram Domino comedat, velit mensa sua, atque conuiuij plures habere consortes, & dicat: ecce ego sto ad ostium, & pulso: si quis aperuerit mihi, ingrediar ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum: solus autem comedit panem coram Domino, quia substantia eius, diuinaque natura à cunctis creaturarum substantijs separata est:* Hæc omnia (dico) verba sunt S. Hieronymi pro verbis nostris: *Comedite, amici, & inebriamini charissimi:* Hæc modò manifestius explicare pergamus de nobis, quos idem Dominus simul cum Apostolis suis, amicos, & charissimos suos constituit, & nominauit, & ad ipsum pariter sacrum Eucharistiæ conuiuium inuitauit, & continuò inuitat, cum canticis dicens nobis, vt illis. *Comedite amici. Bibite, & inebriamini charissimi:* De potatione tam en secundùm se nunc sileamus.

4 Hæc modo & nos repetimus, & priorem partem *comedite, amici* ad solùm communicantes præsertim, posteriorem verò ad celebrantes specialiter, *Bibite, & inebriamini, charissimi.* Itaque, vt notum inprimis suppono de Eucharistia verba hæc interpretari communiter, sic enim Sanctus Gregorius Nissen. assumpta verba, hom. 10. in cantic. hoc modo transferens, & simul exponens. *Comedite propinqui mei, & inebriamini, fratres mei. Qui enim indignè comedit, & bibit, iudicium sibi comedit, & bibit: Rectè autem appellauit fratres eos, qui digni sunt, vt comedant: nam, qui facit voluntatem Patris, nominatur à verbo frater, & mater: & soror,*

Idem ergo amicus Christi, quod, & propinquus eius, scilicet, per virtutem, vt ait Nissen. Et similiter, idem secùndùm illum frater, quod charissimus eadem ratione. Et hæc omnia Apostolis primum, deinde eorum successoribus, nempe, Sacerdotibus potissimum conueniunt. Ideo, his omnibus nominibus, vel titulis à Christo illis vocibus inuitantur ad suum comedendum corpus, & ad inebriandum se sanguine eius.

Est in eadem sententia Sanctus Ambros. De ijs qui initiantur c. 8. *Ecclesia enim* (ait) *videns tantam gratiam hortatur filios suos, hortatur proximos, vt ad Sacramenta concurrant, dicens. Edite proximi mei, & bibite, & inebriamini charissimi mei. Quid edamus, quid bibamus alibi per prophetam Spiritus sanctus expressit, dicens Psalm. 33. Gustate, & videte, quoniã suauis est Dominus, beatus vir, qui sperat in eo. In illo Sacramento Christus est, quia corpus est Christi. Non ergo corporalis esca, sed spiritualis est ibi:* Vnde, & Apostolus de typo eius ait. *Quia patres nostri escam spiritualem manducauerunt, & potum spiritualem biberunt, &c,* 5

Hæc Sanctus Ambrosius, qui sicut verba hæc, quæ pro sermone isto prælegimus de Eucharistia intelligit cum aliis, sic etiam & illa, quæ his immediatè præmittuntur in textu. *Comedi fauum cum melle meo: bibi vinũ cum lacte meo.* Idem enim lib. 5. de sac. cap. 3. sic ista legit cum alijs etiam. *Manducaui panem meum, cum melle meo,* Vnde subdit etiam de hoc ipso Eucharistico pane. *Vides quòd in hoc pane nulla sit amaritudo, sed omnis suauitas sit.* Et postea de Christi sanguine similiter subijcit. *Bibi vinum cum lacte meo. Vides huiusmodi esse lætitiam, qua nullius peccati sordibus polluatur. Quotiescumque enim bibis, remissionem accipis peccatorũ. & inebriaris spiritu.* Sic S. Ambros. Et sunt Christi verba, qui Eucharistiam instituens, sub panis, & vini specie, & eamdem Discipulis ministrans, ad eamq; sumendam exhortans, eamdem etiam cum illis sumpsit, & sub vtraque specie similiter. Ideoque panem & vinum vocat illam. Et hunc panem se comedisse, & bibisse hoc vinum prius testatur dicens, secundum eundem Ambrosium: *Manducaui panem meum,*

cum melle meo: bibi vinum meum cum lacte meo. Et postea ad idem inuitat Discipulos suos, scilicet, omnes fideles, assumptis verbis: *Comedite amici, bibite, & inebriamini charissimi.*

7 Quòd verò corpus suum sumens Dominus in Sacramento sub panis specie, fauum suum etiam dicat se manducasse, & cum melle suo. *Manducaui fauum cum melle meo*, hoc ad duplicem naturam suam in eodem Sacramento referendum videtur; nimirum, ad humanam illud: *Fauum*, & ad Diuinam *cũ melle: Comedi* (inquit) *fauum meum cum melle meo:* Quia sicut fauus locus est, in quo mel manet, sic in humanitate sibi hypostatica vnione vnita verbi Diuinitas habitat, secundùm illud Pauli etiam ad Col. cap. 2. *In ipso complacuit omnis plenitudo diuinitatis habitare corporaliter*, ad quod Virgo Maria, quasi apis argumentosa deseruiuit, faui & mellis huius in alueo ventris sui operatrix. Etsi alia etiam ratione communi mel, sicut & panem, suum corpus in Eucharistia appellat Dominus: sicut etiam sanguinem suum, vinum similiter, & lac nominat. *Manducaui panem meum cum melle meo: bibi vinum cum lacte meo:* nempe, vt denotet Sacramenti huius suauitatem, ac dulcedinem: cum mel, & lac etiam de se multũ dulcia sint: *Suauitatem enim huius Sacramenti* (inquit S. Thomas) *nullus dignè exprimere sufficit, per quẽ spiritualis dulcedo in suo fonte gustatur.* Et hæc est suauitas, ad quam gustandam simul cum psalmista Ecclesia nos hortatur in recitatis verbis, sicut ex Diuo Ambrosio iam retulimus. *Ecclesia enim* (inquit ille) *videns tantam gratiam, hortatur filios suos, hortatur proximos, vt ad Sacramenta concurrant, dicens: Edite proximi mei, & inebriamini charissimi mei. Quid edamus, quid bibamus, alibi per Prophetam Spiritus sanctus expressit, dicens. Gustate, & videte, quoniã suauis est Dominus: Beatus vir, qui sperat in eo.*

8 Sicut verò psalmista voce inuitat omnes ad suauitatem Domini gustandam in Eucharistiæ Sacramento præsentem, in quo verè, realiter, ac personaliter est idem Dominus in humanã natura, cuius ipsamet infinita suauitas quascumque naturales huius suauitates in immensum superans, sic eadem pariter edocemur, quales esse debemus, vt illam verè, digneque gustare possimus, dum, videlicet, immediatè subdit: *Beatus vir, qui sperat in eo:* & item: *Timete Dominum omnes sancti eius, quoniam non est inopia timentibus eum.* Ergo sancti Dei omnes, qui sperant in eo, timentes eum, ad hanc Eucharisticam suauitatem gustandã vocantur: hi enim sunt amici Christi, fratres, propinqui, proximi eius, sibique charissimi, ad quos idem ait. *Comedite amici, bibite, & inebriamini charissimi.*

Quod satis manifestè confirmat etiam 9
Sanctus Paschasius de corp. & sang. Domini hoc modo ipsa verba declarans: *Patenter innuitur, quòd cibus iste manibus Angelicis defertur, per quem nostra infirmitas releuatur: qui nõ nisi amicis & fratribus porrigitur, vnde sponsa adhortatur in canticis. Comedite amici, & inebriamini charissimi.* Hoc Sanctus Paschasius, quod apertè didicit, ex scripturis. Hoc ipsũ enim Pater æternus filio suo ab antiquis diebus repromisit etiam sub iuramẽto, sicut narrat Isaias cap. 62. *Iurauit Dominus in dextera sua, & in brachio virtutis suæ.* En iuramentum Domini primò.

Nunc attendamus de qua re sit hoc iuramentum, sequitur statim scriptura. *Si dedero triticũ tuum vltra inimicis tuis, et si biberint filij alieni vinum tuum, in quo laborasti.* Inprimis enim Pater filium suum alloquens de eius corpore & sanguine, iurat se illud non esse daturum inimicis suis, nec filijs alienis, qui etiam in quadruplici sunt differentia, generaliter loquendo, Iudei, nempe, Pagani cum alijs omnibus infidelibus simul, hæretici cum schismaticis, & fideles siue Christiani mali. Etsi enim Eucharistiam sumant boni, sumant mali, hoc tamen contingit sorte inæquali vitæ, vel interitus: quia, nimirum, mali sumunt contra Domini voluntatem, eam hi omnes, sicut etiam Iudei, hæretici, schismatici, Pagani, & alij infideles inimici Christi sunt, & filij alieni ab eo dicuntur. Hoc enim eius verba sonant. *Si dedero triticum tuum vltra inimicis tuis. Et si biberint filij alieni vinum tuum, in quo laborasti.* Illa enim dictio, *si*, in vtraque parte sententię idem significat, quod, *non si dedero*, idest, *non dedero: si biberint*, idest, *non biberint*: Sicut alibi etiam in scripturis, vt in Psalmo, *si introibũt*, idest: *Non introibunt in requiem meam.* Idcirco Vatablus sic ex Hebreo transfert hæc ipsa verba: *Si dedero, &c. Non dabo vltra frumentum tuum in cibum hostibus tuis: Nec bibent alieni mustum tuum, pro quo tu sudasti.* Per frumentum verò corpus Christi apertè monstratur: quia in pane frumentaceo conficitur, & panis eiusdem etiam accidentia retinet,

net, sub quibus semper ipsum Sacramentum manet. Per vinum verò, eiusdem Christi sanguis similiter intelligitur manifestè, eo quòd in vino pariter consecratur, & sub vini speciebus sumitur. Cum itaque Dei filius sic conformis sit Patris sui voluntati, vt etiam dicat Ioan. 6. *Quia descendi de Cœlo, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me*; eidem Paternæ voluntati morem gerens, Eucharistiam cũ institueret, non omnibus indifferenter illam præbuit amicis, scilicet, & inimicis, sed solùm Discipulis suis, quos iam amicos suos ore proprio declarauerat. Et sicut tunc illam dedit amicis, sic etiam postea illis solis ipsam dari mandat, tanquam, nimirum, filius ille Eccli 30. de quo Pater lætatur, quòd amicis reddat gratiam, nempe, Eucharistiam, quæ bona gratia dicitur. Quia denique Pater ad filium ait: *Non dabo triticum tuum inimicis*: Ideo suis amicis solùm dicit: *Comedite amici*, & solis charissimis: *Bibite, & inebriamini, charissimi.*

10 Quæ magis etiam declarantur in verbis Prophetæ immediatè sequentibus. *Quia qui congregant illud, comedent, & laudabunt Dominum: Et qui comportant illud, bibent in atrijs sanctis meis.* Nam Lyranus ad priora verba. *Qui congregant illud comedent, &c.* ait. *Per congregationem, intelligitur labor fidelium disponendo se ad debitè communicandum*: sicut etiam priora verba nostræ sententiæ. *Comedite amici*, ad fideles in cõmuni specialius dirigimus, qui solùm comedunt Christi corpus in Sacramento, non verò etiam bibunt eiusdem sanguinem, vt Sacerdotes, quibus propter hoc, sequentia de potu, & inebriatione magis quadrant in vtraque scriptura similiter iã allata. *Qui comportant illud, bibent in atrijs sanctis meis: Inebriamini charissimi.* Vnde idem Lyranus in verbis illis: *In quo laborasti*, quæ de sanguine Christi sunt, quia illum solũ Sacerdotes sumunt, vt dixi, sic ait. *Licet summus Sacerdos Iesus Christus hanc consecrationẽ faciat; tamen Sacerdotes ad hac laborat ieiunijs & orationibus, & alijs pijs operibus se disponendo, vt verba consecrationis debitè proferant, et Sacramentum percipiant.*

11 Et merito quidem hoc modo laborare debent omnes simul, & Sacerdotes & non Sacerdotes, quicumque illi sint, pro digna consecratione corporis Christi, & pro susceptione eius, & pro quacumque etiam contractatione, siue ministerio, circa ipsum, cùm pro nobis omnibus primò, & ad exemplum nostrum tantum prius laborauerit ipse Dominus; *Verè magnus Deus, & magna misericordia eius* (inquit Sanctus Hieronymus, vt refertur de consecr. dist. 2. cap. *Accesserunt*) *qui nobis dedit manducare corpus suum in quo tanta perpessus est, & sanguinem suum bibere.* Et hoc est, de quo etiam eidem filio suo Pater Æternus testimonium perhibet, dum similiter iurat illi, quòd non daret ipsum corpus eius in Sacramento inimicis suis, nec similiter sanguinem suum filijs alienis, vt refert Isaias, *Iurauit Dominus in dextera sua, & in brachio virtutis suæ: si dedero*; idest: *Non dabo triticum tuum inimicis tuis*: *et si biberint*; idest *non bibent: alieni vinum tuum, in quo tu laborasti.*

Vnde in hebraica lectione transfert Vatablus, vt diximus: *Pro quo tu sudasti*, pro verbis illis nostræ lectionis: *In quo tu laborasti*, quæ sunt de Christi sanguine. In illo enim sic laborauit, & sic sudauit etiam, quòd *factus est sudor eius, sicut sudor guttæ sanguinis decurrentis super terram*, quando instante iam passione, & morte sua, diutius in horto orauit Gethsemani. Etenim: *Verè dolores nostros ipse tulit, & labores nostros ipse portauit*, vt idem Isaias ait: *& nos putauimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo, & humiliatum: ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostra super eum, & liuore eius sanati sumus.* 12

Nec fortè perturbet, vel detineat aliquẽ dictio illa: *vltra*: in verbis Domini, cum dicit; *Si dedero vltra triticum tuum inimicis tuis*, &c. Quasi, scilicet, per illam inferatur: ergo antea dedit idem Dominus, vel dari volebat Eucharisticum filij sui triticum inimicis suis: nequaquam enim hoc sentiendum est, neque penitus cogitandum, quia, vt ait idem Lyran. hæc ipsa verba declarans. *Non intelligendum est, quòd ante fuerit eis datum. Quia hac dictio, vltra, non semper importat talem ante cessionem, sicut patet Deut. vlt. vbi dicitur. Non surrexit vltra Propheta in Israel, sicut Moyses, quem nosset Dominus facie ad faciem. Quia nec similis ante eum surrexit in conditionibus ibidem expressis.* 13

Et possumus exemplo Moysis exemplũ Mariæ Virginis iungere ex Diuo Hieronymo. Ait enim de illa, & de Ioseph sponso suo 14

Euangelicus textus apud Matth.c.1. *Antequã conuenirent, inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto*, Sanctus enim Hieronymus hæc verba sic exponit: *Quòd autem dicitur. Antequã conuenirent, non sequitur, vt postea conuenerint, sed scriptura quid factum non sit, ostendit.* Hinc, & Glossa super ipsa verba Euangelistæ, ait. *Non quòd postea conuenerint: sic enim dicimus: antequam eum pœniteret, mortuus est.* Antequam in portu prãderem, nauigaui: similiter ergo dictio ista. *Vltra* in Isaiæ textu de Eucharistia. *Si dedero vltra triticum tuum*, vel ex Vatablo: *Non dabo vltra frumentum tuum*, hoc loco non importat talem antecessionẽ, nec per hoc sequitur, quòd ante hoc Deus dederit, vel dari voluerit Eucharistiæ Sacramentum inimicis suis, & alienis filijs, quales sunt Iudei, Hæretici, Pagani, & alij infideles, & similiter Christiani mali, sed scriptura (vt aiebat Hieronymus) quid factũ non sit ostendit: Sicut etiam allata exempla demonstrãt: Et hoc tam de Sacerdotibus, quos hic charissimos Dominus vocat, intelligendum est, quã de alijs omnibus, quos sub nomine amicorũ compræhendit, dum illos ad suum corpus comedendum, & ad suum bibendum sanguinem, tam humaniter inuitat, dicens eis. *Comedite amici, bibite, & inebriamini charissimi.*

15 Et quidem obseruatione dignum videtur, quòd sicut in Isaiæ prophetia solùm explicat Dominus, quibus non erat daturus corpus, & sanguinem suum in Eucharistia, nempe, inimicis, nec alienis, sic in alia quoq; prophetia Hieremiæ manifestè declarat, quibus vtrũque dare disponebat, simul etiam vtriusque rei rationem indicans: sic enim cap.31. idem Dominus loquitur. *Inebriabo animam Sacerdotum pinguedine: & populus meus bonis meis adimplebitur.* Incepit ab ampliori beneficio, siue dono, hoc est, a corpore, & sanguine suo & a Sacerdotibus similiter, tanquam a dignioribus, quibus vtrumque promittebat: & post hæc de populo minus digno loquitur, cui ideo solum corpus suum pollicebatur: *Inebriabo* (inquit prius) *animam Sacerdotum pinguedine.* Primò enim in verbo. *Inebriabo*, quod vini proprium est secundum illud Pauli vulgatum Eph.5. *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria*, sanguinem Christi insinuat, qui in vino conficitur, & eiusdem ẽt vini accidentia retinet: & rursus ipsum verbum. *Inebriatio*, frequentiam potationis eiusdem sanguinis demonstrat, quæ in solis Sacerdotibus contingit, verbum verò: *pinguedine*, quæ in cibo verius est, ipsum Christi corpus indicare videtur, quo ijdem Sacerdotes cibantur simul cum populo solo i pso corpore contento: ideoque bona sua illud nominat, quibus repletur, siue bonum suũ in singulari, vt trãsfert Chald. secundùm illud etiam Zach.9. *Quid bonum eius est, nisi frumẽtum electorum?* Repleri enim verius, ac proprius de cibo dicimus, sicut etiam inebriari de potu.

Quia verò Sacerdotibus datum est à Domino, secundùm hanc eius propheticam promissionem, & sanguinem Christi potari, & eius simul cibari corpore: populo verò solum corpus concessum est (etsi totus Christus sit sub vtraque specie) Idcirco ipsum populũ solùm amicos vocat, Sacerdotes verò, charissimos. *Comedite amici*, &c. etsi ijdem Sacerdotes cum alijs omnibus, sub nomine etiam amicorum venire possint, ob com mestionem specialiter corporis Christi, cum eisdem cõmunem, sicut sub nomine charissimorum illos hic intelligimus, ob sanguinis potationem eis peculiarem, non priuantes tamen omnino alios, propter hoc eodem titulo. Ob hoc ipsam inebriationem ad potum referendam diximus, pinguedinem verò ad cibum: vtrumq; autem spiritualiter semper intelligendo, & ratione gratiæ principaliter, & aliorum spiritualium donorum, quibus anima, non corpus Sacerdotum, & populorum in Eucharistia specialius impinguatur, & inebriatur. Vnde & ipsa Hieremiæ sententia animæ non corpori tam inebriationem, quam etiam pinguedinẽ Eucharistiæ promittit. *Inebriabo* (inquit) *animam Sacerdotum pinguedine.* 16

Quòd manifestè docet etiam Diuus Innocentius Papa, de myst. Euang. sic de Eucharistia scribens. *Panis iste, si dignè manducetur, impinguat: si digne bibatur, inebriat, non corpus, sed cor, non ventrem, sed mentem: vnde poculum tuum inebrians, quam præclarum est:* Et similiter S. Paschasius loco citato hæc ipsa canticorum verba allegans, quæ & nos prælegimus. *Comedite amici*, &c. post illa enim, sic statim subijcit. *Quia profectò talis esca, & potus nunquam dignè sine ebrietate Spiritus sancti degustatur*, & S. Ambrosius de Sac. *Quotiescumque .n. bibis, remissionem accipis peccatorum, & inebriaris spiritu.* 17

Præterea corpus Christi, etsi esca sit solũ, & cib. nominetur, quia solũ sub cibi specie sumitur: tñ simul impinguat, & inebriat, nõ corpus, 18

pus, sed cor, non ventrem, sed mētem nostrā, vt inquit Inn. & similiter Christi sanguis, etsi potus tantū sit, & potus solū et dicatur: tñ animā nostrā similiter & inebriat, & impinguat. Hinc olim fideles, etsi sub vnica tantum specie panis cōmunicarent, post cōmunionē tamen, quasi ebrij spiritu, & in Domino gaudentes, eidē canebant: & Sancta Monica signanter, illud Psalmi dicū: *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum meū*, & illud pariter, *Volemus in cœlum: linquamus terram.* Hinc Ecclesia similiter cantat de corpore Christi, quod nobis ministratur sub specie panis. *Pinguis est panis Christi*, quia impinguare quidem panis est: Verum hic panis et inebriat mentē sicut, & illam impinguat, vt diximus. Idcirco de inebriatione et post impinguationē statim subijcit. *Et prabebit delicias Regibus.*

19 Hinc rursus in scripturis Ezech. 27. vinum pinguem reperimus, quia Christi sanguis, quē adumbrat in vino consecratus, non solùm, vt vinum inebriat, sed et impinguat vt panis, vt de pane diximus. Audiamus pro his omnib. S. Ambrosium lib. de bened. Patriarchar. c. 9. Primò .n. illud ex scriptura citans, q de Christi corpore Ecclesia cantat. *Pinguis est panis Christi, & prabebit delicias Regib.* addit statim. *Aser pinguis eius, & ipse dabit escam principibus. Aser interpretatione latina, significat diuitias. Quis igitur diues, nisi vbi altitudo diuitiarū est sapientia, & scientia Dei? Quis diues, nisi Dominus &c. Cuius inopia ditat, sanat fimbria, fames satiat, mors viuificat, sepultura resuscitat? Hic ergo diues est, &c.* sic S. Ambros. Audiamus modo post illum etiā S. Paschasiū vbi sup. c. 9. Pro hoc ipso primū refert illud Psalmi. *Adipe frumenti satiat te*, & postea sic sequitur. *Notādum quòd hoc frumentum, corpus, vlz. Christi adipem habeat, & non solùm adipem, sed & oēs delicias, ita & potus sanguinis: vnde, quod de petra typice manauit, nunc mel, nunc oleum, nunc aqua, nunc quoq; potus dicitur, quia quidquid gustare spiritualiter potuerit, hoc totū ibi inueniet.* Hæc Paschasius. Sed iam satis de Christi corpore diximus pro populo in communi, quē ad illud comedendum Christus sub amicorū nomine inuitat illis verbis. *Comedite amici*: de hoc enim frequenter ad eundem in alijs sermonibus. Nunc ad Sacerdotes verba nostra conuertamus de Christi sanguine, ad cuius haustum, cum Christo pariter, & Christi vocibus eosdem nunc adhortamur, dicentes ad illos. *Bibite, & inebriamini charissimi.*

Audiant ergo, & attendant Sacerdotes: 20 omnes, non me solum, sed ipsum Christum potissimum hæc dicentem, & simul etiam facientem: sicut enim quumprimum Eucharistiam instituit, & ad illam sumendam Discipulos suos inuitauit, simul etiam proprijs manibus eandem illis porrexit, sic Sacerdotib. specialiter calicem sanguinis sui offert, & ministrat, tanquam eorum pincerna, dicens illis. *Bibite, & inebriamini charissimi*: & insuper de hoc ipso etiam gloriatur, dicens cum Esdra 2. cap. 1. *Ego autem eram pincerna regis*, idest Sacerdotis, Sacerdotes enim & ipsi canunt illi. *Fecisti nos Deo nostro regnum, & Sacerdotes:* Vnde & regale dicitur eorum Sacerdotium: Et proinde *calix in manu Domini vini meri plenus mixto*, quem Sacerdotibus, tanquam regibus ipse pincerna ministrat, dicens illis. *Ego autem eram pincerna regis. Bibite ex hoc omnes. Bibite, & inebriamini charissimi.*

Nec quis ista leuia, vel gratis dicta reputet, 21 hæc enim nos docuerunt Ecclesiæ Patres, & Doctores. Ait enim S. Chrisostomus, & legitur ab Ecclesia ipsa in officio corporis Christi. *Tu laice, cum Sacerdotem videris offerentem, ne vt Sacerdotem consideres, sed Dei manum inuisibiliter extensam*, in administrando, nimirum, suum corpus omnibus, sanguinē verò solis Sacerdotibus: Non solum verò tradit Sanctus Chrisostomus manum Christi inuisibiliter extensam in Eucharistia hoc modo, sed testatur Sanctus Cyprianus insuper, ipsum Christum in illa, pincernā nobiscū agere, sic scribens serm. de cœna Domini.

Nobis itaque, pro quibus sanguis, Christi .blatus est, & quos reconciliauit Deo, omnes excedens victimas hoc sacrificiū singulare, ipse Christus pincerna porrexit hoc poculum, vt non tantum exterius hoc sanguine liniremur, sed & interius aspersione omnipotenti in anima muniremur, & penetrans omnia tanti medicamenti virtus, quicquid esset intus ibi durum effugaret, et renouaret, sanaretq; quidquid morbi carnis, vel spiritus veteris vita ad liniuerat corruptela. Quam praclarus est calix iste, quam religiosa est huius potus ebrietas, per q̄ excedimus Deo, & q̄ retrò sūt obliti ad anteriora extendimur, non habentes sensum huius mundi, sed diuitis purpurati delicias cōtemnentes, cruci haremus, sanguinē sugimus, & intra ipsa' redemptoris nostri vulnera figimus linguā, que interius exteriusq; rubricati, a sapientib. huius saculi iudicamur amentes, qui religionis huius abhorrentes mandatū, vsq; hodiè retro abeunt, & a secretis diuinis ci̇um intra se mysteriorū continentib. sūmam diffugiunt, & recedunt.

In hoc ϰmo non est luxuria, nec mouetur ad ludū
post hunc potum lasciuia. Consopiuit obliuio cū-
cta carnis ludibria: mira sunt quæ sentit, magna
quæ videt, inaudita quæ loquitur, quem agnus
iste pasqualis inhabitat, cuius animam meri hu-
ius fortitudo hilaritate inexplicabili lætificat, &
delectat. Hæc omnia Sanctus Cyprianus.

22 Reliquum est modò hoc solùm, o Sa-
cerdotes, vt sicut Christi sanguinis excellen-
tiam, & virtutem discimus, & spiritualem
eius ebrietatem præcipue, sic etiam in nobis
ipsis hanc experiri curemus: quia, etsi sine
exhortatione vlla Christi sanguinem quotidie
potamus in sancto Altari, non tamen quotidie
de illo nos inebriamus. *Neque enim hic calix*
integrè percipitur (inquit in præcitato loco
Paschasius) *nisi & moraliter inebriet mentem,*
& spiritualiter de Altari corporis Christi ob re-
nouationem nos refundat. Vbi profectò Christus
conuiuium, & conuiua noster simul esse voluit.
Hinc similia tradit Sanctus Ambrosius de ber.
patriarc. quæ similiter ab ijs, qui solùm de cor-
pore participant, non minus annotāda erunt,
nempe, quod hi solùm, qui dignè manducant
corpus Christi, illud accipere dicuntur: sic
enim scribit ibi Sanctus Ambrosius. *Hic ergo*
panis factus esca sanctorum. Ille enim accipit,
qui seipsū probat. Qui aūt accipit, nō moritur pec-
catoris morte: quia panis hic remissio peccatorum est.

23 Et hoc ipsum quod hic docent Amb. &
Pasch. sufficienter verbis Christi edocemur,
quibus ad corpus & sanguinem suum nos
inuitat, vt iam monuimus. *Comedite* (ait) *a-*
mici, bibite, & inebriamini charissimi. Ergo so-
li amici Christi verè comedunt corpus
Christi, & solùm qui sunt eidem charissimi,
bibunt eius sanguinem: Et quia non distin-
guit, de quibus amicis, nec de quibus charissi-
mis loquatur, & ex doctrina legis etiam: *Vbi*
lex ipsa non distinguit, nec nos distinguere debe-
mus, hoc intelligitur de amicis, & charissimis
etiam proximi, sicut & Christi: quòd, nimirū,
illi omnes, qui proximi sui sunt aliquo modo
inimici, illum non amantes; quia hi, nec Chri-
sti esse possunt amici, nec illum amare simili-
ter, cum dicat Ioannes 1. c. 4. *Qui enim non*
diligit fratrem suum quem videt, Deū, quē non vi-
det, quomodo potest diligere? ad Eucharistiam
nullo modo debent accedere. *Ad hoc enim*
(ait Chrisostomus de hoc Sacramento hom.
24. 1. Cor.) *vocat illud terribile & formidandū*
sacrificium iubens, vt cum concordia maxime ad
ipsum accedamus, & ardenti charitate.
Hinc & Ecclesia in Cath. de eadem Euchari-
stia loquens. *Factum est* (inquit) *vt Sacramen-*
tum etiam pacis & charitatis diceretur, vt intel-
ligeremus, quàm indigni sunt Christiano nomine,
qui inimicitias exercent, odiaq; dissidia, ac discor-
dias, vt teterrimas fidelium pestes omnino extermi-
nandas esse: cum præsertim quotidiano religionis
nostræ sacrificio, nihil nos studiosius seruare, quā
pacem & charitatem profiteamur: sic Ecclā ibi.
Propter hoc ergo & Christus ad insinuandā
pacem, & amicitiam cum proximo ad Eucha
ristiam accedentibus inprimis necessariam
esse, amicos & charissimos tantùm, & in cō-
muni, non verò inimicos sibi soli, vel etiam
proximo ad illam vocat, dicens illis. *Comedi-*
te amici, bibite, & inebriamini, charissimi: Vt, ni-
mirum, inimicos omnes suos, vel proximi ab
eadem exclusos declaret.

Sed modo ad Sacerdotes: *Bibite & ine-* 24
briamini, charissimi. Qui bibitis Christi sangui-
nem, sic facite, vt verè bibatis, vt illo vos ine-
brietis. *Neque enim hic calix integrè percipitur,*
nisi & moraliter inebriet, vt cū Pasc. dicebam.
Inebriamini non à vino, sed ab eo, quod est
sub vino, à Christi sanguine, qui est sub vini
specie. Immo: *Nolite inebriari vino, in quo est*
luxuria, quia sic consequenter luxuria etiam
inebriaremini, vt illi, quib. S. Iacob. c. 5. scribit,
Epulati estis, & i luxurijs enutristis corda vestra.

Verè ad se inebriandum vocat etiam 25
luxuria, & luxuriosa mulier præsertim ami-
cos, & charissimos suos, sicut & Christus ad
se inebriandum suo sanguine, suos pariter a-
micos, & charissimos inuitat, & ferè eisdem
verbis. *Comedite amici, &c.* ait Christus ad
suos, Cantic. 5. *Veni inebriemur vberibus, &*
fruamur cupitis amplexibus, ait meretrix ad
suum quemdam amicum Prouerb. 7. *fruamur*
amicitia, legunt Greci, *Amori indulgebimus*;
legunt Hebrei secundum Vatab. hoc est *ine-*
briemur amore, vel *dilectionibus*, secundùm eū-
dem in notationibus, vel: *Veni iocundemur*
amoribus, vt legunt Chaldei. Hinc de eadem
meretrice ante hæc verba dicit scriptura.
Apprehensumq; deosculatur iuuenem, & procaci
vultu blanditur, nimirum, tanquam amicum,
& charum, quo nomine etiam communiter
appellare se inuicē solent, & ab alijs ēt viri, &
feminę pariter luxurię deditę, illaq; inebriatę.

Itaq; o sacerdotes cū vocent vos, & Chri- 26
stus, & meretrix ad ebrietatē attendite quę-
so & videte, quem auscultetis, & cui obedia-
tis magis cuius inuitatum potius acceptetis.
Inuitat vos Christus ad bonam, sanctamq; e-
brietatē sanguinis sui, vt sæpe iam audistis: in-

uitat

uitat vos meretrix ad malã turpemq; ebrietatem luxuriæ suæ. Qui ad Christi sanguinẽ vadit, vt illo se inebriet, in cęlũ vadit, vbi habebit vitã æternam, eiusdẽ fidelissima repromissione. *Qui manducat meam carnem, & bibit meũ sanguinem habet vitam æternã.* Qui aũt ad meretricem accedit, vt inebriet se pariter illius amore, & luxuria, in Infernũ perueniet, vbi mortem patietur æternã. *Via inferi domus eius, penetrantes in interiora mortis*, inquit Salomon in eodẽ suorũ prouerbiorũ loco de meretrice amicum suum inuitante. Et iterũ 2.c. *Inclinata est .n. ad mortẽ domus eius, & ad inferos semitæ ipsius: omnes qui ingrediuntur ad eam, non reuertentur, nec apprehendent semitas vitæ.* Et præterea ibidẽ cũ narrasset, meretricẽ iuuenem amicum, & charũ suum ad luxuriosam ebrietatem vocantẽ, statim sic eundẽ ab hoc benignè dissuadet: *Nunc ergo fili mi audi me, & attende verbis oris mei: ne abstrahatur in vijs illius mens tua, neq; decipiaris semitis eius: multos enim vulneratos deiecit, & fortissimi quiq; interfecti sunt ab ea.*

27 Sic Salomon, & per Salomonem Spiritus sanctus ad oẽs homines quidẽ, & ad eorum quemlibet; sed ad quemlibet Sacerdotẽ specialius, qui non solum ex communi lege, sed ex voto speciali etiam, & statu, in huiusmodi luxuriæ vijs abstrahi nullo modo debet; eadẽ se luxuria inebriando, vt Christi sanguine vere inebriari possit, sicut ab eodẽ similiter benignissimè monetur: *Inebriamini charissimi:* & tamen (heu) totum oppositum videmus in nonnullis Sacerdotib. qui temerarie nimis, impiè, ac sacrilege supra modum ingurgitare se quotidie nõ verentur prætiosissimo, ac sanctissimo Christi sanguine in missa, & tamen inebriantur turpissima et luxuria, nõ curãtes penitus, eodẽ Christi sanguine spiritualiter inebriari, sicut tenentur, & ab ipso Christo monentur suauissimus verbis. *Bibite & inebriamini charissimi*, quòd iam satis eisdem inculcauimus.

28 Quid iam dicam eis? nescio prorsus: Tacebo ergo: Alloquatur illos sanctus Sacerdos cuius obiurgationes facilius fortasse, vel mitius sustinebunt quam meas, Beatus, nempe, Petrus Damian. Cardinalis lib. 1. Ep. Epist. 6. *Cur o Sacerdos (inquit) qui sacrum dare, hoc est sacrificiũ Deo debes offerre, temetipsum priùs maligno spiritui non vereris victimã immolare? fornicans .n. à Christi te mẽbris abscindis, & meretricis corpus efficeris, Apostolo testante, qui ait. Qui adheret meretrici, vnũ corpus efficitur. Et iterum. Tollam (inquit) mẽbra Christi, & faciam membra meretricis? absit. Quid ergo tibi cũ corpore Christi, qui per carnis illecebrosa luxuriam mẽbrũ factus es Antichristi? Quæ n conuentio luci, ad tenebras? Aut quæ societas Christi ad Belial? Nunquid ignoras Dei filiũ adeo carnis elegisse munditiã, vt nequidem de pudicitia coniugali, sed de clausula potius incarnatus sit virginali? Et ne hoc sufficere videatur, vt tantummodo Virgo sit mater, Ecclesiæ fides est, vt Virgo fuerit & is, qui simulatus est Pater. Si igitur Redẽptor noster tãtopere dilexit floridi pudoris integritatẽ, vt nõ modo de virgineo vtero nasceretur, sed ẽt à nutritio Virgine tractaretur, et hoc cũ adhuc paruulus vagiret in cunis, à quib. nũc obsecro tractari vult corpus suũ, cum iam immensus regnat in Cœlis? Si mundis attingi manib. volebat in præsepi positus: quantã corpori suo nunc vult adesse munditiã iam in paternæ Maiestatis Gloria sublimatus? Planè si Pater filiam suam incestuosè corrũpit, mox ab Ecclesia proiectus excluditur, cõmunione priuatur, vel in carcerem truditur, vel in exilium destinatur. Quãto ergo deterius ipse abijciendus es, qui cum filia tua non quidem carnali, quod minus est, sed cum spirituali potius perire nõ metuis? oẽs quippe Ecclesiæ tuæ filij, tui procul dubio filij tui sunt: & certè perspicuũ est: quia spiritualis generatio maior est, quam carnalis.* Itẽ sic inferius idem Doctor subdit. *Qui ergo cũ spirituali filia cõmittis incestum, qua conscientia Dominici corporis audes tractare mysterium.*

Hæc est Petri Damiani repræhensio cõtra 29
malos Sacerdotes. Sed rogo, & uehementer in Domiuo obsecro in viscerib. Iesu Christi Sacerdotes oẽs, ne amaris hominũ obiurgationib. solũ moueantur, & inducantur ad verã sãguinis eiusdẽ ebrietatẽ, sed dulcissima potissimum admonitione eius multoties iam illis repetitã *Bibite & inebriamini charissimi:* vt aũt sic inebriari ab eodẽ mereantur, ad ipsam ebrietatẽ prius præparẽtur. q monet ẽt S. Paschas. in præcitato loco ca. 10. ibi .n. allegans verba illa Psalmi de eadem Christi sanguinis ebrietate: *Calix tuus inebrians quã præclarus est*, q & nos nõ semel retulimus, hæc primò de illo scribit. *Præclarus vtiq; quia et veritate, & fulgore clarius resplendet, & luce Sancti Spiritus illustrat, ac p hoc fideliũ inebriat mentes, quo; slz. haustu illi ebrij erant hora diei tertia super quos sedẽ Spiritus sanctus plenius diffuderat.* Post hæc verò statim eandẽ præparationẽ ad Christi sanguinem, sic infert: *Idcirco & nostra accipientium præparanda sunt corda, vt tali epulo refecti, ad altiora in fortitudine transeamus.* Amen.

Sermo

SERMO VIGESIMVS SEPTIMVS.

De præparatione ad Euchariſtiam.

Probet autem ſeipſum homo: & ſic de pane illo edat, & de calice bibat: qui enim manducat, & bibit indignè, iudicium ſibi manducat, & bibit, non diiudicans corpus Domini. 1. Cor. cap. 11.

ARGVMENTVM.

Declaratur vera probatio, ac præparatio, qua Euchariſticum panē, ac ſanguinem comedere, & bibere debemus, ex multiplici Sanctorum Patrum doctrina: & quam grauiter delinquat, ac ſeuerè puniatur indignè communicans.

1 P*Ralibata Pauli verba ferè omnes aſſumunt, qui de diſpoſitione, ſeu præparatione ad Euchariſtiam ſuſcipiēdam ſcribunt, vel loquuntur: & merito quidem, nam ex ſcripturis, nihil fortè conuenientius, & ad rem magis afferri poteſt. Verumtamen, etſi quamplurimi pro hoc ipſo illa attingant, pauci tamen (quos legerim ſaltem) ſunt, qui in his explicādis diutius immorentur. Itaque cum præparationem ipſam explicandam nunc ſuſceperim, ad hoc etiam eadē Pauli verba clarius, ac diffuſius ſecūdum varias Sanctorum Patrum ſententias potiſſimum explicabo, & pro digna præparatione quidē illa priora.* Probet autem ſeipſum homo: & ſic de pane illo edat, & de calice bibat, *Secundò loco verò demonſtrabo, quantam de ſe contrahat culpam, & pœnam ſimul, qui ad illam in præparatus accedit, in immediatè ſequentibus.* Qui enim mā-ducat, & bibit indignè iudicium ſibi manducat, & bibit, non diiudicans corpus Domini.

Iam ergo cum Apoſtolo dicamus. Probet 2
autem ſeipſum homo: & ſic de pane illo edat, & de calice bibat. *Has verba Sanctus Gregorius in primo libro Regum ſic explicat.* Quid eſt hoc loco ſe probare, niſi euacuata peccatorum nequitia, ſe probatum ad diuinam menſam, & paratū exhibere? *Similia ſcribit Diu. Hieronymus, hæc eadē Apoſtoli verba pertractās.* Si in linteum (*ait*) vel vas ſordidum non illud mittere audet, quātò magis in corde polluto, quàm immunditiam Deus ſuper omnia execratur, & quæ ſola iniuria eſt eius corpori? Nam & Ioſeph ille iuſtus propterea ſindone mūda inuolutum in ſepulcro nouo corpus Domini ſepeliuit, præfigurans, corpus Domini accepturos tàm mundam debere habere mentem, quàm nouam. *Diuus Ambroſ. ſimiliter hæc eiuſdem Pauli verba expenens.* Iudicium ſibi manducat, &c. *ſic ait.* Deuoto animo, & cum timore, accedendum ad communionem docet, vt ſciat mens reuerentiam ſe debere ei, ad cuius corpus ſumendum accedit. Acceſſuri (*inquit Auguſt. ſerm. 127. de tempore*) ad Altare Domini Dei noſtri, inſpicite vniuerſa latibula cordis veſtri, ne forte ſint ibi aliqua peccata, quę nondum curata ſint eleemoſynis, atque ieiunijs: & timete illud Apoſtoli, Qui manducauerit corpus Domini,

mini,& biberit sanguinem eius indignè,reus erit corporis & sanguinis Domini:probet aũt seipsum homo, & sic de pane illo edat,& de calice bibat.

3 *Sanctus Bernardus ad sororem lib. de modo beneviuendi.* Probet autem seipsum homo. Ac si diceret: Vitam suam; & emundet cor suum ab omni malitia,vt dignè possit accedere ad tam magnum Sacramentum. *Sanctus Anselmus hæc ipsa verba sigillatim, & distinctè magis, hoc modo ad litteram declarat:* Nemo præsumat accedere indignus, sed (homo) idest rationabiliter agens (probet) idest discutiat,& examinet prius seipsum, qui etiam ex eo, quòd homo est, sine peccato non est. Probet antea seipsum: idest vitam suam inspiciat,& consideret,an dignè possit accedere,vel non. Rarò enim potest inueniri quisquam tam magnus & iustus, vt in eo per discussionem non inueniatur aliquid, quòd debeat eum à corpore, & sanguine Domini retardare, nisi confessus fuerit illud, & per pœnitentiam deleuerit. Probet se, & sic, idest, postquam se probauerit, edat de pane illo,& de calice bibat: quia tunc ei proderit. *Sic Anselmus. Simili modo, & Chrisostomus, ipsa verba secundùm litteram exponis.* Propterea dicit. Probet autem seipsum vnusquisque: & tunc accedat,neque iussit alteri,alterum probare: sed sibi seipsum,faciens iudicium,ad q; populo non pateat aditus, & probationem quæ careat testibus: *Sic ille: Et rursus.* Vos ipsos tentate,vos ipsos probate. Non sicut nos facimus,qui tempore moti magis accedimus, quã studio animi. Non enim eo spectamus, vt accedamus parati,& malis nostris expiati, & pleni compũctione,sed vt in diebus festis, & quando omnes accedunt. Sed non sic iussit Paulus,sed vnum nouit tempus aditus, & communionis, puritatem conscientiæ. Si n. mensæ sensilis non fuerimus participes febrientes,& malis pleni humoribus,ne pereamus,multò magis nefas est hanc tangere cũ malis cupiditatibus,quæ sunt grauiores febribus: quando autem prauas dico cupiditates, & corporum dico cupiditates,& pecuniarũ, & iræ, & odij, & acceptæ iniuriæ recordationis, & omnes (vt semel dicam) prauas. Et oportet eum, qui accedit,his omnibus exhaustis,ita illud mundum tangere sacrificium, & neque segniter,& miserè affectum, necesse habere propter diem festum accedere. Neq; rursus conpunctum & paratum prohiberi, propterea quòd non sit dies festus. Dies enim festus est bonorum operum ostensio,&pietas animæ,&vita rectè instituta:et si hæc habeas,poteris semper diem festũ agere,& semper accedere. *Hæc omnia ex Chrisost. fideliter.*

Tandem Patribus Sanctæ Ecclesiæ iungamus eiusdem Ecclesiæ doctrinam ex Tridentino Concilio,sess.13. cap.7. quæ talis est. Communicare volenti reuocandum est in memoriam eius præceptum. Probet seipsum homo. Ecclesiastica autem consuetudo declarat,eam probationem necessariam esse,vt nullus sibi conscius mortalis peccati, quantùmuis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramẽtali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat, quòd à Christianus omnibus,& etiam ab ijs Sacerdotibus,quibus ex officio incumbuerit celebrare,hæc sancta Synodus perpetuò seruandum esse decreuit, modo non desit illis copia confessoris. Quòd si necessitate vrgente, Sacerdos absque præuia confessione celebrauerit, quam primum confiteatur. 4

5 *Et hæc omnia quidem de probatione generali, & in communi. Modo in particulari magis eãdem explicemus præsertim verò ex Diuo Bonauẽtura in tractatu suo de præparatione ad Missam, qui habetur inter opuscula sua, tomo secundo Primo igitur ait.* Accessurus ad mensam cœlestis conuiuij,iuxta Apostolum. Proba te ipsum, & diligenter examina,qua fide, quali proposito,quãta charitate,propter quid, aut propter quam causam accedis, vt sic accedẽdò ad mensam cœlestis conuiuij, iuxta Apolum probes te ipsum diligenter examinando.

6 *Quatuor ergo consideranda proponit Sanctus Bonauentura omnibus quidem fidelibus communicaturis,sed præsertim Sacerdotibus celebraturis,sicut etiam eosdem Sacerdotes præcipuè tãgit ipsa Diui Pauli doctrina, qui quotidiè communicat, vel saltem frequentius, quam alij panem Eucharisticum comedunt, & calicẽ bibunt.* Attẽde igit ista quatuor p se *(inquit Doctor Seraphicus)* & vide primò, quam fidem habeas circa veritatẽ & essentiam huius Sacramẽti. *Catechismus Romanus etiam hoc idem argumẽtum pertractans,sic ait.* Primum itaque illam præparationem fideles adhibeant,vt discernant mensam hanc sacram, ab alijs prophanis, cœlestem hunc panem,à communi: atque hoc fit,cum certò credimus, præsens esse verum corpus, & sanguinem Domini, quẽ in cœlo Angeli adorant, ad cuius nutum co-

lumnæ cœli contremiscunt & pauent: cuius Gloria plenum est cœlum, & terra. Hoc, nimirum, est dijudicare corpus Domini, quod Apostolus admonuit, cuius tamen mysterij magnitudinem venerari potius oportet, quã in disputationibus eius veritatem curiosius perquirere.

7 *Hæc Catechismus, cui in hoc ipso morem gerentes, nihil aliud curiosius modo perquiremus circa Eucharistia veritatem, cum, & illam firma fide teneamus, et de illa aliàs etiam fusius disseram⁹. Ad secundam potius S. Bonauenturæ considerationem transeamus, eiusdem præsertim doctrinã sequentes, quàm idem procul dubio prius practicauit, quàm docuit: & quia insuper nihil doctius, nihilque deuotius, ac fructuosius reperio inter quã plura, quæ calamo se offerunt, de hoc genere.* Secundò igitur ad Eucharistiam accedens conficiendam, vel etiam sumendam solum, proba teipsum, cum quali proposito, & dispositione accedas. Ideo discute, & reuolue conscientiæ domum, & vide, ne fortè sit intus aliqua turpitudo in mente, vel macula extra in carne, quã offendi possunt oculi illius, qui est sanctus sanctorum. Primò ergo rediens introrsus ad iniquitatem tuæ mentis, quanta mala ab ineunte ætate comisisti, quãta bona neglexisti, quàm breuis vita, quàm incerta mors, quàm lubrica, & periculosa via huius temporis, rumina, ne fortè (quòd absit) post præcedentem confessionem, & pœnitentiam, aliquod in te sit mortale peccatũ, vel peccandi propositum, vnde mortua sit misera anima tua. *Et iterum idem. Sanctus de hac ipsa re scribens in libello suo de puritate conscientia.* Probet ergo (ait) idest examinet se ipsum homo, antequam Sacramentum percipiat, & diligenter se videat, vtrum sit mund⁹, vel immundus: vtrum deuotus, vel indeuotus: vtrum reuerens, vel irreuerens, timens, vel præsumens accedat, etiam si certus sit, vel certum se putet, quòd non sit vitiosè pollutus, vel aliquo modo mortali peccato infectus. Non enim debet volens istum cœlestem panem sumere, esse contentus, se non habere peccatum mortale, neque præcedenti nocte vitiosa occasione fuisse pollutum: quia, licet hæc duo quemlibet reddant ipso cibo indignum, alia tamen plura sunt, quibus se homo debet ab hoc cibo subtrahere reuenter, quæ explicare non audeo, quia à Sanctis, & Doctoribus ipsa expressa non reperi, atque illustrationi gratiæ Dei ea securius simpliciter relinquenda decreui.

8 *Ante Bonauenturam Dionysius Areopagita de Eccl. Hier. docuit & ipse, non solum a venialib. sed etiam ab alijs omnibus defectibus nos esse debere mundissimos, quando communicamus. Etiã Tridentinum Concilium loco citato, etsi doceat (vt iam retulimus) necessariam probationem cõmunicare volentibus, esse peccato mortali carere, ante hoc tamen, sic ait.* Certè quo magis sanctitas & Diuinitas cœlestis huius Sacramenti viro Christiano comperta est, eo diligentius cauere ille debet, ne absq; magna reuerentia, & sanctitate ad id percipiendum accedat. *Denique Diuus Anselmus exponens hæc ipsa Apostoli verba.* Qui enim manducat, &c. *sic ait.* Indignè manducat & bibit, qui vel aliquod graue peccatum, vel multa leuia commisit, & non confitetur ea, priusquam ad communionem accedat: *Sic ille: & paulò inferius.* Deuoto enim animo, & cum timore accedendum est ad illam, vt sciat mens, se ei reuerentiam debere, ad cuius corpus sumẽdum accedit. & dijudicet apud se, cuius dignitatis sit illud corpus. *Hæc Anselmus. His consentanea subijciamus adhuc ex eodem Bonauentura vbi supra, pro eadem secunda probatione: cum quali nempe, proposito, & dispositione nos ipsos probare debemus, cum ad Eucharistiam accedimus. Ait ergo.* Non tantum cordis, sed & corporis attendenda est munditia. Ideo caue, ne immundus accedas, non tantum dico de immunditia voluntaria, quæ mortalis, sed etiam nocturnali siue casuali macula, quæ impedit celebrationem, vbi non est magna necessitas, vel iussio præceptorum. *Hæc S. Bonauentura quo ad indispositionem respectu nocturnalis pollutionis, vt ille ait: quod hoc loco sufficiat Sacerdotibus, & alijs: clariora verò ac distinctiora ex eodem petantur, & aliunde: interea hoc loco etiam notent hi omnes, & Sacerdotes præcipue hæc, quæ ibidem inferius subdit.* Custodire etiam debes pudicitiam manuum, quantum potes, & omnium membrorum tuorum puritatem: vnde tibi cõsulo, vt præ cæteris hominibus, omni tempore, maximè cum Missam celebraturus es, caueas ab omni tactu non solùm turpi, & immundo, qui sit cum peccato, sed etiam à quolibet indecenti, & coinquinato, vt totum te recolligas, vt nec actus, nec cogitatio ad aliquod aliud dispergatur. Et insuper curam habeas diligenter de munditia, & nitore paramentorum Altaris, & sacrorum vasorum, vt cum honore, & omni diligentia tractetur ille, qui est Angelis, & Archangelis tremebundus. *Sic Sanctus Bonauentura.*

Denique

Denique idem in fasciculario suo. Tria sunt (*ait*) quæ exigit à te huius Sacramenti digna susceptio: scilicet, corporalem mũditiam, puritatem conscientiæ, & actualem deuotionem. *De corporali mundicia, & puritate conscientiæ satis iam diximus: actualis verò deuotio ad tertiam probationem magis spectare videtur, quàm idem sic explicat,*

9 Tertiò proba teipsum, ex quãta charitate, & quali feruore accedis. Non solùm enim mortalia, vitanda sunt, sed etiam venialia peccata per negligentiam, & ocium multiplicata, & etiam per incõsiderationem, ac per distractionem dissolutæ vitæ, & malæ consuetudinis: licet enim non occidant animam, tamen reddunt hominem tepidum, grauem, & obnubilatum, & indispositum, & ineptum ad celebrandum, nisi dicti pulueres, & stipulæ venialium per afflatum spiritus, & flammã charitatis, ventillentur, & consumentur ex ardescente igne cordis, & ex consideratione propriæ vilitatis. Ideo caue, ne nimis tepidus, & inordinatus accedas, & inconsideratus: quia indignè sumis, si non accedis reuerenter, circumspectè, & consideratè. Vnde Apostolus: Iudicium sibi manducat, & bibit. *Hæc Sanctus Bonauentura, Et hæc quæ sequuntur Sanctus Cyprianus de cœna Domini ad idem.* Hi qui verbo tenus, corde sicci, & mente aridi sacris intersunt, vel etiam participant donis, lambunt quidem petram, sed inde nec mel sugunt, nec oleum, qui nec aliqua charitatis dulcedine, nec Spiritus sancti pinguedine vegetantur, nec se iudicant, nec Sacramenta dijudicant: sed sicut cibis communibus irreuerentes sacris vtuntur muneribus, & Dominicæ mensæ in veste lutulenta se ingerunt impudenter, quibus melius erat mola asinaria collo alligata mergi in pelagus, quam illota conscientia de manu Domini buccellam accipere, qui vsque hodie hoc verissimum, & sanctissimum corpus suum creat, & sanctificat, & benedicit, & piè sumentib. diuidit. *sic ille.*

10 Duobus enim modis (*inquit Anselmus vbi supra*) manducare, & bibere debemus hoc Sacramẽtũ, idest ore cordis, & ore corporis. Nam, qui solo ore corporis manducat, indignè manducat: qui autem & ore corporis, & ore cordis accipit, ille dignè comedit. *Sanctus Cyprianus iterum ibidem de hac ipsa manducatione cordis, qua secundum Anselmi sẽtentiam corpus Domini manducare debemus, quando & ore manducamus, sic ait.* Celebrantes Sacramenta, commonemur quasi vngulã findens, & ruminans pecus, reuocare ad fauces, & minutatim cõmolere Dominicæ institutionis exemplum, vt semper passio sit in mẽmoria. *Hanc Cypriani admonitionem de memoria passionis Christi, in communione: quia est etiã Christi admonitio & preceptum simul.* Hoc facite in meam commemorationem. *Sanctus Bonauentura sedulò obseruabat, vnde scriptũ reliquit.* Id tamen quod pro me ipso retineo, est verbum illius, qui hoc Sacramentum instituit, quem non credo, frustra illud protulisse, dixit enim. Hæc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis: ex quo quidem verbo, arguo mihi ipsi, quòd quoties volo id agere, quòd ipse instituit, & modo prædicto reliquit, timeo nequaquam sine remorsu conscientiæ, ac præiuditio animæ ad illud posse accedere, nisi præ memorata ipsius instituentis charitate, ac eius passione, & morte, in cuius memoriam perpetuè recolendam, illud Sacramentum debere confici, & percipi, ipse preclare asseruit, & iniunxit.

11 *Hinc Anselmus idem Domini preceptum, Hoc facite in meam commemorationem. Hoc modo declarat,* Hoc quod dixit (facite) idest: corpus meum accipite, & manducate per successionem temporis, vsque in finem sæculi, (in meam commemorationem) idest: In memoriam passionis meæ, vt pertractetis, ac consideretis, quam dignam, & sanctam, & humanæ saluti efficacem medicinam accipitis, quatenus ex consideratione tantæ sanctitatis, cum maiori veneratione sacram Euchãristiam percipiatis, & imitari passionem meã desideretis: vt si opus fuerit, pro salute fratrum mori parati sitis. Accipientes enim corpus meum, memores mei esse debetis, vt diligenter recogitetis, quis ego sim, & quæ inter homines conuersans operatus sim, vel quæ pertulerim, vt sicut præcessi, sequamini: vel. Vos Sacerdotes (hoc facite) idest: ex pane corpus meũ per mystica verba consecrate in memoriam passionis meæ, vt recogitetis eã, dum sacrificium illud obtuleritis.

Et iterum idem Anselmus verba Domini de calice explicans, similia repetit,

12 Hoc (inquit) (facite) (idest hunc calicem bibite) (in meam commemorationem) quotiescunque biberis illum, vt, scilicet, nunquã sine memoria passionis meæ bibatis illũ. sed in mẽte habeatis, quia ego mortẽ ꝑtuli ꝓ vobis,

Aut certe vos, qui Sacerdotis estis, hoc facite, quod ego nunc feci, idest calicem vini consecrate, vt fiat sanguis meus. Hoc facite in meā commemorationem, vt in hoc facto sitis memores mei, & eorū, quæ pro vobis passus sū. *Hæc Anselmus de memoria Christi ac passionis eius, quam idem Dominus in Eucharistia nobis iniunxit: vt ad amorem eius accedamur, & inflamemur magis, dum sollicitè cogitamus, quid pro peccatis nostris pati dignatus sit Dei filius, & quod eandem Eucharistiam etiam in ipso passionis suæ tempore pro nobis instituerit: Vtrumque enim immensi eiusdem Christi erga nos amoris manifestissimum, ac euidentissimum argumentum fuit.*

83 *Quod explicat Chrysostomus. Hæc eadē Pauli verba explicans.* Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis mortem Domini annunciabitis donec veniat. Sicut enim (inquit) in pane, & in calice dixit Christus. Hoc facite in meam commemorationem, nobis aperiens causam dationis mysterij, & cum alijs hanc etiam dicens esse sufficientem ad fundandam pietatem: quando enim cogitaueris, quid Dominus tuus passus sit propter te, eris amantior sapientiæ: sic etiam hic dicit Paulus: Quotiescunque manducabitis, mortem eius annunciabitis.

Hinc & Bonauentura de eadem preparatione ad Eucharistiam dicit. Si vis accendi ad amorē, considera tota mente ista duo: primò illius summæ charitatis incendium, quo summa bonitas, & benignitas pro te vermiculo fœtido tam pœnolæ sustinuit crucis opprobriū, secundò illius nobilissimi corporis cibationē dulcissimamque sanguinis potationem. *Porrò charitas hæc, quæ in nobis accenditur ex abundantia Christi consideratione est tertia probatio, quam nos idem Sanctus Bonauentura edocet, qua nos ad Eucharistiam accedentes probare debemus iuxta Apostoli præceptū, quod prædicamus.* Probet autem &c. *Quarta adhuc superest specialis probatio iam proposita ex eodem Doctore, à Sacerdotibus præcipue diligenter notanda, & obseruanda simul.*

84 Quartò & vltimò *inquit ille* proba teipsū, propter quid, aut propterquam causam accedis: & hic dirige aciem mentis ad duo præcipue, scilicet, ad purum affectum, & desiderium sanctum: secundò ad debitam intentionem, & propositum necessarium. Primò vide quid desideres, ne propter auaritiam, aut timorem, aut vanā gloriam, aut consuetudinem, aut alicuius mundanæ complacentiæ, aut temporalis fauoris causa accedas, sicut multi diebus istis, eo abutuntur ad sui perditionem, quod est datum ad salutem. Tu aūt, homo Dei, dirige vota tua, & desideria ad Deum, & vide quibus affectionibus, & desiderijs trahi debeas ad sacra mysteria celebranda. Primò te trahet conscientia, & remorsus delictorum, sperans per eum, quasi per hostiam obligationis ab omni peccato purgari: secundò, tuæ infirmitatis intuitus, & consideratio, & vt eum quasi medicinam ad te voces, per quam ab omni infirmitate tuearis: tertiò, pressura alicuius tribulationis, vt per eum, qui omnia potest ab omni aduersitate citius libereris, & protegaris: quartò, desiderium alicuius gratiæ, vel spiritualis beneficij impetrandi, vt per eum, cui Pater nihil negare potest, obtineas: quintò, gratiarum actio pro omnibus beneficijs temporalibus, & spiritualibus tibi, & alijs impensis: cum nihil habeamus Deo retribuere, pro omnibus, quæ retribuit nobis, aliud quam calicem salutaris accipere, & sacrificare hostiam laudis, idest, Iesum Christum. Sextò, charitas, & compassio proximorum, cum pro salute viuorum, & requie Defunctorum, nihil efficacius interpellet, quam Christi sanguis effusus in remissionem peccatorum. Septimò, laus Dei, & Sanctorum, cum nihil habeamus, quo possimus Deum, & Sanctos pro sua dignitate laudare, quam Christum sacramentaliter Deo Patri offerre, & immolare. Octauò, Detamor, & dilectio, vt eum inuites ad te, ac per inuiscerationem spiritualis refectionis, in te ipso eum delectabiliter amplexeris. Nono, sitis, & desiderium augendæ gratiæ, quia hoc Sacramentum fontem continet gratiarum, & sanctificationum, & auctorem continet salutis Dominum nostrum Iesum Christum. Ideo dicitur Eucharistia: idest bona gratia. Cœtera verò Sacramenta fluenta sunt, & riuuli gratiarum, quibus sanctificamur. Decimò, ardor, & suspirium, quo totis visceribus virtute huius excessiuæ charitatis, & dulcissimæ refectionis cupias sanctificari ab omni iniquinamento carnis, & spiritus, & eripi ab omnibus periculis, & tentationibus, ac inseparabiliter vniri Christo Saluatori, & conseruari in suo amore. Vnde inquit Christus: Pater, quos dedisti mihi, volo, vt vbi ego sum, illic sint mecū, vt sint vnū, sicut nos vnū sum⁹: ego i eis, & tu in me, vt sint cōsumati in vnū.

Hæc

15 *Hæc omnia Sanctus Bonauentura de affectu, & desiderio à Sacerdotibus in Missa habendo. Et sequitur sic de intentione ac proposito in eadem nonnullis interpositis.*

Intendere etiam debes, vt ex frequentatione Diuini cultus, nomen Dei in nobis sanctificetur, vt à nobis per sāctitatē vitæ glorificetur in mundo, vt crescat in orbe cultus, & honor Dei, vt cognoscat totus mūdus, nos esse Clericos vnius veri Dei, & Saluatoris Iesu Christi intendere debes totā Ecclā iuuare, vt, slz. proponas Deū orare pro Papa, Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Doctoribus, Rectoribus, Sacerdotibus, Clericis, Monachis, Religiosis, Monasterijs, & omnibus Christo famulantibus; pro Regibus, Ducibus, Principibus, & cœteris nobilibus, pro Virginibus, Viduis, Orphanis, Peregrinis, Afflictis, captiuis debilibus, infirmis, & pro omni populo Dei, etiam pro Paganis, Schismaticis, & Hæreticis, vt conuertantur ad Deum verum, & Sanctæ Ecclesiæ vnitatem. Item in speciali orare debes pro aliquibus causis, caris, scilicet, parentibus, consanguineis, & amicis deuotis, & tibi reccomēdatis, ac in tua oratione sperantibus. Item singularissimè pro teipso. Etsi aliquem prædictorum fidelium præcipue propter odium, vel rancorem excludis, vt non sit particeps tanti beneficij, mortaliter peccas, agens cum odio diuina mysteria.

16 *Hæc Sanctus Bonauentura, quæ (sicut & cœtera ex alijs Doctoribus) hoc loco transcribere volui, tum propter eos, qui ipsos libros habere non possunt, tum etiam, quia hæc, circa quam modò versamur, preparatio ad Missæ celebrationem, vel ad communionem, non solùm valdè vtilis est, sed etiam omninò necessaria, vt idem Sacramentum* nō sit nobis reatus ad pœnam, sed intercessio salutaris ad veniam, *sicut Ecclesia in ipsa Missa Deum rogat*. Hæc enim duo *(inquit Sanctus Bonauentura cap. 13. de prepar. ad Missam)* maximè requiruntur ad congruam perceptionem Sacramenti: profunda humilitas cum anihilatione sui, & compassio mortis Christi.

17 Dum ergo accedis *(inquit idem cap. septimo de preparatione ad Missam)* dic ex toto corde: Ecce cœlestis Pater recolens mortem illam vnigeniti filij tui Domini nostri Iesu Christi, offero tibi hanc hostiam, quam ipse olim obtulit pro mea, & totius mundi salute: Ecce ad Altare tuæ Maiestatis transmitto oblationem viuam, quam tu in miseratione multa misisti ad Altare Crucis immolandam pro nobis. Recordare ergo illius sacrosancti sudoris, quasi guttæ sanguinis decurrentis in terram. Respice illam virgineam carnem verberibus crudeliter flagellatam, colaphis, & alapis cæsam, liuoribus tumidam, sputis maculatam, sanguine cruentatam, spinis perforatam, clauis confixam, lancea vulneratam. Illa ergo pietas, quæ filium tuum traxit, & vicit, vt in statera Crucis totius mundi peccata libraret, ipsa te cogat, Pater, miserere nobis miseris. Respice, obsecro, non nostra peccata, sed in faciem Christi tui. Non enim in iustificationibus nostris preces nostras prosternimus, sed in multitudine miserationum tuarum. *Hæc S. Bonauentura oratio preparatoria.*

Si non propter Dei preceptum, seipsum 18
Christianus dignè, ac reuerenter quantùm potest preparare studet ad sacram Eucharistiam sumendam, vel etiam conficiendam, quod iam sufficienter (ni fallor) demonstrauimus illud Pauli, nimirum, diutius versantes. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat: *propter iudicium suum saltem hoc prestare deberet, nempe, vt iudicium, idest condemnationem æternam euadat, quam contra non se dignè preparantes iam protulit in Christi nomine idem Apostolus. Est autem hæc sententia.* Qui enim manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat, & bibit, non dijudicans corpus Domini: *quam primò, sic S. Anselmus explicat.*

Qui indignè manducat, iudicium sibi 19
manducat, idest damnationem extremam, quæ nunc appellatione iudicij signatur, sicut & cum Dominus ait: qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicij. Iudiciū sibi manducat, nō alijs: q̄a cōmunio malorū nō maculat aliquem participatione Sacramentorum, sed consensione factorum. Nam si in factis malis non eis quisque consentiat, portat malus causam suam, & personam suam: & ideo boni debent tolerare malos.

Iudicium

judicium sibi manducat, non quia mala res sit, quam accipit, sed quia ille malus malè accipiendo, ad iudicium accipit bonum, quòd accipit: sicut enim Iudas, cui bucellam tradidit Dominus, non malum accipiendo, sed male accipiendo, locum in se Diabolo præbuit, sic indignè quisque sumens Dominicum Sacramentum, non efficit, vt quia ipse malus est, malum sit, aut quia ad salutem non accipit, nihil acceperit; Corpus enim Domini, & sanguis Domini nihilo minus est; sed ille accipit hoc non ad vitam, sed ad iudicium, quia non dijudicat corpus Domini; idest non discernit, quam sit dignius omnibus creaturis hoc corpus, quòd videtur panis: Si enim cogitaret hoc corpus esse verbo Dei personaliter vnitum, & vitam ac salutem eorum esse, qui hoc dignè accipiunt, non præsumeret indignus accipere, sed dignum se præpararet. *Omnia hæc Anselmus, & digna certè, vt hoc loco non omitterentur, et si fastidiosis, quos Eucharistia dimittit inanes (sicut esurientes implet bonis) prolixa fortassis (sicut & alia) videbuntur, de quorum etiam censuris, idcirco parum curamus.*

20 *His consentanea omnino adfert Chrisostomus hæc ipsa Pauli verba declarans.* Qui enim manducat, &c. Quid dicis dic quæso (*ait*) quæ tam multorum bonorum est causa, & quæ vitam exibet mensa, ea fit iudicium? Non ex sua (inquit) natura, sed ex eius, qui accedit, libero arbitrio, quomodo enim eius præsentia quæ magna illa, & arcana nobis attulit bona, eos, qui ipsam non susceperunt, magis condemnauit, ita etiam Sacramenta ad maius ducunt supplicium eos, qui indignè cõmunicãt: *Sic Chrisostomus: Augustinus etiam in Glossa ordinaria idem explicans, hæc ait.* Indignè accipit, si tunc accipit, cum debet agere pœnitentiam; ergo prius se iudicet, & veritate pœnitẽtiæ se exerceat, vt à seipso iudicet, & nõ iudicet à Dño. *Idẽ aliàs distinguit hãc indignitatem multipliciter sic.* Indignus accipit, qui à cæteris cibis non descernit, vel fictus, vel inimicus, vel impœnitens.

21 Propter quod manifestè colligitur (*inquit S. Bonauentura in suo breuiloquio de integritate Eucharistiæ*) quòd qui tepidè, indeuotè, & inconsideratè, accedit, iudicium sibi manducat & bibit, quia tanto Sacramento injuriam facit, & ideo consilium est his, qui se sentiunt minus mundos mente, vel carne, vel etiam indeuotos, vt differant, quousque parati ad esum veri agni mundi deuoti, & circumspecti accedant. Propter quòd etiam hoc Sacramentum præceptum est celebrari cũ solemnitate præcipua, tàm quantùm ad locum, quã etiam ad tempus, & quantùm ad verba, & orationes, & quantùm ad vestimenta in celebratione Missarum, vt tàm ipsi Sacerdotes conficientes, quam etiam suscipientes percipiant gratiæ donum, per quam purgentur, illuminentur, perficiantur, reficiantur, viuificentur, & in ipsum Christum per excessiuum amorem ardentissimè transferantur.

Hæc ibi Sãctus Bonauẽtura. Et in suo tractatu de puritate conscientiæ iam allegato: ad hãc rem ipsa: ita scribit. Considerans insuper circa huius Sacramenti primordia lotionem pedum factam, non absque mysterio, & Sacramento ibi dictum fuisse à Domino; si non lauero te, non habebis partem mecum, agnosco per hoc, & iudico, non sine præsumptionis & grauis offensæ periculo, aliquem velle habere partem secum, ipsum Sacramentum sumendo, non præhabita alicuius gratiæ spiritualis lotione: non solùm per compunctionis lacrymas puto fieri, verùm etiam per interiorem mentis deuotionem, & fidem, in qua ipse Dominus vocat, & inuitat animam, & trahit, & quodammodo cogit ad ipsum cibũ Angelicum & cælestem. *Hæc omnia S. Bonauentura.* 22

Ex quibus, & ex alijs omnibus iam adductis, Apostoli verba, quæ assumpsimus, manifesta redduntur. Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non diudicans corpus Domini. *Et insuper manifestum apparet, quam conuenienter, ac cõgruo ordine procedat hoc loco Diuus Paulus: Culpa enim pœnã præcedit: & propter culpam ipsa pœna infligitur.* Et pro mensura peccati, erit & plagarum modus, *vt scribitur Deut. ca. 25. Vnde & Apoc. 18 statuitur.* Quantùm glorificauit se, & in delicijs fuit, tantùm date ei tormentum, & luctum. *Et denique, quia iudices etiam reos prius de ipso reatu, vel culpa conuincunt, ante quã condemnent. Propterea sententiam laturus condemnationis æternæ D. Paulus, tanquã iustus à Christo constitutus Iudex contra indignè manducantes & bibentes eius corpus, & sanguinem (quod grauissimum crimen est procul dubio) hanc, nẽpe, quam iam sæpius perlegimus.* Qui enim manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat, & bibit, *reos prius illos declarat eiusdem corporis, & sanguinis Domini, in hanc formam.* Itaq; quicũq; manducauerit panẽ hũc, & biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis, & sanguinis Domini. 23

Et

24 *Et rursus: quia eisdem reis, antequam pro reatibus, siue delictis suis condemnentur, purgatio indicitur, vt si se purgent, damnationem euadāt, ob hoc Ecclesia cum Paulo fidelibus omnibus quocumque reatu reis, quasi purgationem offerre, antequam ad Eucharistiam indignè accedant. Vnde pro ipso grauissimo indignè communionis reatu sententiam damnationis incurrant, cum, scilicet, eisdem denunciat.* Quicumque manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis, et sanguinis Domini. Prius ergo perscrutanda est conscientia (*inquit Hieronymus hac verba glossando*) si in nullo nos reprehendit, & sic aut offerre, aut cōmunicare debemus. *Et addit insuper obiectioni quorundam satisfacere, contra eosdem illam retorquens his verbis.* Quidam sanè dicunt, quia non indignum, sed indignè accipientem reuocet à sancto. Si ergo etiam dignus indignè accedens retrahitur, quantò magis indignus, qui non potest accipere dignè? *Quare tandem sic sententiam suam concludit.* Vnde oportet ociosum cessare à vitijs, vt sanctum Domini corpus sanctè percipiat. *Item idē Hier. illud specialiter.* Reus erit, &c. *Sic exponit.* Quia tanti mysterij Sacramentum pro vili despexit. *Et tandem ad illa.* Qui enim manducat, & bibit indignè: *sic subdit.* Dupliciter reus effectus, præsumptionis, scilicet, & peccati. *Anselmus etiam hoc, quòd de purgatione dicimus, confirmans, sic ait similiter:* Fit igitur reus corporis, & sanguinis Domini: idest non purgationem, sed maculam culpæ, pro qua pereat, trahit, ex eo quod malè accipit bonum Sacramentum corporis, & sanguinis Domini.

25 *Item idem Anselmus simul cum Ambrosio, rursus hac eadē verba Apostoli sic interpratatur.* Indignè manducat, & bibit, qui hoc mysterium aliter celebrat, vel accipit, quàm à Christo traditum. Ideo fit reus corporis, & sanguinis Domini: idest, dabit pœnas mortis Domini: occisus enim pro his, qui beneficiū eius irritum ducunt. *Quod etiam inter alios cōfirmat S. Basilius de Bapt. breuibus his verbis.* Ita ad sancta accedamus, vt iudicium eorum, qui Dominum occiderunt, effugiamus, propterea quod: Quicumque edit panem, & bibit poculum Domini indignè, &c.

Non enim potest (*inquit Ambrosius super eisdem verbis*) deuotus esse, qui aliter præsumit, quam datum est ab auctore. Ideoque præmonet, vt secundùm ordinem traditum deuota mens sit accedentis ad Eucharistiam Domini: quoniam futurum est iudicium, vt quemadmodum accedit vnusquisque, reddat causas in die Domini Iesu Christi: quia, sine disciplina traditionis, & conuersationis qui accedunt, rei sunt corporis & sanguinis Dñi. Hoc significat (*inquit Theodor.*) Reus erit corporis, & sanguinis Domini, quòd quemadmodum ipsum tradidit Iudas: ipsi autem insultauerunt, & eum opprobrijs, ac conuitijs affecerunt Iudei, ita eum ignominia, ac dedecore afficiunt, qui sanctissimum eius corpus immundis manibus accipiunt, & in os pollutum immittunt.

26 *Adstipulatur Theodor. Augustinus in Psal. 47. sic.* Quam multos Iudas indignè accipiētes ad iudicium suū implet Satanas. *Et similiter Chrys. 1 hom.* Considera quantū aduersus proditorem indignaris, & contra illos, qui illum crucifixerunt: tu verò polluta suscipis anima post tot beneficia. *Et idem causam reddens, propter quam* reus erit corporis, & sanguinis Domini, qui indignè manducat, & bibit, *sic primò interrogat.* Quare? *& statim sibi ipsi sic respondet.* Quoniam ipsum effudit, & ea res pronunciauit mactationem, nequaquam autē sacrificium. Quomodo ergo, & qui tunc pupugerunt, non vt biberent, pupugerunt, sed vt effunderent, ita etiam qui indignè ad id accedit, & nihil fructus inde percipit, quia indignè manducat, & bibit. *Item secundùm Anselmū, ibidem.* Qui sine debita reuerentia sacram Eucharistiam percipit, indignè manducat, & bibit, qui non prius per pęnitētiam purgatus ad hoc Sacramentum accedit. Hoc est enim indignè accipere: si eo tempore accipiat, quo debet pœnitentiam agere: *sic Anselmus. Sed heus quot tamen sunt de horum numero in diebus nostris?* Sunt (*inquit Diuus Bernardus de ordine vitæ, &c.*) qui propter humanam cōfusionem, sine respectu diuini timoris, pleni sordibus audacter se ingerunt tantis mysterijs: Audiant tamen quod scriptum est: Homo videt in facie, Deus autem in corde: sed illi plus metuunt homines, quam Deum. O cęca temeritas: o Dei mira patientia. Numquid enim tātum peccauerunt, vel quos ignis consumpsit, vel quos terra absorbuit? Numquid tale scelus filiorum Aaron alienum ignem offerentium, quale est illorum, qui tam terribilia Sacramenta sumunt sibi ad mortē? Etenim sic viuendum est, vt panem illam supersubstātialem, semper accipere valeamus: quia, væ ei, qui se alienum fecerit ab eo, & multum væ illi, qui spurcus, & immundus acceſſe-

cesserit. Vtrobique grande periculum: ideo magna neccessitas instat, ne indigni inueniamur. Hæc S. Bernardus.

27 *His valdè affinia sunt, quæ tradit Sanctus Basilius loco citato de Bapt. referens similiter scripturarum exempla cōtra eosdē indignos hoc modo:* Quisquis hominum ab omni vestro semine, ad sancta quæcumque filij Israel Domino sāctificant, in immunditia sua constitutus accedit, exterminabitur anima illius à facie mea. Ego Dominus: Si tales minæ aduersum eos positæ sunt, qui temerè ad ea sacra accedunt, quæ ab hominibus sanctificantur, quid dicendum est de eo, qui in tantum, ac tale mysterium temerarius est? Quantò enim maius aliquid is est templo secundùm Domini vocem, tantò grauius, & terribilius est, in animæ impuritate constitutum corpus Christi temerarie contingere: quàm sit accedere ad arietes, vel tauros, dicete Apostolo. Itaque, qui edit panem, aut bibit poculū Domini indignè, reus erit corporis, & sanguinis Domini. Immo vehementius, ac terribilius judicium per repetitionē exprimēte, cū dicit: Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de poculo bibat: qui namque manducat, & bibit indignè, iudicium sibi mā-ducat, & bibit.

Hæc Basilius: Et rursus, Quod si in immunditia constitutus tàm terribile iudicium habet, quantò magis qui cum in peccato sit, corpus Domini contingere audet grauius sibi iudiciū accersit, *Hæc ille: Et Chrisost. de Paulo:* Ne videretur verba dicere, facta quoque ostendit, & eos citat testes. Quod quidem magis pūgit, quam minari, eo quod ostenderit minas ad rem ipsam redijsse. Non tamen his solis fuit contentus, sed ex his, & de gehena intulit orationem, & fidedignam effecit vtrinque terrens, & soluens quæstionem, quæ vbique circumferebatur. Nam quoniam multi inter se dubitant, vnde nam sit multorum immatura mors, vnde nam longi morbi? dicit, quòd multa ex ijs, quæ veniunt præter opinionem, causam habent à peccatis.

28 *Anselmus hæc ipsa verba sigillatim sic exponit.* Quia indignè manducatis hoc corpus, & sanguinem bibitis (ideo) sunt (inter vos multi) (infirmi) qui graui morbo languent (& imbecilles) qui diuturna inualetudine torpent (& dormiunt) etiam (multi) idest somno mortis sunt occupati.

Hæc est Sancti Anselmi prima expositio litteralis horum Pauli verborum: quam annotare debemus, sicut Doctores quamplurimi notauerunt illam, & pro hoc ipso allegauerunt.

Nam, & adhuc (*subiungit Anselmus*) propter huiusmodi causam multi homines post pascha, varijs infirmitatibus corripiuntur, quia corpus Redemptoris indignè perceperunt.

Et notanda similiter sunt similia Hieronymi 29 *verba in eorundem verborum explicationem.* Ideo inter vos &c. Erat præsens correptio, & nunc est: sed quia multi talia patiuntur, putamus consuetudinis esse, quod culpæ est. *Ambrosius cum eodem Anselmo, hæc addit.* Vt verùm probaret, quia examen futurum est accipientium corpus Domini, iam hic imaginem iudicij ostendit in eos, qui inconsideratè corpus Domini acceperant, dum febribus, & infirmitatibus corripiebantur, & multi moriebantur; vt in his cœteri discerent, & paucorum exemplo territi emendarentur, non inultum scientes corpus Domini negligenter accipere: & eum, quem hic pena distulerit, grauius tractandum fore, quia contempsit exemplum. *Sic Sanctus Ambrosius.*

Tandem, & Sanctus Paschasius in suo tract. de corpore & sanguine Domini cap. 8. ad hoc ipsū 30 *primo citat illud* 1. Reg. 2. Si peccauerit vir in virum, placari ei potest Deus: Si autem in Deum peccauerit, quis orabit pro eo? *Deinde sic exponit.* Quem apud Dominum pro se interuenientem inueniet, qui Deum totius creaturæ contemnens, in eius iniuriam ad sanctificata, immo nunc ad corpus, & sanguinem ipsius indignè accedit? talis profectò, nec Dei veretur præsentiam, nec frequentiā formidat Angelorum: sed sic se ingerit, quasi nullus sit, qui eius conscientiam videat.

Idē pariter pro Sacerdotib. allegans Ezech. ca. 9. sic ait. A sanctuario meo incipite: siue vt septuaginta: A sāctis meis, scilicet, Sacerdotib. & ministris Altarib. Non quod sancti sint, sed quia pro mysterio sancti vocentur in populo, vt qui sunt causæ peccati in plebe, primi excipiant supplicium quia tempus est, vt incipiat iudicium à Domo Domini.

Idem inferius. Apostolus de his, qui indignè sumunt, non diiudicantes corpus Domini. Propterea (inquit) imbecilles sunt, & dormiunt multi: dormiunt ergo inde multum, nō somno pacis, sed somno mortis: quia ministerio eorum, qui ad hoc positi sunt Angelorum, perimuntur. Imbecilles verò fiebant, quia

quia varijs languoribus ideo cruciabantur q̄dam, vt corrigerentur, quidam verò vt iam inciperent torqueri, & metu eorum cœteri sanarentur. Alioquin plagæ, & infirmitates nunquam in populo Christi tantùm crebescerent, præsertim cum de his, qui ex Ægypto in figura Sanctæ Ecclesiæ egrediebantur, lectum sit, nullum fuisse infirmum.

Hæc omnia Sanctus Paschasius, & multum sunt notanda ab omnibus pro verbis Apostoli, quæ modò prosequimur de indignè accedentibus ad Eucharistiam.

31 *Sanctus Bonauentura aliam adhuc apponit expositionem verborum illorum*: Ideo inter vos multi imbecilles, scilicet, per fidei constantiā & infirmi graui peccato sauciati, & dormiūt multi, nempe, per torporem, & desidiam. *Vnde tandem sic exclamat*. O quam graues angustiæ, o quantæ angustiæ me vndique affligentes: Accedere indignè horrendum est iudicium: Non accedere ex notabili negligentia, vel contemptu, damnabilis est culpa. *Sic ille, & postea recenset mala, & damna, quæ facit Sacerdos sine impedimento legitimo celebrare ommittens, aliōs etiam Doctores pro hoc ipso allegans, quæ omnia pariter hic referam, valdè grata, & vtilia fore sperans eisdem Sacerdotibus præsertim, vt sciant, non solùm ex indigna celebratione hic, & in futurum, iudicium, & pœnas sibi imminere, sed etiam ex eiusdem celebrationis negligenti ommissione*. Nam cum Sacerdos est, absque peccato mortali (*ait*) & in proposito bono non habens legitimū impedimentū, & non ex reuerentia, sed ex negligentia celebrare ommittit, tunc quantū in ipso est, priuat trinitatē laude, & gloria, Angelos lætitia, peccatores venia, iustos subsidio, & grato in Purgatorio existentes refrigerio, Ecclesiā Christi spirituali beneficio, & seipsum medicina, & remedio, contra quotidiana peccata, & infirmitates. Quia, sicut ait Ambrosius: Si quotiescumq; effunditur sanguis Christi, toties, in remissionē peccatorū effunditur, debeo illū semper accipere, vt sēper mihi peccata dimmittantur. Qui semper pecco, sēper debeo accipere medicinā. Item priuat se omnibus talibus prouenientib. ex sacra cōmunione, q̄ sunt peccatorū remissio, fomitis mitigatio, mētis illuminatio, interior refectio, Christi, & corporis eius mystici incorporatio, virtutū roboratio, contra Diabolū armatio, fidei certitudo, spei eleuatio, charitatis excitatio, deuotionis augmētatio, & Angelorū cōuiuatio. Item non complet sibi iniunctū magnæ dignitatis obsequium, nec officium exercet debitæ seruitutis Dei: & tamen scriptū est: Maledictus, qui facit opus Dei negligenter. Item cōtemnit Christi præceptū de obseruātia huius Sacramenti. Ideo Christus comminatur: Nisi manducaueritis carnē filij hominis &c. Itē, abijcit viaticum suæ peregrinationis, exponens se periculo mortis, quia nisi recipiat alimentum corporis Christi, & vitæ vegetationē, efficitur sicut aridum membrum, ad quod non transmittitur corporalis cibi nutrimētū. Vltimò quantum in se est, euacuat diuinū cultum, & latriā Creatori debitā, ingratus de beneficijs. Vnde dicitur in numeris: Siquis mundus est, vlz. à peccato mortali, & in itinere non fuit, scilicet, aliter impeditus, & non fecerit phase, anima illius de populo suo exterminabitur: quia sacrificiū non obtulit Deo Domino tempore suo. *Hucusque S. Bonau.*

Sed reuertamur ad Pauli verba. Qui enim 32 manducat, & bibit indignè, iudiciū sibi manducat, & bibit, non dijudicās corpus Domini. *Iudicium idest pœnam, & damnationē iam satis prolixè explicauimus. Duplex verò pœna, ac dānatio colligitur ex eodē Paulo contra huiusmodi indignos, vna est, quam in hac vita subeūt, de qua præcipue idem dicit*. Ideo inter vos multi infirmi, & imbecilles, *altera est, quam in altero sæculo incurrent, de qua potissimum est id, quòd modo prædicamus*. Iudiciū sibi manducat, & bibit. *Sed subdit*: Quod si nosmetipsos iudicaremus, nō vtiq; diudicaremur. *En remediū pro vtriusque pœnæ euasione, quòd docet statim idem Paulus post vtramq; pœnam comminatam.*

Hæc mala diuino iudicio patimur ob con- 33 temptum Dominici corporis, *ait Anselmus*, & pergit postea ipsa verba modò suo consueto explicare: sed si dijudicaremus nosmetipsos, idest, si in diuersas partes actionū, & cogitationū nostrarū oculos mentis circumduceremus, & de singulis, quæ nos male fecim⁹ aut cogitauimus, nosmetipsos districtæ penitendo, iudicaremus (non vtiq;) (à Domino) iudicaremur ipso: peccata enim siue parua, siue magna, impunita esse non possunt: quia aut homine puniente, aut Deo iudicante plectentur. Cessat autem vindicta diuina, si conuersio præcurrat humana: quia si nosmetipsos dijudicaremus: idest, puniremur, vel in futuro sæculo, vel in isto: sed (dum) in præsenti vita, (iudicamur à Domino) idest: plectimur infirmitate, vel aduersitate, vel corporis mor-

te pro peccatis nostris, corripimur ab eo clementer, & emendamur (vt) in futura vita (non damnemur) æternaliter cum hoc mundo, id est cũ infidelib. & amatorib. huius mũdi: Idcirco .n. nobis modo non parcit; vt in perpetuũ parcat: illis aũt nunc parcit, quos in æternum puniri disposuit.

34 *Hæc Anselmus, cũ quo sic Chrisost.* Quòd si nos ipsos iudicaremus, &c. Non dixit; si castigaremus nosmetipsos: si puniremus: sed solum: si vellemus agnoscere peccata: si nos ipsos condemnare: si de delictis ferre sententiam, liberamur ab eo, quòd hic & illic est supplicio: *Et Hieron. ad illa.* Dum iudicamur aũt, &c. Correptio paterna est pietatis, vt pœniteamus, ne cũ infidelibus mundi damnemur in æternum. *Ambrosius tandẽ de indignè cõmunicantib. in ijsdẽ verbis Pauli.* Nihil .n. (ait) differt ab infideli, qui inconsideratè ad mensam Domini accedit.

35 *Sed ne scribendi prolixitate ijs generemus tædium, quibus spirituale prætendimus oblectamẽtum & prouentum simul, iam verba nostra terminemus, & sint eorũ complementũ, quæ fuerunt & principiũ, verba, slz. Apostoli toties à nobis repetita, & explicata.* Probet aũt seipsũ homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. *Age quicunq; Eucharistiæ Sacramẽtũ es sumpturus, vel etiam confecturus, vt ipsum Sacramentũ non sit tibi reatus ad pœnã, sed intercessio salutaris, adueniam; verbis etiã Bonau. te alloquar.* Vide vt ante susceptionem huius Sacramenti contritionẽ habeas, atq; si fieri potest ante cõspectum Domini humiliter lacrymas effundas, quib. te laues à peccatis tuis, quæ fecisti, & q̃ omisisti, & quæ facere potuisti, corde, ore, & opere. Item cogita, quòd iste, quem tu sumis, erit Iudex tuus. Time igitur, ne si indignè sũpseris, & sine reuerentia, post mortẽ inuenias iratum, cùm ad eius tribunal præsentatus fueris iudicandus, quem tremunt potestates, adorant dominationes: Deniq; cogita, quòd licet mille millibus annorum te ad hoc Sacramentum per puras orationes, & sanctissimas preparationes preparaueris, nihil esset ad cõdigna susceptionem, etiam si haberes merita omnium sanctorũ: quantò magis tu; qui sine deuotione, sine præparatione accedis. Item attende propriam vilitatẽ modo superius dicto, & reputabis te indignum, & acquires reuerentiam congruã: & hoc valet maximè ex huius Sacramenti susceptione, vt quantũ potueris, fias vilis in oculis tuis. Habe etiã desiderium ad huius reuerendi Sacramenti susceptionem. Panis enim iste (*vt dicit August.*) esuriem quærit hominis interioris.

Si quæras autem adhuc specialius, & in singulari magis, quomodo sic te deuotè ad ipsam Eucharistiam præparare possis, cum eodem Bonau. tibi respondeo. Quòd actualem deuotionem in te faciunt timor, & amor: Timor incutit reuerentiã, amor autem desideriũ, & affectũ, habeas reuerentiam, & timorem: quòd si adhuc vlterius quæras, quo te affectu magis debeas excolere, timoris scilicet, & reuerentiæ, an amoris, & desiderij. An debeas, vt multi, cum importuna desiderij festinantia anhelare, aut, vt nonnulli, reuerentiæ, & timoris magnitudine; magnitudinẽ Sacramenti attendens, & propriam infirmitatem considerans, magis debeas affectu retrahi, & elongari? Ad hoc sancti responderunt, vtrumq; affectum commendari, vniuscuiusque conscientiæ quid ei melius visum fuerit relinquentes festinauit siquidem Zaccheus, vt Dominum gaudens in Domum suam susciperet: Centurio propriæ infirmitatis conscius repulit eum, dicens; Domine non sum dignus, vt intres sub tectũ meum: vnum tamen est, quòd omnibus generaliter tutum videtur, vt, slz. ex reuerentia timentes, spem, & desiderium non relinquamus, & ex spe, & fiducia; non amittamus timorẽ, & reuerentiã, sed semper inter hæc vtraque confidentes, & timidi fluctuemus: ait enim S. Greg. Nihil nobis securius, quam sub spe timere: simpliciter tamen loquendo; dubium non est, quin melior sit affectus amoris, quàm timoris: sed quod est simpliciter melius, in casu est sæpe peius, & pluribus periculosius: *sic Bonauentura.*

Hoc ergo totum ad hoc nobis valeat, dilectissimi (*verba sunt Augustini tract. 27. in Ioa.*) vt carnem, & sanguinem Christi, non edamus tantũm in Sacramento; quòd & multi mali, sed vsque ad spiritus participationem manducemus, & bibamus, vt in Domini corpore tãquam mẽbra maneamus, vt eius spiritu vegetemur, & non scandalizemur; et si multi modo manducant, & bibunt temporaliter Sacramenta, qui habebunt in fine tormenta. Quòd à nobis auertat Dominus. *Amen.*

SERMO

SERMO VIGESIMVS OCTAVVS.

De frequenti Comunione.

Accipite, & manducate: Hoc est corpus meum. S. Luc. cap. 22.

ARGVMENTVM.

Frequenter communicare debemus, dummodò, dignè quantum possumus, communicemus: at de ipsa frequentia, certa pro omnibus regula dari non potest.

1 DOMINVS noster Iesus Christus, fratres charissimi, Sacramētū ter venerabile corporis, & sāguinis sui instituens, illudque tradens ad sumendum Discipulis suis, hæc quæ modò audistis dicebat. *Accipite, & manducate: Hoc est corpus meum* quando, videlicet, *In mortem à Discipulo* (vt cantat Ecclesia in ipsius corporis Christi solemnitate) *suis tradend' æmulis, prius in vitæ ferculo, se tradidit Discipulis*. Hæc eadem Christi verba, & facta simul, piè admodum, ac vtiliter rememorat Sacerdos quilibet, & præsertim animarum pastor, & concionator, quando hoc Sacramētum conficit, ac sumit, vel alijs administrat, & quando pariter ad sumendum alios inuitat, & eos specialiter, qui nec frequenter multum, nec deuotè communicare solent. Multi ex his (ni fallor) nūc adsunt Christi admonitione valdè indigētes. Ideoquè in verbo Domini, *Accipite, & manducate, &c.* illos primùm exhortabor, vt deuotè, ac reuerenter accipiant corpus Christi, deinde, vt hoc ipsum frequenter præstent.

2 Hæc inprimis Domini verba, *Accipite, & manducate. Hoc est corpus meum*, Sigillatim, & clarè, sic exponit S. Anselmus hoc loco. *Accipite hanc spiritualem escam, & manducate, hoc Sacramentum, idest, & mente accipite, & ore commedite, scilicet, vt carnem meam non edatis tantùm in Sacramento, sicut & multi mali alij faciunt: sed vsque ad participationem spiritus manducetis, vt in meo corpore, tanquam membra maneatis, & meo spiritu vegetemini.* Sic exponit prædictus Doctor priora hæc verba Christi. *Accipite, & manducate.* Quæ sequuntur verò, hoc modo, *Manducate, quòd tribuo: quia, hoc est corpus meum: sensibus quidem exterioribus videtur esse panis. sed sensibus cognoscite mentis, quia, hoc est corpus meum, non aliud, sed illud idem substantialiter, quòd pro vobis redimendis tradetur ad mortem, & Crucifigetur.*

Hæc omnia ex Diuo Anselmo omnibus repetita esse cupimus, & tepidis maximè ac negligentibus in sancta communione, Nil enim fortius, nil potentius, nil denique efficacius, ac salubrius pro hoc ipso prædicare possumus, quàm ea ipsa, quæ prædicauit, & docuit Dominus noster, ad eandem sui corporis communionem omnes persuadens, *Accipite, & manducate: Hoc est corpus meum, quòd pro vobis tradetur*; & ea simul, quæ pro exhortatione eadem & prædicarunt, & prędicanda scriptis nobis mandarunt Patres nostri totius Ecclesiæ Doctores, ac magistri. Itaquè quos Anselmi verbis Verborum Domini explanatorijs adhortari iam cępi, Chrisostomi verbis modo adhortari pergam ex homilia sua 24. In 1. cor. cap. 10. Sic. 3

Quando ipsum videris propositum, dic. Propter hoc corpus, non sum ego amplius terra, & cinis: non sum amplius captiuus, sed liber. Propter hoc spero me accepturum cælos, & omnia bona, quæ in eis sunt, vitam immortalem, Angelorū conditionē, cùm Christo consuetudinem. Hoc corpus clauis cōfixū, & flagris casū nō tulit mor- 4

Hoc corpus in crucem actum sol cum vidisset, suos auertit radios. Propter hoc, & velum tunc scindebatur, & petra rumpebatur, & terra quatiebatur. Hoc est illud corpus, quod fuit cruentatum, quod lancea percussum, & salutares emisit fontes vniuerso orbi terræ. vnum quidem sanguinis, alterum verò aquæ.

Hæc omnia Sanctus Chrisostomus corpus Christi laudans, sicut & ipse Dominus idem corpus suum laudauit, ac commendauit, dùm illud ad manducandum nobis tradidit dicens. *Accipite, & manducate. Hoc est corpus meum*: quod itidem & de sanguine suo præstitit, quem laudauit similiter, cùm ad bibendum illum nobis propinaret, fidelibus. *Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus.* Et nos enim, quum ad manducandum, vel ad bibendum alios inuitamus, id, quòd vel manducatur, vel bibitur, quantùm possumus, eisdem laudare solemus: sed modò non de sanguine Christi potando agimus, sed de corpore eius tantùm, quòd nobis dedit ad manducandum, & commendauit simul, dicens. *Accipite, &c.*

5 Sicut verò hi, quos ad comedendum inducimus (ipsum etiam cibum propter hoc magnificantes) in duplici sunt differentia, quidam, nimirum, cibo pleni, & saturati: Alij autem cibo vacui, ac famelici: sic pariter ex fidelibus, quos cum Christo ad suum corpus manducandum nunc suadeo, nonnulli pleni, scilicet, peccatis dici possunt, alij verò vacui, & famelici, nempe, sine peccato, lethali saltem, & Eucharistiam deuotè appetentes.

Item sicut qui satur est, si comedat, ex cibo non iuuatur corpus eius, sed grauatur potius, ac læditur: sic qui Eucharistiam, suscipit peccatis repletus, nullam ex communione vtilitatem, vel fructum animæ suæ reportat, sed iudicium solùm ac condemnationem. *Qui enim manducat, & bibit* (inquit Paulus) *iudicium sibi manducat, & bibit.*

6 Etsi verò in hoc conueniant spiritualis cibus, & corporalis, latum tamen discrimen est inter vtrunque, famelici enim solùm, ad Eucharisticum cibum inuitantur, ad corporalem verò, etiam eodem pleni aliquando ab alijs, vel à propria gula etiam. Discimus quòd docemus ex alijs etiam Diuinæ scripturæ oraculis: & signanter, ex Annæ Cantico prophetico 1. Regum cap. 2. *Repleti prius pro panibus se locauerunt, & famelici saturati sunt.*

De hoc enim sic ait inter alia Sanctus Gregorius Papa hoc exponens. *Quòd tamen contra negligentes sacri Altaris ministros, atque audaces Dominici corporis susceptores dici nō inconuenienter potest. Repleti verò prius sunt, vitiorumque cibo saturati, qui pro pane se locant: quia corpus ad susceptionem Eucharistiæ præparant. Qui, nimirum, comedunt, & saturari non possunt: Quia etsi Sacramentum ore percipiunt, virtute Sacramenti nequaquam replentur. A virtute ergo illa Sacramenti ideo ieiunant, quia prius repleti fuerant: salutis quippe fructum non percipiunt, in conuersione salutaris hostia, quia ea, quibus se repleuerant, flagitia, portant in mente.*

Hæc omnia Sanctus Gregorius pro prima parte Diuinæ sententiæ. *Repleti prius pro panibus se locauerunt*, alteram verò. *Et famelici saturati sunt*, hoc modo explicare progreditur. *Non saturantur ergo, nisi famelici, quia à vitijs perfectè ieiunantes, Diuina Sacramenta percipiunt in plenitudine virtutis.*

Et addit aliud egregium, pro deuota communione documentum. *Et quia (ait) sine peccato electi etiam viri esse non possunt, quid restat nisi, vt à peccatis, quibus eos humana fragilitas maculare non desinit, euacuari quotidiè contendant? Nam qui quotidiè non exaurit, quòd delinquit, etsi minima sunt peccata, quæ congerit, paulatim anima repletur, atque ei merito aufertur fructum internæ saturitatis.* 7

Sic Gregorius. Et tandem, nonnullis alijs pro hac ipsa re adductis, hoc modo doctrinam suam concludit. *Qui ergo quotidiè delinquimus, quotidiè ad pœnitentiæ lamenta curramus: quia ipsa sola virtus est, quæ euacuat, quòd in ventre animæ culpa coadunat: & tunc verè famelici saturantur: quia quo studiosius mundamur lamento pœnitentiæ, eo vberiorem Diuinæ gratiæ fructum recipimus in spirituali refectione.*

Hæc ex Diuo Gregorio ad huiusmodi saturatos, & ad famelicos replicamus, Christi Domi verba replicantes ad omnes. *Accipite, & manducate: Hoc est enim corpus meum*: Famelicis quidem, qui pauci sunt, vt statim ipsum Christi corpus manducent, & illius fructu se satient: saturatis verò, qui multi sunt, vt antequam manducent, vitijs 8

se eua-

se euacuent, vt per euacuationem istam, & ipsi famelici fiant, & cum eisdem postea & manducent, & saturentur. Scriptum est, enim. *Et famelici saturati sunt.*

Sicut scripsit etiam Hippocrates in suis Aphorismis sectione secunda. *Non pura corpora, quantò plus nutries, tantò magis lades.* Item sectione quinta. *Vbi cibus præter naturam plus ingestus est, hic morbum facit.*

Euacuandus ergo animæ nostræ stomacus, vt Eucharistiæ, fructibus impleri possit, dùm ipsa in corporis stomaco prius recipitur. Quia. *Intus existens prohibet extraneum*, vt aiunt Phisici.

Hanc enim euacuationem indixit hominibus Sanctus Paulus, quandò eisdem præcepit. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat.* *Quid est enim hoc loco, se probare* (inquit Sanctus Gregorius vbi supra) *nisi euacuata peccatorum nequitia, se probatum ad dominicam mensam, & purum exhibere?*

9 Sed (heu) quam pauci sunt, qui peccatorum suorum nequitiã euacuent, multi verò, qui peccatis in dies magis, ac magis se implent, vnde fateantur. *Repleta est malis anima mea.* Quare sicut Hebrei de manna dixerunt, Num. 21. *Anima nostra iam nauseat super cibo isto leuissimo*: etsi de eodem prius dixisset illis; Moyses. *Iste est panis, quem dedit vobis Dominus ad vescendum*: sic & quamplurimi Christianorum, etsi Christus dederit eis, & det quotidie per Sacerdotes suos verùm panem, ac cibum animarum in Sacramento, dicens. *Accipite, & manducate ex hoc omnes; Hoc est enim corpus meũ*, ie quo etiam idem docet: *Non Moyses dedit vobis panem de cœlo: sed pater meus dat vobis panem de cœlo verùm*, nihilominus, tanquam Iudeis ipsis peiores, & ingratiores, opere (etsi non ore) Iudaicum illud de eodem Christi corpore pronunciant. *Anima nostra iam nauseat super cibo isto leuissimo.*

Quasi leuissimum enim nauseantes respuunt cœlestem hunc diuinumque cibum, qui etsi in specie sit verè quid leuissimum, in re tamen grauissimus est, non leuissimus: quia ipsum Deum continet, cuius etiam sola manus grauissima valdè refertur in scripturis, 1. Reg. c. 5.

Verùm Christiani, qui Iudeos imitantur Eucharistiam quasi nauseando, vt illi, manna, dùm, nimirum, more nauseantium cibum, ab ea diutius abstinent, quasi fastidientes illam, & abhorrentes, quia pessimo sunt vitiorum cibo repleti. 10

Hi (dico) diligenter attendant id, quod de eisdem Iudeis in ipsa scriptura narratur, Psalmi 106., & de eorum cibo simul, *Omnem escam abhominata est anima eorum*: *Vtaut anima ipsorum fastidiat omnem cibum*: Vatablus: Sic primò, postea sic sequitur immediatè ad ista. *Et appropinquauerunt vsque ad portas mortis*: *Peruenerunt vsque ad portas mortis.* Pagninus. Qui enim Eucharistiæ Sacramentum, eo modo, quo diximus, abhominari videntur, appropinquant, & perueniunt ad portas mortis.

Hoc est ad ipsam mortem, & mortem vtiquè spiritualem, & mortem etiam aliquando corporalem, & mortem tandem æternam, nisi pœniteant, sicut difusius in speciali sermone demonstramus.

Hoc.n. ore proprio pronunciauit Dominus. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Et sicut non sumentes Christi carnem, & sanguinem non habent vitam in se ipsis, sed appropinquant, & perueniunt vsque ad portas mortis, sic etiam indignè sumentes. *Qui enim manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat, & bibit.* Quia vterque idem Sacramentum abhominat. Scriptum est enim, de Eucharistia, sicut de manna. *Omnem escam abhominata est anima eorum, & appropinquauerunt: & peruenerunt vsque ad portas mortis.*

Sicut etiam Eucharistia omnis esca dicitur, 11 vt manna, & iure potiori etiam quàm mãna. Quia sicut de manna in libro Sapientiæ 16. c. dicitur, quòd habebat in se *omne delectamentum, & omnis saporis suauitatem* (quod de corporali delectamento, & sapore intelligendũ est) sic Eucharistia etiam, omne spirituale delectamentum, & saporem in se habet, & de ipsa verius Sapientiæ verba vsurpantur, & de eadem pariter cantatur in Ecclesia id, quòd olim de mãna in Sinagoga cantabatur. *Panem de cælo præstitisti eis, omne delectamentum in se habentem.* Sicut ergo, qui panem, & alios cibos delectamẽtum in se habentes, & saporis suauitatem abhorret, & super eis nauseat, appropinquat ad portas corporalis mortis

tis, hoc etiam, qui super Eucharistiam nauseat, vt dictum est, ad portas mortis spiritualis appropinquant.

12 Quod etiam in libro Iob capite 33. expressum legimus hoc modo. *Abhominabilis ei fit in vita sua panis, & animæ illius cibus ante desiderabilis.* De pane enim, & de cibo Eucharistico hæc multi interpretantur, qui, *ante*, hoc est in primitiua Ecclesia, sic animæ fidelium desiderabilis erat, vt quotidie eum sumerent, & summa cum deuotione, ac reuerentia, sicut Actuum Apostolorum Historia testatur, dicens de illis cap. 2. *Erant autem perseuerantes in Doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus.* Vnde super Dion. Areop. de Eccl. Hier. c. 3. de eisdem ait Dionis. Cart. *Quàm firmissima fide, deuotissimo cultu, flammigera charitate, electissima illa primitiua Ecclesia tractauit, celebrauit, sumpsit Eucharistiæ Sacramentum.* Nunc autem multis ex recentioribus fidelibus abhominabilis fit in vita sua panis animabus antiquorum fidelium ante desiderabilis; *Panis, scilicet, qui de cœlo descendit, & dat vitã mũdo*: & est verus eiusdem animæ cibus: Nunc, inquam, multi Christianorum fateri coguntur de Eucharistico pane id, quòd de materiali pane Daniel testabatur, cap. 10. *Panem desiderabilem non comedi.* Idcirco audiant illi, quid in eodẽ Iob loco statim subijciatur post prædicta verba. *Abhominabilis ei fit &c.* sic. n. *Appropinquauit corruptioni anima eius.* Et in Psalmo siquidem ad illud. *Omnem escam abhominata est anima eorum*, sequitur immediatè, *Appropinquauerunt*, vel. *Peruenerunt vsque ad portas mortis.* Hinc verba Iob etiam. *Appropinquauit corruptioni anima eius*, septuaginta Interpretes, sic transferunt. *Appropinquauit ad mortem anima eius.*

13 Et confirmatur interpretatio ex sequenti nostro textu etiam. *Et vita eius mortiferis siue: mortificantibus*, secundùm Pagninum, ex Hebreo. Peccata enim mortalia, mortifera etiam, & mortificantia dicuntur, quia mortificant, & mortem animæ afferunt: & ex hoc ipso mortalia dicuntur. His verò eo amplius appropinquamus, faciliùs, ac frequẽtius ea perpetrantes, quo magis Eucharisticus panis, & cibus fit nobis in vita nostra abhominabilis, qui tamen de se est totus desiderabilis, & desiderabant eum, ac ideo etiã sæpe ac deuotè sumebant antea primi fideles.

Ideoque vt eos imitemur, eundem Christum nobis offert, inquiens, *Accipite, & manducate: Hoc est enim corpus meum*, Vt, nimirum, deuotè, ac frequẽter hoc Christi corpus sumamus: & sic mortem euadamus. *Nam si quis Regẽ* (sunt exempla Chrisostomi hom. 24. in 1o. cap. 1. ad Cor.) *non temerè, nec inconsideratè exceperis: Quid dico regem, ne vestem quidem certè regiam temerè, & inconsideratè, immundis manibus contrectauerit quisquam, etiam si sit in solitudine, etiam si sit solus, etiam si nemo adsit, atque nihil est aliud vestis, quàm stamen vermium; sin autem tincturam admiraris, ipsa quoque est sanguis piscis morte affecti: sed tamen nemo eam voluerit, ausus fuerit immundis contrectare manibus. Si autem vestem hominis ne ausus quidem fueris quisquam solùm tangere, quomodo Dei corpus, qui est super omnia, quòd est mundum, & nulli affine reprehensioni, quòd cum illa diuina natura est conuersatum, propter quòd sumus, & viuimus propter quod fractæ sunt portæ Infernorum, & aperti fornices cœli, hoc accipiemus cum tanto probro ac contumelia? Nequaquam, ne nos ipsos occidamus per impudentiam, sed cum timore, & summa puritate ad ipsum accedamus.*

14 Sic D. Chrisost. His consonat id, quòd de ipso Christi corpore ad patrem petimus, dũ illud in Missa conficimus, *Vt nobis fiat corpus, & sanguis filij tui.* Ideo enim cum timore, & summa puritate ad Christi corpus frequẽter debemus accedere, vt ipsum corpus nobis fiat corpus filij Dei. *Nobis, inquit, fiat: sic enim proculdubio corpus Domini in mensa Altaris semper cum solemne illud celebratur mysterium ritu debito: sed non semper eis fit, per quos fit*; sic ait Incertus Auctor apud Bernardũ, de cœna Domini. Et confirmat ex alijs similiter sacri Canonis verbis, sic immediatè subdens. *Vnde illud item in canone. Vt quotquot ex hac Altaris participatione Sacramentum filij tui sumpserimus, omni benedictione cœlesti, & gratia repleamur, Non enim omnes qui corpus Domini sumunt ex participatione Altaris spiritualiter illa benedictione cœlesti, et gratia replentur.*

Hæc præcitatus Doctor, quæ etiam clarius explicat, duos distinguens communicandi modos hoc modo. *Comestio itaque Sacramentalis, quantùm ad visibilem speciem, et quantùm ad corporis Christi veritatem, communis bonis, & malis communiter. Sed est alia comestio (sicut iam diximus) bonorum solummodò,*

quam

quàm per Dei gratiam, & per fidem ex dilectione operantem vitæ meritum efficit, & affectus mentium in cordibus percipientium, vel ministrantium intercedente spirituali, & subtiliori quadā unione capitis, & membrorum.

15 Synodus Tridentina etiam sess. 13. cap. 8. de vsu admirabilis huius Sacramenti, sic ait de hoc ipso.
Quod ad vsum autem rectè, & sapienter, patres nostri tres rationes hoc sanctum Sacramentū accipiendi distinxerūt, quosdam enim docuerunt Sacramentaliter dumtaxat id sumere, vt peccatores, alios tantùm spiritualiter, illos nimirum, qui voto propositum illum cœlestem panem edentes fide viua, quæ per dilectionem operatur, fructum eius, & vtilitatem sentiunt. Tertios porrò Sacramentaliter simul, & spiritualiter: hi autem sunt, qui ita se prius probant, & instruunt, vt vestem nuptialem induti, ad diuinam hāc mensam accedant.

16 Hæc Tridentinum Concilium. Etsi quæratur vlterius, ex his tribus rationibus accipiendi Sacramentum, quas sacra Synodus distinxit, quænam potior ac dignior sit. Respondendum est absolutè, quod est hæc tertia, & vltima, qua Sacramentaliter, & spiritualiter simul idem Christi corpus manducatur à solis habentibus vestem nuptialem diuinæ gratiæ, & charitatis. Ex alijs verò duabus dicendum similiter, quod spiritualis tantùm bona est, & Christo placet, prima autem, quæ est Sacramentalis solùm, pessima omninò est, summęque eidem Christo displicet, & ad illam neutiquam adaptanda sunt eiusdem Christi inuitatoria verba, ad suum corpus manducandum. *Accipite, & manducate. Hoc est enim corpus meum.* Immo contra hoc modo manducantes est iam fulminata æternæ mortis sententia à Paulo. *Quicumque manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis, & sanguinis Domini.*
Itaque cum nobis præcipit Dominus. *Accipite &c.* manducari intendit suum corpus Sacramentaliter, & spiritualiter simul, vel saltē solùm spiritualiter, non uerò solùm Sacramentaliter; & hoc frequenter.

17 De frequentia autem communionis secūdò loco proposita, præceptum Domini non habeo, sed de ipsa communione solùm. Solùm enim ait Dominus. *Accipite, & manducate.* Consilium autem do, vt sim fidelis, etiam de ipsa frequentia. Est enim etiam Ecclesiæ hoc consilium, quæ similiter voluntatis eiusdem Domini, & sponsi sui interpres est fidelissima, & dat ipsa hoc consilium fidelibus omnibus filijs suis in eadem Tridentina Synodo, quando etiam eosdem instruit de triplici ratione accipiendi hoc Sacramentum vt dictum est. Hoc est autem Ecclesiæ & Domini pariter consilium ibidem exaratum.
Hæc sacra mysteria corporis, & sanguinis eius, ea fidei constantia & firmitate, ea animi deuotione, ea pietate, & cultu credant & venerentur, vt panem illū supersubstātialē frequēter suscipere possint.
Consilium autem dixi Ecclesiæ de frequenti communione, quia de ipsa communione absolutè est præceptum Domini id, quod modo enuntiamus. *Accipite, & manducate. Hoc est enim corpus meum*, & præceptum etiā Ecclesiæ est, vt qui semel saltem singulis annis in Paschate non communicauerit, ab Ecclesia arceatur.
Hinc ipsa Ecclesia, in suo Romano Catechismo, hoc suum repetens præceptum, & illud quasi explicans, & etiam consilium addens de ipsa frequentia sic ait. *Neque tamen fideles satis habeant se huius decreti auctoritati obtemperantes, semel tantummodò corpus Domini quotannis accipere; verùm sæpius iterandam Eucharistiæ communionem existiment.*

Sic Ecclesia ibidem sanctæ communionis 18
frequentiam suadet: olim enim frequentabant eam antiquè fideles, vt iam narrauimus: etsi paulatim tepescente deuotione, ac reuerentia erga ipsum Sacramentum ab eadem, postea statutum fuerit hoc modo in Concilio Agathensi. *Sæculares, qui in natali Domini, Pascha, & Pentecoste non communicauerint, Catholici non credantur, nec inter Catholicos habeantur.* Post hoc verò magis adhuc frigescete eorundem fidelium pietate, annalis saltem communio ab eadem (vt diximus) ordinata est.
Etsi ergo modò Ecclesia tantùm ad annualē in Paschate communionem præcepto suo nos astringat propter indeuotionem nostrā, cupit tamen, & consulit, vt sæpius quantùm possumus communicemus, vt eiusdem communionis spiritualia beneficia, & vtilitates quamplures etiam participemus. *Optaret quidem Sacrosancta Synodus, vt in singulis Missis fideles adstantes non solùm spirituali affectu, sed Sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quo ad eos sanctissimi huius sacrificij fructus vberior proueniret;*

ait

Ait ipsum Concilium sess. 22. ca. 6. Catechismus verò post prædicta iam relata de frequenti communione, de hac ipsa sermonem prosequens, ait. *Vtrum autem singulis mensibus, vel hebdomadibus, vel diebus, id magis expediat, certa omnibus regula præscribi non potest: verùmtamen illa est Sancti Augustini norma certissima: sic viue, vt quotidiè possis sumere.*

19 Et Sanctus Bonauentura in opusculorum suorum tomo secundo, de processu religionis, processu septimo, cap. 21. idem pertractans, & similiter rationem reddens, propter quam non possit super hæc omnibus dari regula vniformis, sic dicit. *Varia enim sunt hominum merita, diuersa operum studia, & multa desideria, & multiplices sancti spiritus operationes in singulis, & diuersi etiam status in religione.*

Hæc Doctor Seraphicus, quæ etiam statim explicare progreditur per similitudinem. *Et ideo (inquit) sicut cum ægrotantibus, non potest vna forma obseruari in dandis medicinis corporis, siue propter diuersitates complexionum, aut virium, vel loci, vel temporis, seù dietæ, vel aliorum consideratione, pro quibus aut rarius, aut sæpius, aut in maiori, aut in minori quantitate ex eadem medicina datur: ita & de medicina, quæ est corpus Christi, intelligendum est. Mundialibus enim curis occupati rarius possunt sese ad illud recipiendum expedire, quàm qui tantùm spiritualibus curis, & studijs sunt intenti: & alij magis, alij minus sunt circumspecti in custodia vitæ suæ,* & *morum, & conscientiæ suæ puritate.* Hæc omnia Sanctus Bonauentura loco citato.

20 Etsi verò regula omninò certa, ac infallibilis de hac frequentia dari non possit, quæ sit communis tàm pro celebrantibus, quàm pro communicantibus solùm, dari tamen potest regula aliqua pro solis communicantibus, & aliqua etiam pro celebrantibus, quæ tamen non erunt nec omnino certæ, nec infallibiles. Assigno verò regulam inprimis pro non celebrantibus, & non ex me, quia nec ex me aliquid de hoc statuere volo, sed ex alijs solùm, videlicet, primò ex canone, qui regula interpretatur: De consec, dist. 2. quem Ecclesia sumpsit ex Diuo Augustino. De Ecclesiasticis Dogmatibus capite 53. *Quotidiè* (inquit) *Eucharistiæ communionem accipere, nec laudo, nec vitupero: Omnibus tamen Dominicis diebus communicandum hortor, si tamen mens in affectu peccandi non sit: nam si adhuc habet voluntatem peccandi, grauari magis dico Eucharistiæ perceptione, quàm purificari.* Quòd hortatur Sanctus Augustinus, hortatur etiã S. Bonau. in præcit. suo opusculo, dicens. *Vix tamen aliquis ita religiosus videtur esse, & sanctus, exceptis Sacerdotibus, quin semel in hebdomada sufficiat ei ex consuetudine communicare, nisi specialis causa requirat aliquando, & rarò plus suadet, vt infirmitas superueniens, vel singulariter solemnis festiuitas, vel inusitatæ deuotionis feruor, & intemperata desiderij sitis pro illius susceptione, qui solus sufficit ardorem animæ sitientis refrigerare: Et quia talis ardoris impetus nonnisi à Spiritu sancto infunditur, ideo legibus humanæ consuetudinis, & statutis mortalium non arctatur.*

Hæc est Sancti Bonauenturæ regula pro non celebrantibus.

Pro celebrantibus autem idem sequentē subijcit. *Circa Sacerdotes autem, potest hæc forma teneri, vt nec nimis rarò, nec semper continuè, & in prætermissè sacram hostiā studeant immolare. Nimis enim continuè celebrare, aliquā videtur notare irreuerentiam, cùm vix aliquis tàm deuotus sit, quòd semper illud cum debita reuerentia faciat, & cordis ardore, quin aliquando tepeat quantulumcumque. Nimis etiam rarò celebrare, quamuis ex reuerentia soleat aliquando fieri, & humilitate, tamen quandoque torporem nutrit, quia minus circumspectus est homo in omnibus, quasi non indigere videatur sui custodia, cùm non proponit accedere ad mensam Christi. Humilitas etiam non est vsquequaque secura propterquàm diù se subtrahit: quia sicut non est dignus sæpe corpus Christi accipere, ita nec semel. Ideo non recipimus illud, quasi qui digni sumus, sed vt illo nos sæpe visitante, & habitaculum cordis, & corporis nostri subintrante, magis ac magis digni efficiamur.* 21

22 Hæc est Sancti Sacerdotis, Seraphicique Doctoris regula, & non tantùm speculatiua, sed etiam practica, quàm ipse etiam practicauit, & (vt puto) priusquàm alios practicandam tradiderit. De illo enim inter alia legimus in eius officio celebrantes corporis sui translationem, quòd cum viuens, & adhùc in minoribus agens demissæ mentis humilitate potius, quàm ex iniustitia plurib. diebus ab Eucharistiæ perceptione abstinuisset, quadam die, dùm deuotè Missam audiret, & passionem Dominicam meditaretur, Deus respiciens ad illius humilitatem, particulam

culam consecratæ hostiæ de manu celebrantis acceptam, illius ori clementer imisit: Intellexitq; vir Dei scrupulosum timorē circa communionē debitæ factā fore deponendū. Hæc de S. Bonau. narrantur ad Sacerdotum omnium instructionem.

23 Sacerdotibus ergo & Laicis, celebrantib. & non celebrantib. singulares descripsimus regulas de ipsa celebrationis, & cōmunionis frequentiā, etsi non oīno firmas, vel infallibiles, vt dictum est: Cōmunes vtrisq; modo superiorib. similes recensebimus, quib. tandē sermonem nostrum concludemus de verbis Domini, omnibus itidem communibus. *Accipite, & manducate: Hoc est .n. corpus meum.* Communis est illa regula, quæ inter canones pariter collocatur in præcitato loco de cons. ex D. Hilario desumpta: *Si non sunt tanta peccata, vt excōmunicetur quis, non se debet à medicina corporis & sanguinis Domini separare.* Illud verbū aūt regulæ huius *excōmunicetur*. Glossa sic explicat: *Id est dignus sit excommunicari: omne enim mortale peccatum dignum est excommunicatione.* Alia est S. Augustini regula in allegato iam canone. *Quotidiè.* Estq; præcedētis regulæ S. Hilarij, quasi explicatio, & confirmatio, ista nimirum. *Et ideo quamuis quis peccato mordeatur, peccandi de cætero non habeat voluntatem, & communicaturus satisfaciat lacrymis, & orationibus, & confidens de Domini miseratione, accedat ad Eucharistiam intrepidus, & securus: sed hoc de illo dico, quem capitalia, & mortalia peccata non grauant.*

24 Duabus his regulis potest iungi S. Chrisost. doctrina ex hom. 17. in ep. ad Heb. ibi .n. de sumptione Eucharistiæ scribens, sic ait. *Quid verò, quinā erūt nobis magis accepti, an qui semel; an qui sæpe; an qui rarò? Nec hi, nec illi: sed ij, qui cum munda conscientia, qui cum mūdo corde, qui cum vita, quæ nulli est affinis reprehensioni. Qui sunt huiusmodi, semper accedant: qui non sunt huiusmodi, ne semel quidem. Quamobrem? Quoniam sibi sumunt iudicium, & condemnationem, & pœnam, & supplicium.* Hæc Chrisost. Denique regula ēt haberi potest de hac communionis frequentia id, quòd docet Cyrillus in Ioan. cum alijs, nempe, quòd sola dilatio per se non cōfert ad meliorem dispositionē, & regulariter contingere, vt qui tardè accedunt minus dispositi sint, quàm qui frequenter. Vnde alius quidam.

Sed propera, nec te venturas differ in horas:
Qui non est hodiè, cras minus aptus erit.

Tandem sanctorum regulas S. Bonauenturæ alia hac regula obsignemus. *Salubre, & vtile est tamen, quòd homo sæpe se ad illius medicamēti susceptionem præparet, et quanta deuotione valet, illud percipere studeat, & post perceptionem in studio deuotionis se conseruet attentius, maximè religiosi, & qui se obtulerunt Deo, ad ei perpetuò seruiendum: Sic .n. erunt in maiori custodia vitæ suæ, & conscientia, dùm & ante & post Eucharistiæ perceptionem, ob reuerentiam ipsius studeno magis innocenter viuere, & studio deuotionis frequentius intendere: Et licet aliquando tepidè, tamen confidens de Dei misericordia: fiducialiter accedat, quia si se indignum reputat, cogitet, quòd tantò magis æger necesse habet requirere medicū; quantò magis se senzit ægrotum. Non est .n. opus valentib. medicus: Nec ideò quæris te iūgere Christo, vt eum sanctifices, sed vt sanctificeris ab ipso. Nec propterea prætermittēda est sacra communio, si quandoquè nō sentit homo specialem deuotionis gratiam, cum se ad illam præparare studet, vel cū in ipsa præparatione, vel post, fortè se minus deuotum sentit, quam vellet, quia fortè ex aliqua prædictarum causarum ratione solet illis euenire.* Sic. Sanctus Bonauentura.

25 Nunc ad comprobationem eorum, quæ vltimo loco tradit, aliam adhuc subiungamus regulam, quam tradit S. Laurentius Iustinian. scribens de disciplina, & perfectione Monasticæ conuersationis cap. 19. quæ talis est. *Nemo autem seruorum Dei ab hoc prorsus se subtrahat Sacram ēto, quāuis actualis deuotio desit.* Et rursus. *Propterea non debet à sancta Domini conuiuio repelli indeuotus, iustè viuens, virtuosè conuersans, humiliter se agnoscens, purè confitens, & reuerenter accedens: Talis quippè insensibiliter, ac spiritualiter hoc Sacramento nutritur, & viuit: Nam manna absconditum est, in se continens omnium spiritualium abundantiam deliciarum. Maxima, nēpe, deuotionis materia in ipso est.* Hæc S. Laurentij regula de communione.

26 *In eadem permaneamus regula*, vt scribit Paulus ad Philip. 3. In hac regula, & in alijs oībus iam relatis, frequenter, ac deuotè corpus Domini sumentes, quòd idē Dominus nobis porrigit, ad illud manducandū nos ēt inuitans, ac dicens. *Accipite &c.* Cum .n. ille quotidiè hæc nobis repetat, & cum nos similiter quotidiè illud idem corpus suum ab eodem petamus, illi semper dicentes: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodiè.* Māducare debemus, quia datum habemus, quòd petimus, & a datore ipso ad manducanducandum sollicitamur: &

manducemus quotidiè pariter, vel ſaltem frequenter, & deuotè ſẽper quantùm poſſumus. Audiant indeuoti, & qui tàm raro hoc corpus manducant, & vix ſemel in anno, vel etiã in multis annis, & tunc etiam, quaſi coactè, & frigidè nimis, ac indeuotè. Audiant hi (dico) iam non me, ſed S. Ambroſ. lib. 5. de Sacr. c. 4. *Si quotidianus eſt panis, cur poſt annũ illũ ſumis.*

27 Certè qui huiuſmodi ſunt, qui panem Euchariſticum quotidianum quaſi annuum indeuotione ſua reddentes, ſolùm poſt annum illum ſumunt, vt inquit S. Ambroſ. vel (quod peius eſt) poſt annos, ad memoriam mihi reducunt, id, quòd de Sybaritis narrãt Herodotus, Ælianus, & alij. *Vrbis Sybaris* (aiunt) *incolæ erant omni deliciarum genere effœminati: Vnde Sybaritica menſa. Inuitabant iſti conuiuas in proximum annum, ne ſpatium interim deeſſet aut conuiuatori, conquiſitis terra, mariq́ꝫ delicijs epulas inſtruendi, aut conuiuis ipſis corpus auro, gemmisq́ꝫ exornandi.* Certè Sybariticas multi Chriſtianorum imitantur: Suntq́ꝫ in diebus noſtris fideles quamplurimi infidelibus illis valdè deteriores: Nam ad conuiuium, in quo Chriſtus ſumitur, neceſſarium eſt illos ante annum, & ante annos multos aliquando vocare, & inuitare: & non ſemel tantùm, vel ab vno ſolùm, ſed pluries, & à pluribus conuitatoribus. Parochis, nempe, Cõcionatoribus, Confeſſariis, propinquis amicis, & alijs. Et non ſolùm vocare eos neceſſarium eſt, tanto antea tempore, & tàm frequenter, ac ferè continuè, ſed cogere etiam, & quaſi inuitos trahere, timore, videlicet, vel pudore, aut cenſurarũ cõminatione: Et (quod eſt deterius) quo tardiores ad ipſam communionem veniunt, vel trahuntur, eo indeuotiores etiam, ac ipſo Sacramento indigniores, & ipſis certè Sybaritis in hoc peiores, vt dixi, ac deteſtabiliores: quod enim illi ſic antea per annum ad cõuiuium ſe inuicem inuitarent, ratio erat (vt dictum eſt) exquiſita præparatio, & conuiuij, & conuiuantium: at parata ſunt omnia ſemper pro Chriſti conuiuio, & tamen nolunt ad illud venire, vel ſaltẽ nimis venire differũt, ad regales, inquam, nuptias, ad menſam non Sybariticam, ſed diuinã, omne delectamentum in ſe habentem, & omnem ſaporem ſuauitatis: Hoc autem, non vt interea per pœnitentiæ, & aliarum virtutum opera ſeipſos magis ornẽt, & ad ipſius Chriſti conuiuium melius ſe diſponant, ſed potius, vt ſe inornent (vt ita dicam) ac incomponãt amplius, illoque ſemper indigniores ſe reddant, eo magis, quo ad illud tardiores veniũt, vel coguntur, ſicut frequenti diſcimus experimento. *O cæcitas, o ingratitudo, o dementia Chriſtianorum, o diabolica, ac infernalis corruptela multorum: Si quotidianus eſt panis* (inquit Ambroſ. ad vnũquemq; eorũ) *cur poſt annum illum ſumis?* Cur poſt annos illum ſumis? dico ego. Eia, Chriſtiane, quicumque es, audi quod ſubdit Ambroſ., & ego tecum. *Quotidiè accipe, vt quotidiè tibi proſit: ſic viue, vt quotidiè merearis accipere.*

28 Hiſtoriam de Sybaritis nunc retulimus ad rem noſtram: aliam referamus, de quadã muliere non minus fortè noſtro inſtituto deſeruientem. De hac Cornelius Sema. 1. de Diuinis Naturę characteriſmis c. 6. ſic ſcribit. *Certè & noſtra ætate grandæuam fœminã vidit parens, qua ne ad momentum quidem abſq́ꝫ ingeſtione ciborum, & potus viuere potuit. Hoc illi vitium ferè à pueritia cũ ætate habuit incrementũ. Creditũ eſt multis, aut anguem, aut ſimile quidquam in corpore naſci.* Sic ille de illa muliere. Ex hoc verò ſic infero, ſi tantùm in illa poterat corruptibilis cibus, & potus, & appetentia eius, vt nec ad momentum quidem ſine illo viuere poſſet, quantò magis Euchariſtia tàm ingens ac continuum ſui in nos deſiderium cauſare deberet, vt ſimiliter ſine illius ſumptione, nec ad momentum quidem viuere quantùm in nobis eſt, vellemus, etſi ipſum ſolùm ſemel in die ſumere poſſumus, De illa enim teſtatur idem qui in ea continetur Dominus. *Caro mea verè eſt cibus: & ſanguis meus verè eſt potus.*

29 Eadem enim comparatione corporalis cibi, ac potus docet Eccleſia ipſa Parochos, Cõcionatores, & omnes, qui vices Parochorum ſubeunt, populos ſuos ad quotidianam communionem inducere. *Quare Parochi partes erunt* (inquit) *fideles crebro adhortari, vt quemadmodum corpori in ſingulos dies alimentum ſubminiſtrare, neceſſarium putant, ita etiam, quotidiè hoc Sacramento alendæ & nutriendæ animæ curam non abijciant. Neq; n. minus ſpirituali cibo animã, quã naturali corpus indigere perſpicuũ eſt.* Hęc Catechiſmus.

30 S. Franciſcus ẽt in ſuis opuſculis, de eodem Sacram. ait. *Si. n. hic cib. eſt animæ ſine quo languet, & marceſcit, cur non quotidiè ad menſam, in qua proponitur cunctis, cunctis ſedere, & manducare deſideremus?* Sic Pater Seraphicus. Et hæc de ſãctæ cõmunionis frequẽtia nũc ſufficiãt, ẽt pro verborũ Dñi explicatione. *Accipite, et mãducate: Hoc eſt corp' meũ.* Ipsũ corp' Dñi nři Ieſu Chři cuſtodiat animas noſtras in vitã æternam. *Amen.*

Sermo

SERMO VIGESIMVS NONVS.

De reciproca visitatione, qua Deus homines, & homines Deum in Eucharistia visitant. Ante Eucharistiam expositam.

Visitasti terram, & inebriasti eam: multiplicasti locupletare eam. Psalm. 64.

ARGVMENTVM.

In Eucharistia Deus visitauit homines, & specialiùs visitat eos, quum illa exponitur; ideo vicissim homines visitare Deum debent in eadem dignè colendo, ac sumendo eam, præcipuè verò cum illa itidem exponitur.

1 ÆTERNI Patris Vnice, tu *visitasti terram*, primò, quia in terra hominem tu fecisti: *Inebriasti eam*, quia pro hominibus in ea sanguinem tuum fudisti: *Multiplicasti locupletare eam:* quia multipliciter bonis, ac donis tuis spiritualibus homines in ea ditasti. Secundò, *visitasti terram*, ò Rex cœli & terræ; quia in Altari terræ, homines corpore tuo cibasti: *Inebriasti eam*, quia in eodem homines sanguine tuo potasti: Et tandem, *Multiplicasti locupletare eam*, quia eiusdem Eucharistiæ fructibus eosdem homines plurimum abundare fecisti: Sed modò, charissimi, de visitatione prima non agimus. Secundam solùm nunc attẽdamus, & modum eius in ipsis verbis Psalmi: *Visitasti terram, & inebriasti eam, multiplicasti locupletare eam.* Hoc autem, vt & nos eundem Dei filium in eadem Eucharistia dignè semper visitemus.

2 Certè priora hæc verba: *Visitasti terrã*, &c. De diuina visitatione, qua Dominus homines visitauit, & quotidiè visitat, per Eucharistiam ad illos intrando, hoc est in corpora eorum primum, & per corpus postea in animas, intelligunt Cassiodorus, Hilarius, Athanasius, & alij multi, & S. Bonau. noster inter alios in suo opusculo, De processu religionis, processu 7. cap. 21. agens de Eucharistiæ communione, vbi illam vocat Domini visitationem, & eiusdem ingressum in habitaculum cordis, & corporis nostri. *Ideo* (inquit Seraphicus doctor de Christi corpore) *non recipimus illud, quasi qui digni sumus, sed, vt illos nos sæpe visitãte, & habitaculum cordis, & corporis nostri subintrante magis, ac magis digni efficiamur: Quo enim introierit, benedicet Deus, sicut olim domũ Obededom benedixit, propter arcam Domini, in qua manna seruabatur: propter hoc Dauid voluit eam reducere cum benedictione.* Est ergo ipsa sancta communio, Dei visitatio, qua iam ab Eucharistiæ institutione homines visitare cœpit, & continuò visitat, & visitabit semper *omnibus di b. vsque ad consumationem sæculi:* Et est visitatio benignissima, ac munificentissima, largam benedictionem infundẽs iugiter inuitatis: *Quò enim introierit, benedicet Deus*, inquit S. Bonau.: & ideo quando fit huiusmodi in nobis visitatio, petimus: *Vt quotquot ex hac Altaris participatione sacrosanctum filij sui corpus, & sanguinem sumpserimus, omni benedictione cælesti, & gratia repleamur.*

Et quidem confidenter hoc postulamus: 3
quia: *flumen Dei repletum est aquis:* sicut additur immediatè ad ipsa verba de visitatione hac Eucharistica: *Visitasti terram, & inebriasti eam: multiplicasti locupletare eam: flumen Dei repletum est aquis*, inquit; Glossa .n. ordinaria, Cassiodorum allegãs, hæc verba sic explicat. *Misericordiam Dei pleno flumio comparat, quæ repleta est aquis in refectione singulorũ: Post potum Dei, de cibo spirituali subdit, hoc totum de*

facta cōmunione, quādo eius corpore pascimur, sāguine potamur: Sic Ord. Glossa cū Cassiodoro.

4 Et hæc est Christi sancta visitatio, qua terram, hoc est homines, qui in terra habitant, visitauit, & in dies visitat, corpore suo sacratissimo illos pascendo: Et hæc pariter est eiusdē sobria inebriatio, qua eosdem, & inebriauit, & inebriat semper, suo potando sanguine. Ideoq; & ipsa psalmi scriptura, cum hanc visitationem Dei vix narrasset, statim quasi explicans eam, de hoc Eucharistico cibo & potu, subiunxit de potu quidem prius: *Inebriasti eam*, quia inebriatio ad vinum, potissimum pertinet, & sub vini specie potat nos Christus sanguine suo, visitando, de quo etiam idē ait: *Sanguis meus verè est potus*: Et quia similiter nos visitat, corpore suo nos pascendo idem Christus: & hoc sub frumenti specie, idcirco de hoc ipso subdit: *Parasti cibum illorum: Parasti frumentum illorum*, vt Hebrei legūt apud Pagn. Et rursus, quia, & hic cibus, qui est eiusdem Christi, corpus, & hic potus, q̄ est eiusdem sanguis aquæ dicuntur fluminis Dei, slz. misericordiæ Dei: propterea de hoc misericordiæ Dei flumine, & de aquis istis Eucharisticis ibidem scribitur: *Flumen Dei repletū est aquis*: Psalmista .n. hoc loco *misericordiam Dei pleno fluuio cōparat, q̄ repleta est aquis ī refectione singulorū*, vt ia cū glossa, & Cassiod. diximꝰ.

5 De qua misericordia (vt puto) etiā Zacharias Baptistæ pater sic cantauit: *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos oriēs ex alto: Ecce vir oriens nomen eius*: videlicet; Christus Dominus, vt scribit alius Zacharias cap. 6. Hic .n. oriens æternaliter in cœlo ex alto Patre, per viscera misericordiæ suæ visitauit nos oriens tēporaliter in terra ex alta Matre: & orit quotidiè sacramētaliter ex alto Altari; & sic terram visitat, & inebriat eam. & parat cibum, siue frumentum nostrum Eucharisticum: *Quoniā ita est præparatio eius*. Quoniam flumen misericordiæ Dei aquis istis refectionis repletum est: & aquis eisdē nos locupletare multiplicauit, hoc est: *plurimū locupletauit*, vt Pagninus transfert ex Hebreo Vel ideo dicitur: *Multiplicasti locupletare eā*, quia explicari non potest, quantùm Dei filius nos in Altaris Sacramento visitans, gratia sua, & alijs spiritualib. bonis suis multiplicet, ac locupleret, per viscera misericordiæ suæ, in quibus visitauit nos oriens ex alto, & ex Altari.

6 Vnde q̄ Tobias de Raphaele asseruit. *Bonis omnib. per eū repleti sumus*, procul dubio veriꝰ ac iure potiori de Christo Domino, qui Angelus testamenti dicitur affirmare, & nos possumus, sclz. bonis omnib. & spiritualib. præcipue, ac celestib. per eū repleti, multiplicati, & locupletati sumus: Vnde & Psalmista, etsi visitationē hanc Christi tām munificā, ac liberalem declaret, dicens: *Visitasti terrā*, &c. nihilo minus de ipsa admirans, & obstupescens supra modum, ad ipsū exclamando in Psalmo octauo, illū sic interrogat. *Quid est homo, quod memor es eiꝰ? aut filiꝰ hominis, quoniā visitas eū?* Et Dauid Iob se iūgit sociū, simile quasi cū eo ad Deū lamentum faciens, cōtra hominē c. 7. *Quid est homo, quia magnificas eū: aut quid apponis erga eum cor tuum, visitas eum diluculo.*

7 At liceat mihi interrogationib. & querelis istis de Dei ad hominē visitatione Sacramentali, de qua nunc loquimur, respōdere. Homo quidē conditione & natura terra est, puluis, ac cinis vilissimus, volūtate sua aūt & electione peccator est pessimus, Deo ingratissimus, eidēq; inimicissimus, & peccatis ac vitijs suis ab ipso Deo magis, ac magis sēper recedit, & elongat se: Vnde & ipse Deꝰ vicissim eidem homini recessus huiusmodi, & elongationis suæ pœnā cōminatur in scripturis: sic .n. Sap. 3. *Impij aūt secundū, quæ cogitauerunt, correptionē habebunt, q neglexerūt iustū, & à Dño recesserūt.* Item Oseæ 7. *Væ eis, quoniam recesserunt à me.* Item Hier. 2. *Hæc dicit Dominus: Quid inuenerunt patres vestri in me iniquitatis, quia elongauerūt se à me, & ambulauerūt post vanitatē, & vani facti sunt.* Verùm his omnib. minimè obstantib. Deus memor est hinis, & visitat eum prior, & diluculo eū visitat, hoc est sūma sollicitudine, ac prōptitudine, & (quod plus est) *magnificat eū: & apponit erga eū cor suū*: vel: *super eum cor suū*, vt transfert Pagn. vel: *Adhibet mentē erga eū*, vt 70. interpretantur.

8 Et præterea non in vna re tantū, vel vno solū modo eundē hominem magnificat, visitando eū, & apponēdo erga eūs vel super eū cor suum, siue mētē, sed in omnib. eū magnificat, & omnibus modis et: Audiamus hoc idē ex scriptura. Sap. vlt. *In omnibus .n. magnificasti populū tuū Domine, & honorasti, & nō despexisti*: Sic primò Sapiētia, & postea immediate quasi hoc declarans, q̄ dixerat, subdit: *In omni tēpore, & in omni loco assistens eis* q̄ idem est, iudicio meo, q̄ et incarnata Dei sapientia, Christus Dñus noster de Eucharistiæ Sacramento pnunciauit: *Vobiscū sū oībus dieb. vsq; ad consumationē sæculi*. In omni tēpore .n. & in omni loco pariter, & in oī Ecclesia, & Altari nobiscum

biscum est, & erit vsq; ad cōsumationē sęculi, nos visitando, & ad nos ingrediendo per sanctā cōmunionem, q est, in omnibus rebus, & oibus modis magnificare, & honorare populū suū: quia & oibus modis cū seipso oia nobis donauit: *Hac oia autem non ex operib. iustitia, qua fecimus nos, sed secundū misericordiā suā magnā saluos nos fecit*, vt docet Apostolus ad Titū scribens c. 3. Hoc est. *Per viscera misericordiæ Dei nostri, &c.* Quia flumen eiusdē Dei misericordię repletū est aquis gratiarū, ac donorū suorum, sicq; repletū est, vt exuberet ac redūdet, in hac visitatione sua Eucharistica nos inebriando, ac multipliciter locupletando. De hoc .n. & scribitur & prædicatur. *Visitasti terrā, et inebriasti eā, multiplicasti locupletare eā*: sicq; tandem cū scriptura scripturę interrogationi respondetur, & quærela diluitur, q̄ Deo proponebatur, q hominem visitaret: *Quid est homo, q memor es eius, aut filius hominis, quoniā visitas eum, &c.*

9 Nouit hæc oia Hieremias Propheta, idcirco c. 14. aliā faciens Deo interrogationem, & quærelam prænarratis similē, responsionem eius ēt ante præmisit, sic .n. ad Deū loquitur. *Quare quasi Colonus futurus es in terra, & quasi viator declinans ad manendum?* Vbi pro verbo latino nostro: *Colonus*, Hebraicum est, *Gagger*, idest, *sicut peregrinus*, vt vertit Syrus, vel: *hospes, & aduena*, vt vertit Arabicus. In Eucharistia enim nos visitans Christus, Colonum se demonstrat, quia per ipsam animas nostras sua gratia, & alijs donis colit, ac fertiles reddit, & abundantes bonorum operum fructib. In eadē ēt aduena est, & peregrinus, quia vt aduena, ac peregrinus, speciеb. panis, & vini, quasi peregrina veste vestitur: Est etiā in eodem Sacramento, vt *viator declinans ad manendum*, quia etsi cœli sit inhabitator, tamen in ipsa Eucharistia, tanquam viator in communi hospitio declinat ad manendum nobiscū omnibus diebus, vsq; ad consumationem sæculi. *Quare quasi colonus futurus es in terra* (ait ad Christum Hieremias) *& quasi viator declinans ad manendum?* sed vt diximus, sibi ipsi respōdet, ac satisfacit, etiam antequā interrogationem proponat: est aūt responsio, quæ immediate præcedit ipsam quæstionē, hæc nempe: *Expectatio Israel, Saluator eius in tēpore tribulationis*: Christus Dominus Saluator mundi est, quem mundus diutius expectauit in spē tam magnæ tribulationis, vt ad se visitandum veniret: Saluatoris aūt propria est misericordia, p quam saluat in tēpore tribulationis: Et quia specialiter est Saluator Israel, hoc est populi Christiani, qui idcirco per viscera misericordiæ suæ eundē in Eucharistia visitat, vt sic visitando saluet: Vnde idē ait: *Qui māducat meā carnē, & bibit meū sanguinē, habet vitā æternā.*

Sed dum de saluatione nostra loquimur, illius vulgati ex August. recordemur. *Qui fecit te sine te, non saluabit te sine te.* Et quia per sacramentalē visitationem saluamur, id, q de ipsa visitatione Sacramentali signanter pro nobis scriptura loquitur, nūc similiter attendamus: *Venerunt dies visitationis: venerunt dies retributionis*: sic scribitur Oseæ c. 9. Hæc enim nobis signanter intimari videntur: Tres hi dies quadraginta horarū, dies visitationis dici possunt, in quibus in hac Eccl'a modò nos oēs visitat Dei filius specialiter, de Tabernaculo suo ad nos veniens super Altaria. Verūm dies isti, qui dicuntur dies visitationis, dicuntur ēt dies retributionis. *Venerunt dies visitationis: venerūt dies retributionis*, inquit Osee: quia vnū & idē sunt, aut saltē simul & semel sunt, vel esse debent dies visitationis, & dies retributionis: si ergo pro nobis venerunt dies visitationis, ergo ēt simul & semel venerunt, vel venisse debuerūt dies retributionis, vt Propheta docet: Sed quę est ista retributio, cuius dies simul venerunt cum diebus visitationis? Illa profectò inprimis, de qua in Psalmo canimus. *Quid retribuā Dño pro oibus, qua retribuit mihi? Calicē salutaris accipiā, & nomen Dñi inuocabo.* Hæc .n. de sancta cōmunione apertè intelliguntur, quā inprimis sumere debemus omnes his dieb. in quib. in Sacramento nos Christus visitat, pro visitationis suæ retributione, quia dies visitationis, & dies retributionis ijdē dies sunt, vel simul, & semel venire debent: Et ipsa .n. vrbanitas expostulat, vt quū aliquis ab alio primo visitaī, maximè honestiori ac digniori, se eandē visitationem (vt dicitū) illi retribuat.

Quia ergo venerunt dies visitationis, quā 11
idē Dei filius, & Dominus noster, nos oēs (vt diximus) in Sacramento visitare prius dignatur, etsi alia oia ēt excluderemus, quæ ad visitationē eidē retribuendā nos stricto iure obligant, nēpe, amor eius, Eucharistiæ reuerētia, ac deuotio, gratitudo, salutis nostræ zelus, Ecclesiæ Sanctæ pia consuetudo, Pastorū nostrorum præceptū, proximorum exēplum, & ipsa deniq; solemnitas orationis quadraginta horarū: Etiā (dico) si hæc oia per impossibile abessēt, sola tamen Christiana vrbanitas, ac pie-

tas

ras hoc à nobis omnino requireret, vt, nimirū homines Deū visitent, quos prius Dei filius p viscera misericordiæ suæ visitauit oriēs ex alto Altari: Illum verò visitare debent, ad illū, libenter promptè, & vnanimiter venientes in domo eius Ecclesia, vt de illis id adimpleatur, q̃ de amicis Iob: scribitur cap. 2. in figuram: *Condixerant .n. vt pariter venientes, visitarēt eū,*

12 Et quia in visitationibus alloquuntur se mutuò visitantes, osculantur, & amplectuntur, & manus ēt sibi inuicē porrigunt in signum mutui amoris, ac beneuolentiæ, & aliquando ēt simul comedunt, & bibunt: Nos similiter ad Christū, quē in Eucharistia visitamus, manus leuare debemus, & cū eodē oscula, & amplexus miscere in sancta cōmunione: vtrūque .n. cōmemorat psalmista p prædicta retributione visitationis, vt iam audiuimus, cōmunionē quidem, dum ait. *Calicē salutaris accipiā*: orationem verò, cùm statim subiungit: *& nomen Dñi inuocabo*: Et hæc est retributio visitationis diuinæ, qua primò Dñus nos visitando, Eucharistiam nobis tribuit, ad quam sic nos hortatur Spiritus sanctus in scripturis: *Venerunt dies visitationis, venerunt dies retributionis,*

13 Sed in prædictis verbis Osee aliud quoque obseruādū videtur pro hac nostra visitatione Eucharistiæ, nēpe, translatio 70. Interpretum ex prædictis verbis. *Venerunt dies vltionis, dies tribulationis.* Quid est hoc? vel, quid ista significant? An hi dies, solemnitas ista quadraginta horarū, quæ est festiuitatis, ac spiritualis lætitiæ, & in quibus oēs in Domino consolari, & gaudere debemus dies vltionis, & dies tribulationis rectè appellari possunt? Rectè quidē, ac verissimè: Dies quidē lætitiæ ac consolationis spiritualis bonis, ac deuotis oibus sūt dies illi, qui, s1z. Dño dignè retribuunt (vt docuimus ex scriptura) visitationē suā; dies verò vltionis, ac tribulationis malis, ac indeuotis, q. vltionē, ac tribulationē à Dño recipiūt, hoc nō præstātes: Vel ideo dies vltionis, ac tribulationis his dies lætitiæ dicūtur, quia, q. in peccatis sunt, de peccatis suis vlcisci debent, p cōtritionis verè, ac pœnitētiæ tribulationē, vt Dño placeat, & grata sit eorum retributa visitatio.

14 Idem Dominus hoc ipsū fortassis indicare voluit, dùm peccatorē quemcumq; alloquēs, Isa. 60. sic ait ad illū. *Ponā visitationē tuā pacē,* quia sicut visitare non se solent illi, inter quos non est pax, & amicitia: Vel ideo se visitant, inimici, vt sic hoc modo amici fiant statim, visitationemq; suam, sic pacem ponant, hoc est faciant esse pacem, & pacem causare: sic etiā, quia non est inter Deū, & peccatores pax, & amicitia, sed odiū, & bellum potius, secundū illud Sap. 14. *Similiter aūt odio sunt Deo impius, & impietas eius*: Et illud Eccli 46. *Contra Deū purgare est difficile*: Ideo peccatores si Dei filiū in Eucharistia visitare volunt, prius eidē per verā pœnitentiam reconciliari debent, vt impleatur in eis Isaiæ prophetiam. *Ponam visitationem tuam pacem.*

Ad quod ēt (vt mihi videtur) deseruire poterit Micheæ doctrina de hac ipsa nostra visitatione c. 7. *Dies speculationis tuæ, visitatio tua venit*: Sicut .n. Osee diem visitationis vocauit diem retributionis: Sic Micheas vocat illū diē speculationis: dies verò speculationis vocat, dies hæc, in qua Eucharistiam visitamus, quia eiusdē magna mysteria eius, piè speculari debemus, ac cōtemplari, illam visitantes: Et q. a ēt, vt veri, fidelesq; speculatores, eandē vigilāter custodire, & eidem assistere debemus, & hi, maximè quibus ex officio, vel mandato, vel alias hoc munus incumbit: Et deniq; q. a nos ipsos etiam inprimis, & conscientiam nostram pariter tenemur speculari, & diligenter examinare ad peccatorum nostrorum contritionem, & confessionem, vt ea, qua par est reuerentia, ac pietate in diebus istis potissimum visitemus eā: Vnde Hebraicus text᷒ legit: *Dies speculatorū suorū*, p nostro; *Dies speculationis.* 15

Et quia tandem (vt concludamus) in Isaia 16 similiter, de hac nostra visitatione, a Domino statutum videtur c. 15. *Secundū magnitudinem operis, & visitatio eorum,* Magnum siquidē op᷒ Domini est in te Eucharistia: de hac .n. Psalmista, ait. *Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates eius*: Et deinde: *Escam dedit timentibus se*: Et præterea magnum est etiā q Dei filius in ipso magno suo opere, quod est Eucharistia, homines quotidiè visitare dignetur, & magnum præcipue, pietatis, & charitatis suæ opus: Itaque secundū vtriusq; operis magnitudinē, & visitatio eorum (vlz. Christianorum) sit & ipsa magna: hoc est pia, deuota, frequens, ac religiosa, per verā peccatorū nostrorum pœnitentiā, per orationes, & alia pia opera, vt ei grata sit, quem visitamus, & nos pariter visitationis nostræ fructū in sācta ipsa cōmunione præsertim cōsequamur: sicq; nos bonis suis in hoc, & in futuro sæculo sēper inebriet Dei fili᷒ ac multipliciter locupletet, quos nūc corp. & sangu. sui cōmunicatione visitat, cū terra illa simus, de qua iā satis pdicauimus, *Visitasti terram, & inebriasti eā, multiplicasti locupletare eam, Amen.*

SERMO TRIGESIMVS.

Pro oratione vnius horæ, in solemnitate orationis quadraginta horarum. Ante Euchariſtiam expoſitam.

Malitia vnius horæ obliuionem facit luxuriæ maximæ. Eccleſiaſtici cap. 11.

ARGVMENTVM.

Oratio etiam vnius horæ ante Euchariſtiam, in tempore præſertim Orationis quadraginta horarum, pœnitentiam cauſat peccatorum maximorum.

1 VADRAGINTA horæ in hac Eccleſia noſtra modò fiunt, vt communi vulgo, vel vocabulo loquimur. Hoc eſt ſolemnitas quædam valdè pia, ac ſeruoroſa, ſecundum Eccleſiæ Sanctæ deuotū ritū, & cōſuetudinē, nunc à nobis celebratur, ac frequentatur circa venerabile ſemper, & auguſtiſſimū Euchariſtiæ Sacramentum, quæ, quia per quadraginta horarū ſpatiū protenditur, in quib. ante ipsā Euchariſtiam, quæ tunc et maiori pompa, & apparatu exponitur, deuotius, ac prolixius orare conſueuim' ab ipſis horis, orationis quadraginta horarum nomen ſumpſit. Valde grata eſt Chriſto Dño, quem ſic in ipſa Euchariſtia colimus, hæc noſtra, tam religioſa, ac ſolemnis obſeruantia, & animabus noſtris etiā multū vtilis, ac fructuoſa, etiam ſi per vnam tantū horā in ipſa oratione aliquando perſeuerēmus: Hoc nobis maniſeſtè inſinuant cœleſtis oraculi verba, quæ protulimus, ſi aliquanto diligentius, ac ſubtilius illa conſiderare velimus: Hæc, inquam, *Malitia vnius horæ, obliuionem facit luxuriæ maximæ.*

2 Vt autem clarius percipiantur à nobis, ſupponendum primò erit, q malū à quo malitiæ nomen deriuat, duplex communiter ſolet diſtingui, & in ſacris præſertim litteris, malum, ſcilicet, culpæ, q ipſa culpa eſt intranſitiua locutione; & malū pœnæ, q eſt ipſa pœna ſimiliter, culpæ, vel peccato debita. Primū malū, quia de ſe & intrinſece (vt ſcolæ locuntur) tale eſt, nullius boni cauſa vera eſſe poteſt: ſecundū malum verò, quia extrinſecè ſolū eſt malū, & reſpectu patientis illud principaliter, bonū aliquod cauſa, ſi propter Deum patienter tolleretur: & bonum, q cauſat, eſt primi mali ablatio, q fieri poteſt, etiā ſi breui tēpe duret, nempe, vna hora tantum: & hoc indicant verba noſtra, quæ de ipſo malo pęnę ſūt. *Malitia vnius horæ obliuionem faciet luxuriæ maximæ.* Pro verbo illo .n. *Malitia*, verbū hoc, *afflictio*, redditur, ſecundū Grecā trāſlationē. Vnde ſenſus erit: *Malitia*, ideſt, *afflictio horæ*, ſiue horaria, & breuis, *obliuionem faciet luxuriæ maximæ*: hoc eſt ſecundùm eamdē Grecorū litterā, *luxus ſiue deliciarū, & voluptatis etiam maximæ*: Vnde, & S. Hier. lib. 18. in Iſa. ſic legit. *Afflictio horæ obliuionem facit deliciarum.*

Et confirmantur hæc omnia alio ſimiliter 3
ſanctarū ſcripturarū teſtimonio, q ſcribitur Eccleſ. 10. c. *Curatio faciet ceſſare peccata maxima*: Hæc .n. ſic explicat S. Bonau. *Vocatur hic curatio flagellorum afflictio, in quib. homo curat.* Curatio ergo, hoc loco idem eſt, q afflictio: ſicut ergo afflictio horæ, *obliuionem facit luxuriæ maximæ, ſic ceſſare faciet peccata maxima*, cuiuſcūq; generis illa ſint: Et facit pro hoc ipſo Grecorū ſimiliter textus, qui pro verbo *curatio*, legit: *Sanitas*: & ſimiliter Hebraicus: q vtitur verbo hoc *lenitas*: ſic, ſcl. *Lenitas quieſcere faciet peccata maxima*, ſicut Grecas: *Sanitas requieſcere faciet peccata maxima*: quia mala oīa tēporalia, & afflictiones quęcūq;, etſi affligant, & noceant exterius, & corporales ma-

xima

ximæ, nihilominus animæ prosunt mirũ in mo-
dũ, quia & à luxuria, & luxu quolibet, & à
prauis cupiditatib., & peccatis quibuscũq; et
maximis illã curant, & sanant. Ideoq; lenia ac
suauia ipsa mala, & afflictiones videtur. Imò,
eiusdẽ et animæ curatio sanitas, ac lenitas di-
cũtur et à Dño in scripturis, vt audiuimus. *Ma-
litia*, idest, *afflictio hora obliuionẽ facit luxuriæ
maxima*, inquit Ecclus. Illud .n. ex cõmuni lo-
quẽdi vsu dicitur obliuionem facere rei alicu-
ius in aliquo, q̃ rẽ ipsã odire, & detestari illi
facit, vel ab illa fugere siue cessare, vel saltem
de illa nõ curare: Idcirco in eodẽ sensu ait, &
Ecclesiastes. *Curatio cessare faciet peccata maxi-
ma*: hoc est: Afflictio, curatio erit, sanitas, ac le-
nitas animæ, in ipsa cessare faciens peccata
maxima.

A Sed quò tendunt hæc oĩa? & propter q̃d
illã cõgerimus, & explanamus? Vtiq; propter
Eucharistiã, charissimi. Audite, q̃ ad horã ora-
tionis, vnã saltem ex quadraginta, cõuenistis,
vel conuenietis: Hæc ipsa conueniendi volũ-
tas, ipsũ iter vestrũ, gressus vestri, oratio vr̃a,
sermonis auditio, genuflexio, prostratio, ado-
ratio, assistentia, & perseuerantia ante Eucha-
ristiam, & deniq; ieiunia, eleæmosynæ, omne
opus, ministeriũ, vel obsequium vestrũ, & qui-
cumq; corporalis labor deniq; vel afflictio, q̃
in hac, vel in alijs orationis huius horis humi-
liter, ac patienter sufferimus ob Dei amorem
& pp Eucharistiæ sãctissimæ cultũ, ac reuerẽ-
tia, etsi mala sẽsui, vel corpori videãtur, q̃a ve-
rè afflictio, & molestia, & malitia eius, dicũt,
nihilominus, animę nostræ valdè plus pderũt:
q̃a verè medicina eius, & curatio sũt hęc oĩa,
quæ à luxuria, & à peccatis quibusq̃q; et maxi-
mis illã curabunt, & sanabũt, & ab illis cessare,
facient in futurũ, & delectationũ, ac volupta-
tum præteritarũ et obliuionẽ in nobis faciẽs
ne ad illas amplius reuertamur: scriptũ est .n.
Malitia, siue *afflictio hora obliuionẽ faciet luxu-
riæ maximæ*, &: *Curatio faciet cessare, &c.*

5 Fortè Iob et hanc horã nostrã in spiritu p-
nouit: nã de illa sic prophetasse videtur, pso-
nam in se assumens cuiuslibet fidelis, c. 10. libri
sui. *Si peccaui, & ad horã pepercisti mihi*, vel, *etsi
peccauero, ad horã pepercisti mihi*, secundu Grec.
textũ. Sẽper quidẽ nobis parcit Deus, quũ ve-
rè penitemus, sed ad horã quãlibet harũ qua-
draginta parcere dicitur specialius, q̃a in illa
ante Eucharistiã cõuenientes deuotius, ac fer-
uentius orare solemus, & peccatorũ nostro-
rum verè & ex corde penitere. Vnde, & ex ip-
sa et vehementi delictor. contritione, & do-
lore, & ex interna feruoris dulcedine sæpe
Dei gratiã, & alia multa, & gloriã potissimum
obnixè, ac instanter à Deo postulantes, & me-
lioris vitæ et ppositum firmum concipientes.
Vnde Glossa verborum prædictorum est.
*Ad horam parcis Deus, cum mox culpam confes-
sis fletibus diluit.*

Et quidẽ et S. Bernar. in prologo sermonũ 6
suorũ in cęna Dñi, loquẽs de huius cęnæ Eu-
charisticæ mensa, ait. *Quicũq; ad hãc sedere vo-
luerit, non sine lacrymis quæso accedat: etsi accesse-
ris saltẽ sine gemitu non recedas*:
Ad hanc mensã, & nos accedimus in hac ho-
ra: ideo sine lacrymis saltẽ cordis (si non cor-
poris) accedere, vel recedere non deberemus
& maximè in hora, in qua ad illã sedere volu-
lumus cœlesti illius cibo reficiẽdi. De qua ho-
ra proculdubio cũ Bernardo itidẽ prædicabi-
bimus. *Breuis hora, fœlix hora.*

Quare si secundũ Tulij et sẽtẽtiã. *Omnia q̃ 7
sunt breuia, tolerabilia esse debẽt, et si magna sũt*:
& nos breuẽ hanc horã nostrę orationis, ac
deuotionis tolerare debemus, cũ et fęlix hora
sit p nobis, nobisq; valdè vtilis, ac fructuosa
in Dño, vt iã diximus, quia, vlz. *Malitia*: hoc et
Afflictio hora, obliuionẽ facit luxuria maxima: &
Curatio, siue *sanitas, ac lenitas, cessare faciet
peccata maxima.*

Sed (proh dolor) de hac ipsa hora quidq̃d 8
ex ipsa scriptura dicamus, nihilominus illud in
veritate asseuerare possumus, q̃ de alia hora
similiter dolendo, ac conquerendo expressit
S. Ioan. Chris. in serm. in Encęnijs, de Euchari-
stia loquens: Audiamus attente, & audiat illũ
pręcipue quicumq; piger, ac negligens, & cir-
ca hanc quadraginta horarum deuotionẽ in-
deuotus. *Centum sexaginta octo horas* (inquit)
*habet hebdomada, vnam & solam horam sibimet
segregauit Deus, & hanc in opera sæcularia, & ri-
dicula, & in conuenticula insumis? cum qua po-
stea fiducia ad mysteria accedes? o quam polluta
conscientia?* Sic S. Chrisost. Hęc de multis ex
nobis sanè verificari manifestè videmus: Et
(quod valdc peius est) multi etiam horã hãc
Deo reseruatam sibi tollunt, & in operib. &
valde etiam vitiosis insumunt. Vnde cũ nulla
vera confidentia, sed bene cum polluta valde
consciẽtia ad Eucharistica mysteria accedũt.
Et tu negligens es (inquit idem Chrisost. ibidẽ
ad horum vnumquemq;) *& dormis & contem-
nis, homo: nondum nescis, q̃ etsi proprium sangui-
nẽ pro Christo effundas; nõ quãtũ oportet, imples?*

Ad

Ad eosdem idem Christus. *Non potuistis vna hora vigilare mecum?* Si toties, & tam prolixè pro nobis orauit Christus: Vnde legitur etiã pernoctasse in oratione Dei, cur & nos pro il lo in Eucharistia, hoc est, ad eiusdem Eucharistię gloriam, & reuerentiam, & ad nostram simul vtilitatem non possumus, vel verius, nõ volumus secum orare? Sed potius peccare vo lumus, & grauiter etiam contra illum, & contra proximum etiam, & contra nosmetipsos. *Vna hora*, dicit, & non hac vel illa, quia, etsi sit ille omnibus horis in Eucharistia pro nobis, non præcipit nobis tamen, vt omnibus horis eundem in illa oremus, sed vna hora (quæcuq; sit illa hora) nostrę orationis contętus est, & valdè minori tempore etiam.

De falso amico enim scribitur Ecclesiastici cap. 12. *Vna hora permanebit tecum, si autem declinaueris, non supportabit*: At Christus, quia verissimus amicus noster est, etsi ab eo declinemus, per peccatum, nẽpe, supportat tamen nos, omnibus horis nobiscum permanens in Eucharistia, & in illa ad orationem, & ad pęnitentiam, omnibus etiam momentis nos magno desiderio expectãs. Itaq; hac hora saltem, quæso, secum in Eucharistia & nos deuotè permaneamus, nec ab eo per peccatum quomcumq; declinemus: Quia verè hæc est hora nostra, & hora tandem, de qua (vt sæpe iam diximus) scriptum est. *Malitia vnius horæ, obliuionem facit luxuriæ maximæ*. Amen.

SERMO TRIGESIMVS PRIMVS.

Pro Sacerdotibus. Ante Eucharistiam expositam.

Vos autem Sacerdotes Domini vocabimini: Ministri Dei nostri dicetur vobis. Isa. 61.

ARGVMENTVM.

Sacerdotes ab Eucharistia præsertim Sacerdotes Domini vocantur, & Ministri Dei nostri dicitur eis: Ideò vt nomine, sic etiam re, tales esse debent.

1 QVIA ad communem populum semper suos solent, & Pastores, & Concionatores dirigere sermones, in quo manifestum est, & viros, & mulieres esse, & omnis ętatis, omnis status, omnis gradus, & conditionis, proindeq; etiam vitia diuersa, ac peccata quamplurima, & grauia valde, atq; enormia in eisdem aliquando grassari: Ipsis verò populi Rectoribus, & Prædicatorib. cum districtè id præcipiat Dominus, quod in Isaia legitur capite quinquagesimo octauo. *Clama ne cesses: quasi tuba exalta vocem tuam, & annũtia populo meo scelera eorum, & domui Iacob peccata eorum*, & illud similiter, quod Paulus in prima ad Thimoteum, scribit c. 4. *Prædica verbum, Insta opportunè, importunè, argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina.* Et quod ad Titum ait etiam 1. cap. *Increpa illos durè.* Hinc est, quod iijdem Sacerdotes, & verbi Dei precones, vt mandanti sibi Domino obtemperent, suoq; sic muneri, & oneri (vt par est) satisfaciant, non solùm eosdem concreditos sibi populos docere, & admonere solent, opportunè, & importunè, sed & reprehendere etiam, & increpare, & seuerè quandoq; durè, acriter, & cum ingenti feruore, ac magna voce, sicut eisdem secundùm opportunitatem variam salubriter in Domino expedire videtur.

2 Cùm verò non ad promiscuum populum modò nos scribamus varijs, ingentibusq; sceleribus sæpe repletum, sed ad eosdem populorum præsides, qui huiusmodi criminum non solùm inoxij, sed etiam virtutum, ac morum sanctimonia præditi pro eorum statu, ac offi-

cio supponuntur. Idcirco illis eorumq; dignitati (vt dignum est) deferens, eorum tantum principale nomen, & officium, quod illis ratione Eucharistiæ potissimum conuenit, ad memoriā eisdē nunc reducam, nomen, scilicet, Sacerdotis Domini, quo vocantur. *Vos aūt Sacerdotes Domini vocabimini*: officium autem, ministrorum Dei, à quo pariter nuncupātur. *Ministri Dei nr̄i dicet vobis*. Hæc duo verò potissimum illis rememoro, vt ex ipsa nominis, & muneris sui memoria tales esse semper studeant, quales ipsum nomen, & officium postulat.

3 Sacerdotes ergo sic cum Propheta iam alloqui incipiam. *Vos autem Sacerdotes Domini vocabimini. Ministri Dei nostri dicetur vobis.* Sic de Sacerdotibus Euangelicis prophetauit Isaias, illos in spiritu præuidens, & contestās, idcirco. *Vocabimini*: ait ad illos in futuro, similiter: *Dicetur vobis*. Ad Euangelicos Sacerdotes nobis p̄sentes nunc loquimur, & p̄ p̄sēti, idcirco i p̄sēti ēt ipsa Isa. verba vsurpare possumus, etsi & in futuro, & nos pro eidem etiā illa sumamus. sic nempe, ad illos dicentes. *Vos autē Sacerdotes Domini vocamini: Ministri Dei nostri.* Dicitur vobis.

4 Et rectè quidem Sacerdotibus Sacerdotū nomen, & officium recordamur, vt re etiam, sicut & nomine verè Sacerdotes esse curent, vt, nimirum, secundùm B. Petri consilium in secunda Epistol. satagant, vt per bona opera, certam ac firmam faciant vocationem, & electionem suam, nempe, Sacerdotum Domini, & ministrorum Dei nostri. *Vos autem Sacerdotes Domini vocabimini: Ministri Dei nostri: dicetur vobis.* Et vt satagant pariter eidem Domino, cuius Sacerdotes vocantur, & eidem Deo, cuius ministri dicuntur, immaculati, & inuiolati inueniri in pace. Quia verè, *multi Sacerdotes, & pauci Sacerdotes*, vt scribitur in canone ex Diuo Chrisostomo. Audiant itaque Sacerdotes omnes inprimis sermonē Incerti de cœna Domini apud Bern. Itaq; primum de Eucharistia, & de Sacerdotum ministerio, circa illā, sic ait eosdē alloquens Sacerdotes. *Hoc itaque Sacramentum ab æterno repositum, Diabolo celatum, Prophetis reuelatum, sollicitudini vestræ creditum, debita est gratiarum actione prosequendum: O sacrum, o cœleste mysteriū vestrum, laudabile desiderium, insigne spectaculum, solemne miraculum: Deus qui mirabilis est in omnibus, seipso certè mirabilior, quemquam ad vos ostenditur, dùm mirabilius per vos operatur. Quid plura? Sacerdotes Dei benedicite Domino. Digna Deo satagentes, ne vobis fiat in ruinam, quod dignè sumentibus prouisum est ad medelam: Sacerdotes Dei nō immeritò vos dixerim, si vixeritis Sacerdotaliter in domo Domini.* Sic ibi de Eucharistia, & de Sacerdotum ministerio & officio respectu Eucharistiæ: postea sic subiungitur de ipsorum Sacerdotum dignitate, & nomine specialius.

Non enim prouenit dignitas in hoc nomine, quòd Sacerdos: non inquam ex nomine, sed ex virtute, conuersatione, non officio, merito, non vocabulo: sanctitate, ministerio. Vnde scriptura dicit: Sacerdotales viros quærimus, qui plures habemus Sacerdotes. Plures inquam in numero, non merito; simulatione, non fide: specie, non virtute: commixtione corporali, non vinculo spirituali: carnis adunatione, non cordis vnitate: sunt enim lotis manibus, sed non lotis operibus: cruenta conscientia ad diuina accedunt sacrificia: comedunt sine timore, & sine reuerentia carnes agni, qui præsidet in cœlo, sicut carnes, quæ venduntur in foro. Non sicut Sacerdotes assistunt in Altario, sed sicut carnifices in macello: Graue igitur pondus, graue est periculum istius honoris. Gradus quippè iste, gradus causalis est, gradus iudicialis est, nisi moribus illustretur dignitas vnctionis, nobilitate morum, exercitatione [illegible] *& instantia bonorū operū.*

Hæc omnia ibidem. In eodem sermone 5
etiam ante prædicta, de eadem Sacerdotum dignitate hoc modo exclamat Auctor ad eosdem Sacerdotes conuersus.

O præclara, o veneranda potestas vestra, certè non est potestas apud Deum, sicut potestas vestra, forsitan scire vultis, & audire delectat apertius, quænam sit ista tanta potestas, cui nihil in cœlo, vel in terra valeat comparari: ad quod ego consecrare, videlicet, corpus & sanguinem Domini. Super potestate vestra, super tàm insigni spectaculo, super tàm solemni dignitatis vestræ priuilegio stupet cœlum, miratur terra, contremiscit homo, veneratur plurimum Angelica celsitudo.

6 Sic ibi pro Sacerdotum dignitate, ac potestate, ad quam iterum in hoc sermone ipso opportunè magis redibimus, ideo quæ de Sacerdotum nomine, ac officio, siue ministerio iam cœpimus, prosequamur, illudq; primò hic referamus, quod de hoc ipso scriptum reliquit S. Augustinus, & est etiam inter sacros canones relcriptum, dist. 83. in hunc modū. *Nemo quippè nocet in Ecclesia Dei amplius, quàm qui peruersè agens, nomen, vel ordinem sanctitatis, & Sacerdotis habet: delinquentem namque hunc redarguere*

redarguere nullus præsumit: & in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reuerentia ordinis, peccator honoratur. Hoc cum Augustino Sacerdotibus commemoramus, illud ex scriptura commemorantes. *Vos autem Sacerdotes Domini vocabimini: Ministri Dei nostri dicetur vobis.*

7 Quæ quidem commemoratio Sacerdotib. nonnullis non solùm vtilis, valdeque proficua, sed etiam omnino opportuna, ac necessaria æstimatur: quoniam non solùm proprij muneris, ac officij nonnulli pœnitus obliti videntur, sed insuper etiam quasi proprij nominis, nempe, Sacerdotis (quæ sicut non sine animi molestia scribimus, sic cum bonorū pace ac reuerentia legi rogamus) talis siquidem est aliquorum Sacerdotum vita, ac mores, sicque à Sacerdotum nomine, ac munere discrepat, vt, nec etiam se Sacerdotes esse, & Sacerdotes vocari, scire videantur, vel recordari, quare optimum pro eisdem consilium videtur, si & hoc ipsum eorum nomen, q est Sacerdos, simul cū munere in memoriam eisdem reuocetur. Id enim illis contingere videtur, quòd de quodam Coruino Messala Oratore, nonnulli scribunt, nimirum, quòd grauis quædam infirmitas etiam proprij nominis memoria, eundem priuauerit, vnde necessarium erat, vt domestici eius, ac familiares, suum illi nomen etiam ad memoriam reuocarent, dicētes ei. *Vocaris Coruinus Messala.* Simili modo etiam Sacerdotum aliqui ex grauissimo, lethalique peccatorum suorum morbo, ipsum quoque nomen Sacerdotis obliuioni tradidisse videntur, quia alienam prorsus à Sacerdotio vitam ducunt, vnde illud impletur in eis, quòd scribitur in libro Sap. ca. 2. *Nomen nostrum obliuionē accipiet*, scilicet, nō solùm in alijs, qui vitia malorum Sacerdotum conspiciunt, sed in eisdem quoque vitiosis Sacerdotib. Vnde illis tā q obliuiosis et ꝓprij nominis, ipsum nomen, & cum nomine nom nis debitum iure meritò ad memoriam reuocamus, cum scriptura dicentes eis. *Vos autem Sacerdotes, &c.*

8 Duo ergo Sacerdotibus omnibus hic repetimus, quòd, nimirum, Sacerdotes vocantur, & quòd dicitur eis Ministri. Et rectè quidem vtrumque in eadem sententia, nempe, nomen Sacerdotis, & rem; quid nominis, & quid rei: vocabulum, & vocabuli significatum. dignitatem, & officium: Titulum & onus. Et Plato enim, & alij cum eo docuerunt, quòd nomen debet esse consequens rei: Habent enim res quæque nomina sua. Nomina rebus dantur, & res ipsas consequuntur. hoc est, secūdum rerum naturam, & proprietatem esse debent eorum nomina, quibus nominantur, & ab alijs discernuntur, vt illas res explicent etiam aliqualiter, ac representent alijs, & per illa, ab alijs cognoscantur. Hinc statim ac Deus cuncta animantia terræ, & volatilia coeli creauit, voluit, vt Adam, qui etiam ipsa optimè nouerat, & eorum omnium propriam naturam, essentiam, conditionē, differentiam, qualitatesque, ac proprietates, eisdem conuenientia nomina imponeret pro eorum varietate, ac differentia: sicque nomina essent consequentia rebus. *Formatis igitur Dominus de humo cunctis animantibus terræ, & vniuersis volatilibus cœli adduxit ea, ad Adam, vt videret quid vocaret ea: omne enim, quòd vocauit Adam animæ viuentis, ipsum est nomen eius. Appellauitque Adam nominibus suis cuncta animantia, & vniuersa volatilia cœli, & omnes bestias terræ.* Verba sunt Gen. cap. 2. Res ergo & natura Sacerdotum est, ministros esse Dei, & Deo ministrare ac inseruire: Hoc dici ur eis ab omnibus etiam referente scriptura: omnes enim vbique, & semper illos vocare solent ministros Dei, seruos Domini. In hoc propriè ac principaliter consistit Sacerdotum natura, status, & professio: hæc est eorum cōditio, hoc illis proprium est, ac singulare, hoc illorum munus, & onus, hoc suum officium, ac debitum, nimirum, seruire Domino, Deo ministrare, ac famulari, & in Eucharistia potissimum, & circa illam: ab hoc Sacerdotes vocantur Domini, propter hoc ministri Dei dicuntur. Et hoc ipsum Dei ministerium, hęc Domini seruitus est res, quàm nomen Sacerdotis consequitur; Quia *nomen debet esse consequens rei*. Omne enim, quòd vocatur, ipsum debet esse nomen eius. Si ergo omne, quod vocauit Adam, ipsum est nomen eius, multò magis id, quod vocauit Deus, ipsum erit nomen eius, & nomen consequens rei, cuius est nomen. Et proinde, cum Deus primum in scripturis, & post Deum homines et heres quosdam speciales Sacerdotes vocauerint Domini (sicut etiā ministros Dei nostri) Deo etiam ministrare debent, & præsertim illi sacrificare Eucharistiæ sacrificium. Sicque nomen eorum erit consequens rei eorum: & q vocauit Deus, & homines, ipsum erit nomen eorum. *Vos autem Sacerdotes Domini &c.*

9 Manifestè docet hæc omnia sanctissimus quidam Sacerdos, nempe, Diuus Paulus Sacerdotes, præcipue alloquens inprima ad Corin. his verbis. *Sic nos existimet homo vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei*: Omnis homo existimare debet Sacerdotes id, quod sunt, sunt vero ministri Christi, & dispensatores mysteriorum eius, ergo tales debet illos existimare, & illi pariter tales verè esse debēt, vt tales etiam verè existimentur: mysteria autem Dei, hoc est Diuina arcana siue secreta, duplicia sunt potissimum, videlicet, Doctrinæ, & Sacramentorum, circa quæ Sacerdotum ministerium, ac officium versatur: Etsi verò vtrumque, vt Christi ministri dispensare debeat, piè ac fideliter Sacerdos. vt Christi minister, à secundo tamen, tamquam à principaliori, ministri officium, & Sacerdotis nomen trahit, nempe, à Sacramentis, quę principalius mysteria Dei dicuntur: Et quia rursus, inter omnia mysteria hæc, ipsa Eucharistia (quæ ēt Sacramentum est, & sacrificium simul) omnium mysteriorum Christi est maximum, dignissimum ac sanctissimum, & hanc Sacerdos conficit, offert, ac dispensat, ideo ab illa & Sacerdos Domini vocatur, & Dei minister dicitur hac ratione præsertim, & dispensator etiā mysteriorum Dei. Et quia non sufficit vocari Sacerdotes, & dici ministros Christi, sed veri Sacerdotes, & ministri esse debemus: Et quia insuper, nec tales existimari verè possumus, si verè tales non sumus, ideo cum suadet Paulus, vt *nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei*, ad id etiam suadet consequenter, sine quo tales verè nō possumus existimari. Vnde ad Sacerdotes Sanctus Gregorius. *Nos qui præsumus, non ex locorum, vel generis dignitate, sed ex morū nobilitate innotescere debemus*. Ideo ad eosdem Paulus. *Sic nos existimet homo, vt ministros Christi*. Et Isa. *Vos autem Sacerdotes Dei vocabimini, &c.*

10 A sacris enim Sacerdos dicitur: & Sacerdos ille est, qui Deo dicatus, & consecratus est, propter sacra, & ad sacrificia facienda præsertim, & ad alia sacra peragenda similiter: Sacerdos autem Euangelicus ab ipsa Eucharistia, quæ sacrum sacrorum dicitur, & Sacramentum Sacramētorum, & sacrificium sacrificiorum, nomen ducit, & officium, quia nimirum Eucharistiam offert, & alijs etiam dispensat, vt dictum est. Sacerdos (inquit S. Isidorus in suo libro originum, siue ethimologiarū) *nomen habet compositum, ex Greco, & Latino, quasi sacrum dans: sicut enim Rex à regendo, ita Sacerdos à sacrificando vocatus est: consecrat enim, & sanctificat. Omnis namq; Pontifex* (inquit Paulus ad Heb.) *ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum, vt offerat dona, & sacrificia pro peccatis.*

Tradunt hoc ipsum Cæsareæ leges, à pijssimo Cæsare conditæ. s. Iustiniano. In libro. n. quem Digestorum vocant. De rec. qui arb. &c. l. Non distinguemus §. Sacerdotio, de Sacerdotio Euangelico verba faciens Imperator, inter alia, scribit. *Dei sacris vacare Sacerdotes oportet*. Rursus in alio legum libro, quem ille Codicem vocant: De Episc. & Cler. l. Omnem adhibentes, decernitur. *Vt omnes Clerici per singulas Ecclesias constituti, per seipsos psallant nocturna, & matutina, & vespertina: ne ex sola Ecclesiasticarum rerum consumptione Clerici appareant, nomen quidem habentes Clericorum, rem autem non implentes Clerici circa liturgiam Domini Dei. Turpe enim pro ipsis scriptos necessitate ipsis indicta psallere.* Hucusque verba sunt legis. 11

12 Et quidem mirum, & notatu dignum videtur, quam bene diuinæ, & humanæ paginæ, sibi inuicem ad stipulentur. Memoriæ obijcit Sacerdotum diuina pagina eorum nomen, officium suum simul, tacitè eisdem infrouans, ad hoc, vt & re, sicut & nomine Sacerdotes sint: Quia (vt iam dicebamus) *nomen debet esse consequens rei*. Humana pagina verò Imperatoris, damnat Sacerdotes eos, qui nomen quidem habent Clericorum, rem autem non implent Clerici circa Liturgiā Domini Dei, idest circa Missam, & potissimum, circa id, quod est potissimum in ipsa Missa, nempe, Eucharistiā. Præterea sacra pagina taxat in sequentibus eosdem Sacerdotes, quòd de bonis laicorum sustententur, quæ ab eis sibi attribu a sunt, vt suo rectè officio fungerentur, & tamen, hoc non præstant nonnulli, sed ex ipsis facultatibus ac diuitijs magis superbiūt, & in alia vida ruūt. Legamus quæ sequuntur verba in Propheta post hæc nostra immediatè, *Vos autem Sacerdotes Dei vocabimini: Ministri Dei nostri, dicetur vobis*: quid enim statim post hæc subdit textus? Attendamus. *Fortitudinem gentium comedetis, & in gloria eorum superbietis*. Quid hic per fortitudinem gentium intelligatur, quam Sacerdotes comedunt? explicat Hebraicus, textus ex Pagnino, & ex Vatablo simul. & quis textus? en. *Opes gentium comedetis*. Gentium opes, facultates, & bona, dicuntur eorū fortitudo, secundùm Vgonem hic: quia labore eas parant, & parando suam fortitudinem,

ac vires consumunt. Vel quia per ipsas opes fiunt fortes, & potantes. Vnde insuper in ipsis multum confidunt. Hinc illud prou: 20. *Substantia diuitis, vrbs fortitudinis eius:* Vel secundùm Hebræorum lectionem. *Diuitiæ diuitis sunt vt vrbs fortitudinis eius:* Vel: *Vt vrbs fortis;* Vel vt placet Græcis. *Possessio diuitum, ciuitas munita.* Opes ergo, diuitiæ, & bona cuncta sibi à fidelibus tradita, quæ Sacerdotes consumunt, eorundem populorum, siue gentium hac de causa substantiæ dicuntur. Vnde de eisdem diuitijs, ac bonis subdit immediatè scriptura: *Et in gloria eorum superbietis. In gloria eorum exaltabimini,* legunt Heb. *In diuitijs eorũ eritis admirabiles,* legunt Greci. Multi enim Sacerdotes ex diuitijs sibi præstitis à gentibus, hoc est populis suis, & à gloria honore, ac reuerentia, qua ab eisdem afficiuntur, non parum superbiunt varijs modis. ex quo ipsæ gentes non medicum admirantur, & sæpe etiam scandalizantur.

13 Narrat ergo hoc loco prophetica scriptura varia crimina Sacerdotum aliquorum, quæ contrahunt ex occasione facultatum eisdem à gentibus attributarum. Et Cæsarea scriptura similiter, prohibet, ne ex sola Ecclesiasticarum rerum consumptione Clerici appareant; hanc enim consumptionem multa alia vitia Clericorum eorundem consequuntur; ideoq; postquam dixit Propheta. *Fortitudinem, siue opes gentium comedetis,* immediatè subiecit. *Et in gloria:* Vel: *In diuitijs eorum superbietis.*

14 Et vt iam concordiam, vtriusque iuris concludamus, hic pro conclusione annotabimus quòd sicut diuina scriptura vt criminosos dãnat quosdam Sacerdotes in ordine ad sæculares, qui a laicorum bonis, ex eorum tantum pietate, ac deuotione sibi assignatis, abutitur, sic scriptura ciuilis pari passu, ex eorundem sæcularium comparatione, de sui muneris omissione eosdem arguit, etsi modestè pro reuerentia. Hæc enim post prædicta legis verba statim subinferuntur in Codice. *Si enim multi laicorum, vt sua anima consulant, ad Sanctissimas Ecclesias confluentes, studiosi circa psalmodiam ostenduntur, quomodo indecens non fuerit Clericos ad id ordinatos, non implere suum munus?* Hæc habet humana lex diuinæ concinens.

15 Vtrique autem se subscribit Diuus Augustinus serm. 37. ad fratres in heremo, cuius titulus est idem fere, quòd ipsa verba toties hic à nobis repetita: *Vos autem, &c.* iste, scilicet. *Quòd Sacerdotes se debent exibere, sicut Dei ministros, &c.* his verbis. *Memento tamen, quod pauperem vitam Sacerdos gerere debet: & ideo si superbiam habet, si magno beneficio gaudet, præter victum, & vestitum, quod superest. pauperibus dare non differat, quia omnia pauperum sunt.*

16 Augustini subscriptionem sequitur alia subscriptio Bernardi, ex secunda. s. Æpistola in ordine cõtra eosdem malos Sacerdotes, & Dei ministros. *Dignum est (inquit) vt qui Altario deseruit, de Altario viuat. Conceditur ergo tibi, vt si bene deseruis de Altario viuas. non autem, vt de Altario luxurient, vt de Altario superbias, vt inde compares tibi frena aurea, sellas depictas, calcaria deargentata, varia, griseaq; pellicea à collo, & manibus, ornatu purpureo diuersificata. Denique, quidquid præter necessarium victum, ac simplicem vestitum de Altario retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est.* Sic ibi Sanctus Bernardus: Et rursus, sic iterum in Canticis de eisdem. *Timeant Clerici, timeant ministri Ecclesiæ, qui in terris sanctorum, quas possident, tàm iniqua gerunt, vt stipendijs, quæ sufficere debeant, minime contenti, superflua, quib. pauperes sustẽtãdi forent, impiè sacrilegeq; sibi retinent, & in vsus suæ superbiæ, luxuriæq;, victum pauperum consumere non verentur.* Hæsq; modo Bern.

17 Ergo cum Sacerdos, vt Sacerdos, & vt minister Christi, pauperem vitam gerat, vt inquit Sanctus Augustinus, & id, quod præter necessarium, & simplicem vestitum de Altario retinet, suum non sit, rapina sit, sacrilegium sit, vt inquit Sanctus Bernardus, idcirco differe non debet, illud pauperibus, vel Ecclesiæ dare, vt ambo aiunt. Veri enim Sacerdotes cum vero Sacerdote Paulo dicunt, & veraciter dicunt. *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti sumus.* Et ideo, dùm ad Sacerdotum mentem in scripturis reuocatur, q; Sacerdotes sunt Domini, & dicuntur ministri Dei, consequenter etiam eisdem indicitur, vt hæc considerent, vt pauperem vitam gerãt, necessarijs tantum pro sui status ratione contenti, præsertim vero, ut in morum & uitæ honestate, Sacerdotis nomini, dignitati, officio, ac oneri omni studio, ac sollicitudine semper, & vbique respondere procurent, quod hoc loco principaliter uersamus Isaiæ uerba considerantes. *Vos autem Sacerdotes Dei vocabimini &c.*

18 *Nam siquis consideret, quantum sit id ministerium, vt is, scilicet, qui homo ipse sit, carne, ac sãguine*

guine etiamnum constans, iisq; inuolutus, beata, atque immortali naturæ illi fieri propior queat, tùm probè intelliges, quanto Sacerdotes honore, quantaq; dignitate Spiritus sancti gratia dignata fuerit, operib. enim illis, tùm sacra hæc, quæ dico, initiantur perficiunturq́; tùm etiam alia his nihilo inferiora, quæ ipsa ad dignitatis salutisq; nostræ rationem spectant. Etenim, qui terram incolunt, atq; in ea versantur, iis commissum est, vt ea, quæ in cœlis sunt, dispensent. Sic Chrisostom. lib. tertio de Sacerdotio.

29 His consona sunt omnino, quæ magnus ille Doctor scripta reliquit, de hac Sacerdotũ præcipua dignitate, quæ est respectu Eucharistiæ, *O veneranda Sacerdotum dignitas, in quorum manibus Dei filius, velut in Vtero Virginis incarnatur. O fœlices Sacerdotes si Sacerdotaliter vixeritis. O cœleste mysterium, quòd vno eodemq; momento Dei filius qui præsidet in cœlo, in manibus vestris est in sacrificio. Cœlum miratur, horrescit Infernus, contremiscit Diabolus, reueretur quamplurimum Angelica celsitudo. O venerabilium Sanctitudo manuum, o fœlix exercitium, vbi tractat Christum Sacerdos Dei filium, cuius deliciæ sunt esse cum filiis hominum. O Sacerdotes attendite, maior est dignitas vobis collata, quã Angelis, qui adorant quod vos conficitis, nec ipsi conficere possunt. O altitudo sapientiæ Dei, o ineffabilis clementia Saluatoris: quod datum non est Angelis, concessum est homini, vt Sacerdos hoc Sacramẽtum conficiat. Angelus conficienti sibi, quasi famulus assistit.* Hæc ille de Sacerdotum dignitate.

30 Postea verò sic de eorundẽ sãctitate subdit. *O Sacerdotes, si anima cuiuslibet iusti sedes Dei est, multò magis sedes, & templum Dei esse debetis mundum, & immaculatum. Si sepulcrum tiur gloriosum est, in quo corpus iacuit exanime, gloriosiora, & digniora esse debent corpora vestra, quæ à morte suscitatus quotidiè dignatur inhabitare: si beatus est venter, qui nouem mensib. Christũ portauit, ita (et si non tantum) beata debent esse corda vestra, in quibus quotidiè eligit sibi hospitium Dei filius: si beata sunt vbera, quæ paruulus suxit, ita debet esse os beatum, quod carnem eius sumit & sanguinem sugit.* Sic ille.

31 Audiamus Ambrosium lib. de Viduis. *Oportet enim Sacerdotem esse irreprehensibilem*, inquit ibi, Item. *Simul qualis esse debeat, qui Christo ministrat, ostenditur: Oportet enim primò variarũ illecebris carere voluptatum, vitare internum corporis, animiq; languorem, vt corpus, & sãguinem Christi ministret; Neque enim potest quisquam peccatis suis ægro minimeque sanus, immortalium sanitatum remedia præbere? Vide quid agas Sacerdos, ne febricitãti manu corpus Christi attingas: Pri⁹ curare, vt ministrare possis. Si mundos eos, q̃ ante fuerant leprosi, Christus iubet occurrere Sacerdotib. quanto magis mũdũ ipsum cõuenit esse Sacerdotẽ.* Verba sunt Diui Ambrosii, & verba fermè videntur, nostræ scripturæ explanatoria, & quędam illarum extraordinaria Glosa, harũ, vlz, *Vos autem Sacerdotes Domini vocabimini: Ministri Dei nostri dicetur vobis.*

Idemque, dicẽdum de Chrisostomi verbis 32
in libro 6. de Sacerdotio. *Sacerdotis animum solaribus radiis puriorem esse oportet, vt ne quando Spiritus sanctus desolatum illum relinquat.* Sic primò, dein de rursus: *Neque enim solùm, sicut dixi, purum, mundum, Sacerdotem esse oportet, vt qui tali ministerio dignus habitus sit, sed etiam inprimis prudentem, atque adeo multarũ rerum experientia instructum, ornatumq; &c.*
Aliam quoque adducamus præcedentibus si- 33
milem glosam, verba Augustini, nempe, de singularitate Clericorum. *Contemplamini, quid sit populo sancto præesse, & considerate, quale sit Diuinis Sacramentis insistere: Altario enim placere debent, qui de Altario viuunt: & talis exhibenda cura synceritatis Sacramentis, qualia sunt Sacramenta ipsa, quibus exibent officia seruitutis, ne contra Dominum offendant ipsi, quem tractant, aut contra populum incipiant impedire, quod prædicant,*

Hæc Patres pro verbis nostris, *Vos autem* 34
Sacerdotes Domini vocabimini, &c. Nunc pro eisdem iterum Diuum Paulum, audiamus in secunda sua ad Corinthios capite sexto, *Ecce nunc tempus acceptabile: ecce nunc dies salutis: nemini dantes vllam offensionem, vt non vituperetur ministerium nostrum; sed in omnibus exibeamus nosmetipsos, sicut Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, &c.* Etsi enim ad Corinthios omnes hęc dictauerit Apostolus, ad Sacerdotes tamen specialiter dicta interpretatur etiam Augustinus in citato sermone ad fratres in heremo, cuius titulus est (vt aliàs audistis.) *Quòd Sacerdotes se debeant exibere, sicut Dei ministros, &c.* Sic enim ait primò de Sacerdotibus. *Ministri enim Dei sumus & serui.* Et postea sic. *Ideo tota mente nos exibeamus in multa tribulatione, in scientia, in charitate non ficta, in vigiliis, in carceribus, & plagis, in verbo veritatis.* Deinde ad illa verba. *Nemini dantes vllam offensionem, vt non vitupe-*

pere-

peretur ministerium nostrum, sic subdit iterum. *Christi enim serui sumus: tunc Christianorum ministerium vituperatur, seruitus nostra despicitur, quando ea, quæ Christi sunt despicimus, & opere adimplere negligimus*. Et paulò inferius. *Discutiamus, Sacerdotes, mentem nostram, & sciamus, si serui Christi simus: sciamus enim, quid agere debeamus, ne serui inutiles simus. Quid n.? Certè nihil aliud, nisi quòd exhibeamus nosmetipsos, sicut Dei ministros in multa patientia. Sed væ nobis, quia nullam patientiam habere videmur: Nam pauperes esse debemus, quia membra Christi sumus, & ministri Dei. Sed si paupertas agreditur, vel aliqua corporis necessitate turbamur, dona Sancti Spiritus vendere procuramus. O Sacerdotes mei, nolite hoc malum facere: sed mementote, quòd gratis accepistis, & ideo gratis reddite, ne cum Simone Mago damnemini, cui dixit Petrus, Pecunia tua tecum sit in perditionē.*

24 Augustini omnia ista, quibus alia ex Diuo Bonauentura adnectemus contra eosdem malos Sacerdotes, & auidos, & ambitiosos, præcipuè, quos modò Sanctus Augustinus reprehendebat. *Væ, væ, Domine Deus* (inquit Doctor Seraphicus) *quanti hodie infœlices, ad sacros ordines accedunt, & diuina mysteria accipiunt, non cœlestem panem, sed ventrem quærentes: non spiritum, sed lucrum: non Dei honorem, sed suam ambitionem: non salutem animarum, sed quæstum pecuniarum, non Christo seruire mundo corde, & corpore in sacris mysterijs, sed deliciari, ditari, superbire, & luxuriari de patrimonio Christi, & de eleemosynis pauperum, ac Ecclesiasticas dignitates ambiendo multis litigijs, & simonijs, potius rapiunt, quàm assequuntur: non vocati à Deo, sed impulsi à Diabolo, tanquam Dathan, & Abiron*. Hucusque S. Bonauentura.

25 *Redeamus igitur ad propositum fratres, & sciamus quomodo poterimus nos exibere sicut Dei ministros*, ait Augustinus. Multos talis exibitionis modos Diuus Paulus distinguit in præ allegata Epistola, dicens: *In omnibus exhibeamus nosmetipsos, sicut Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustijs, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigilijs, in ieiunijs, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suauitate, in Spiritu sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei, &c.*

Hæc omnia non minus perfectè practicauit, quam docuit verus ille Sacerdos Domini, & Dei minister. Vnde de his omnibus etiam frequenter gloriatur in Epistolis suis. Ex his multa descripsit in hoc Sermone suo idem Augustinus, quæ & nos ex eodem rescripsimus. Verùm ex his omnibus tria magis prosequitur, & exagerat pro eisdem Sacerdotibus in istis Pauli verbis. *Hæc n. est sanctificatio nostra, vt in omnibus exibeamus nosmetipsos, sicut Dei ministros, in multa patientia, in tribulatione, in necessitate, in castitate.* Hi sunt tres modi principaliores, & communiores, in quibus Sacerdotes, qui ministri Dei vocantur, veros se ministros exibere debent, vt non vituperetur eorum ministerium. In tribulatione, en primum, in necessitate, en secundum, in castitate, en tertium. Ideoquè in ijs insistens August. magis, sicut de primo latius disserit, ex quo nonnulla hoc loco, & nos iam annotauimus, sic etiam de duobus postremis notabilia multa tradit, ex quibus etiam nonnulla & nos hoc loco referemus opportuna valdè.

Redeamus igitur ad propositum fratres, & sciamus quomodo poterimus nos exibere, sicut Dei ministros: Sic primò August. & sequitur statim. 26
Cupitis enim scire? Ecce si persecutiones veniunt, non deficiamus, sed patientiam habeamus: Si necessitas paupertatis contingat, non desperemus, sed in Domino confidamus: si blasphemamur, non respondeamus, sed pareamus: si colaphis, vel alapis cædimur, aliam partem parare non differamus: si verbo, vel murmure percutimur, taceamus: si occidimur, gaudentes ad mortem pergamus. Quare? quia non est seruus maior Domino suo. Si enim me persecuti sunt, & vos persequentur, ait Dominus. Ita enim patientia armari debemus, si ministri Christi esse optamus. Hæc Augustinus de duobus primis verorum Sacerdotum, & seruorum Christi conditionibus.

Post hæc verò, ad vltimam sic statim pro- 27
greditur. *Sed quid aliud nisi quod in castitate nosmetipsos exibere debemus? Hæc est illa virtus, sine qua quis factus est omnium reus. Hæc est illa virtus, quæ nos Deo commendat, quæ nos Angelos facit, quæ nos super æthera volando conducit. Hæc est illa virtus, sine qua vultum Domini ferre non possumus. Hæc est illa sancta virtus, quam astringere nos docet Apostolus: fornicatio, & omnis immunditia non nominetur in vobis, ne mens vestra colloquijs malis possit corrumpi. Ideo fratres, attendite, quòd non solùm à vobis remouenda est fornicatio, sed etiam oīs suspitio falsa. Non decet Clericum cum mulieribus sedere, vel fabulari, vel domum eius frequentare, ne suspicio mala inde progrediatur. O quam vilis, o quam miser,*

miser, & pusillanimis reputatur Clericus, qui frequenter cum mulieribus conuersatur. Insipiens valdè est, & inexpertus, qui amicitias mulierum procurat.

28 Hæc omnia Sanctus Augustinus & alia ad rem facientia, quæ in libro suo legi poterunt: Eiusdem exemplum solùm adhuc audiamus ex eodem loco. *O fratres mei, sic & Sacerdotes, dùm offerre debent Dijs suis incensa, ab omni malo, vt possunt, abstinent. Ecce ego iam Episcopus Hipponensis eram, & cum quibusdam seruis Christi ad Ethiopiam perrexi, vt eis sanctum Christi Euangelium prædicarem: & vidimus ibi multos homines, ac mulieres capita non habentes, sed oculos grossos fixos in pectore, cætera membra æqualia non habentes, inter quos Sacerdotes eorum vidimus vxoratos: tanta tamen abstinentia erant, quòd licet vxores Sacerdotes omnes haberent, nunquam tamen nisi semel in anno eas tangere volebant, qua die ab omni sacrificio abstinebant.*

29 Hoc est Augustini exemplum, post quod aliud simile narrat, & postea sic exclamat. *O grandis Christianorum miseria: Ecce Pagani, Doctores fidelium facti sunt.* Et cum Augustino exclamat, & dolet in hunc modum Bonauentura vbi supra. *Heus quot sunt hodie Sacerdotes miseri, & suæ salutis improuidi, qui corpus Christi in Altari, velut carnes pecudum manducant, & inuoluti, & contaminati abominationibus, de quibus fas non est dicere, sceleratis manibus, & pollutis labijs contingere non verentur, & osculari Dei, & Mariæ Virginis vnigenitum. Verùm si horum sacrificium suscipit Deus; audeo dicere, mendax est, & socius peccatorum. Insuper (quòd deterius est) ad tantam quidem peruenerunt istis dieb. peruersitatem, & stultitiam, vt putent infœlicissimi sua scelera, & immunditias peccatorum, quæ quotidiè reiterare proponunt, absq; pœnitentia, & confessione, per sacram communionem quotidiè celebrantes expiare: tales, non sunt Sacerdotes, sed sacrilegi: non Christiani, sed Heretici: Profectò si fidem rectam haberent, aut peccare timerent, aut celebrare cessarent.*

30 Hæc sunt Seraphici Doctoris lamenta, de malis Sacerdotibus, in quibus Hieronymum manifestè secutus est, quando in vltimo vitæ suæ termino Eucharistiam sumpturus erat. Hæc enim inter quamplura magno cum spiritus feruore, & voce ante illam pronuntiauit, sicut tomo nono operum eius legitur apud Eusebium, de morte Hieronymi. *Heu, Domine, quid dicam? quot te hodiè Sacerdotes comedunt in Altari, vt carnes pecudum, & volucrum, immo peius. Nocte mulierū fruuntur actu turpissime, & te mane masticādo comedunt. Vbi Domine latitas? Dormis ne, an vigilas? Est tibi hoc acceptū sacrificium? Est hæc oblatio quam elegis? Exaudis preces eorum de cœlo, & de sede maiestatis tuæ? Verè si hoc velles sacrificium, & libamen, mendax esses, & peccatorum socius. Certè Domine si vera sunt, quæ per os locutus es prophetarum, si iustis solùm supplicationibus propitiaris, & si tibi placet æquitas, hoc tale est impediendum sacrificium, ne fiat, quamquam in se, & natura sui sacrificium bonū sit, nec possit violari malis Sacerdotibus: quia malitia non diiudicat sacrificium. Vnde huiusmodi sacrificiū fit ad Sacerdotis præiudicium, & damnationem.* Hactenus ad Sacerdotes Hieronymus, & ego pariter Isaiæ verba toties illis inculcans. *Vos autem Sacerdotes Domini vocabimini: Ministri Dei nostri dicetur vobis.*

Reliquum est hoc tantum, vt sicut ob hoc ista eis remmemoraui, vt eadem & ipsi consi- 31
derantes, tales se reddant semper pro viribus quales ipsorum nomen, & ministerium efflagitat, sic breuiter pro cōclusione adhuc explicem, quales præsertim esse debeant, quando hoc Sacerdotale ministerium circa Eucharistiam sunt impleturi; & hoc ex eodem Diuo Bonauentura, ex quo alia etiam per multa apponam in fine sermonis, quę pijs potissimum Sacerdotibus multum placitura spero, & profutura quoque; Et sint tanti Doctoris verba verborum meorum complementa. Hæc nimirū, ex Opusculo suo de præp. ad Missā c. 5. *Proba teipsum ex quanta charitate, & quali feruore accedas, non solùm enim mortalia vitanda sunt, sed etiam venialia peccata per negligentiam & ocium multiplicata, & etiam per inconsiderationem, ac per distractionem, dissoluta vita, & mala consuetudinis: licet enim non occidant animam, tamen reddunt hominem tepidum, grauem, & obnubilatum, indispositum, & ineptum ad celebrandum.* Hæc S. Bonauentura. Amen.

SERMO

Quædam alia ex Diui Bonauenturæ Opusc. De præparatione Sacerdotis ad Missam.

De intentione celebrantis Missarum solemnia, cap. 11.

INtendere debes, vt ex frequentatione diuini cultus, nomen Dei in nobis sanctificetur, vt à nobis per sanctitatem vitæ glorificetur in mundo, vt crescat in orbe, cultus, & honor Dei, vt cognoscat totus mundus, nos esse Clericos vni veri Dei, & Saluatoris Iesu Christi. Intendere debes, & memorari Christi mortem. Et de hoc dictum est suprà. Intendere debes totam Ecclesiam iuuare, vt, scilicet, proponas Deum orare pro Papa, Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Doctoribus, Rectoribus, Sacerdotib., Clericis, Monachis, Religiosis, Monasterijs, & omnibus Christo famulantibus, pro Regibus, Ducibus, Principibus, & cœteris nobilibus, pro Virginibus, Viduis, Orphanis, Peregrinis, Afflictis, Captiuis, Debilibus, Infirmis, & pro omni populo Dei. Etiam pro Paganis, Schismaticis, & Hæreticis, vt conuertantur ad Deum verum, & Sanctæ Ecclesiæ vnitatem. Item in speciali orare debes, pro aliquibus causis, caris, scilicet parentibus, consanguineis, & amicis deuotis, & tibi recommendatis, ac in tua oratione sperantibus. Item singularissime pro teipso: Et si aliquem prædictorū fidelium, præcipuè propter odium, vel rancorem, excludis, vt non sit particeps tanti beneficij, mortaliter peccas, agens cum odio diuina mysteria.

De Confessione celebrantis facienda, cap. 12.

HIs præmissis, postquam ex ruminatione prædictorum in meditatione tua exardescit ignis in corde tuo, euome, & purga feces peccatorum tuorum spiritu contrito, & humiliato, memorans quanta commisisti cogitatione, verbo, & opere, quanta bona ommisisti, quæ facere debuisti, & potuisti, & veniens ad spiritualem medicum, & patrem, dic peccata nō communi, & generali confessione, vt quidam duri corde faciunt; palliantes folijs verborum in generali confessione sua enormia peccata, & absque verecundia, & dolore totaliter proferentes, vt et in plateis posset taliter absq; rubore cōfiteri. Hęc non est cōfessio, sed deceptio, & derisio. Sed si vis sanari, aperi vulnera tua, & de profundo corde enarra clarè, & apertè, quæ post præcedentem confessionem egisti, non solum opera, sed, & cogitationes peruersas, quarū delectatio mentē maculat: nō solùm mortalia, sed & venialia grauiora, quæ conscientiam lædunt, & mordent. Cætera per modum generalem breuiter, & clarè exprime. Deinde peracta pœnitentia tibi iniuncta, decanta illos quinque Psalm. s. Quam dilecta, Benedixisti, Inclina, Credidi, & De profundis cum suis versiculis, & orationibus. Dic etiam si tempus suppetit illam orationē, Summe Sacerdos, quę valde efficax est, & deuota. postea procedens ad Altare, recordare Christum euntem ad crucem, & fige cor ad ea, quæ in passione gesta sunt, legas clarè, & distinctè ea, quæ legenda sunt, non multiplicando collectas nimias, nec alia legendo ex deuotione, vel arbitrio proprio, quàm quod, à sanctis patribus institutum est &c.

Quomodo Sacerdos celebrans se habeat infra sacrum canonem, capite 13.

VM autem perueneris ad sacrum canonem, recollige mentem, ne per diuersa vagetur: appone diligentiam magnam insignis, & actibus, maiorem in verbis, maximam in intentione.

Primò propter continentiam diuinitatis immensæ,

In memento, tàm pro viuis, quàm pro Defunctis, non fiat cum voce, & verbis commendatio, sed tantùm mente discurre per quasdam personas magis intimas, cœterasque recollige sub compendio, referens intentionem ad omnes, pro quibus antea orasti, siue orare promisisti.

Dum autem perueneris ad. *Qui pridie*, dirige mentem, & intentionem tuam ad faciendum id, quòd intellexit Christus in sua cœna, & quod intendit Sancta Mater Ecclesia.

In Communione autem pausa paulisper: & dic non lingua, vel labijs, sed corde.

Domine mi, quis es tu? & quis sum ego, vt præsumam te mittere in latrinam foetidam corporis mei, & animæ meæ? vt quid me fecisti vt tibi injuriam hanc execrandam facerem? Mille enim lacrymarum anni non sufficerent ad tam nobile Sacramentum semel dignè percipiendum, quantò magis ego miser indignus sum, qui quotidiè pecco, incorrigibilis perseuero, & in peccatis accedo; sed in infinitum maior est misericordia tua, quàm miseria mea: vnde confisus de tua pietate, præsumo te sumere.

Hæc enim duo maximè requiruntur, ad congruam perceptionem Sacramenti, nimirum, profunda humilitas, cum annihilatione sui, & compassio mortis Christi.

Quomodo se habeat Sacerdos post Communionem Sacram, cap. 14.

OST Communionem si non sentis aliquam spiritualem refectionem, signum est spiritualis infirmitatis, vel mortis. Ignem posuisti in sinum, & non sentis calorem, mel in ore, & non sentis dulcedinem.

Si vero consolationem senus aliquam, non tibi tribuas, sed suæ bonitati immensæ, etiam & malos, & indignos consolanti, & dicas in corde tuo,

Ad meam miseriam detestandam me conuicit beneficijs suis, Si mihi peccatori talia fecit, quid faceret, si vitam meam correxero? Ideo totis viribus volo me mutare, & sibi semper adhærere.

Hoc autem non reputes te posse tuis viribus, sed auxilio gratiæ eius.

Quòd ipse omnibus nobis præstare dignetur. Amen.

Eiusdem Seraphici Doctoris.

DISCVRSVS ALIVS.

De instructione Sacerdotis, ad se præparandum, ad celebrandum Missam.

AD Missam celebrandã sex considerationes attendendæ sunt.

Primum est rationis discretio respectu veritatis, vt, scilicet, sciat quis, quid recipere debeat. Quid, quia verum Deum, qui fecit cœlũ, & terram, & verum hominem, qui pro nobis pependit in ligno. Quis, quia homo non bestia propter peccatum, vnde præceteris repellat à se Sacerdos bestialitatem peccati.

Secundùm mentis deuotio ratione eius sanctitatis. Debet enim considerare, quòd, quem recipimus, sanctus sanctorum est, & omnis sanctitatis origo: & ideo quantùm potest sanctè, & deuotè accedat ad ipsum, à se expellens omnem peccati rubiginem per lacrymarum compunctionem, & omnem mentis amaritudinem, per orationis dulcedinem, deuotionemque.

Tertium est animi reuerẽtia, respectu maiestatis, vt, scilicet, ad tam excellentem Dominum vereantur accedere tã vilissimæ creaturæ. Si enim ante Imperatorem non esset dignus stare homo infectus putredine, quantò magis Dominum recipere in Sacramento Altaris indignus, & miser homo, cuius omnes iustitiæ sunt, sicut pannus menstruatæ? Etsi iustitiæ sunt tales, qualia sunt peccata? equidem indignissimus est ad hoc omnis homo. Consideret tamen, quòd maior dignatio sua, quàm indignitas nostra; sua benignitas, quam miseria nostra.

Quartum est amor, & desideriũ cordis ratione suæ bonitatis, vnde multum cauere debet homo, ne cum tædio aut corporis torpore, ad illud Sacramentum accedat, in quo continetur summa bonitas, & infinita iucunditas. Vnde mirum videtur, quomodo in ista receptor homo non liquescat amore caloreque: & quomodo non absorbeatur suauitatis dulcore. Consideret ibi corpus Domini sui, si vult ad amorem accendi, & illius nobilissimi corporis, & sanguinis cibationem, si vult desiderium prouocare, & tandem refici prouocatus.

Quintum est pro se, & alijs affectuosa deprecatio, & humilis in sermone, ratione suæ clementiæ. Ab ipso enim secure potest petere, qui dixit. Petite, & accipietis, quærite, & inuenietis. Et ad hoc credo maxime istud Sacramentum esse, vt postuletur venia, & gratia impetretur in oblatione illius excellentissimi holocausti.

Sextum est totius hominis diligentia respectu suæ immensæ nobilitatis, siue nobilissimæ immensitatis. Si enim cum diligentia magna quis seruit alicui Principi singulari, tãto maiori diligentia debet Sacerdos Domino suo ministrare, & omni vigilantia pertractare illud dignissimum Sacramentum, ac si nihil faciendum esset, aut nunquam aliud facere deberet. Ecce ibi debet esse attentio tota, probatio sufficiens, & distincta: vt nil confusum, aut diminutum fiat: debet etiam omnis hominus contractatio fieri prouida, & discreta, ac omni honestate ornata, vt sic ibi omnia cum summa diligentia operetur Sacerdos.

Ad hoc consulo cuilibet Sacerdoti, vt præ cæteris hominibus, se omni tempore ab omnibus, quæ aliquo modo cor suum habitaculum regis sui polluere possunt, siue parum, siue multum: tàm occasionaliter, quàm actualiter, elonget se, quantùm potest. Tunc autem præcipue, cum ad Missam vadit celebrandã, à cunctis se abstineat, quantùm potest, & se totum recolligat in seipso: vt nec sensus, nec

cogitatio ad aliud diffundatur, suam conscientiam discutiat diligenter, & quod inuenerit lauandum, lauet abundantia lacrymarum, vadat ac Confessorem suum, & extra euomat omnia venenata: & immediatè peracta pœnitentiâ, si tunc facere poterit, iterum recolligat semetipsum, & ad diuinam Maiestatem eleuet mentem suam, & consideret diuinam magnificentiam, & ad propriam miseriam vergat, vt sic videat quam magnus est Dominus, & quam paruus est seruus, immo vanus, & inutilis. Intret quantùm potest in Deum, & in seipso, inquantùm potest, ad nihilum redigatur: & cum fuerit abstractus, & diuinius effectus, quasi nihil aliud videat, nihil aliud sentiat, nisi Deum, & propter Deum omnia reputet vanitatem: tunc cogitet, qualis fuit erga nos dilectio Dei nostri, qui sic pro vili re, immò pro tam detestabili, voluit sic vnire sibi vilem, & in ea vilissima, & abominabilissima, & tàm turpia voluit sustinere. Tunc ruminet illam magnificentiam charitatis, & illo inæstimabili ardore inflammetur: & cum ignitus fuerit charitate circa dilectum ad aperiat viscera pietatis pro se vilificato, afflicto, & lethaliter vulnerato compatiatur intra se omnia ista vulnera transformet, ac si ipsemet esset lethaliter vulneratus, & magna Christi vulnera, & nunc quantùm in isto vulnere, quantùm in illo passus sit, meditetur, nunc quanta fuerint illa flagella examinet diligenter.

Et cum sic in ista meditatione cum Christo fuerit crucifixus, quia in isto exigitur maximè Sacramento; tunc cogitet, quòd illam nobilem carnem in crucis ara immolatam pro nobis dignatus est dare in cibum, & sanguinem eius effusum pro redemptione humani generis de latere suo in potum. Nunquam credas, quod sanguis ille, quem recipimus in Altari, sit extra corpus eius. Sed tamen, & effusum pro nobis in passione, recipere debemus sub illa intentione. Tunc eius dilectionem circa nos consideret, & ruminet illius magnificentiam Sacramenti, & hoc quantum potest, quia vix potest aliquam inuestigare scintillam tàm immensi amoris Domini in hoc magnifico Sacramento.

Et cum bene ruminabit istud magnificum Sacramentum Saluatoris, iam quadam dulcedine cœlesti inductus, humiliter, & reuerenter accedat ad hoc Sacramentum, & cum omni diligentia prosequatur adhibitis, & alijs circumstantijs, quas in principio huius tractatus tractaui. Cum autem recipere debuerit, aliqua poterit præmeditari, si placet, vt pote dicat in corde suo.

Ad illud tàm nobile Sacramentum percipiendum non sufficerent mille anni ad præparationem condignam; quantò magis ego miser, & indignus sum, qui quotidiè pecco incorrigibilis persèuero, & impræparatus accedo. Quare Domine me fecisti, vt tibi execrandam iniuriam facerem, quod te pono in latrina peccatorum animæ meæ? quoniam non est cloaca magis fœtida, quàm peccatrix anima mea: vtinam hanc immundam animam aliquis fluuius compunctionis discurrisset, vt ibi non fuisset tanta peccatorum sanies congregata. Domine quid est hoc? numquid ibi te ponere debeo? sed in infinitum maior est misericordia tua, quam nostra miseria, & ideo de tua benignitate confidens te, præsumo sumere, vt sic infirmus accedam ad medicum dulcissimum, vt eius liberer medicina.

Quanto enim plus infirmus sum, tanto plus indigeo Deus meus, & in liberatione mea magis apparebit tuæ immensitas pietatis. Accedam ad Deum meum confidenter, quia infinitæ sunt misericordiæ eius, & secum fruar bonorum delicijs: ingrediar ergo sponsa ad sponsum, secumque volo inseparabiliter commorari. Nolo amplius alteri adhærere, vt cum ipso solo gaudium habeam sine fine.

Hæc & alia quæ dicere voluerit, corde dicat, non ore, quia non credo expedire ibi proferre alia, quam illa, quæ in canone continentur. Et nota quod secundùm meum videre, ad efficaciter recipiendum valet compassio Christi, & vilificatio, & annihilatio sui: quantùm potest vilis fiat, & indignus in oculis suis, qui recipere debet. Cùm autem Sacramentum expletum fuerit, cogitet in corde suo, post tam nobilem cibum nolo stercora degustare, & cum ipse sit summa iucunditas, nolo de cætero affici circa aliquam creaturam. Si autem affectionem ibi nullam habuit, recogitet, signum esse infirmitatis, vel mortis. Ignem enim posuit in sinu, & calorē non sentit, mel posuit in ore, & dulcedinem non

per-

percipit. Et ideo talis, miseriam suam recognoscat, & mutet in melius vitam suam. Si verò refectionem ibi recipit, non sibi attribuat, sed infinitæ diuinæ Maiestatis bonitati, quæ se ad bonos, & malos extendit, & dicat in in corde. In me Dominus operatur mirabilia, ad detestationem miseriæ meæ, & ad conuincendum beneficijs iniquitatem meam magnam. Nam me mortuum fecit sentire, & vermem vilissimum cœlestia degustare.

Si mihi peccatori talia fecit Dominus, quid faciet si correxero vitam meam, & continuè voluero in melius promouere, & cœlestibus dedicare meditationibus, & sibi soli de cœtero adherere? Quòd tamen facere potuit auxilio Domini, non propria virtute. Et sicut cogitat, sic opere adimpleat.

ORATIO.

DOmine Deus meus, quomodo ausus sum te alloqui vilissima creatura, nam fœtidissimus sum, horribilis sum, stercus, vermisque nequissimus, & vanissimus homo. Tu autem Deus Deorum, Dominus Dominantium, omne bonum, & honestum, & pulcrum, omnis vtilitas, omnis amœnitas, omnis suauitas, fons splendoris, fons melodiæ, fons odoris, fons dulcoris, fons amoris, & intimus dilectionis amplexus: & tu rogas me, & ego fugio: de me es sollicitus, de te non curo: mihi semper seruis, & ego te semper offendo; te mihi tribuis, & ego te contemno: me ergo vanitatem & nihil diligis, & te infinitum, & inenarrabile bonum sperno, fœtorem, horrorem, mortalem dolorem tibi o beatissimè, benignissimè, amantissime sponse præpono: plus me allicit creatura, quàm creator, vanitas, quàm æternitas, detestabilissima miseria, quàm summa fœlicitas, plus me inclinant sordes, quàm eleuet pulcritudo, seruitus, quàm magnitudo, ammaritudo, quàm dulcedo. Nam meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula inimici: & tamen plus approbo hoc affectu fraudolenta oscula, quam vulnera diligentis. Sed ne reminiscaris Domine delicta mea, vel parentum meorum: sed pietatis tuæ viscera, & dolorem tuorum vulnerum: non quod ego, sed quos tu pro me sustinuisti, considera: si me vt ostendis, diligis, cur me relinquis? cur fatigari permittis? Me ergo amantissime tene timore, restringe amore, quieta dulcore. Dulcissime sponse, nequeo, nescio, sibi volo seruire, tibi adhærere toto corde, immo vix pericula amare, hoc operari in me tu potes, tu scis, tu vis, & à me exigis.

Quid ergo, deficiam in beneplacito meo, vel tu in tuo? Obsecro vt non preualeat homo, sed Deus; nolo in hac contrarietate deficere, nollo succumbere, sed succurre festinanter. Viuendo luxuriose, & me nimis, & tuas creaturas lasciuè amando, totam meam substantiam dissipaui: nunc recognoscentem miseriam, & penuriam meam, famelico appetitu ad paternæ misericordiæ viscera redeuntem oculis tuæ pietatis agnosce, & dignare me radijs tuæ gratiæ, lætabundis occurrere, & cum amplexibus pacis, & quietis largiaris oscula. En, recognosco, quod in Cœlum, & in totam curiam cœlestem, & Ecclesiam Romanam, immò in omnem creaturam tuam, & coram te, te contempto, peccaui, & malum coram te feci: & certè non sum dignus vocari filius tuus, nec mercenarius, nec etiam seruus, aut aliqua vilissima creatura: sed miserere mei, & dele iniquitatem meam, vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris, quia dicunt animæ meæ, non est salus ipsi in Deo eius.

Obsecro, iube, vt detur mihi charitatis stola, fidei feruentis annulus, in calceamentis, & eleuantis, & confirmantis spei protegantur pedes, vt sic ebrius tuo sanguine, totus in te resoluar amore. Intret dolor tuus intima mea, & omnem amorem expiet alienum, sim tecum crucifixus mundo, vt sic mortuus, vita mea sit tecum abscondita in Deo.

O vita mea, vita fœlix quæ abscondita est ipsi mundo, & sociata ipsi Christo, in Deo centro suo quietatur, vnum est mihi necessarium, & solum vnum quæro. Abscedat ergo fantasmatum multitudo, vnus est dilectus meus, vnus est amor meus Iesus Christus, Deus meus, sponsus meus: Nihil ergo sapiat: nihil delectetur, nihil alliciat, nisi Iesus Christus; totus sit meus, totus sim suus, & fiat cor meum vnum cum ipso, nihil me iudicans scire, vel amare, vel affectare, nisi Dominum Iesum Christum, & hunc Crucifixum,

Ergo

Ergo bone Iesu recollige me visceribus, refice vberibus & inebria vulneribus. Euigila ergo anima mea ad viscera compassionum, quibus plorauit in infantia super Hierusalem, super Lazarum, & in cruce, immò in illis super te, & egrediatur fluuius de loco voluptatis ad rigandum Paradisum, qui est in quatuor capita diuisus. Si enim egrediebatur fluuius lacrymarum de loco voluptatis, & omnium deliciarum, quantò magis, debet egredi de loco omnium spurcitiarum? Ergo, bone Iesu, summis delicijs plenus plorasti: Euigila etiam anima mea ad verba instructionum, & exhortationum, & promissionum, quia de verbo vitæ æternæ habes.

Euigila ad exprobrationes, vulnera, illusiones, & occisiones, ad dolores passionis, & compassionis; Attendite (inquit) & videte, si est dolor, sicut dolor meus: Immo, Domine accedam, & videbo, si est amor, sicut amor tuus. Et ideo nihil, nisi te propter te volo amare. Tu Domine me iniquum, pessimum, & contemptorem tuum, vilissimum foetorem stercorum, & horrorem vermium amaritantum, vt tanta pro me dignateris pati, & sustinere: & ego te infinitum bonum, patrem pijssimum, sponsum dulcissimum, omnis pulchritudinis, & suauitatis fontale principium, non tantum diligam, vt saltem moriar pro te mundo, imò moriar, & mihi, vt totus tecum affixus ligno, nihil sentiam, nisi te, vt viuam iam non ego, viuat autem in me Christus.

Quid ergo retribuam Domino pro omnibus, quę retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo. Sic ergo Calix continuus in corpore saltem superabundantis gratiæ radicetur in corde, melos diuinæ laudis diffundatur: quare continuè, ac indesinenter in ore laudabo Deum meum in vita mea, psallam Deo meo, quamdiu fuero.

Iucundum sit ei eloquium meum, ego vero delectabor in Domino, leuabo, & ostendam ei faciem mentis, & in auribus ab ore meo resonabit immensa gratiarum actio, & magnificentiæ suæ laudis. Recedant ergo de cætero omnia vetera de ore meo, & de anima mea, quia Deus scientiarum Dominus est, & ipsi præparantur cogitationes, & voces. Arcum fortium superabo, & induar virtute ex alto. Gaudens gaudebo in Domino solum, & implebitur cor meum iubilo, & omnia ossa mea exultabunt in Deo meo; quia totum me offeram Saluatori meo. Quiescet cor meum in dulcedine bonitatis immensæ. Laudabo excellentiam gloriæ summæ, & sequar vestigia passionis acerbæ, corpus conculcetur, cor eleuetur, laude vero repleatur os meum, vt die ac nocte Dei mei magnitudine tantæ vitæ irremissibiliter quiescant. Abscedat vanitas, accedat diuinitas, transformet charitas, & fiam totus diuinus, aperiatur cor meum, aperiantur vulnera, iungantur intima, & fiant vnum cum Christo. Amen.



Sermo

SERMO TRIGESIMVS SECVNDVS.

Pro Religiosis. Ante Eucharistiam expositam.

Ecce nunc Benedicite Dominum omnes serui Domini: Qui statis in Domo Domini, in atrijs Domus Dei nostri. Psalm. 33.

ARGVMENTVM.

Religiosi inprimis, qui specialius serui Domini dicuntur, ad exemplum etiam ministrorum templi multiplici titulo in Monasterijs suis stare debent, non diuagantes, ibiq; Dominum iugiter benedicere, & tunc præsertim, quando ad eundem in Eucharistia sibi præsentem, quæ verè sancta sanctorum est, non manus solùm, sed oculos etiam extollunt.

1 Concionibus abundant Religiosi communiter: Audiunt enim, & legunt illas semper in Ecclesia, in Cella, in Choro, in Refectorio, & alibi quoque. Immo & illi etiam, quos Laicos, vel Conuersos communi vocabulo nominamus; etsi vt plurimum nesciant litteras, nec curent communiter (sicut nec curare debent) *litteras discere, sed habere spiritum Domini, & sanctam eius operationē, & orare semper ad Deum puro corde*, vt statuit Sanctus Pater in regula de suis, nouerunt tamen quamplures ex illis, ob frequentem maximè auditionem concionum, lectionum, vel priuatorum colloquiorum aliorum fratrum, familiariter & ipsi ac priuatim ad Seculares, vt cumque concionari, sermocinariue: Quapropter breuiorem ad eosdem Religiosos habebo sermonem, & ad illos me conuertens, & eucharistiam statim eisdem in sācto Altari ostendens, dicam eis de illa. *Ecce*, deinde subiungam: *nunc*, hoc est in hoc tempore præcipue orationis quadraginta horarum, & in hac hora signanter. *Benedicite*, scilicet, deuotè orando, & laudando *Dominum* nostrum Iesū Christum in eadem Eucharistia contentum, *omnes* vos specialiter *serui Domini*, qui pro statu, & professione vestra eidem Domino stricto iure seruire debetis, vos, nimirum, qui ad hoc ipsum *statis in domo Domini*, quæ est Ecclesia, *& in atrijs domus Dei nostri*, quæ sunt Ecclesiarum claustra, vel Monasteria propria Religiosorum seruorum Domini habitacula ad ipsam Ecclesiam officiandam, sicut hæc verba declarat, quidam Religiosus similiter, Nicolaus de Lyra noster, nimirum.

2 Repetamus hæc ipsa clarius, & prima verba primum, *Ecce nunc benedicite Dominum omnes serui Domini*, deinde sequentia: *Qui statis in domo Domini in atrijs domus Dei nostri.* Hæc verba primitus Dauid Rex, & Propheta simul ad omnes Domini seruos prædicauit, Sacerdotes, videlicet, Leuitas, & alios templi ministros, qui in templo Domini stabant, quod domus Domini vocabatur, & in atrijs eius similiter, in quibus vel iuxta, quæ sua habebāt Tabernacula, vt essent semper parati ad sua officia, non solùm de die, sed etiam de nocte, vt tradit idem Nicolaus hæc exponens. Verùm, quia sicut templum Salomonis Christi Ecclesiam manifestè figurauit, sic & ministri templi, qui serui Domini hoc loco dicūtur ministros Ecclesiæ, qui similiter serui sunt Christi, nempe, Episcopos, Presbyteros, & alios omnes. Idcirco ad eosdem hæc ipsa, & ego hodierna die intonabo, & ad Religiosos omnes specialiter, qui non solùm stant in do-

mo Domini, sed etiam in atrijs domus Dei nostri, hoc est in Monasterijs, vt dixi, & in Claustris, quæ aptissimè atria Ecclesiæ vocantur: etsi ab his non excipiam omnino alios omnes Christi seruos, quos Religiosos etiam Sæculares dicimus, prout à Laicis distinguuntur, & maximè illos, qui ad modũ Claustrarũ Religiosorum stant similiter *in domo Domini, & in atrijs domus Dei nostri*, vt sunt Parochi, & Canonici præcipuè, & his similes.

3 Itaque, vos omnes, serui Domini, *qui statis in domo Domini, in atrijs domus Dei nostri*, mementote inprimis Psalmum hunc audientes, vel cantantes, alterius etiam Psalmi verborũ, quæ similiter sæpe cantare consueuistis, *Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.* Idem enim Psaltes Regius, qui ex Dei nomine vos omnes nũc ad benedicendum, ac laudandum Dominum inuitat, ibidem etiam manifestè indicat Religiosorum singulare, ac proprium hoc esse munus, & ad hoc ex ipso statu, & professione sua omnino obligari.

Vnde nobis etiam in alio Psalmo idem eis replicatur. *In Ecclesijs benedicite Deo Domino.* Hinc & Danielis tertiò ad hoc ipsum nomine proprio etiam interpellantur omnes illis præcipue vocibus: *Benedicite, omnes Religiosi, Domino Deo Deorum: Laudate, & confitemini ei, quia in omnia sæcula misericordia eius.*

4 Tandem meminerimus omnes simul, ô Religiosi, quòd mandant nobis, vt laudemus, & benedicamus Dominum, & in Eucharistia potissimum, non diuinæ tantùm leges, & Canonicæ, propriaque cuiuslibet Religionis instituta, regulæ, ordinationes, & antiquæ consuetudines, sed ipsæ etiam Cæsareæ, siue ciuiles leges, & præcipue in leg. Omnem adhibentes C. de Episcop. & Cleric. sicut etiam pro Sacerdotibus nuper referebamus:

Et notent hæc omnes Clerici, quia sicut hoc loco ad rem multum faciunt Clericorum omnium, sic parum sunt in notitia eorum.

Ibi n. *Sancimus* (ait Imperator) *vt oes Clerici per singulas Ecclesias constituti per seipsos psallant, nocturna, & matutina, & vespertina.*

Ecce, in humanis legibus, leges diuinæ registratæ sunt, in libro Codicis codex Psalmorũ. *Ecce nunc benedicite Dominum omnes serui Dñi*, inquit Rex Sanctus ad Clericos omnes. *Sancimus, vt omnes Clerici per seipsos psallant*, ait Imperator pius ad eosdem. *Qui statis in domo Domini in atrijs domus Dei nostri*, subdit David. *Per singulas Ecclesias constituti*, subiungit Iustinianus. *In noctibus extollite manus vestras in sancta, & benedicite Dominũ* pergit Psalmus. *Psallant nocturna, & matutina, & vespertina* prosequitur lex.

Et progreditur adhuc idem Imperator causam reddere, & multipliciter iustissimæ legis suæ, quòd certè cum ipsa lege diligenter annotari deberet, & cordi firmiter inprimi à Clericis quidem omnibus, sed à Religiosis magis (sicut eos etiam nunc specialius sermo noster complectitur), & ab illis maximè, qui solùm de quotidianis mendicationibus, & eleemosynis sed etiam sustentantur, quales sunt inprimis fratres Minores, & illi potissimum, qui, sicut sunt alijs strictiores, sic etiam cæteris omnibus sunt pauperiores, & omnino mendicantes, ac mendici. Idcirco enim hæc pro Religiosis omnibus illa iterum repetimus, quæ pro Sacerdotibus etiam in præcedenti sermone, qui de illis est, recensuimus, quamplura his addentes: Hæc porrò ratio est Cæsareæ legis, propterquam, secundùm Dei legẽ præsertim serui Domini, qui stant in domo Domini, in atrijs domus Dei nostri, ipsum Dominum benedicere debent die, ac nocte. *Ne ex sola Ecclesiarum rerum consumptione* (inquit) *Clerici appareant, nomen quidem habentes Clericorũ; rem autem non implentes Clerici circa liturgiam Domini. Turpe enim est pro ipsis scriptos, necessitate ipsis indicta psallere. Si enim multi laicorum, vt sua anima consulant, ad sanctissimas Ecclesias confluentes studiosi circa psalmodiam ostenduntur, quomodo indecens non fuerit Clericos ad id ordinatos, non implere suum officium? Quapropter omnimodo Clericos psallere iubemus: Et eos, qui inuenti non fuerint inculpatè in liturgijs perseuerantes extra Clerum constitui. Nam qui constituerunt, vel fundarunt sanctissimas Ecclesias pro sua salute, & communi Reipublicæ, reliquerunt illis substantias, vt per eos debeant sacræ liturgiæ fieri, & vt in illis ministrantibus pijs Clericis, Deus colatur.* Husque modo Verba Imperatoris legis.

6 Ex ipsis ergo etiam Sæcularib. legibus colligimus id, quòd modo ex diuinis Religiosis omnibus suademus, dicentes eis: *Ecce nunc benedicite Dominum omnes serui Domini*; nimirum, proprium ac principale Clericorum omnium munus esse psallere, laudare, ac benedicere Dominum, maximè autem, quando eidem Domino in Eucharistia præsentes sũt, siue in Missa, siue extra Missam, sicut quando

ipsa

ipsa in altari (vt nunc) exponitur. Itaq; cum nunc eidem sic expositæ assistant Religiosi multi, iure merito ad oculum (vt dicitur) illā eis demonstrans, eosdem moneo, vt nunc et specialius eundem benedicant Dominum, dicens illis. *Ecce nunc benedicite Dominum omnes serui Domini.*

7 Id enim præstare debent potissimum, quia Religiosi sunt, & serui Domini: Serui enim omnes Dominorum suorum voluntatem, ac mandata omni promptitudine, ac diligentia tunc præcipue exequuntur, quando eosdem præsentes habent. Vnde ipsis seruis in præsentia Dominorum suorum constitutis Dauid Rex se comparabat ante Dominum stans mentaliter, & dicens ei, *Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cælis. Ecce sicut oculi seruorum in manibus*, vel, *ad manum* (vt alij legunt) *Dominorū suorum, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.* Docet hoc ipsum Sanctus Chrisostomus, in sua homilia in Encenijs; vbi sub hoc eodem exemplo seruorum in manibus Dominorum suorū, ad reuerentiam Eucharistiæ nos hortatur his verbis. *Quocirca, fratres, oro vos, & obsecro, ne absimus ab Ecclesijs; neque in alijs colloquijs simus occupati, stemus trementes, & timidi, demissis oculis, renata autem anima, gementes sine voce, iubilantes corde.* Sic primò nos rogat Chrisost. deinde subijcit statim ad hoc exemplum seruorum, quòd adduximus, his verbis. *An non videtis eos, qui sensibili, corruptibili & terreno Regi assistunt, quàm sint immobiles, non loquentes, nō oculos hinc, atque illuc mittentes, sed mœsti, territi, lugentes: ex ipsis documentum accipite homines, & sic assistite Deo, quasi terrenū Regem accessuri:* Sic Chrisostomus, quasi dicat nunc signanter Religiosis omnibus Christo Domino nunc astantibus, cū Eucharistiæ, in qua ille est, assér. *Ecce nunc benedicite Dominum, omnes serui Dñi.* Ecce nunc Dominum, ò serui Domini. Idcirco nunc etiam eundem benedicite Dñū. Ecce, ò Religiosi, Dominum Deum. Ideo, *Benedicite omnes Religiosi Domino Deo Deorum, laudate, & confitemini ei.*

8 Quàm verò religiosè Religiosi, quam piè quam deuotè, quam attentè, ac studiosè, quā denique humiliter, ac reuerenter eundē Deū Deorum Iesum Christum Dominum nostrum benedicere debeant, ipsum laudare, eidemque confiteri, & ante ipsum in Eucharistia stātes præcipue, docet idem Chrisostomus exēplo sanctorum Angelorum in hæc verba suę homiliæ quartæ. De incomprahensibili natura Dei. *Cogita* (inquit ille) *apud quem proximè stas, quibus cum inuoces Deum, scilicet, cum Cherubim, cum Seraphim, cum omnibus cæli virtutibus: animaduerte quos habeas socios, satis hoc tibi sit ad sobrietatem, cum recordaris te corpore constantem, & carne congmentatum, admitti cum virtutibus incorporeis commēdare omniū Dñum. Nemo igitur animo resoluto sacras illas, & mysticas laudes ineat socius: nemo rerum vita humanæ consilia illo tempore voluteт, sed omni terrena sorde animo pulsa in cœlum quisque se totum transferat, vtpotè qui propinquus solio gloria sua stet, & cum Seraphim volites, atque ita laudem sanctissimam referat summo, optimo, gloriosissimo.* Hæc ibi, Sanctus Chrisostomus.

Et pergit sic adhuc doctrinam suam doctrina Pauli confirmare, adhibita etiam similitudine quadam de sagittario. *Idcirco bene constare tempore illo iubemur: bene autem constare nihil aliud est, nisi ita constare, vt hominem cōuenit, qui coram Deo immortali stat, cum horrore, tremoreque, cum sobrio, pacato, studioseque animo. Nam id quoque vocabulum pertinere ad animum. Paulus idem docet, cum dicit. Sic state in Domino, charissimi: Etenim, vt sagittarius, qui sua tela directurus sit, probe, ac scite priusquam mittat, quemadmodum constet, procurat: & vbi se per directum cales proposita accuratè cōstituit, tùm iacere incipit. Id etiam tu agere debes, cùm saggita pessimum illud, infestumque hostis Diaboli caput transfigere cupias, cura de statu cogitationum tuarum accipere prius, vt ex directo, & sine vllo impedimento fixo pede tela tua probe in illum possis dirigere.* 9

Husque modo Sanctus Chrisostomus. 10
Et sicut ab illo exemplum audiuimus Angelorum obseruatione dignum pro Religiosis ad benedicendum Dominum, quòd modo eisdem suademus, cùm psalmista illis dicentes. *Ecce nunc benedicite Dominum omnes serui Dñi*, sic modum eundem nunc discamus etiam à Sancto Bernardo non minus notandum, quo omnes quidem, sed Religiosi inprimis ipsum Dominum benedicant, cùm ad hoc ipsum specialiter stent *in domo Domini, in atrijs dom⁹ Dei nostri*. Sic enim ille ad Religiosos de hoc ipso scribit. *Moneo uos, dilectissimi purè, ac strenuè diuinis interesse laudibus, strenuè quidem, vt sicut reuerenter, ita alacriter Domino assistatis, non pigri, non somnolenti, non oscitantes, non parcentes vocibus, non præcidentes verba dimidia, non integra transilientes, non fractis, & remissis*

vocib., muliebre quedam balba de nare sonantes, sed virili, vt dignum est sonitu, & affecti voces sancti spiritus depromentes.

11 Item aliàs idē Doctor sic. *Immolantes hostiā laudis & reddētes vota nostra de die in diē, curem' oī vigilātia iungere sensū visui, affectū sensui, exultationē affectui, grauitatem exultationi, humilitatem grauitati, libertātem humilitati, quo interim liberis purgata mentis passibus procedamus &c.* Sic Sanctus Bernardus. Sic Dominum benedicere Religiosos docebat, sanctissimus ille Religiosus, quo modo & ille eundem benedicebat, sicque idem Dominus à nobis benedici desiderat, dùm nobis per Regalē Prophetam suum mandat in Psalmo, dicens. *Ecce nunc benedicite Dominum omnes serui Domini.*

12 Non solùm verò, quia serui Domini sumus, ipsum dignè benedicere debemus quantùm possumus, vt iam seruorum itidem exemplo docuimus, sed insuper, quia vt serui eius, etiam in domo eius, & in atrijs domus eius manemus: hoc est in Ecclesia, & in Monasterijs, & in alijs huiusmodi locis, vt dicebamus, & ibidem ab eodem Domino etiam, vt serui eius corpore & sanguine eius pascimur, & potamur, quæ est alia specialior ratio ad rem nostram, propterquam eundem Dominum semper benedicere stricto iure tenemur, vltra cōmunē, quàm iam retulimus de eiusdem seruitute. Hanc vero expressit Isaias cap. 62. Ibi enim de Eucharistia loquens Dominus ex communi Interpretum sententia (vt aliàs & nos fusius explicamus) cùm prius dixisset, se illam non daturum inimicis: *Si dedero triticum tuum vltra cibum inimicis tuis, & si biberint filij alieni vinum tuum in quo laborasti*, statim ete nobis subiunxit, quibus solis eandem daturus erat: *Quia, qui congregant illud comedent, & laudabunt Dominum: & qui comportant illud, bibent in atrijs sanctis meis.* Serui Domini sunt Sacerdotes potissimum, qui in domo Domini, idest, in Ecclesia, Eucharistiā sibi, & alijs parant, per consecrationem: & hi præcipue Dominum laudare debent, tanquam eiusdem Domini serui ab eodem in domo eius cibati, ac potati quotidiè, & cibo, ac potu illó omnium præstantissimo, ac suauissimo, corpore, nempe, & sanguine suo, de quibus idem Dominus testatur. *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.*

13 His omnino concordant, verba Ioelis: primum enim de Eucharistia Religiosos præcipue sic alloquitur Propheta c. 2. *Comedetis vescentes, & saturabimini:* Et postea immediatè addit. *Et laudabitis nomen Domini:* Psalmista etiam de eisdem Religiosis ait primó. *Edent pauperes, & saturabuntur.* & postea statim sic prosequitur: *Et laudabunt Dominum, qui requirunt eum:* Et hoc ipsum est, quòd illis prædicamus ex eodem. *Ecce nunc benedicite Dominum omnes serui Domini:* Et deinde subiungētes: *Qui statis in domo Domini, in atrijs domus Dei nostri*, qui ibi, nimirum, vt serui eius, & in domo, & in atrijs eius stantes, eiusdem Domini corpore cibamini ab eodem, & potamini pariter eiusdem sanguine.

Duplici ergo titulo potissimum Dominum benedicere tenentur serui Domini, Religiosi, nempe, omnes, primum quia eiusdem Domini serui sunt, secundò verò, quia vt serui Domini, & stantes in domo Domini in atrijs domus Dei nostri, Eucharistia ab eodem Deo, & Domino suo pascuntur: Propter hoc psalmista, cùm dixerit. *Ecce nunc benedicite Dominum omnes serui Domini*, immediate declarat, de quibus seruis Domini hoc intelligat, videlicet, de stantibus *in domo Domini in atrijs domus Dei nostri*. Stare itaque in domo Domini præsuponitur tanquam omnino certum, ac necessarium in seruis Domini, quales sunt Religiosi in primis, vt ibidem promptè Dominū benedicere semper possint, & eius cultui, ac seruitio continuó vacare, mundi curis, ac sollicitudinibus pœnitus à se abdicatis. Ad hoc enim omnino tenentur ex vi potissimum status sui, ac professionis, hoc ipsum enim, & iura statuunt, Pontificia, & Cæsarea quoque. Primum enim in cap. Placuit 16. quæst. 1., sic de Religioso statuit Eugenius Papa. *Sic claustro suo contentus, quia, sicut piscis sine aqua caret vita, ita sine Monasterio Monachus. Sedeat itaque solitarius, & taceat, quia mundo mortuus est.* Item ibidem S. Hier. ad Paulinū. *Si cupis esse quod diceris Monachus, idest, solus, quid facis in vrbibus, quæ vtique non sunt solorū habitacula, sed multorum?* Idem statuitur in alijs canonibus frequenter, quos breuitatis ergo prætermitto. Secundùm hæc Imperator etiam leg. Generaliter Sancimus C. de Episc. & Cleric. loquens de quibusdam immunitatibus, & exemptionibus, quas eisdem Episcopis & Clericis concedit, sic decernit: *Eos tamen Clericos, & Monachos huiusmodi habere beneficium sancimus, qui apud sacrosanctas Ecclesias, vel Monasteria permanent, non diuagantes, neque circa diuina mysteria desides: Cùm propter hoc ipsum, beneficium eis indulgeamus, vt alijs omnibus derelictis, Dei omnipotentis ministe-*

ero

vis inhæreant, & hæc non solùm in veteri Roma, vel in hac regia Ciuitate, sed in omni terra vbicumque Christianorum nomen colitur, obtinere sancimus.

16 Hæc omnia Cæsarea lex, & conformia prorsus, & legi Canonicæ, & diuinæ præsertim, quam modo Religiosis inculcamus, vt benedicant Dominum, qui stant in domo Domini, in atrijs dom' Dei nostri, idest in Ecclesijs, & in Monasterijs: *Qui apud sacrosanctas Ecclesias* (inquit Codex) *vel Monasteria permanent, non diuagantes, neque circa diuina mysteria desides sint*. Quia, vt inquit Sanctus Bernardus. *Nihil turpius, quam Monach' per vrbes, & Castella discurrens nisi, cum hoc cogit charitas, quæ operit multitudinem peccatorũ.*

17 Hæc indicat etiam ipsum nomen *Religiosus*, quia, vt docet S. Chrisost. *Monachus, non solùm propterea dicitur Monachus: quia vxorē non habet, sed quia Religioni Dei, & seruitio ipsius mancipatus est, & cura illi est, quemadmodũ Deo, non sæculo placeat*: Quod etiam astruit S. Isidorus in lib. Etym. Marcũ Tulliũ ēt allegans his verbis, *Religiosus* (ait Cicero) *à relegendo appellatus, quia retractat, & tamquam relegit ea, quæ ad cultum diuinum pertinent.* Hinc & noster Tyranus explicās illud Dan. 2. Iam adductum. *Benedicite omnes Religiosi Domini Domino*, & rationē simul de hoc reddens, ait. *Quia non solùm in populo Israël sed etiam in alijs populis erant aliqui, qui speciali cultu colebant Dominum, sicut fuit Iob. & Melchisedech, & consimiles, qui dicuntur hic Religiosi*. Certum est autem, ac manifestum, cultum, & ministerium Dei, quod circa Eucharistiam versatur, oīum præcipuum esse, ac præstantissimum, sibiq; inprimis gratissimũ, quia est circa ipsum immediatè, nam in eadē ipse colitur, & honoratur, Ideoq; ēt hoc Sacerdotũ principale officium est, & oīum dignissimũ sicut diffuse tradimus in præc. serm. de Sacerdot. scribentes. Vnde lex ipsa ciuilis, vt iterũ diximus statuit. *Vt oēs Clerici per singulas Ecclesias constituti per seipsos psallant nocturna, & matutina, & vespertina*: & statim huius rei causam subbit, dicēs: *Nec ex sola Ecclesiasticarum rerum cōsumptione Clerici appareant, nomen quidem habentes Clericorum, rem autem Clerici non implentes circa liturgiā Dñi Dei*. Hinc rursus ipsũ ius Cæsareũ in præc. l. & in seq. Oēm semper manifestè declarat, omne studiũ, & cogitationē Sacerdotũ circa diuinā liturgiā, & res Ecclcas ēe debere.

18 Hinc verba hæc Sacerdotũ, *Ecce nunc benedicite, &c.* vt Sacerdotũ Religiosorũ præsertim propria nonnulli exponunt de eisdē ēt mysticè, ac moraliter, vt. s. lz. stent inprimis in Domino spiritualiter, qui in domo Domini stant corporaliter, eo modo, quē iam cũ Chrisost. ex D. Paulo explicauimus, in gratia, nēpe, & in amore ei' stabiles & à terrenis oib. memoria, & amore elōgati: vel secundũ alios: q a sic mēte stare supponuntur Religiosi in domo Dñi, sicut in eadē corporaliter stare tenētur. Vnde Pagninus & alij legut. *Benedicite Dñum stātes*, secundũ illud ēt: *Stantes erant pedes* (idest, cogitatus, & affectus) *nostri in atrijs tuis Ierusalē*. Item quia stare seruorum est Domini, non sedere in domo Domini, vel iacere, & in otio quiescere: sed prōptos ac paratos sēper esse ad oīa p Dei Gloria, & seruitio, & pro animarum salutē, vt Dñum benedicentes, illud psemꝫ in veritate psallant. *Paratũ cor meũ Deus, paratum cor meũ cantabo, & Psalmũ dicā: exurge gloria mea, exurge Psalteriũ, et citharā, exurgā diluculo*.

Vnde Psal. noster ēt, post q̄ oēs seruos Dñi, 19
q stant in domo Dñi, hortatus est, vt Dñum benedicāt, addit. *In noctib. extollite manus vestras in sancta, & benedicite Dñum*. Pro Hebraicis .n. ministris Hebraici tēpli significabatur, vt in noctib. præsertim, q est secretius, & opportunius orationis. ac diuinarũ laudũ tēpus. ad locũ specialē tēpli, q sanctuariũ, vel sancta sanctorũ vocabatur, & in quo erat Arca, manus extollerent ad Dñum illũ benedicendo, potissimũ, quia Arca Eucharistiā, & ipsũ Christũ Dñum in ea cōtentũ repræsentabat, vt tradit ēt cũ alijs hoc loco Vatab., & quia ex illa .s. ex ppitiatorio, q super illā erat, responsa illis dabat, vt latius explicamus de eadē Arca ex professo tractantes longo sermone. Vnde legit & Hieron. *Leuate manus vestras ad sāctum*, Chald. verò. *Leuate man' vestras Sacerdotes ad suggestũ sanctitatis*. Nos verò, & manus, & faciē ad Eucharistiā leuamus illam colentes, q similiter sanctũ sanctorũ dicitur, & in qua oīs sanctitas, & sanctitatis oīs auctor esse verè pdicatur, sicut ab eo, qui in illa est, pdicatorib. suggeritur, Christus, vlꝫ. qui per Arcā illā figurabatur, secũdũ illud ēt Tren. 3. *Leuemus corda nostra cum manibus ad Dominum.*

Itaq; hoc ipsũ ēt nos modo, & sēper pstēmus oī prōptitudine, ac sollicitudine, oī diligentia, ac reuerentia, oī humilitate, ac pietate oī denique deuotione, ac feruore, tāquā veri serui Dñi, vt veniat, vice versa sup nos ēt Dñi benedictio, q̄ seruis eius psalmista sic precatur, 20
Benedicat tibi Dñus ex Sion, q fecit cælũ & terrā: & ipsa benedictio maneat super nos sēper. Amen.


SERMO TRIGESIMVS TERTIVS.

Pro Clericis, & alijs Officialibus, ac ministris Ecclesiarum. Ante Eucharistiam expositam.

Non me inuocasti Iacob, nec laborasti in me Israel: Verùmtamen seruire me fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis. Isa. cap. 43.

ARGVMENTVM.

Conquæritur Deus de hominibus, quòd eum in Eucharistia multipliciter seruire sibi fecerint: & quod insuper laborem eidem præbuerint in iniquitatibus suis: illi tamen è conuerso, Deum non inuocant, nec in eum laborant: nec ij etiam aliquando, qui ad hoc ipsum specialius tenentur, Clerici, nempe, & alij Ecclesiarum officiales, ac ministri: qui Iacob, & Israel dici possunt.



1 Verba Domini, quæ audistis, charissimi ex Isaiæ libro. simul à me prolata, sunt quidem paululum inter se discontinuata, siue interrupta, verumtamen inter se multum conuenire videntur, sibique mirum in modum respondere. De ore enim Dei inprimis omnia prodeunt, & Dei verba sunt ad homines loquentis: & priora quidem de hominibus præsertim sunt, de Deo vero posteriora: priora (vt audistis) ista sunt. *Non me inuocasti Iacob.* Posteriora vero hæc sequentia. *Verumtamen seruire me fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis,* Illa sunt, quæ homo facere ommisit propter Deum: ista sunt quę Deus præstitit propter hominē. Notat Deus hominem prius, quòd se non inuocauerit, nec in se laborauerit, siue propter se. *Non me inuocasti Iacob* (ait) *nec laborasti in me Israel:* exprobat posterius eidem, quòd ipsum Deum in peccatis suis seruire fecerit, eique laborem præbuerit in iniquitatibus suis, siue propter iniquitates suas, sicut ostea declarabitur: *Seruire me fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis.* Verùm, quia ipsum Deum Christiani inter alios omnes, inuocare tenentur, & propter eum, & in eius seruitio laborare, & hoc signanter in Ecclesijs, in quibus, vt in propria domo Dei filius Iesus Christus Dominus noster est realiter, ac personaliter in Sacramento Altaris, in quo etiam speciali modo seruire eum fecimus in peccatis nostris, & præbuimus eidem laborem in iniquitatibus nostris: Et quia rursus inter Christianos omnes Clerici, Custodes, Ianitores, Sacristæ, & alij omnes Ecclesiarum quarumcumque gubernio vel seruitio specialiter destinati, hoc modo, & iisdem de causis eidem Christo Domino etiam specialius inseruire debent, Ecclesiis suis inseruiendo, & hoc modo similiter in illo laborare, in eisdem Ecclesiis laborando, & inuocando eū, ac laudando: & tamen eorum nonnulli sępe in hoc grauiter delinquūt, idcirco de illis hoc loco signanter sic conquæritur idē Dominus. *Non me inuocasti Iacob, nec laborasti in me Israel:* Et insuper horum defectum magis aggrauat, inferius subdens ad eorum quemlibet *Verùmtamen seruire me fecisti in peccatis tuis, &c.*

2 Et hæc ipsa sunt, quæ ad eosdem Ecclesiarum ministros in Christi nomine modo repeto, aliquanto clarius illa explanans, & primo, quid Christus pro illis fecerit, vt ex hoc manifestius appareat eorum defectus cum pro Christo non fecerint, nec faciunt, quod tamen facere districtè tenentur. Audiant ergo hi quod prædicamus a Christo primitus prædicatum, & ad eosdem signanter. *Verumtamen seruire me fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis*: Sic Deus ad hominem quemcumquè, quod certè inprimis multum singulare est, valdequè notabile, & alias omnino inauditum, ac nouum: Quin potius, certissimũ ipsũ est, & notissimum, atq; antiquissimum pariter, hominem ex natura, & conditione propria esse Dei seruum, eiq; semper iure multiplici inseruire debere, etsi culpa sua solum seruus fit vilissimus, & hoc officio, & nomine etiam omnino indignissimus. Vnde hoc recognoscens homo, & Deo Domino suo se humilians, in psalmo 115. ait, *O Domine quia ego seruus tuus sum: ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ*. Et Dominus ad omnes homines. *Cum feceritis omnia, quæ præcepta sũt vobis, dicite, serui inutiles sumus*. Verum his omnibus non obstantibus, verissimum est etiã id, quod ipsa veritas affirmauit, & quod nos eandem edocti modò repetimus, verbum, nempè, quod æterni Patris Verbum pro hominibus incarnatum ad homines per prophetam loquutus est: *Seruire me fecisti in peccatis tuis*, hoc est, peccatis tuis me aggrauasti, molestia me affecisti, & quasi seruus tuus essem, aut mancipium onerasti: Ipsius enim hominis peccata filij Dei bonitatem, misericordiam, ac benignitatem traxerunt, & quasi coegerũt ad sic seruiendum sibi, & in peccatis suis.

3 Vnde non solum illud Gen. cap. 25. *Maior seruiet minori* nouo, quodam, & inusitato sensu adimpletum est, quia Deus, qui Dominus est, & maior in infinitum homine (sicut & creaturis omnibus) ipsi tamen homini in humana carne seruiuit, & in peccatis suis seruiuit: *Seruire me fecisti in peccatis tuis*. Verùm & illud insuper Isa. vaticiniũ. cap. 12. completum est, quod est æterni Patris ad eundem filium suum: *Seruire te faciam inimicis tuis in terra*: Si quidem, inimici Dei erant homines in terra existentes: & solum propter peccata, & iniquitates suas, quibus ipsum offenderant, illiusquè inimicos seipsos constituerant, nimirum, vt illorum pœnam precis in passione, & morte sua portaret, & veniam eisdem impetraret eundem incarnari voluit. *Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati* (inquit Paulus ad Romanos capite octauo) *de peccato damnauit peccatum in carne*: Sicquè, & in peccatis, & in peccatoribus & propter peccata, & pp peccatores seruiuit, & seruiuit eisdẽ peccatorib. inimicis suis, & hoc in terra, quando de Cœlo descendens, in terris visus est, & cum hominibus peccatoribus conuersatus est: Tunc enim, id, quod per Prophetam prædixerat, opere impleuit, & verissimè pronuntiauit, ipsum hominem hoc modo alloquens: *Seruire me fecisti in peccatis tuis*.

Sicut vero hoc Isaiæ Oraculum, & alia duo quæ nunc recensuimus, manifestè in Christo, & in hominibus completa videntur, sic illud, quod notatum est inter Salomonis prouerbia cap. 11. violatum videtur. *Qui stultus est seruiet sapienti*: Sapientia enim æterna seruile corpus induens insipientibus hominibus seruiuit, de quibus scribiẽ, Ecclesiastes cap. 1. *Stultorum infinitus est numerus*: & præterea in ijs ipsis seruiuit, propter quæ ijdem homines stulti fiunt, & stulti dicuntur scilicet, in peccatis ipsorum, sicut ipsemet fatetur: *Seruire me fecisti in peccatis tuis*. 4

At quæret quis quomodo, & qua ratione speciali Christus Dominus homini seruisse dicatur, & in peccatis suis, sicut idem per Prophetam eidem homini obijcit, propriam simul eidem ingratitudinem, ac defectum sic obijciendo. *Non me inuocasti Iacob, nec laborasti in me Israel?* de quo postea; Eia, & hoc audiamus, Qui alijs seruiunt, non in vna tantum re sœpe eis seruiunt, nec vnico solum seruitio, sed in multis, sanè rebus, ac seruitijs, sicut multa sunt etiam, ac diuersa valde, in quibus homines sibi seruientium seruitute egent. Hinc enim in Domibus Principum, & aliorum magnatorum præsertim tot serui, & seruorum tot munera, & officia, & pro varietate eorundem officiorum, ac munerum, ad Domini seruitium ordinatorum, varietas etiã ac multitudo ipsa seruientium, etsi idem seruus etiam aliquando vicem gerens multorum, multa simul exerceat, officia, ac seruitutes, maximè qui non multum insignibus vel diuitibus Dominis seruit, vt notum est: Dei filius similiter homini seruiturus, non in vna re tantum, vel vnico solum seruitio seruire voluit, sed in multis sanè secundũm eiusdem 5

in-

indigentiam: tamen hæc ad duo tantum generalia reducuntur: seruiuit homini propter peccata sua Dei filius per seipsum immediate, & actione propria, & seruiuit secundo & continuo seruit eidem differenti modo, nempe, in Ecclesia: Prima seruitute seruiuit in tribus potissimum seruiuit in mundum veniens per incarnationem, in mundo consistens per operationem, & a mundo discedens per passionem, & mortem suam; & hoc semper in peccatis, idest propter peccata ipsius hominis. Quod enim vulgata lectio habet. *Seruire me fecisti in peccatis tuis*. Hebraicus textus legit apud Pagninum. *Seruire me fecisti propter peccata tua*; idest pro peccatis tuis expiandis, sicut ait Lyranus hæc verba de Christo exponens. Hinc idem Pagninus sic sequentia verba legit, *prabuisti mihi laborem propter iniquitates tuas*. Et idem auctor sic illa declarat pro Christo similiter, fuisti mihi occasio, vt laborem passionis sustinerem.

6 De seruitute filij Dei, qua extra Eucharistiam filijs hominum, seruire voluit, & propter eorundem peccata, scripsit Paulus. ad Phil. 2. *Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo*. Secundum hæc Lactantius sic etiam verba Isaiæ explicat: *Seruire me fecisti in peccatis tuis*, idest serui carnem induere, & serui pœnas, scilicet crucem suscipere me Christum fecisti. Vnde sic Paulus etiam post prædicta statim. *Humiliauit semetipsum factus obediens vsquè ad mortem, mortem autem crucis*. Ecclesia similiter vtramque seruitutem eius commemorans, dum Natiuitatem eius solemniter celebrat, pro tanti beneficij gratiarum actione canit: *Beatus auctor seculi, seruile corpus induit, vt carne carnem liberans, ne perderet quos condidit*. Idem Dominus noster ore proprio declarauit, se ad seruiendum nobis, in, & pro peccatis nostris per incarnationem venisse, & præsertim morte sua, & scripsit hoc S. Mattheus cap. 20 sui Euangelij: *filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro multis*.

7 Et rursus de ministerio suo, quo ministrauit, nobis in hoc mundo multipliciter, quod secundo loco recensuimus, ipse pariter dixit aliquando: *Ego autem in medio vestri sum, sicut qui ministrat*: (sicut tunc etiam specialiter ministrauit Discipulis suis, eisdem, scilicet, lauando pedes, quando hæc ipsa verba protulit) etenim ministerium, & seruitus eius, qua hominibus in hoc mundo seruire dignatus est omnia illa omnino comprehendit, quæ propter homines, & hominum salutem quocunque modo vel fecit, vel sustinit ab ipsa sua conceptione, vel natiuitate, vsquè ad mortem, in quibus omnibus etiam ipse testatur similiter, quod ipsum laborare fecimus: Quia enim seruiendo, laboramus, & seruitus ipsa laborem parit, proinde cum dixerit, homini: *Seruire me fecisti in peccatis tuis*, statim subintulit: *Prabuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis*. Verum, de hoc primo communi modo, quo Christus Dominus pro hominibus seruiuit, ac laborauit in peccatis, & in iniquitatibus eorū, hoc est propter iniquitates, & peccata sua, vt iam dictum est, hæc dixisse sufficiat.

Aliam eiusdem seruitutem, & laborem nunc attendamus, de qua re principalius nunc loquimur, in Eucharistia, nimirū. De hac repetit nobis idem Dominus, hæc verba nostra, & vt in Eucharistia est, & maxime ad Ecclesiæ ministros, & officiales omnes, & ad eorum quemlibet, vt mihi videtur: *Seruire me fecisti in peccatis tuis*. In ipsa Eucharistia enim, & respectu eiusdem, tribus modis similiter specialibus pro peccatis nostris seruiuit, nimirum, primò Eucharistiam instituendo, secundò illam nobis dando, & tertiò peccata nostra per illam nobis remittendo. En hæc tria simul paucis sunt compræhensa verbis in Euangelio. *Accipiens calicem, grās egit, & dedit illis, dicens: bibite, ex hoc omnes: hic est enim sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*: Sic enim de passione sua, & de Eucharestia, loquutus est idem Dominus, de sanguine suo mentionem specialem faciens, quod antea imediatè, & de corpore suo præstiterat: Vnde in liturgijs siue Missis S. Iacobi, S. Marci, & in alijs antiquis Sacerdos panem consecrando dicit: *Accipite, & manducate, hoc est corpus meum, quod pro vobis datur, & frangitur, siue distribuitur, in remissionem peccatorum*: Et similiter Sacerdos Diaconum communicando, ait illi, *Impertio tibi pretiosum, & sanctum, & immaculatum corpus Domini nostri Iesu Christi in remissionem peccatorum, in vitam æternam*. Sicut enim, ipsa passio Domini in remissionem fuit peccatorum nostrorum, sic est etiam Eucharestia suo modo in tempore passionis eius

dem

dem instituta. *Tanquam antidotum* (inquit Tridentinum Concilium de ea) *quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus praeseruemur.*

9 De hac seruitute, qua nobis, & in peccatis nostris seruire nobis dignatus est in Eucharistia, & ad ministros seruientes Ecclesijs praesertim, & ei, quod in Ecclesijs praecipuum est, & cui principaliter inseruire debent, Eucharistiae, nimirum, specialius nunc agimus. Hi ergo praesertim attentè audiant quae subijcio. Seruorum proprium, ac principale est, illis se subijcere, & humiliare, quibus seruiunt, imò ipsa seruitus nihil aliud est, quàm quaedam practica, & continua subiectio, & humiliatio seruorum Dominis suis, & illis oibus, quibus seruiunt, Hinc Agar, quae serua erat Sarae vxoris Abrhaam, praecepit Angelus Gen. c. 16. ex Dei nomine. *Reuertere ad Dominam tuam, & humiliare sub manu illius.*

Verè seruum hominis se fecit Dei filius Saluator noster in Eucharistia, potissimū, quia in illa potissimum eidem se humiliauit. Hoc ex Diuo Augustino manifestè audiamus in Psalm. 33. *Vnde autem cōmendauit corpus et sanguinē suū? De humilitate sua. Nisi enim esset humilis, nec manducaretur, nec biberetur*, sic Augustinus.

10 In ipsa verò Eucharistiae institutione, quae est prima seruitus (vt dicebamus) qua in eadem homini seruiuit, multipliciter eiusdem humilitas resplenduit, etenim sub tam humilibus, ac vilibus rebus, scilicet panis, & vini speciebus subesse voluit, & etiam sub quantumcunque, paruis, ac minimis: & hoc non vna vice tantum, nec breui temporis interuallo solum, neq; in vno solūmodo loco, sed semper, & continue, & in omnibus locis, & in omnibus locorum Altaribus, in quibus conficitur, & sumitur, & conseruatur ipsa Eucharistia. Et haec omnia non obstantibus inumeris, & grauissimis ex omni genere ipsorum hominum peccatis. Praeterea maxima in hoc filij Dei ad homines humiliatio, & submissio ratione Eucharistiae apparet: quia eamdem Eucharistiam sic vbique, existentem, ad voluntatem suam sumere quilibet potest, si tamen ad hoc dignè (vt par est) se disponat: semper (dico) in manibus suis, in corpore, & in anima sua praesertim Dei filiū in Eucharistia sic humiliatum suscipere potest filius hominis.

11 Praetereà per hoc potissimum resplenduit Christi Domini nostri profundissima humilitas in Eucharistia (sicut etiam eiusdem immensa charitas, benignitas, & humanitas) nimirū, quòd non solum à pijs & iustis eandem confici, sumi, & ministrari permittit, sed ab indignis etiam, & quantùmcunq; scelestissimis promiscuè, & indifferenter, vt dicitur. Etenim sumunt boni, sumunt mali, esti sorte tamen inequali.

Hanc filij Dei summam humilitatem, in Eucharistia praesertim considerans deuotissimus eiusdem Eucharistiae cultor Pater noster Sanctus Franciscus, & ad eiusdē Eucharistiae fidem, deuotinem, ac reuerentiam omnes exhortans, dicebat, de eodem Dei filio. *Ecce quotidiè humiliat se, sicut quando à regalibus sedibus venit in Vterum Virginis, quotidiè venit ad nos ipse, humilis apparens: quotidiè descendit de sinu Patris super Altare in manibus Sacerdotis; & sicut Sanctis Apostolis apparuit in vera carne, ita & modo se nobis ostendit in sacro pane: & sicut ipsi intuitu carnis sua non tantùm eius carnem videbant, sed ipsum Dominum Deum esse credebant, oculis spiritualibus contemplantes, sic & nos panem, & vinum oculis corporeis videamus, & credamus firmiter sanctissimum eius corpus, & sanguinem viuum esse, & verum: & tali modo semper est Dominus cum fidelibus suis, sicut ipse dixit: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consumationem saeculi.* 12

Sic Pater Seraphicus. Et iterum ad Sacerdotes scribens de eadem Euchaistia, haec ait. *Totus homo paueat, totus mundus contremiscat, caelum exultet, quando super Altare in manibus Sacerdotis est Christus filius Dei viui: O admiranda altitudo, o stupenda dignatio, o sublimitas, humilis, quod Dominus vniuersitatis Deum, & Dei filius sic se humiliat, vt pro nostra salute, sub modica panis formula se abscondat. Videte, fratres, humilitatem Dei, & effundite coram illo corda vestra, & humiliamini, vt & vos exaltemini ab eo. Nihil ergo de vobis retineatis vobis, vt totos vos recipiat, qui se vobis exibet totum.* Haec Sanctus Franciscus de Christi humiliatione in Eucharistia.

Audiamus etiam quid de ipsa dixerit Sanctus Hieronymus, quando in supremo vitę suę spiritu, eandem sumpturus, eidem similiter valde se humiliauit. Narrat hoc Eusebius in Æpistola ad Damasum de morte Hieronymi, & habetur tomo nono operum eiusdem Hieronymi. *Frater quidam* (inquit Eusebius) *corpus Christi Hieronymo obtulit, quòd vbi vir* 13

sem

Deus videre potuit, nobis ei auxiliantibus prostrauit se in terra pronus voce, & lacrymis quantum poterat clamans. Domine quis ego sum, vt sim dignus, quòd sub tectum meum intres? Merui hoc peccator homo? Numquid ego melior sum, quàm omnes patres mei? Tu noluisti Moysi, tuo istu oculo te demonstrare, cur nunc tantum te humilias, vt patiaris ad hominem descendere publicanum, & non solum cum illo manducare, sed tu ipsum manducari ab illo iubes? Hæc ille. de Christi seruitute, & humiliatione in Eucharistia, in qua homini seruiens, & in suis peccatis, tantum se eidem humiliauit secundum verbum suum. *Seruire me fecisti in peccatis tuis, &c.*

14 Tunc signanter seruiuit, & humiliauit se Christus in Eucharistia, & ipsa etiam Eucharistia homini, & in peccatis suis, quãdo ab eadem ad infirmum à Sacerdote delata, meretrix quædam in luto genibus flexis peccatorum suorum veniã petens magna cũ deuotione, & humilitate, Christũ ex ipsa Eucharistia sibi dicentẽ audire meruit. *Ignosco tibi peccata tua:* Et vlterius, quando eadẽ mulier illi replicans, quòd latinum sermonem non intelligeret, dixit eidem iterum Christus in eadem Eucharistia vulgari lingua: *Ego te accepto in meam gratiam.* Nec mirum, ignoscere enim Christum huius peccatricis peccatis, & in gratiam suam illam recipere, & hoc ex Eucharistia, idem fuit sanè, quod per Eucharistiam in peccatis eius seruire, quod modò prædicamus: sicut tunc etiam eodem modo in peccatis seruiuit hominis, ipsa Eucharistia, & in ea Dominus, cum rogante in missa S. Egidio pro Carolo Franciæ Rege, præsente, & pro hoc ipso instante, misit Christus Angelum cum cedula, in qua scriptum erat per ordinem ipsius Regis peccatum, & quòd, similiter celebrantis intercessione, illud Regi dimissum esset, dũmodo ille veraciter pœniteret: Sicquè ergo, & Regi & meretrici illi dicere potuit Christus Dominus pro Eucharistia. *Seruire me fecisti in peccatis tuis.*

15 Et idem repetit continuò ad multos, & præsertim ad Ecclesiæ ministros, & seruos quam plures; subdens etiam. *Præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis:* quasi dicat, huic vel illi Clerico, Sacristæ, Custodi, Ianitori, Hostiario, Campanario, & cuicunque alteri Ecclesiæ, vel altaris ministro, siue officiali, qui in ministerio, & officio suo delinquit, & errat: Mihi quidem, & in Eucharistia præsertim inseruire deberes, & quidem promptè, sollicitè, & omni studio, ac totis viribus, tu, qui ad Ecclesiæ, altaris, vel Sacrarij, seruitium specialiter electus, & constitutus es etiam conuenienti mercede, vel stipendio; pro hoc certè deberes quantum scis & vales, strenuè, ac indefesse laborare pro mea, & meæ Ecclesiæ cultu, atquè seruitio, qua, & in passione, & in ipsa Eucharist. tu quoq; (vt alij omnes) *Seruire me fecisti in peccatis tuis, & præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis.* Verum non sic de facto res se habet sed prorsus oppositum manifestè apparet, nam tuum non imples officium, vel ministerium, sed multipliciter in eo delinquis, & peccata ad peccata sẽper addis: *Non me inuocasti Iacob, nec laborasti in me Israel:* hoc est, in corde tuo, non me vocas, non me rogas, non me cupis, non me quæris. Vnde nec ea quæ meo, & meæ Ecclesiæ cultui, ac seruitio conueniunt, verè, curas, vel præstas, sed quæ tua sunt quæris, non quæ Iesu Christi: Te ipsum in omnibus quæris, & quæ tua sunt, tua commoda, tuam vtilitatem interesse tuum, vt dicitur; Ideoque, nec mihi verè seruis, nec in me laboras, siue propter me, sed tibi, & probrer te solum, in bonum tuum tantum, & solum propter ipsum emolumentum, vel lucrum tuum: Et hæc omnia facis, & si Iacob tamen, & Israel reputeris. *Non me inuocasti. Iacob: Nec laborasti in me Israel.* Etsi (dico) Ecclesiæ Clericus, vel Sacrista, &c. sis, & dicaris, & ideo etiam alijs melior, ac sanctior, in his saltem, quæ ipsum munus tuum concernunt, esse tenearis, & talis etiam ab omnibus habearis: Hoc namq; indicant ipsa nomina tua. Iacob enim, *supplantator* interpretatur: & Israel *Videns Deum*, quia, & tu specialiter, vt Christi, & Ecclesiæ sponsæ suæ seruus, vitia supplantare, hoc est sub plantis ponere, ac superare debes, & ea magis, quæ Dei seruitio magis contrariantur, & similiter cum Deum alijs frequentius in Ecclesia, & in Eucharistia videas, cui seruis, ipsum etiam, idcirco præ alijs inuocare debes, ac pro illo laborare: sed omninò contrarium in te apparet; Nam verissimè: *Seruire me fecisti in peccatis tuis.* Hoc est secũdùm alium verborum horum intellectum: Nõ tam mihi seruisti ministerio, & officio tuo, nempe, Clerici, Custodis, Sacristæ, &c. quam ego seruiui lucro tuo, commodo tuo, emolumento tuo, ac vtilitati. Et (quod valde detestabilius est) ego potius (vt dixi) hac ratio-

ne

ne seruiui, vel seruire tu me fecisti tuæ ambitioni, tuæ auaritiæ, tuæ luxuriæ, & alijs peccatis, ac vitijs tuis. Hinc Cornelius a lapide hoc loco: Moraliter, aduertant Christiani (inquit) se dum peccant, facere Deum sibi, suisq; peccatis quasi seruum: Nam eius concursu, natura, & donis ab eo acceptis ad scelera abutuntur, ad eaque Deum, Deique dona quasi inuita trahunt: Vel secundum 70. versionem. *In peccatis tuis ante me stetisti.* Stat enim ante Deum peccator cum peccatis suis, quasi pugnaturus contra illum. *Peccata enim* (inquit Sanchez) *tela quadam sunt, quæ inferat peccator, & vibrat contra Deum.* Vel ideo secundum 70. *In peccatis tuis stetisti, & in iniquitatibus tuis*, scilicet in eisdem peccatis, & iniquitatibus tuis stetisti, perstitisti, perseuerasti, in illis firmus semper fuisti, & obstinatus vsq; modo, sine correctione, vel emēdatione aliqua, absq, vlla cōfusioione, vel pudore vsque in præsens. Cyril. Theod. Euseb. & alij eadem thematis nostri verba sic ex eisdem 70. legunt. *In peccatis tuis defendi te, & quasi hyperaspires scutum meo pro te ira Dei opposui.* Quasi (inquit scilicet S. Hyeronimus ad hæc) *labor sit Dei defendere peccatorem.* & Cornel. a lapide, qui ista recensat hoc loco *Perinde* (subdingit) *ac si, Deus clemens sibi pugnat contra se, suamq; iustitiam flagitantem, ut iusta vindicta petitam, & peccatorem flectat.*

17 Quadrare his possunt, quæ scribit S. Cyprianus de Cœna Domini: *In his omnibus laborare se dicit Dominus, nec esse voluntatem suam in ministrijs malis indignatione destricta testatur.* Et quidem nimis manifestè videmus, ac euidenti experimento comprobamus illud impletum, quod refertur in canone Dist. 9. cap. Eleutherius, *Vnumquemque suis, opposito Ecclesiæ seruitio vacare negotijs.* Et, idipsum pariter, de quò idem Dominus conquæritur apud Ageum Prophetam cap. 1. *Quia domus mea deserta, & vos festinatis vnusquisquè in domum suam*; sed ecce statim id, quòd dicebamus, nempe, quòd sic laborat Dominus huiusmodi peccata tolerando contra suum; & domus suæ Ecclesiæ seruitium, vt non possit, quasi vlterius illa supportare, sua iustitia impulsus, quin illa puniat: subdit enim imediate sic scriptura ibidem. *Propter hoc super vos prohibiti sunt cœli, ne darent rorem, & terra prohibita est, ne daret germen suum, &c.* Legatur scriptura, ibi enim multa alia, & grauissima horum peccatorum supplicia recensentur.

Quæ ne super nos etiam veniant, attendamus, quæso, miram iterum verborum Domini correspondentiam, pro verborum nostrorum compendio: Deus pro hominibus operatur, & tamen homines pro Deo operari renuunt. Duo verò fecit potissimum Christus Dominus pro hominibus, & de ijsdem conquæritur, quòd illa pro ipso non fecerunt ijdem homines: Et insuper, multo maiora sunt quæ Christus præstitit pro hominibus, quam illa, quæ homines pro Christo operari nolunt: *Seruire me fecisti in peccatis tuis*, Ecce primum quòd Christus exercuit pro hominibus seruitutem, nimirum, quod est quid valde graue, atque difficile: *Præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis*. Ecce secundum quod idem pro hominibus sustinuit; & pro iniquitatibus suis, nempe, laborem, quod similiter durum est, ac molestum: *Non me inuocasti Iacob*: En rursus primum, quod homines pro Deo facere detrectant; videlicet, inuocare eum, quod tamen cum sit tantum actus mentis interior, est tam leue, ac facile, & insuper eidem etiam homini delectabile, atque vtile: *Nec laborasti in me Israel.* En denique secundum etiā, quòd homines pro Deo præstare reluctant, scilicet, etiam sine labore operari, quod ipsū quoq; verbum *Laboro* secundum variam eiusdem acceptionem significare potest: & hoc similiter facillimum esse potest, ac suaue, & semper etiam eidem homini vtilissimum: Audiant hæc omnes homines; & illi præsertim, qui cum ex denario diurno ad opera hæc, vel illa in Ecclesia præstanda cum eiusdem Ecclesiæ rectoribus conuenerint, ad illa etiam stricto iure tenentur, quales sunt omnes ministri earum, vt iam satis diximus. 18

Hi omnes tandem meminerint, scriptum esse Hier. 48. *Maledictus qui facit opus Domini fraudulenter*: Vel: *Qui facit opera Domini negligenter*, vt alij transferunt: Et quòd Aristides etiam hymno in Iouem docebat, *ignauiam in rebus diuinis esse nefariam*: & quòd præterea habemus de hoc ipso exemplum quodam satis verè memorandum, ac horrendum, de quodam nempe Ecclesiæ ministro, quem Idilio Demudacio ignis visum in Ecclesia combussit, quòd, nempe, faceret opus Dei fraudulenter, vel negligenter in ipsa Ecclesia: qui a verè iniq; nimis nefarium est: & quòd peius est, forte per ignem illum Ecclesiæ temporalem transiuit maledictus ad inferni ignem æternum, quod a nobis omnibus auertat Dnus. Amen. 19

SERMO TRIGESIMVS QVARTVS.

Pro Monialibus.

Ecce ego lactabo eam, & ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius. Oseæ cap. 2.

ARGVMENTVM.

Monasterium solitudo est, in quam puella Monachanda à Domino ducenda est: non autem à parentibus eius, vel ab alijs, neque à seipsa, prauo, scilicet, vel humano quocumque affectu: Ibi lacte Eucharistico illam specialius lactat idem Dominus, & ad cor eius loquitur, multipliciter illam instruendo, & consolando.

1 Erùm quidem est, dilectissimæ in Christo Matres, ac sorores, hæc diuini oraculi verba de Hebraico populo à multis interpretari, quòd, scilicet, Deus per Prophetam suum, post captiuitatem se eum liberaturum promittat, & ad propria ductum Palæstinæ loca: siue (secundùm alios) in Desertum, ibique varijs beneficijs, ac fauorib. eundem cumulaturum. Alij etiam eandem Dei promissionem Gentili populo factam intelligunt: ex illis enim quamplurimi ad Christum conuersi, varias petiere solitudines, in principio maximè nascentis Ecclesiæ, in quibus Deo vacantes, varijs similiter ab eodem fauoribus, ac spiritualibus consolationibus digni facti sunt.

Multi præterea hæc eadem Anachoretis, & omnibus solitariam vitam propter Christum ducentibus, assignant eisdem ferè rationibus. Tandem alij etiam, & recentiores præsertim hæc verba Religiosis vtriusque sexus accomodant, quòd ipso Domino docente, & inspirante, in claustri solitudinem ducantur, ibique in pœnitentia, & continuò virtutum exercitio idem famulantes, ab eodem vicissim specialibus beneficijs, & consolationibus frequentius ac delicatius nutriantur, & diuinis eiusdem allocutionibus in corde suo multipliciter illuminentur. Verùm, quæ Religiosis omnibus æquo iure conueniunt, Religiosis fœminis tantùm hoc loco adaptauimus, tùm quia in fœminino genere verba proponuntur, tùm etiam, quia de lactatione sunt, quæ sicut fœminarum propria est, sic de eadem tractatior, eisdē etiam naturaliter gratior est, & opportunior: Etsi corporalis lactatio à Religiosis fœminis sit prorsus aliena. Et præterea, quia hæc ipsa verba etiā ipsarum monialium propria magis videntur aliqua ratione, & ad easdem specialiter pertinere, vt ostendemus, dùm explicabimus distinctius, & clarius. Primò, quòd Deus, & non alius adolescentulas in Monasterij solitudinem ducit, in qua easdem lactet, & loquatur ad cor illarum. *Ducam eam in solitudinem.* Secundò, quòd ibididem Eucharistico lacte singulariter lactat illas, quæ propter ipsum, ex sancto castitatis voto filios lactare contemnunt: *Lactabo eam.* Tertiò, quòd ibi similiter easdem in corde alloquatur, multis eas modis illuminando, & consolando. *Et loquar ad cor eius.*

Notabilia valde sunt ista tria Dei ad fœminas promissa, admiranda, & insolita prorsus. Ideoque ad hæc omnia verbū demonstrandi. *Ecce*, præmittit idem Dominus, dicens. *Ecce ego lactabo eam, &c.* vt easdem Religiosas inprimis, & aliàs omnes cum illis excitet ad horum attentionem, ac diligentem considerationem: & proinde eadem de causa (vt puto) post ipsum aduerbium. *Ecce*, etiā prono- 2

pronomen: *ego*, immediatè ponitur, sine quo tamen nihilominus verborum horum sensus sufficienter percipi poterat. *Ecce ego lactabo eam*, ait &c. Ad omnia tria enim pariter eadem vox, *ego*, præmittenda intelligitur, quia idem Dominus, & lactat, & ducit, & loquitur ad Moniales; Nos ordinem, non scripturæ, sed temporis instituto nostro accomodatiorem in his tribus sequimur, ductum in solitudinem considerantes ante lactationem, & loquutionem, quicquid sit in alio sensu;

3 Notanter ergo primò ait Dominus de mulieribus, quæ in solitudinem ducendæ sunt, hoc est in Monasteria huius, vel illius Religionis, vel instituti, vt ibidem habitum, & vitam Religiosam assumant, *Ego ducam*. Et suppono primum id, quod etiam clarius postea demonstrabitur, nempe, quod Conuentus, siue Monasterium, per solitudinem, & per Desertum frequenter intelligitur in scripturis, & hoc loco præsertim. Hoc verò supposito tanquam certissimo, ac manifesto inter scripturarum studiosos, notent primò, & diligenter hoc Domini verbum puellæ illæ, & aliæ quæcumque, quæ ad hanc monasticã solitudinem ire volunt, quòd à Deo in illam ducendæ sunt: per seipsas enim in hanc solitudinem proficisci nequaquam debent, sed ab alio in illam ducendæ sunt, & non à quocunque, sed à solo Deo, ab eius, nempe, voluntate, & consilio, & Deo inprimis hoc eisdem dictante, & inspirante, non autem à seipsis, proprio, videlicet, iudicio solùm, aut prauo, vel humano aliquo affectu hoc eisdem suadente, vel (quod peius est) ad hoc ipsum trahente, vel etiam cogente, timore, nimirum, vel amore, odio, vel ira, vel alia quacumque mundana ratione, vel respectu.

4 Percipiunt me de ijs omnibus sufficienter puellæ Monachandæ, & Monachatę etiam, Idcirco non me magis explico. Pauca enim intelligenti. Verumtamen verba Domini, quæ notanda proponimus, & obseruanda ab adolescentulis Monachandis, multò magis notari cupimus, & rogamus quantum possumus ab adolescentularum parentibus, patribus, nempe, matribus, fratribus, sororibus, & alijs quibuscunque earundem cognatis, siue propinquis, tutoribus, vel earum quomodocumque curam gerentibus, ne, scilicet, id, quòd sibi soli reseruauit Deus, ijdem temerè, & iniustè nimis sibi vsurpantes; filiam vel propinquã, vel aliam quamcumquè quoquo modo inuitam, vel quacumq; de causa inhabilem ad Religiosam solitudinem ducere præsumãt, non secus ac si Deus ipsi essent, illud Dei proprium verbum vsurpatiuè, ac temerarie pronunciantes, & etiam implentes. *Ducam eam in solitudinem*. Verè enim quamplures sunt, qui ab ipsa filiarum pueritia, vel etiam à natiuitate, immo etiam aliquando ante natiuitatem, quòd peius est, intra se, & cum alijs, & maximè cum domesticis dicunt, Si fœmina mihi nascetur; vel si plures habuero filias: Vel ex his quasi iam habeo vnam, vel plures Monachas faciam, quod est. *Ducam eam*, vel *eas in solitudinem*: & idipsum insuper eidẽ puellæ ab ipsa similiter infantia insinuare, ac firmiter persuadere incipiunt varijs artibus, & modis, & etiam multis, & indignis valde, maxime cum iam in adulta sunt ætate, & facultates non supersunt, vel filiæ multæ sunt, vel turpes, aut infirmæ, aut natura debiles, siue aliàs ineptę matrimonio iudicantur ab eis, aut domui suæ quacunque de causa inutiles: Tunc, inquam, sæpe sæpius importunè nimis, & anxiè ad Monasticam solitudinem per se, & per alios eas hortantur, & quasi Deus essent, & non homo, pater, vel mater de filia, Patruus, vel auunculus, Amita, vel matertera de nepote, frater, vel soror de sorore, & alij de propinquis suis, vel de suæ curæ aliàs concreditis, simili modo (vt diximus) loquuntur, *Ducam eam in solitudinem*; & quod dicunt, etiam faciunt, quod valdè deterius ac detestabilius est,

Cùm tamen Dei solius proprium sit, eique tantùm conueniat in solitudinem Religiosã ducere tàm mulieres, quàm viros.

Vnde quod idem Deus, & Ecclesia instituit ad multorum filiorum salutem, & ad aliorum ædificationem, patres eorum abutuntur ad propriam damnationem, & eorundem filiorum suorum etiam aliquando.

Oseæ enim prophetia cap. 9. manifestè impletur in ductoribus istis, *Ephraim ad interfectorem educet filios suos*. Vel secundùm Græcorum translationem. *Ad interfectionem ducet filios suos*. Vel secundùm alios, *Ad bellum*. Videntur quidem hi parentes, & alij omnes, de quibus diximus, ducere filias suas ad salutẽ & ad Saluatorem Iesum Christum Dominum nostrum, dum, nimirum, easdem ducunt ad Monasticam solitudinem, in qua alij Christo seruiunt, vnde salus æterna eisdem prouenit, 5

at verè non ad salutem, & ad Saluatorem Christum, sed ad interfectionem, & ad interfectorem Diabolum ducunt, vel educunt eas, siue ad bellum saltē cum socijs &c. *Ephraim ad interfectorem, ad interfectionem, ad bellum ducet, educet filias suas:* Deo asserunt se obtulisse filias suas in monasterio, sed verius obtulerūt illas Demonio, in Inferno. Verissimè inquam, *Immolauerunt filios suos, & filias suas Demonijs, & non Deo.*

6 Certè Dominus Petrum alloquens de ijs, quæ propter ipsum, & Euangelij prædicationem passurus erat ab infidelibus, ac tyrannis, & specialiter de eius morte, quam eidem impius, ac sæuissimus Nero Imperator illaturus erat, dixit ei Ioan. 21. *Cùm esses iunior cingebas te, & ambulabas, vbi volebas: cùm autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet, quo tu non vis.*
Hoc quod dixit Dominus Petro, huic, vel illi puellæ verè dici potest, etsi alio sensu. Alius, inquam, & alienus ab ipsa, & ab ipso Deo etiam, & Dei, & eiusdem puellæ, pariter inimicus; (etsi pater eiusdem sit, vel aliàs propinquus, siue familiaris) cingit eam, primò & cingulo quidem forti & triplici, nimirum, funiculo, qui Salomone teste, difficile rumpitur: Et quodnam est hoc cingulum, siue funiculus triplex, qui difficile rumpitur, & cum quo parentes, & alij sæpe suas solent cingere filias, & sic cinctas, & inuitas ducere, vel etiam quasi trahere, quo non vellent, ad Monasterij nimirum, solitudinem?
Ecce funiculus blanditiarum, hic primus funiculus est, funiculus minarum secundus: Et tandem funiculus calamitatum variarum, & præsertim paupertatis tertius. His enim funiculis, vel aliquo eorum saltem persæpe pater, frater, Patruus auunculus, vel alius adolescentulam ducit quo non vult, scilicet, ad Religionem, ad se monachandam in hoc, vel in illo conuentu, & de hoc ipso se iactat, & illud Dei proprium (vt diximus) sacrilegè supra modum, inhumanè, ac impie sibi arrogat. *Ducam eam in solitudinem.* Et non solùm prorsus inuitas illas in huiusmodi solitudinem ducunt hac, vel illa ante, vel fraude, sed in eandem eas quasi portant, vt alia quoque horum verborum: *Ducet quo tu non vis,* translatio verificetur in illis, ista, nimirum. *Alius feret quo tu non vis.*

Quare ex his manifestum satis relinquitur, quam iustè, & veraciter huiusmodi ductores, siue portiores cū infidelibus comparauerim; eisdem illud tribuens de suis filijs, siue propinquis, quòd Dominus de infidelibus, Petro Apostolo suo, & Apostolorum Principi prædixit: *Alius cinget te, & ducet quo tu non vis.* Et Ecclesia enim huiusmodi ductores, tamquam infideles reputare videtur, nempe, eos excommunicando, hoc est à communione fidelium separādo, tamquam infideles à fidelibus, vt patet in Tridentina Synodo sess. 25. capite 18. De regularibus & Monialibus, his verbis. 7
Anathemati subijcit sancta Synodus omnes, & singulas personas cuiuscumque qualitatis, vel conditionis fuerint, tàm Clericos, quàm Laicos seculares, vel Regulares, atque etiam qualibet dignitate fulgentes, si quomodocumque coegerint aliquam Virginem, vel Viduam, aut aliam quamcumque mulierem inuitam, præterquam in casibus in Iure expressis, ad ingrediendum Monasterium; vel ad suscipiendum habitum cuiuscumque Religionis, vel ad emittendam professionem, quique consiliū, auxiliū, vel fauorem dederint, etc. Et hæc poena ducentium ad solitudinem mulieres illas, quæ ad Monasterij solitudinem ire nolent, sed potius ad sponsi habitationem, aut in parentum domo remanere in Virginitate, vel castitate viuendo.

Sed parum adhuc dixi, parentes, & alios huiuscemodi Virginum malos ductores infideles solùm nominando: sunt ipsis infidelib. deteriores: Tyranni sunt: Nerones sunt: sic fari concedatur: Quin potius, ipsis sunt etiam Tyrannis inhumaniores: ipso sunt Nerone crudeliores & impiores: Ex Euangelio ipso hoc manifestè probatur, nempe, ex eisdē Domini verbis ad Petrum iam relatis. 8
Cum esses iunior (ait illi) cingebas te, & ambulabas vbi volebas, cum autem senueris, extendes manus tuas, & alius cinget te, & ducet, quo tu non vis. Ergo in iuuentute sua à seipso cingebatur Petrus non ab alio, sed solùm in senectute sua alius eundem cincturus erat, & quo nollet eum ducturus: Sed Christiani Tyrannorum, impietatem, & sæuitiā superantes, filias proprias, vel propinquas ab ipsa iuuentute, immo & ab ipsa pueritia cingere incipiunt triplici illo cingulo siue funiculo læthali prorsus,

ae diabolico, de quo iam diximus, & non semel, vel pro illo tantum tempore cingunt illas, vt Nero Petrum: Sed septies in die laudem dicunt ei, & sæpsidem simul de ipsa monachali solitudine, & statu, sicq; peccatores expugnantes eas à iuuentute sua, & semel cingentes, vel etiam à pueritia, verè semper, & id semper, nempe, pro tota vita, vsque in senectam & senium, & mortem, triplici alio vinculo, trium, videlicet, votorum, & monasterij murorum, illas cinxisse asserendum est, nam in eisdem cinctorijs, siue cingulis vsque ad mortem, velint, nolint, permanere coguntur. Vnde manifestè ipsis tyrannis, tyranniores (vt ita dicamus) ac immaniores, ex eorum actibus conuincuntur.

9 Sed ne ex hac mea sententia grauamen aliquod forsasse prætendant huiusmodi puellarū ductores in eq; illam sententia D. Pauli confirmemus, a qua nulla ratione poterunt apellare, vel declinare. Registrata est autem in prima eiusdem epistola ad Timotheum capite quinto. Audiant illam. *Si quis autem suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior*: Est ergo etiā ex sententia Apostoli infideli deterior, qui curam non habet suorum, sibi, scilicet, attinentium quocumque modo, sicut exponit Liranus: Et intelligitur hęc cura circa salutem tam corporis, quam animæ eorum ex communi Sanctorum Patrum doctrina. Et hanc curam illi maxime habere debent domesticorum, hoc est eorum, qui filij sunt domus, sicut alij hæc verba transferunt. Ideo verò secundum Interlinealem glossam dicitur infideli deterior, qui suorum, & maximè domesticorum curam non habet, quia hic nondum veritatem nouit, vel promisit: Vel secundum alios: Quia etiam infideles solo naturali instinctu, ac pietate, suos, & maximè domesticos diligunt, eorumque saluti inuigilant, quod non præstant fideles multi nouissimæ nostræ ætatis, qui non solum instinctu naturæ, sed insuper lumine fidei, hoc ipsum edocentur, ideoque in veritate infidelibus deteriores vocantur. Hinc & Lyranus sic ista explicat: *Est infideli deterior: idest, in hoc grauius peccat, quam paganus fidem Christi non habens, nam quantò status est altior, tanto casus est grauior.*

10 Non solum autem infideli deterior est, qui curam non habet suorum, & maximè domesticorum, sed insuper fidem negauit. *Fidem negauit*, inquit Paulus primò, & postea addit: *Et est infideli deterior*: fidem negauit operibus & si non verbis, vt Patres explicant: & ratio in promptu est, quia Deus, & fides ipsa in scripturis præsertim nobis curam nostrorum, & maximè domesticorum satis manifeste, ac districtè imponunt. Verùm *obliti sumus propositum nostrum* (sic & S. Chrisostomus homil. de Natiuit. Domini) *plus diximus, quam cogitaueramus aliud mens disputauit, ad aliud lingua prolapsa est.* De hoc tamen non doleo, sed gaudeo: quia etsi hoc non postulet institutum meum, hoc tamen requirit abusus aliorum: & sicut non caruit occasione certissimè, sic fortè non carebit fructu: Itaque in monasterij solitudinem iam reuertamur, ad quam moniales ducit Dominus: & verba eius de hoc ipso illis repetamus. *Ducam eam in solitudinem*, vt postea ad Eucharistiæ tractatum ipsum sermonem conuertamus: Hæc diligenter, & continò quæso, considerent tàm monachandæ, quàm iam monachatæ mulieres, & proinde tales etiam se exibere semper studeant, quales exigit, & nomen suum, & nomen loci, in quo a Domino ductæ sunt, & status earum pariter, quem ibidem profitentur, quæ sicut vnum, & idem sunt, vel ab eodem saltem deriuant, sic vnum & idem eisdem monialibus indicant, quid nimirum illæ esse, & quid etiam præstare teneātur: Hæc vero diximus primò ex D. Isidoro in suo libro de orig. siue ethim. *Monachus* (ait) *greca ethimologia vocatur, eo quòd sit singularis: monas enim greca, singularitas dicitur: ergo si solitarius interpratatur vocabulum Monachi, quid facit in turba, qui solus est?* Sic Isidorus: Quod verò de Monacho dicit, procul dubio de Monacha, siue Moniali multò magis dicendum est.

A greca voce, ergo *Monas*, quæ singulari- 11
tatem, siue solum, vel solitudinem significat, nomen Monachi, & Monachæ similiter descēdit: Et nomen Monasterij similiter, in quo sunt Monachi, vel Monachæ, siue Moniales. Idcirco insuper rectè per solitudinem, quæ a voce *solus* descendit, ipsum Monasterium Monachorum, siuè Monialium intelligi iam ab initio supposuimus, & hoc loco clarius explicandum, vt explicamus: Et quòd de solitudine dicitur, etiam de deserto eadem ratione dicendum est: & sicut insuper pro eodem communiter sumuntur solitudo, & de-

sertum, sic Monasterium, & conuentus quicunque virorum, vel mulierum, desertum, & solitudo mystica nuncupatione vocatur, ideo que de Monialibus, & eorum monasterijs rectè hæc verba intellexinius. *Ducam eam in solitudinem.*

13 Quare dum Moniali cuilibet illa repetimus, tacite etiam illud Hieronymi eidem prædicamus. *Agnosce Virgo statum tuum, agnosce locum, agnosce propositum: Christi sponsa diceris; Vide, ne indignum es, cui desponsata diceris, admittas;* Cum ergo & status, & locus & propositum, & insuper nomẽ ipsum, *Monacha* s. sive *Moniales* sicut & nomen *Monasterij* solitudinem significent, sola, quantum potest esse debet in solitudine monasterij monacha, & solo Deo contenta, ne quid admittat (vt ait Hieron.) quòd eidem sponso suo Christo sit indignum, *Cum quo enim Deus est* (inquit D. Bernardus in tractatu de vita solitaria ad fratres de monte Dei.) *nunquam minus solus est, quam cum solus.* Ideo idem Bernardus in cantic. Sanctam animam quamlibet sic alloquitur. *O sancta anima, sola esto, vt soli omnium serues te ipsam, quem ex omnibus tibi elegisti. fuge publicum, fuge & ipsos domesticos.* Quæ verba religiosis omnibus, vtriusque sexus præsertim sunt intimanda, sicut alia pariter eiusdem Bernardi ad illlas potissimum monachas dirigimus, quæ solo nomine momachæ sunt, hoc est solitariæ, re vera autem, non monachæ, siue moniales, quia nec solitariæ, sed solitudinis inimicæ, & societatis, consortij, & colloquij parentum, familiarium, & aliorum amicissimæ, vanæ prorsus, & curiosæ: loquaces, & garrulæ nimis, Audiant hæ non me solum, sed eundem simul Sãctum Bernardum. *Quid facis* (inquit ille ad sororem scribens de modo bene viuendi) *vxor viri cum sponsa Christi? Quid fœmina, quæ mundum diligit cum fœmina quæ mundum reliquit? caue soror, ne dum delectaris audire delectamenta terrena, à recto itinere auertaris,* Sic ille: & iterum ad eandem. *Risus, & ioci inutiles Conscientiam vanam ostendunt sanctimonialis fœminæ; Miror quare illa quærit iocos, & risus, quæ ideo venit ad monasterium, vt pro peccatis suis lacrymas funderet,* Et iterum tandem idem in Epist. 114. ad quandam Sanctimonialẽ. *Et quid enim hactenus nomine sanctimonialis vocitata es, quæ sub sanctitatis nomine, non tamen sanctè conuersata es: Cur velum in capite metiebatur reuerentiam, & sub velo petulans oculus exibebat impudentiam: caput siquidem gerebat velatum, sed elatum: sub signo verecunda sermo resonabat inuerecundus. Risus immoderatior, incessus lasciuior; vestitus ornatior; vni inflata magis, quam velata congruerent.*

14 O quot monialibus hac tempestate miseræ iuste nimis, ac veraciter hæc obijci possunt; ideo omittere non potui opportunè, siuè importunè: Immo & pro complemento, similia verba ex Cypriano verbis Bernardi adiungo, quæ scribit ille. De Disciplina, & habitu Virginum, Virginem Monialem alloquens. *Non computari tam poteris inter puellas, & Virgines Christi, quæ sic viuis, vt possis ab omnibus adamari.* Et tandem postquam audierunt, a quibus cauere debent, moniales, audiant simul quæ sequi teneantur, & hoc ex D. Anast. in quodam sermone. *In monasterio posita non otio torpescant, non detractionibus, non obscenis confabulationibus incumbant: sed aut psalmorum modulationibus, aut manuum operationibus insistant, aut certè diuinis lectionibus aurem accomodent:* Hæc S. Anastasius Et hæc sunt propria Monialium exercitia, de quibus Dominus, *Ducam eam in solitudinem.*

Hoc ergo frequenter hodie ad illa re- 15
petimus, quia hoc ipsum etiam frequenter reperimus scriptum, vt frequenter simul ad memoriam illis, & alijs reuocetur. Deut. nu. 31. .n. sic legimus *Dominus Deus tuus ipse est ductor tuus.* Et Isaias 61. sic pariter: *Spiritus Domini ductor eius fuit:* Item in Euangelio apud Matthæum cap. 4. *Ductus est Iesus in Desertum a spiritu:* & tandem Deut. 8. cap. iterum de Domino dicitur ad Hebræicam gentem. *Ductor tuus fuit in solitudine:* sicut rursus de eadem pro figura monialis cuiuscunq; *Ecce ego ducam eam in solitudinem.*

Verùm jam tandem ad vlteriora nostri 16
sermonis, quæ ab initio indicauimus, procedamus ad Eucharistiã, nempe cuius occasione solum omnia hæc scripsimus, saluti ipsarum puellarum, & suorum etiam, consulentes, & propter hoc etiam legentium censuras quascunque, vel notas, siue repræhensiones non curantes. Sic cum scriptura ergo iterum dicamus. *Lactabo eam, & ducam eam in solitudinem;* Sic Oseæ textus a nobis assumptus: In præcitato loco etiam Deut. post illa verba: *Ductor tuus fuit in solitudine,* paucis quibusdam inter-

positis hæc habentur: *Cibauit te manna in solitudine*, solitudo, siue desertum, quod idem (vt dixi) significat, locus est cibo, ac potu hominum ordinario carens, & omnibus etiam ad hominum vitam necessarijs. Proinde Iob. cap. 30. quosdam in solitudine consistentes, vocat: *egestate, & fame steriles, qui rodebant in solitudine squallentes calamitate, & miseria, & mandebant herbas, & arborum cortices, & radix iuniperorum erat cibus eorum:* Hinc & increduli illi Hebrei in Psal. 77. *male locuti sunt de Deo dixerunt. Numquid poterit Deus parare mensam in deserto:* Et iterum: *Numquid & panem poterit dare, aut parare mensam populo suo?* Hinc & ipsidem Domini Discipuli, vel patrum suorum incredulitate aliqua ex parte laborantes, erga ipsum Dominum præceptorem suum, Vel quòd eiusdem diuinitatem, & potentiam omnino adhuc non agnoscerent, vel alia quauis de causa, cum idem Christus de pascenda numerosa illa turba, quæ secum erat in solitudine, ad eosdem verba faceret, responderunt ei: *Vnde illos quis poterit saturare panibus in solitudine?* Propter hoc dico, ne quisquam fortè suspicaretur, quòd monialialis, quã Dominus in Monasterij solitudinem se ducturum promittit, in eadem forte non esset inuentura necessarium pro sui sustentatione cibum; cum de illa ducenda illuc loquitur, etiam de illa lactanda sermonem habet, & ad omnem tollendam, immo & præueniendam de hoc dubietatem, prius de ea lactanda, quam de ipsa in solitudinem ducenda idem ibidem loquitur, vt illa ibi lac inueniat, & ab illo, quæ ibidem, & propter illum lac contempsit, vt ibidem, a Christo lacte suo diuino suauius, & abundantius lactetur, scilicet, Eucharistia, illa, inquã, quæ propter Christum, humano suo lacte filios lactare contempsit. De vnaquaque, enim illarum Christus ait. *Lactabo eam, & ducam eam in solitudinem.* Vnde etiam quia Eucharisticum lac istud per manna significatur, ideo & in Deut. primò ductus Israelitici populi in solitudinem commemoratur, & postea statim manna eiusdem cibus recensetur hoc modo: *Ductor tuus fuit in solitudinem.* Et deinde paulo inferius. *Cibauit te manna in solitudine.*

16 Nec dubium est, nec nouum quod asserimus, nempe, quòd Dominus mulierem in solitudinem ducat, & quòd ibidem pascat eam, sed certum omnino, & antiquum: quia in ipsis scripturis vtrumque, & simul iunctum et expresse legimus, scilicet. Apoc. 12. cap. sic enim ibi legitur. *Mulier fugit in solitudinem, vbi habebat locum paratum à Deo, vt ibi pascat eam:* Et quid clarius pro nobis, & ad rem nostram magis? Et nonne idem ferè cum his, quæ vsque modo, ex Oseæ prophetia. *Ecce ego lactabo eam, & ducam eam in solitudinem*, de Moniali explicanda suscepimus? Nec obijciat aliquis, quòd apud in Oseã dicatur, quòd ipse Dominus ducat huiusmodi mulierem in solitudinem. *Ducam eam in solitudinem:* in Apocalypsi verò, quòd *mulier fugit in solitudinem:* sufficit enim id, quod in eodem Apocalypsis textu, quem iam retulimus habetur, nempe, quod hæc mulier in eadem solitudine locum paratum à Deo habebat: *Mulier* (inquit) *fugit in solitudinem, vbi habebat locum paratum a Deo:* fugit enim in solitudinẽ, sed non voluntate propria, vel contra Dei voluntatem, sed potius vt Dei voluntati pareret, qui ad eandem solitudinem illam ire volebat, ad eandem vocabat, & in eadem illam expectabat: quia ibidem etiam locum illi parauerat: & hoc ipsum illa nouerat, sicut nouerat insuper, quòd ideo hunc sibi locum parauerat in solitudine, ad quam fugiebat, vt ibidem illam pasceret. *Mulier fugit in solitudinem* (inquit scriptura) *vbi habebat locum paratum à Deo, vt ibi pascat eam.*

Verùm nos modo non tantùm puellæ du- 17
ctum in Monasterij solitudinem, quæ à Deo fit, & cibum ab eo illi paratum narramus, sed explicamus etiam, quisnam sit iste cibus, quod tamen de cibo alterius mulieris siletur: *Vt ibi pascat eam*, dicitur de illa. & nihil aliud: de nostra verò dicit idem Dominus, lac esse cibum istum: *Lactabo eam* (inquit) *& ducam eam in solitudinem:* lac, nempe Eucharisticum, de quo ipsemet testatur: *Caro mea verè est cibus.* Vnde ad hoc ipsum præsignandum, cum Hebraico populo prius dixisset Moyses de eodẽ Domino, vt iam retulimus. *Ductor tuus fuit in solitudinem*, ferè statim subiunxit. *Cibauit te manna in solitudine.* Nam quod modo lac prædicamus, Eucharistiam, videlicet, manna absconditum pariter ab Ecclesia nuncupatur in eiusdem Eucharistiæ festo. *Vincenti dabo mãna absconditum.* Vnde & Rufinus verba hæc nostra, *Lactabo eam, & ducam eam in solitudinem*, cum alijs de Hebreis literaliter sic interpretatur: *Dabo manna Hebreis in Deserto.*

18 Sicut autem de manna antiquo Hebreorum literaliter hæc exponuntur: Sic etiam de māna nouo christianorum mysticè declarant alij, & inter neotericos Cornelius a Lapide: Et manna quidem lac dicitur præsertim, quia lacti erat simile in colore, & sapore: Eucharistia verò hoc loco dicitur lac; quo Deus nos omnes in huius mundi magna solitudine lactat, & Religiosos maximè vtriusque sexus in solitudine monasterij frequentius, suauius, ac fructuosius, & hoc alia ratione speciali, quam comentator S. Clem. Alex. in primum pedagogum, cap. 6. his verbis exprimit. *Quòd autem Christi carnem, & sanguinem lac appellet, non est mirum: nam (vt diximus superius) & caro est sanguis condensatus, & lac est sanguinis essentia.* Verba verò eiusdem S. Clementis, quæ ille commemorat, ista sunt, quæ etiam ad maiorem rei euidentiam cum nonnullis alijs operepretium duxi hic similiter referre. *Caro enim (inquit Clemens) nihil aliud est, quam sanguis condensatus; vt vult Aristoteles: & ipsius carnis id quod est humidius, est sanguis: est quadam caro humida, & sanguinis id quod est suauius, & subtilius, est lac: vnde & Cheremon apud Diuum Hieronymum scribit veteres Ægyptiorum Sacerdotes abstinuisse ab ouis & lacte: ab ouis quidem, quòd sunt carnes liquida, a lacte, quòd sit sanguis.*

19 Et non solum his de causis Eucharistia lac dicitur, sed iisdem etiam ferme rationibus, quibus alij (vt iterū diximus) et manna expressissimum Eucharistiæ symbolum lac similiter dicunt; nempe quòd imitetur lac in sapore, & colore: Hanc enim quidam ex recentioribus rationem afferunt, cur etiam verba illa D. Petri 1. cap. 2. *Sicut modo geniti infantes rationabiles sine dolo lac concupiscite*, de eadem Eucharistia intelligant, & idem Cornelius præsertim vt probet hoc, inter alia, sic habet *Quia Eucharistia quoad species, habet lactis colorem: Videtur enim hostia lactea. Quoad saporem dulcissima est vt lac, quo ad vim nutriendi, summè animas pascit, & roborat.*

20 His alijsque rationibus, & congruentijs, quas, vt nimiam prolixitatem, & tædium legentium caueamus, consultò omittimus. Non solum prænarrati patres appellant Eucharistiam lac, qua ipsum Deum fidelem animam in Ecclesiæ suæ solitudinem ductam lactare dicunt, vt olim Hebreos in solitudine alia manna lactauit quadraginta annis, sed Sanctus Augustinus signanter in psal. 33. Eucharistiam mensam lactis, vel lactescentem mensam expressè nominat vt alias ostendimus: Diuus etiam Chrisost. Dominum nostrum Iesum Christum, ratione Eucharistiæ, qua nos sic lactat, matri filium lactanti comparat, inquiens. *Matres multæ sunt, quæ post partus dolores, filios alijs tradant nutricibus: hoc autem ipse non est passus, sed ipse nos proprio sanguine pascit, & per omnia nos sibi coagmentat.* Quid plura? Idem Christus ab antiquis diebus ore proprio hoc ipsum nobis promisit Isa. vlt. Sic enim primò dicit ibidem. *Quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos, & in Ierusalem consolabimini.* Matrem ergo se facturum primis, & blanditias ac consolationem fidelibus quasi filijs dilectis pollicetur, & hoc in Ecclesia, quæ per Ierusalem intelligitur: quænam sunt verò hæ consolationes, ac blandimenta, ibidem similiter declarat dicens. *Ad vbera portabimini, & super genua blandientur vobis.*

Et ne quis forsasse diceret: portantur aliquando filij a matribus ad vbera, scilicet, in loco vberum, qui est sinus earum, attamen non lactantur tunc tempore, nec sugunt ab vberibus suis lac, vel quia hoc nolunt, matres, vel filij, vel quia non est in vberibus lac, vel parum saltem: vnde vel nihil sugunt ex vberibus, vel modicum saltem: & si ad ipsa vbera pro lactatione portentur. Hæc omnia excluduntur simul: primò quidem, quia ad vbera portari, idem significat, quod lactari, aut saltem hoc includit, vel supponit: deinde, quia ipsa scriptura ibidem nos ideo ad vbera portandos prædicit, vt ab eisdem vberibus lac sugamus, & eodem lacte etiam repleamur ad satietatem. *Ad vbera portabimini*, inquit: & ad quid? vel propter quid? *Vt sugatis* (ait ibidem) *& repleamini ab vbere consolationis eius.* Sic vulgata lectio: *Vt sugatis, & saturemini ab vbere consolationum eius.* Sic Pagninus, & Vatablus ex Hebrea. Si ergo mater Christus est, & si vt mater ad vbera portat nos filios suos, & lacte Eucharistico nos lactat, & hoc vsque ad repletionem, ac saturitatem, rectissimè id ipsum multò magis fatendum est de religiosa filia, quam ex singulari amore, quo eam Deus prosequitur, ad solitudinem religionis ducit, & ibidem sæpius, ac vtilius eandem lactare desiderat: Vnde fatetur primò. *Ducam eam in solitudinem*, & secundò addit, *Lactabo eam*, & tertiò ad exprimendum huius lactationis suauitatem, ac fructum, etiā

subdit

subdit: *Et ibi loquar ad cor eius*: De qua locutione postea.

22 Hac eadem de causa, quia nempe Eucharistia, lac mysticum est, sicut matri comparatur idem Christus, & verè matrem idem se nominat in scripturis, sic pariter ipsi fideles, qui hoc diuino lacte ab eodem lactari digni facti sunt, pueris lactentibus assimilantur, & pueri etiam vocantur, & ab ipsa scriptura iam citata, & à Patribus. *Quasi modo geniti infantes* (dicebat nunc S. Petrus de illa) *rationabiles sine dolo lac concupiscite*, quod alias fusius pertractamus; *Et* Chrisost. *Nonne videtis* (inquit eandem lactis, & paruulorum comparationem sequens) *quanta promptitudine paruuli papillas capiunt, & quanto impetu labia vberibus infigunt?* deinde similitudinem applicando sic concludit: *Accedamus nos quoque cum tanta alacritate ad hanc mensam, & ad vbera poculi spiritalis, quinimmo cum longe maiori trahamus, tanquam infantes lactanti spiritus gratiam, & vnus sit nobis dolor hac mensa priuari.*

23 Quia singularis verè est gratia, maximumque, ac ingens omnino beneficium, quòd ad libitum possint semper fideles hæc duo Ecclesiæ vbera sugere Christi corporis, ac sanguinis: Vnde idem Dominus signanter hoc ipsum exageratione quadam magna eorumdem vberum ab antiquissimis temporibus eisdem repromisit, & notanter in Isaia 60. c. dicẽs. *Sugens lac gentium, & mammilla regum lactaberis: & scies, quia ego Dominus saluans te, & redemptor tuus.* Hæc enim, verba Domini sunt ad fidelem quemlibet: *Sugens lac gentium*: ait lac non in communi sugendum promittitur; ne de materiali lacte hoc intelligendum putaretur, sed *lac gentium*, lac quo gentes, idest omnes gentes (non verò hæc vel illa gens solum) lactandæ erant, & omnibus diebus vsque ad consumationem sæculi, & cum omnibus gentibus omnino, etiam ipsarum gentium omnes reges, quia lac excellentissimum est, nobilissimum, & prætiosissimum omnino, ac suauissimum, lac inquam humanum quidem, sed et diuinum simul, quia corpus, & sanguis est Iesu Christi, qui sicut filius est Mariæ Virginis, sic etiam filius est Dei: Idcirco notanter in prophetia dicitur primò pro gentibus: *Suges lac gentium*, deinde pro regibus gentium subditur: *Et mammilla regum lactaberis*, & tertiò pro Christo, qui lac illud, & mammilla simul est, vt in alio sermone clarius explicamus, protinus additur, *& scies, quia ego Dominus saluans te, & Redemptor tuus*, quia fide certa cognoscimus quòd dum lac illud Eucharisticum sugimus, & hac ipsa mammilla lactamur, idem Christus Dominus à nobis sumitur Saluator, & Redemptor noster: Qui etiam, quando per passionem, & mortem suam nos saluauit, & redemit, Eucharistiam instituens, hoc modo de se ipso lactare nos cœpit, quod per Isaiam iam promiserat: *Sugens lac gentium, & mammilla regum lactaberis*, & per Oseam etiam. *Ego lactabo eam*,

Hinc est quod de Ecclesia sponsa sua loquens, cui hæc ipsa duo corporis, & sanguinis sui vbera in Sacramento tradidit pro filiorum suorum, omnium nempe fidelium lactatione, sic olim dolens conquærebatur cant. vlt. *Soror nostra paruula, & vbera non habet: Quid faciemus sorori nostræ, quando aloquenda est?* Vel Hebrea phrasi: *In die, qua fiet sermo de ea?* Paruula siquidem erat omnino Ecclesia olim, quia in paruulo tantum Hebraico populo dilatata; Tunc enim, *Notus in Iudea Deus* tantum, & solum *In Israel magnum nomen eius*. Vbera Eucharistica, nempe corpus & sanguinem Christi sub duplici specie, tunc non habebat, quia nondum ipsa Eucharistia, ab eo instituta erat. *Ideo* interrogant Pater, filius, & Spiritus Sanctus simul. *Quid faciemus Sorori nostræ, quando alloquenda est? In die, quando fiet sermo de ea? Vel cum ea?* vt placet Pagnino quando, nimirum sermo de ea fiet, & cum ea, de ea nubenda, & iungenda Christo in sponsam: quia certè puellæ vbera non habentes tumentia, sponsis aptæ non reputantur, nec eisdem placent, quia nec ad gignendos, & lactandos filios estimantur idoneæ: Vnde verecundantur propinqui, & amici, qui de ilis, cum eis, & cum alijs, potissimum de eis desponsandis: Ecclesia autem desponsanda erat summo sponso, eidem, videlicet Dei filio, & filios penè innumerabiles eidem paritura erat, & lactatura; Sed vbera non habebat, & paruula adhuc erat; propter hoc, duo eidem vbera dedit idem sponsus eius Christus sui corporis, & sanguinis, quibus cunctos filios suos continuè vsque ad mundi finem lactaret, sicut etiam ex paruula grandem, immo maximam statim reddidit, per totum mundum longe, lateque diffundens eam. Quare cum eisdem vberibus ab antiquis etiam diebus eam præuidens, & in eis 24

supra modum delectatus, ipsa etiam, exclamans præ gaudio, commendauit: Et insuper eandem Sororem, & sponsam suam simul vocat, ad illam dicens cap. 4. *Quam pulchræ sunt mammæ tuæ, soror mea sponsa*, sicut sororem solum simul cum Patre, & Spiritu Sancto prius illà vocauerat, dum eamdem vbera non habentem viderat: *Soror nostra parua vbera non habet*: Hinc rursus ad eandem de eisdem Eucharisticis vberibus cap. 1. *Pulchriora sunt vbera tua vino*. Vinum quidem in se continere videntur hæc Ecclesiæ sponsæ suæ vbera; sed verè vinum non est in illis id, quòd tamen vinum apparet; sed est Christi sanguis in eis sub vini apparentia, ipso vino incorporabiliter pulcrior; ac melior, & quibuscumque etiam mundi totius bonis, ac pulchris, & quomodocunq; delectabilibus.

25 Et confirmantur hæc omnia ex his, quæ scripserunt idem D. Clemens, & eius expositor in allegato loco. Verba Clementis ista sunt. *O myraculum mysticum: Vnus quidem est vniuersorum pater: Vnum est etiam verbum vniuersorum, & Spiritus Sanctus vnus, & ipse est vbique: Vna autem sola est mater Virgo: mihi autem placet eam vocare Ecclesiam: lac non habuit mater hæc sola, quoniam sola non fuit mulier: Virgo est autem simul & mater, integra quidem, & inuiolata vt Virgo, amans autem vt mater: & suos accersens infantulos, sancto lacte, nempe verbo infantili enutrit: Ideo autem lac non habuit, quòd lac esset hic infantulus pulcher, & appositus, scilicet corpus Christi*.

26 Hic est Sancti Doctoris textus: Hæc verò commentatoris sui glossa: *Meritò exclamat Clemens: O miraculum mysticum: sunt enim omnia, quæ hic dicit mirabilia, & stupēda, & planè arcana, vt quæ sola fide sint cognita fidelibus: Vnus Pater, vnus Filius, vnus Spiritus Sanctus, vna Ecclesia quæ est mater, & Virgo: Ea, vt quæ sit Virgo non mulier: est enim Sancta; & incorrupta, lac non habet. Accersit tamen nouum populum, vt eum lacte alat: lac autem, quo eum alit, est ipsum Christi corpus, & Christi sanguis, quem licet in mysterio, veruntamen verè bibit: & est hoc lac, quo alitur, totus Christus siue comedatur, siue bibatur. Quod si corpore, & sanguine Christi alitur, verbo quoque alatur, necesse est: a carne enim Christi, & sanguine non potest verbū separari*. Et quid ad rem magis verborum, quæ de Christo Domino, & de religiosa muliere prædicamus, *lactabo eam*?

Monialibus ergo (vt ad illas iam iterum reuertamur) hæc quæ de Eucharistia omnibus fidelibus sunt communia, specialiter tribuuntur, illasque singulariter Dominus se lactaturum suo Eucharistico lacte promittit, vt sæpe explicauimus; quia mundanarum consolationum dulcedinem pro eius amore refugiunt in perpetuum, per monasterij perpetuam solitudinem, in quam ab eodem ducuntur. In mundo enim vt dicitur in Prouerbijs capit. 16. *Vir iniquus lactat amicum suum, & ducit eum per viam non bonam*: In monasterio verò vir Sanctissimus, cum quo est Deus, & qui verè est homo, & Deus Iesus Christus Dominus noster Eucharistico lacte lactat amicam suam religiosam, & ducit eam per viam bonam mandatorum, & consiliorum suorum, sicut eandem etiam in ipsum ducit conuentum, quem modo solitudinem appellat, vt in eo sic pascat eam, sicut antea promiserat dicens: *Ego lactabo eam, & ducam eam in solitudinem*, quod signanter cum quadam moniali, beata nempe Veronica Mediolani, in conuentu S. Marthæ adimpleuit: particulam enim Eucharistiæ de patena celebrantis acceptam aliquando in os eius immisit, dicens illi: *Accipe filia mea corpus meū*: Sicque verbum suum in ea compleuit: *Ego lactabo eam*.

Verum contrariari videntur aliæ horum verborum translationes his omnibus, quæ pro illorum explicatione hactenus congessimus. 26
Quod enim in nostra vulgata habemus *lactabo eam*, in Hebrea legimus: *Seducam eam*; in septuaginta verò interpretibus ex Greca: *Seduco eam*: In Syriaca autem: *Decipiam eam*: Et in Arrabica tandem: *Errare faciam eam*: Quid est hoc Matres? ergo Dominus decipit? ergo Dominus seducit? Dominus errare facit? & Dominus, qui vos lactat; & quando vos corpore, & sanguine suo in Eucharistia vos lactat, tunc idem simul, & semel etiam decipit? tunc vos seducit? tunc vos errare facit? In eo enim vnum & idem videtur vos lactare, quod vos seducere, vos decipere, vos errare facere: *Lactabo eam*, (inquit) id est *seducam*, vel *seducam eam, decipiam eam*. Quid est hoc Matres? Quid est hoc sorores? Verissimi sunt omnes sermones isti, & non est in eis prauum quid, neque peruersum, & nulla prorsus repugnantia vel contrarietas. Vnde super his turbari non debetis, vel admirari: nec modicum

etiam

etiam sed potius lætari multum, & consolari, & in fide eorum omnium, quæ de Eucharistia traduntur, magis, magisq; confirmari: sensus enim est, non intellectus, qui in hoc lacte Eucharistico decipitur: nam id esse reputat, quod apparet, panis, nempe, & vinum, non quod vere non est, sed aliud ab eo omnino diversum, corpus, nimirum, & sanguis Christi: ideoque decipitur, & nos etiam, qui eo lactamur, decipimur, sed in sensu solum, non verò in intellectu. Idcirco ipsa veritas, quæ de religiosa muliere respectu Eucharistiæ asseuerat *lactabo eam*, de ipsa etiam affirmat. *Seducam eam, decipiam eam, errare faciam eam*.

29 Quomodo verò, & qua de causa contingat hæc seductio, ista deceptio, & huiusmodi error, clarè explicauit inter alios D. Hieron. statim moriturus, & lac ipsum Eucharisticũ sumpturus: Ad ipsum enim exclamans, hæc (inter alia) protulit: *O humanorum illusio sensuum*: sensuum humanorum illusionem vocauit sanctus Hieronymus Eucharistiam: Quare hæc verba eius non immerito glossam appellabimus verborum Dei de eadam: Ait Dominus *lactabo eam*, idest, *seducam eam, decipiam eam, errare faciam eam*, nempe religiosam mulierẽ lacte Eucharistico lactando eam, sed quo ad sensum tantumodo illam seducam, decipiam errare faciam: nullo modo vero quo ad intellectum, quia ipsa Eucharistia est *sensuum humanorum illusio*: Secundum Hieronymũ. Quia & si circa illam sensus deficiat, de eadem tamen fides intellectum confirmat. Vnde idem Hieronymus statim, hanc sensuum nostrorum illusionem, siue deceptionem, vel seductionem, aut errorem magis explicando, addit: *Franguntur illa, quæ humanis sensibus in te videntur accidentia, & tamen nec frangeris, nec corrumperis. Te dentes videntur masticare, velut materialem panem, & tamen nunquam masticaris*. Quibus consentanea valde scripsit S. Cyp. de Cœna Domini: *Æqua omnibus portio datur* (inquit) *integer erogatur, distributus non dimembratur; incorporatur, non iniuriatur, recipitur, non includitur*: Hinc rursus idem Hieronymus ante prædicta de illusione humanorum sensuum in communi, sic ad eandem Eucharistiam exclamar, ad eosdem sensus singillatim descendens: *O ineffabilis admiratio: O omnium nouitatum nouitas: oculi in te vident albedinem, saporem sentit gustus, odorem olfactus; tactusque subtilitatem reperit: sed auditus corãi repræsentat, in te illa non fore accidentia: Hinc per se sola existunt accidentia sine subiecto: quia non ut humanis videtur sensibus, panis est: sed Iesus Christus integer, sicut in cœlo ad Patris dexteram residẽs Deus, & homo*. Sic declarat Hieronymus magis quod dixerat, illusionem sensuum humanorum nominando Eucharistiam: Et ex hoc ipso similiter illud, quod de eadem dixit Dominus: *Decipiam eam, &c.*

Verumtamen sic accipiendum est hoc, 30
quòd de sensuum nostrorum deceptione asseratur circa Eucharistiam, ut decipiantur quidem per se soli, & sibi ipsis relicti, & proprio iudicio, æstimantes accidentia illa, quæ percipiunt, in proprio subiecto esse, in substantia, videlicet, panis, & vini. Vnde eorum quilibet ad Dominum dicentem sibi cum Osea. *Seducam eum*, vel *decipiam eum*: respondet Domino cum Ieremia: *Seduxisti me Domine, & seductus sum*, & secundum septuaginta. *Decepisti me Domine, & deceptus sum*: quia *sensus de accidentibus iudicant sibi notis*, ut inquit D. Thomas, hoc pertractans in officio eiusdem corporis Christi. Verum fides eosdem sensus à deceptione (omnimoda saltẽ) reddit immunes, illis, ut potest, demonstrans, sola accidentia esse sine ullo subiecto in Eucharistico lacte, de quo nunc prædicamus ad moniales *lactabo eam*.

Verùm in monastica solitudine non solum 31
lactat Dominus Sancti monialem, sed ibidem etiam loquitur ad cor eius, eiusdem testimonio: *Lactabo eam: Et loquar ad cor eius*: Locuturum se promittit Deus religiosæ feminę & non ad aures eius, sicut communiter loqui consueuerunt omnes, sed *ad cor eius potius*: Quia silentium amat solitudo, & verborum strepitum, quantum possibile est, vitare solent in solitudine commorantes: Idcirco enim ab hominum societate, & colloquio se elongant quantum possunt solitarij: Quare & Dominus illam alloqui volẽs, quam in conuentus solitudinem duxit, ut ibidem Eucharistico lacte lactet, ut eam simul quasi exẽplo suo, & practicè instruat, quantum & virorũ, & mulierum omnium familiaritates consuetudines, & colloquia vitare debeat. Illam vult quidem alloqui, sed sine silentij fractione, locutione mentis, non oris, ad cor non ad aures: Verbis quidem, sed verbis quibusdam, quæ cor solum audit, & audire non potest auris: quare non solum sine strepitu est

huiusmodi locutio, sed etiam sine aspectu. Quia, nec oculus vidit, nec auris audiuit, sed solum in cor hominis ascendit id, quod in suis loquitur Dominus, quoniam *loquetur pacem in plebem suam, & super Sanctos suos, & in eos, qui conuertuntur ad cor:* Ideo de religiosa muliere ait signanter. *Loquar ad cor eius:* Verba autem ista, quæ auris non audit, sed cor tantum percipit, sunt verba diuina, Dei nempe internæ, & secretæ omnino illuminationes, inspirationes, vocationes multiplices, dulcissimæ, ac suauissimæ visitationes, & consolationes eius, & fauores alij, ac spiritualia dona quamplura, quæ nemo scit, nisi qui accipit.

32 Vnde de Patre nostro Francisco, qui & ipse huiusmodi allocutionibus diuinis multum assuetus erat, illas præsentiens aliquando in itinere, socium præire iubebat, vt attentione maxima audire posset quid ad cor eius loqueretur Dominus: & tale quid narratur etiam de alio similiter religioso, ad cuius cor Dominus frequenter loquebatur, scilicet, de Thoma a Khempis viro Sanctissimo. & ipse enim inter fratres suos conuersando, quando internum hoc Domini alloquium præsentiebat, ab eis statim recedens, dicebat illis. *Charissimi fratres, oportet me secedere, est enim in cella, qui me expectat.* Huiusmodi autem secretos sermones Domini ad cor suum sæpe tunc audire solent homines, quando lacte corporis ac sanguinis sui eos lactat, sicut & matres etiam suos lactando filios, verba suauia, blanda, consolatoriaque ad eos, & quasi ad cor eorum loqui solent, cum exterius a lactentibus suis paruulis se non precipi certissimè sciant, quasi lactatio locutionem ad cor sociam de se habeat: sicut & in scriptura huiusmodi locutio ipsi lactationi immediate iungitur. *Lactabo eam, & loquar ad cor eius.*

33 Et habemus insuper de hoc manifestum exemplum in Euangelio: Nam Dominus noster, qui ad fideles suos apud Isaiam vltimo capite ait. *Sicut mater consolatur filios suos, sic ego consolabor vos:* cum duobus Discipulis in Emaus euntibus se iunxisset, quo illi, quasi in solitudinem ab Hierusalem recedentes, ibant: *Ducam eam in solitudinem:* & cum præterea (secundum saltem valde probabilè sententiam) Eucharistico lacte lactasset eos: *Lactabo eam:* Locutus est ibi etiam ad cor eorum: *Et loquar ad cor eius:* Scilicet ad sui ipsius cognitionem corda illorum illuminando, & docendo: Nam prius *oculi eorum tenebantur ne eum agnoscerent.* Tunc autem *aperti sunt oculi eorum, & cognouerunt eum in fractione panis. Luc. 24.* Quia sicut tradit Theophil. hæc ipsa Euangelij verba exponens: *Insinuatur & illud quodam, nempe, quòd oculi eorum, qui benedictum panem assumunt, aperiuntur, vt cognoscant illum: magnam enim, & incredibilem vim habet caro Christi:* Idemque docet Beda eadem verba explicans.

34 Hinc S. Pasch. de corpore, & sanguine Domini cap. 19. de eadem Eucharistia exponens illud psal. *Calix meus inebrians quam præclarus est:* ait: *Præclarus vtique, quia omni veritate, & fulgore clarius resplendet, & luce Sancti Spiritus illustrat: ac per hoc fidelium mentes inebriat:* Hinc, & Aug. in speculo siue manuali cap. 11. sic ad eandem Eucharistiam orat: *Panis vitæ, qui nos reficis, & in te non deficis, quotidie comederis, & semper integer manes, resplende mihi, accende me, illumina, & sanctifica vas tuum, &c.*

35 Non solum verò Dominus, præsertim quando nos corpore suo reficit, & quasi lacte lactat, etiam sua gratia illustrat, & ad amorem suum inflammat, sed dulcissimè etiam, & humanissimè supra modum nos consolatur, & quod est similiter, ipsum ad cor nostrum loqui, vt iam exposuimus: In quo sensu pariter ad Ruth. Booz locutus legitur cap. 2. *Inueni gratiam apud oculos tuos, Domine mi, qui consolatus es me, & locutus es ad cor ancillæ tuæ.*

36 Confirmantur hæc omnia illustribus exemplis. Erat Odoardus Angliæ Rex Eucharistiæ addictissimus: hoc lacte sæpe lactari volebat: *Lactabo eum:* & proinde etiam id, quod sequitur, in eodem complebatur, *loquar ad cor eius:* Vnde cum aliquando in eadem Ecclesia esset cum Rege Franciæ, Missam audiebat, de concione non curans, quam ibidem eodem tempore audiebat Galliæ Rex: cumque rei causam ab eodem sciscitaretur Rex gallorum, Respondit ei Rex Anglorum. *Tu in concionibus audis loquentes de Deo, ego vero in missa cum ipso Deo loquor, sicut & ille mecum: Loquar ad cor eius.* Sed quia non de viris modo, sed de fœminis, & de monialibus specialiter loquimur, de monialibus etiam exempla referre deberemus, ad quas non minus, quam ad viros locutum legimus ipsum Dominum, & tunc præcipue cum eas lacte eodem suo Eucharistico lactaret secundum verbum

bum suum? *Lactabo eam, & loquar ad cor eius?* Sunt notabilia valde ea præcipuè, quæ in hoc genere de B. Veronica narrantur, de qua iam diximus. Ad eius historiam nimiæ prolixitati parcentes remittimus legentes: Singularia multum etiam sunt, quæ pro hoc ipso fuse scribuntur in minorum cronicis de Moniali alia sanctitate, ac miraculis insigni valde, quæ Collecta vocatur. Et illa similiter quæ de Sanctissima Catharina Senensi itidem moniali in Dominicanorum historijs referuntur, & mirabilia sunt, & inaudita prorsus: suis locis, hæc videri poterunt.

37 Verè huiusmodi Dei secretæ locutiones ad hominum cor, quando Eucharistico lacte eos secundum verbum suum *Lactabo eam, & loquar ad cor eius* lactat. Sunt (vt puto) nomen nouum scriptum illud, *quod nemo scit, nisi qui accipit*, vt in Apocalip. cap. 2. legimus. Ante hæc enim, sic ait Dominus. *Vincenti dabo manna absconditum*, & postea sequitur, *Et dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen nouum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit*. Manifestum est enim, quòd manna absconditum Eucharistia etiam ab Ecclesia dicitur, per manna manifestum Hebreorum manifestè figuratum, sicut in hoc ipso sermone alias retulimus. Præterea, eandem Eucharistiam dat nobis Dominus, tanquam calculum candidum, idest hostiolam candidam: In ipso verò calculo candido, in ipso Eucharistico manna, scriptum est nomen nouum, *quod nemo scit, nisi qui accipit*, nomen, nimirum, vel verbum secretissimum, quod Dominus loquitur ad cor nostrum, quando etiam ipso manna abscondito nos lactat, iuxta promissionem suam. *Lactabo eam, & loquar ad cor eius.*

Tandem & si nemo sciat tanquam secretissimum, nomen id speciale quod Dominus loquitur ad cor huius, vel illius Religiosæ, manna abscondito Eucharistico illam lactando, nisi illa, quæ accipit, scire tamen possunt etiam qui non accipiunt, sicut qui accipiunt nomen commune, quod ad corda multorum communiter loqui solet: & refert illud religiosus quidam, explanans illud Cantic. 2. *En dilectus meus loquitur mihi* de religiosis omnibus, tradit enim, Dominum loqui in anima religiosa humilitatem, patientiam, fraternam charitatem, obedientiam, pacem mortificationem, vitiorum, omnemque sanctimoniam. Itaque, o Sanctimoniales & vos *pacem sequimini cum omnibus, & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum*. *Heb.* 12. *Videte, ne quis malum alicui reddat, sed semper quod bonum est sectemini in inuicem, & in omnes semper: gaudete, sine intermissione orate, in omnibus gratias agite: hæc est enim voluntas Dei in Christo Iesu in omnibus vobis*. 1. *Thes.* 5. Hoc enim modo, Christi ad cor vestrum locutio perseuerabit, *loquar ad cor eius*. Sic lactatione eius Eucharistica dignas vos comprobabitis: *Lactabo eam*. Sic tandem ab eodem in monasterij vestri solitudine vos ductas demostrabitis. *Ducam eam in solitudinem* vt tandem vos, & me etiam vobiscum in coelum idem, ducat, & cum Angelis, & sanctis omnibus. Amen. 38

SERMO TRIGESIMVS QVINTVS.

Pro disciplinatis quibuscunque confratribus.

Ante Eucharistiam expositam.

Quis sapiens, & disciplinatus inter vos? ostendat ex bona conuersatione operationem suam in mansuetudine sapientiæ. S. Iac. cap. 3.

A R G V M E N T V M.

Disciplinati Confratres, sapientes, ac disciplinatos se ostendunt, ex bona operatione, & potissimum circa Eucharistiam, inter gentes conuersando in mansuetudine sapientiæ.

1 Disciplinatis prædicandum nihil ad rem magis mihi ex scripturis occurrit, quam disciplinatorum certa probatio atque signum, quòd & vos, disciplinati fratres, modò auditis

dictis, itaque duplex distinguitur, nempè bonæ conuersationis operatio, & circa Eucharistiam præsertim. Dicit enim scriptura: *Quis sapiens & disciplinatus inter vos? ostendat ex bona conuersatione operationem suam*: Hoc primum signum est, ac probatio Disciplinatorum Confratrum: secundum, est mansuetudo sapientiæ, in qua ijdem sic operari debent, nam sequitur statim post prædicta: *In mansuetudine sapientiæ*. Certè si, & ego cum eadem scriptura vos interrogem. *Quis sapiens, & disciplinatus inter vos?* Vtique respondebitis mihi omnes primum, quod omnes pariter disciplinati estis, siue disciplini, vel disciplinantes (vt loquuntur) nomine saltem ac professione; & quod sapientes etiam multi, mundana sapientia saltè, vel propria æstimatione: Verùm si vlterius adhuc quærã a vobis, an sitis omnes verè sapientes, verèque disciplinati, hoc est vera sapiẽtia disciplinati, & sapiẽtes vera hoc opus (vt puto) hic labor erit: Eia ad probationes (vt dicitur) veniamus;

2 Qui ex vobis se vere sapientem, ac disciplinatum æstimat, o disciplinati, qualis esse tenetur, & profitetur, hoc primum probare debet, ac demostrare per opera sua ex bona conuersatione: *Ostendat* (inquit S. Iacobus) *ex bona conuersatione operationem suam*. Quid sibi volunt hæc S. Apostoli verba? Clarius explicemus illa: Explicantur illa primò ex traslatione Syriaca, quæ talis est: *Ostendat opera sua in bonis conuersationibus*: similiter Erasmus sic legit. *Ostendat ex bona conuersatione opera sua*. Opera ergo vestra in primis vos verè sapientes, vereque disciplinatos ostendunt, ac probant, & non quomodolibet, sed ex *bona conuersatione*, inquit: benè, scilicet, inter alios conuersando: sicque illis ostendetis, vos sapientes verè esse, ac disciplinatos, si, vtiquam *sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in Cœlis est*, nempe *si vtrumque ostendatis quo ad Deum, & quo ad proximum*, secundum Interlinealis expositionem: Vel tandem, cum Disciplinatis magis appropriate loquendo ex Ord. Glossa horum verborum) *si sapientiam vestram magis ostendatis, disciplinatè viuendo, quàm alios docendo*. *Disciplina enim*, vt inquit S. Cyp. de 12. abus. sæc. c. 11. *Est morum ordinata correctio, & regularum a maioribus traditarum diligens obseruatio*. *Item alius sapiens* (ait) *est, quæ rerum diuinarum, & humanarum (ad quas pertinet morum disciplina) scientia est præditus*.

Si verò omnia bona, ac virtuosa opera, exterius in conuersationibus sanctis ostensa quo ad Deum, & quò ad proximum vos verè disciplinatos, ac sapientes demonstrant, multo magis, procul dubio, opera illa, quæ alijs omnibus præstantiora sunt, ac sanctiora, & quæ circa ipsum Deum immediatè versantur, vnde etiam excellentiam, & sanctitatem trahunt, ea, dico, quæ circa Eucharistiam sunt, dum, nempe, ipsam piè, sanctè, ac deuotè semper, & colitis, & adoratis, & ipsum Dei filium in illa: & eò magis, quo ipse Christus Dominus ad hæc ipsa bona opera ore proprio omnes cohortatus est dicens Ioan. 6. *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem filius hominis dabit vobis*. De Eucharistia enim, hæc intelligebat, quam postea instituturus erat: *seipsum siquidem cibum istum insinuat* (inquit Aug.) vt patet in sequentibus: *Ipse enim & per sacerdotes bonis dat*, inquit Inter l. hoc loco. Et Alc. *Sacerdos dispensator est huius cibi, non auctor*: Et denique ipse Dominus de hoc ipso cibo Eucharistico paulo post subdidit: *Caro mea verè est cibus*, caro videlicet, & cibus sub panis specie ab eodem nobis datus, de quo idem statim addidit: *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum*: idcirco enim ad hunc panem & cibum operandum nos suadet dicens: *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam*: vt sic operando ipsam habeamus vitam æternam: Tunc operamur verò (vt iam diximus) cum firmiter hunc credimus, cum piè reueremur, cum frequenter, ac dignè suscipimus. Et hæ sunt operationes, siue opera vestra, o disciplinati, bonæ conuersationis, ex quibus vos sapientes ac disciplinatos verè ostenditis coram Deo, & hominibus: Vnde, & scriptura de vobis. *Quis sapiens, & disciplinatus inter vos? ostendat ex bona conuersatione operationem suam*.

Hunc ad vnumquemque vestrum specialiter dirigenda videntur Ambrosij verba in Epistola quadam. *Si quæris viam sapientiæ, & disciplinæ: Colere Deum, atque ei subditum esse sapientia est, abstinere autem a peccato, disciplina est*: sic S. Amb. Deum verò colitis, eique vos subijcitis præcipuè, cum Eucharistiam, in qua Deus est, & Dei filius, colitis, eamque vos prosternendo, adoratis: Cum autem hæc præstando, etiam a peccato abstinetis, simul, & semel etiam sapientes, & disciplinati estis, talesque vos ostenditis per huiusmodi pia opera circa ipsam Eucharistiam facta, nam, & si proprius loquendo, sapiens 3

idem significet, quod eruditus rerum diuinarum; disciplinatus verò, idem quod sciens ea, quæ ad praxim, & mores bonos pertinent, non tantum speculatiuè, sed etiam practicè, nihilominus idem re vera sunt sapiens, & disciplinatus: sed hic sapientiæ disciplina additur: *Quis sapiens, & disciplinatus*, &c. vt significetur, sapientem, non speculatiuè tantum, sed etiam practicè talem esse debere, puta disciplinatum, & bene institutum: Vnde paulo inferius idem Sanctus Iacobus subdit, *sapientiam esse pudicam, pacificam, modestam, suasibilem, bonis consentientem; plenam misericordia, & fructibus bonis, &c.*

5 Eadem de causa, alias etiam ipsa scriptura consueuit cum sapientia disciplinam coniungere: Vnde Ecclesiastici 50. legimus: *Doctrinam sapientiæ, & disciplinæ scripsit in codice isto Iesus filius Syrac.* Et rursus ibidem cap. 1. *In thesauris sapientiæ significatio disciplinæ*: Et Sapientiæ 3. *Sapientiam, & disciplinam qui abijcit, infœlix est.* Sapientia vera ergo etiam veram disciplinam includit, & vera disciplina veram sapientiam pariter: & hoc modo de disciplina intelligitur illa, quæ docentur in scripturis: Hinc Hugo a S. Vict. tom. 2. Inst. mon. cap. 10. a S. Bonau. nostro citatus in suo speculo disciplinæ partic. 1. cap. 1. ait. *Disciplina, est conuersatio bona, & honesta, cui parum est mala non agere, sed studet etiã in his, quæ benè agit, per cuncta irreprehensibilis apparere.* Item. *Disciplina, est omnium membrorum motus ordinatus, & dispositio decens in omni habitu, & actione.* Item *audistis* (inquit) *disciplina quid sit: nunc attendite, quam vtilis, & necessaria sit. Disciplina est compes cupiditatis, malorum desideriorum carcer, frenum lasciuiæ, elationis iugum, vinculum iracundiæ, quæ domat intemperantiam, leuitatem ligat, & inordinates motus mentis, & illicitos appetitus suffocat.* Hæc, & alia multa ibidem Hugo in disciplinæ laudem: & conuenit cum Hugone S. Bernardus: *Disciplina* (inquit) *ceruicem submittit, deponit supercilia, vultum componit, ligat oculos, cachinnos prohibet, moderatur linguam, gulam frenat, iram sedat, format incessum*: sic S. Bern. Epist. 113. ad Soph. virg. & S. Greg. tandem in Regist. Epist. 36. pro horum omnium quasi signaculo, hæc de eadem scribit *Cum sit proprium disciplinæ ab illicitis prohibere, & excessus culparum salubriter resecare, studiosè eius seruanda censura est: Nam si negligitur, cuncta in confusione deueniunt, dum vnus destruit quidquid eam custodiendo alter ædificat.* Hinc & Salomon Prou. 4. eandem disciplinam vitam nostram nominat, & ideo ad illius obseruantiam etiam instantissime vnumquenque suadet. *Tene disciplinam*, ait primò: Deinde, rursus repetit: *Ne dimittas eam.* Et tertio adhuc *Custodi illam, quia ipsa est vita tua.* Quia, nimirum, qui illam non custodit perit: *Neque viam disciplinæ inuenerunt, propterea perierunt*, legitur Baruch. cap. 3.

Hæc de disciplina ad vos, o disciplinati, indicare volui, vt sciatis, quales oportet vos 6
esse in sanctis conuersationibus, & pietatibus, vt ex his etiam verè sapientes vos ostendatis, ac disciplinatos: *Quis sapiens, & disciplinatus inter vos? ostendat ex bona conuersatione operationem suã*: Et hæc omnia pariter a religiosis omnibus etiã specialius obseruãda sunt, sicut etiã religiosam ipsam disciplinã illi specialius profitentur, vt ex his, & illi similiter veraciter sapientes, ac disciplinatos secularibus se ostendant, sicque veros pariter religiosos, conuersationem suam inter gentes habẽtes bonam, vt ex bonis operibus illos considerantes, glorificẽt Deũ in die visitationis. Sed de religiosis alias. Modò disciplinatos hortamur, vt & ipsi tales se ostẽdant, conuersationem suam inter gentes habentes bonam, vt sæpe diximus, & præsertim, quum etiam inter Deum ipsum & Angelos conuersationem habent, in Ecclesijs, in scolis, & in congregationibus suis, quando, nempe Eucharistiam ibidem sumunt, vel saltem eandem expositam, vt modo, venerantes adorant, illud Sapientiæ capite octauo vsurpantes: *Proposui ergo hanc adducere mihi ad conuiuendum*: vel *Ad conuiuendũ*, vt alij dicunt. *O sacrum conuiuiũ, in quo Christus sumitur*: cantat Ecclesia. *Sciens quoniã mecũ communicabit de bonis suis*: tr addit ibidẽ scriptura: *Mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur*: addit Ecclesia: *Et erit allocutio* 8
cogitationis, & tedij mei. addit ẽt scriptura: Et infra rursus: *Intrans in domum meã conquiescã, cũ illa: nõ enim habet amaritudinem conuersatio illius, nec tædiũ conuictus illius, sed lætitiã, & gaudium* Hinc legitur de Eduardo primo Britaniæ rege, quæ nunc Anglia dicitur: quòd sic Eucharistiæ feruidus, & addictus erat, vt cũ illa familiariter conuersaretur, ac loqueretur, ab ea quæ reuelationes, ac beneficia quã plura reciperet. Idẽq; de alijs ẽt narratur: Quæ omnia ad doctrina, & exẽplũ omniũ scripta, ad hoc disciplinatis nunc repetimus, vt per bona opera, & circa Eucharistia potissimum tali nomine ac professione dignos se demostrẽt, vt sæpe iam diximus. *Quis sapiens, & disciplinatus inter vos? ostendat ex bona operationem suam.*

7 Et additur. In mansuetudine sapientiæ, quòd erat secundum iam propositum. Scribitur Ecclesiastici 13. *Omne animal diligit sibi simile, sic & omnis homo proximum sibi*: Item immediatè post: *Omnis caro ad similem sibi coniungetur, & omnis homo simili sibi sociabitur*: quòd est dicere: Omne animal diligit, & conuersatur cum sibi simili, vt philomelæ cum philomelis, cygni cum cygnis, oues cum ouibus, sic & homo cum proximo suo, puta cum alio homine: homo enim familiaris est homini, non Leoni, equo, alteriue animali. Vnde Syrus prædicta verba: *Omnis homo similis sibi sociabitur*, sic vertit. *Ex omni carne sibi, & generi suo adhæret homo*. Sicut ergo omnis caro, idest, omne animal ad simile sibi cõiungetur, idest, coniungi solet, sic omni homo cũ simili sibi, tùm in moribus, tùm in opibus, tùm in alijs sociabitur; puta iustus cum iusto, pauper cum paupere; &c. non autem viceuersa iustus cum iniusto, pauper cum diuite, &c. Nam, vt ait Aristoteles lib. 8. & 9. Moral. *similitudo est causa amoris*. Simile enim gaudet simili. Et: *Ex aduerso* (inquit Cicero) *dispariа studia sequuntur, quorum dissimilitudo dissociat amicitias: nec ob aliam causam vllam boni improbis; improbi bonis amici esse non possunt nisi quod tanta est inter eos, quanta maxima esse potest, morum, studiorumquè distantia*. Hinc ipsa scriptura post prædicta, sic immediatè colligit: *Si communicabis lupus agno, sic peccator iusto. Quæ communicatio sancto homini ad canem? aut quæ pars diuiti ad pauperem?* Similitudinem enim conditionis, & morum potius quã naturæ hoc loco scriptura spectat.

8 Christus itaque Æterni Patris incarnata sapientia, cum quo in Eucharistia communicamus, illam offerentes, adorantes, & sumentes, vel ministrantes dum etiam cum hominibus conuersamur (bona nimirum vna cum alijs hominibus, vel saltem illis scientibus, & videntibus operantes) mitis est, & humilis corde, ergo, & nos mites, mansueti, & humiles corde esse debemus semper quidem, sed præsertim, hæc facientes, quando videlicet hoc, vel illo modo (vt dicimus) cum illo in Eucharistia conuersari volumus: Quia, *similitudo est causa amoris*. Quia, *simile simili gaudet*: Quia *Omne animal diligit sibi simile*. Quia *Omnis homo simili sui sociabitur*. Quia *Sicut non communicat lupus cum agno aliquando, sic nec peccator iusto*. & sancto communicare debet. Et quia tandem idem Christus; qui Sanctus Sanctorum est, & iustorum iustus, non solum sæpius ad iustitiam in communi, & sanctitatem, nos ore proprio hortatus est, dicens nobis: *Estote ergo perfecti sicut, & pater vester cœlestis perfectus est*. Sed ad humilitatem etiam, & ad mansuetudinem singularius induxit exemplo suo, & tunc signanter, quando cum hominibus conuersando, & conuiuando in montis Sion cœnaculo, nouum adinuenit modum, quo homines cum illo vicissim continuo conuersarentur, & conuescerentur, nempè Eucharistiam: tunc enim sicut se mansuetum, & humilem supra modum ostendit in quam multis, & in ipsa Eucharistiæ institutione, & in ablutione pedum Discipulorum potissimum, sic etiam consiliũ illud dedit de ipsa mansuetudine, & humilitate sua sectanda suoquè exemplo, ad ipsam prouocauit, dicens. *Discite a me quia mitis sum & humilis corde*: & rursus: *Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis*: Vt scilicet & nos quoque quando cũ ipso Christo per Eucharistiã cõuersamur, humilitatem, & mansuetudinem præsertim præferamus. Hoc enim tandem, erit ostendere ex bona conuersatione operationem, vel opera nostra in mansuetudine, sapientię æternę, quę est Christus Dominus, quod modò Discipulis, siue Disciplinatis specialiter prędicamus, vt veram illis sapientiam, ac disciplinam suadeamus. *Quis sapiens, & disciplinatus inter vos? &c.*

Vel tandem, sapientiæ nomen hoc loco 9
pro sapientia nostra sumamus, sicut etiam ab initio sumpsimus, & ad sensum litteræ magis: quia & Syrus, quòd nos legimus. *In mansuetudine sapientiæ*, transfert, *Per sapientiam mansuetam*, & alij etiam; *In sapientia mansueta*: Est enim Hebraismus, quomodo charitas fraternitatis vocatur charitas fraterna, filius dilectionis vocatur filius dilect⁹, filij inobedientiæ, & diffidẽtię vocantur filij inobediẽtes, & diffidentes. Proinde sic vltimò dicamus: Mansuetudo vestra, o disciplinati, vel, mansuetudo sapientiæ vestræ etiam sapientia mansueta vestra vocatur. Quia cum sapientia etiam mansuetudinem, & humilitatem habere debetis, in qua, & per quam operationes, siue opera vestra ex bona conuersatione ostendere debetis, & non solum quando cum hominibus conuersamini, sed multò magis, quando etiam cum Christo Domino in sancta Eucharistia, vt modò: vt sic tãdem sapientes, ac disciplinati verè sitis, & tales alijs vos ostendatis. Amen.


SERMO TRIGESIMVS SEXTVS.

Pro Confratribus Sanctissimæ Trinitatis. Ante Eucharistiam Expositam.

Omnis caro ad similem sibi coniungetur. Ecclesiastici. cap. 13.

A R G V M E N T V M.

In carne Eucharistica multiplex Trinitas est: Huic pio cultu, ac deuota sumptione iungi debent præsertim Sanctissimæ Trinitatis Confratres.

1 

CARO Christi, est, quam, fratres charissimi, in altari videtis: caro etiam estis vos, qui illam videtis: Insuper est inter vtramque carnem similitudo quædam: Est enim Trinitas quædam in Christi carne, est & in vobis trinitatis nomen, ac sodalitium: Si ergo: *Omnis caro ad similem sibi coniungetur*, Christi carni. i. Eucharistiæ Sanctissimæ, cui specialiter in Trinitate assimilamini, vos coniungere debetis reuerenti cultu, ac communione deuota præ alijs: quòd vt præstetis, hanc in Eucharistia trinitatem esse, & aliqualem consequenter inter eam, & discipulos eiusdem Trinitatis similitudinem, manifestius nunc demostro.

2 Est inprimis in illa trinitas Sanctissima, Pater, scilicet, Verbum, & Spiritus Sanctus, propter trium inter se personarum essentiæ omnimodam vnitatem, & identitatem, & si solus filius in Eucharistia sit secundum humanitatem, quam solus etiam assumpsit: Rursus in Christi Domini persona in Eucharistia existenti alia quædam Trinitas reperitur, Diuinitas, nempè, corpus, & anima: *Etenim disposuit cœlestis altitudo consilij* (inquit de illo Diuus Innocentius Papa) *vt sicut tres sunt personæ in vnitate substantiæ, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, ita tres essent substantiæ in vnitate personæ, Diuinitas, Corpus, & anima*: Hinc immediatè idem doctor aliam trinitatem etiam, siue ternarium in humanitate Christi distinguit, dicens. *Cum ergo Christus secundum naturam diuinam tribus modis existat, in omnibus per essentiam, in solis iustis per gratiam, in homine assumpto per vnionem, voluit, vt idem ipse secundum naturā humanam tribus modis existeret, localiter in cœlo, personaliter, in verbo, sacramētaliter in altari*

Hinc S. Bonauentura in suo centiloquio 4
parte 3. cap. 50. de Eucharistia trinitatem aliam specialem assignat, dicens. *Quantum ad significationem, tene, quòd in hoc sacramento est aliud tantum signum, vt species visibiles panis, & vini, aliud tantum res, vt corpus Christi mysticum, aliud res, & signum, vt corpus Christi verum, quod est res signata per panem ex diuersis granis confectum, & sanguis per vinū, ex diuersis racemis expressum: & est signum corporis mystici.* Aliam huic similem trinitatem, in Eucharistia hoc modo constituit S. Bernardus, vel alius auctor sermonis cuiusdam inter opera Bernardi, de Cœna Domini. *Cum autem vnum sit sacramentum* (ait) *tria ibi distincta proponuntur, scilicet species visibilis, veritas corporis*, & *virtus gratiæ spiritualis. Aliud est species visibilis, quæ visibiliter cernitur, aliud veritas corporis, quæ sub visibilis specie inuisibiliter creditur: atque aliud gratia spiritualis, quæ cum corpore, & sanguine visibiliter, & spiritualiter percipitur à solis dignè communicantibus; tria quippe in Sacramento altaris attendere debes, speciem panis, veritatem carnis, virtutem gratiæ spiritualis. Vsquè ad speciem panis sensus pertingit exterior, ad veritatem carnis fides interior, ad virtutem gratiæ spiritualis charitas superior.*

4 Sic in prędicto sermone: Aliud adhuc addamus ternarium ad laudem Trinitatis Sanctissimæ, necnon & augustissimæ Eucharistiæ ex eodem Bonauentura in Breuiloquio suo, 6. par. 9. cap. de Eucharistia. *Quoniam ergo nutrimentum nostrum quantum ad esse gratuitum attenditur in vno quoquè fidelium per conseruationem deuotionis ad Deum, dilectionis ad proximum, & delectationis intra se ipsum: & deuotio ad Deũ exercetur per sacrificij oblationẽ, dilectio ad proximum per vnius Sacramenti communionem, & delectatio intra se ipsum per viatici refectionem: Hinc est, quòd principium nostrum reparatiuum istud Sacramentum Eucharistiæ dedit in sacrificium oblationis, & Sacramentum communionis, & Viaticum refectionis: Quia ergo principium nostrum reparatiuum, non tantum est sufficientissimum, verum etiam sapientissimum, cuius est omnia agere ordinatè, ideò sic dedit, & disposuit nobis Sacrificium, Sacramentum, & Viaticum exhibere, secundum quod competit tempore gratiæ reuelatæ, statui viæ, & capacitati nostræ.* Omnia hæc ibi S. Bonauentura noster, quæ etiam immediatè diffusius, & clarius explicat, vt videre est apud illum. Aliatis modo contenti sint Sanctæ Trinitatis Discipuli.

5 Quia ergo, *Omnis caro ad simile sibi coniungetur, & omnis homo simili suo associabitur*, sicut ipsa scriptura immediatè subdit: Idcirco & vos, Sanctissimæ Trinitatis Confratres, quia & eidem Trinitatis nomen dedisti in sodalitio eius, & ab ipsa pariter Trinitate idcircò vocamini: Sicut hac ratione Eucharisticæ carni, in qua multiplicem Trinitatem esse ostendimus, assimilamini, sic eidem quoque libenter vos coniungi, & associari inprimis dignũ & iustum est: Verum, videte, & attendite, quid ipsa scriptura ibidem adhuc subinferat; *Si communicabit lupus agno aliquando sic peccator iusto*: Non communicant certè inter se, vel conuersantur lupus: & agnus. Mysticè enim locutus est Isaias cum dixit: *Lupus, & agnus pascentur simul*: *Ecce agnus Dei*, fratres hoc primum enim dicit Sacerdos Eucharistiam fidelibus communicandis ostendens, vt, nimirum, si quisquam inter eos lupus est, cum hoc Dei agno communicare nullo modo præsumat: nec, si peccator, cum eodem iusto: quia hoc indecens nimis est, & sacrilegum est, & eidem quam maximè iniuriosum: *Quanam igitur erit nobis excusatio*, (ait Chrisostomus) *cum talibus pasti, talia peccemus, cum lupi fiamus agnum comedentes. Quia rapacitas Lupi cum agni inocentia non conuenit, nec auari rabies cum modestia simplicis. Nulla communicatio immunditiæ cum munditia.* Sic Chrisostomus ait. *Si communicabit lupus agno aliquando, sic peccator iusto*; inquit scriptura: & immediatè post hæc sic rursus. *Quæ communicatio homini Sancto ad canem? vt quæ pars diuiti ad pauperem?* Et respondit interrogationi scripturæ, eiusdem scripturæ Glossa hoc modo: *Nulla enim communicatio immunditia cum munditia*; Ideo ait Nicolaus de Lyra ad hæc ipsa verba: *Sicut lupus rapax esse non debet, qui dignè de Christi corpore communicare vult, sic nec etiam canis; scilicet, rixosus, iracundus, & gulosus*, Item qui ad peccatorum depositum vomitum iterum reuertitur, sicut eandem verba explicat Vgo Cardinalis. Hinc Salomon, etiam Prou. 16 *Sicut canis qui reuertitur ad vomitum suum, sic imprudens, qui iterat stultitiam suam*: Et citatur hoc ab eadem Ordinaria Glossa hoc loco. Itaquè, & vos .N Trinitatis Sãctissimę consodales, mementote, carnẽ ad carnem quidS coniungi, non tamen indifferenter omnem carnem omni carni, sed tantum similem simili. (*Omnis caro* inquit scriptura nostra) *ad similem sibi coniungetur*: Sicut ergo in Trinitatis titulo, Christo in Eucharistia assimilamini, ita etiam in sanctitate, & iustitia coram ipso omnibus diebus vestris eidem assimilari semper curate: sicque semper eidem dignè coniungamini, dignè illam semper colentes, ac suscipientes. Amen.



SERMO

SERMO TRIGESIMVS SEPTIMVS,

Pro Confratribus Corporis Christi, Ante Eucharistiam expositam.

Facio Pascha cum Discipulis meis. S. Matth. cap. 26.

ARGVMENTVM.

Cum veris tantum Discipulis, qui dilectionem operantem habent, Eucharisticum pascha facit Christus, & illi vicissim cum illo.

FIDELIS sermo, & omni acceptione dignus, qui de corpore Christi est in Eucharistia, & ad eiusdẽ Christi corporis scolares dirigitur, & cuius etiã initium, argumentum, ac fundamentum, verba sunt, quæ idem Dominus ad primos suos, & corporis sui scolares ac discipulos, habuit, quando veteri paschate cum eisdem in vltima cœna cœlebrato, cum eis pariter nouum aliud pascha nouæ legis celebrare disposuit: Vnde dixit etiam: *Desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum antè quam patiar*, quum, inquam, iam pascha ipsum celebrare cum eisdem inciperet: hęc, nimirum: *Facio pascha cum discipulis meis*: Hęc ergo, quæ tunc ad primos discipulos suos, & corporis sui scolares Diuinus Magister pronunciauit iterum & ego renuntiabo ex eius nomine ad vos, qui præ alijs omnibus fidelibus singulari ratione, eiusdem Christi, & corporis eius scolares estis, & vocamini, illius sodalitio adscripti, vt etiam maiori præ illis pietate, deuotione, ac reuerentia, Sanctum hoc Domini pascha cum ipso magistro vestro facere, & vos semper studeatis, sicut ipsum præsertim scolaris corporis Christi nomen, & institutum specialius expostulat, & idem Christus, magister vester inprimis: Eiusdem enim ad scolares suos potissimum sunt verba illa, quæ audistis, ab initio. *Desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum*.

Vt & vos ergo hoc ipsum cum magistro 2
vestro pascha manducare desiderio desideretis, hæc eiusdem priora verba, quæ elegimus, diligenter audite, & sollicitè considerate: *Facio pascha cũ Discipulis meis*. Ante omnia verò aduertendum est, ac firmiter asserendum, quòd dum cum discipulis suis se facere pascha Dominus declarat, non de omnibus discipulis suis hoc ille intelligit, nec intelligendum est a nobis, sed de illis tantum discipulis, qui verè sunt discipuli eius, non voce tantum, vel nomine, sed re, & nomine simul, qui. s. non solum discipuli vel scolares Christi, & Christi corporis vocantur, & in scola eiusdem conscripti sunt, sed qui factis etiam hoc ipsum comprobant, quod dicuntur, vel profitentur; Et Iudas enim Christi discipulus erat, sed nomine tantum, nõ re, vel factis talis erat: re vera autem eiusdem magistri sui inimicus, & traditur pessimus; & ideo cum tali discipulo non desiderabat sanctissimus magister pascha suum facere, sicut cum alijs veris discipulis suis; Immo hoc eidem displicuit vehementer, & non parum de hoc ipso & doluit, & conquæstus est. Audiamus, ex Diuo Bernardo in sermone secundo, In Cœna Domini: Sic enim scribit de veris Christi discipulis, & de Iuda discipulo falso: *Sigillatim elegerat duodecim, sed vnus diabolus erat Iudas Iscarioth, qui contra Dominum leuauit calcaneum, de quo ipse dixit: Vt impleatur scriptura: qui manducat panem meũ, leuabit contra me calcaneum suum. O Iuda infelix*

felix, Dominicum panem manducas, & contra Dominum calcaneum leuas. Sic S. Bernardus de primis Christi discipulis, & de Iuda signanter, postea, sermonem conuertens ad Christianos omnes primorum illorum discipulorum successores, quales estis vos præsertim sic lamentatur: *Heu quanti Iudæ, qui panem Domini manducant, & Dominum in spiritibus suis calce percutiunt.* Hinc tertiò idem sanctus ad religiosos, & clericos omnes, & ad sacerdotes specialius eadem lamenta, & quærelas continuat, quæ cum prædictis operæ prætiū duxi hic similiter recensere. *Quanti de altari viuunt* (ait) *qui altari non seruiunt: immo Dominum altaris pro nihilo ducunt. Heu* (*quod magis dolendum est*) *quanti sacerdotes, sed falsi sacerdotes, qui panem Christi, corpus Christi sumunt ore, & Christum conculcant pede, putridi fœtore luxuria, infecti veneno nequitiæ: Isti sunt Iudæ Iscarioth, qui nisi se in melius commutauerint, vtinam nati non essent.* Hęc omnia Sanctus Bernardus ocasione Iudæ mali discipuli.

3 Quibus etiam de eodem malo discipulo tria alia iu scriptura notabilia subijcio: Primum est, quòd, *post bucillam intrauit in eum Satanas.* Ioan. 13. secundùm, quòd *abiens laqueo se suspendit* Matt. 27. *Et suspensus crepuit medius, & effusa sunt omnia viscera eius.* Act. 1. Tertium deniquè, quòd de malo illo discipulo suo, antè hæc omnia dixit idem Magister, Matth. 26. *Bonum illi erat, si natus non fuisset homo ille.* Scripta sunt enim hæc omnia de hoc malo discipulo, & Magistri sui traditore ad correptionem nostram, & eorum maximè, qui se Christi similiter, & corporis sui discipulos dicunt, & de hoc ipso non modicum gloriantur, quos idcirco cum eodem Bernardo rursus sic confidenter alloquar: *Vos ergo, fratres mei discipuli Christi, cogitate quid Iudas Scarioth fecit, & videte ne consimilia faciatis. Iudas contra Christum leuauit calcaneum suum, vos autem illi prosternite corpus, & animam. Iudas ab illo recessit, vos autem sequimini illum: Iudas vendidit illum Iudeis, vos autem vendite quæ habetis, vt possitis comparare eum. Non solum autem quæ habetis, sed etiam vosmetipsos pro amore tanta pulchritudinis margarita pro nihilo reputetis, & illi soli placere quantum potestis, contendite.* Hæc est S. Bernardi pia admonitio in eodem citato sermone.

4 Admonitionem modo Sācti Ioannis Chrisostomi, quam etiam Ecclesia repetit, audiant ijdem Eucharistiæ scolares signanter, vt sciant, quomodo pascha cum magistro suo celebrare debeant, ad quod, & ego eosdem nunc præcipuè suadeō, verba Domini illis prædicans. *Facio pascha cum discipulis meis. Nullus itaquè Iudas assistat, nullus auarus, nā tales mensa non suscipit: Si quis est discipulus, adsit: aut enim, cum discipulis meis facio pascha.* Si autem ijdem discipuli, quos modo conuenio, adhuc vlterius scire cupiant, qui nam sint veri Christi discipuli, cum quibus solummodo, & non cum falsis dicimus velle magistrum suum pascha facere, & quomodo etiam tales esse, & ab omnibus, etiam cognosci possint ab eodem magistro statim, & facilime scire poterunt, nam hoc ipsum a Sanctissimo quodam eiusdem discipulo, & inter alios magis magis ab eodem dilecto Ioanne scilicet, notatum est cap. 13. Historiæ suæ Euangelicæ, in verbis istis. *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem:* Dilectio enim proximi, quę a dilectione Dei manat, & vnū & idem est cum ipsa, & peccatum quodcumque lethale excludit, veros Christi Discipulos facit, & ostendit. De charitate enim ait Salomon in Prou. c. 10. *Vniuersa delicta operit charitas:* & Petrus in 1. cap. 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum.* Charitas ergo, & dilectio Dei, & proximi, quæ nullum omnino mortale peccatum secum in anima com patitur, veros Christi, & corporis eius discipulos sola facit: Hi soli qui hanc habent ad inuicem dilectionem scolares verè sunt Sanctissimi Sacramenti, in quo est corpus, & sanguis Christi, & ipse totus Christus: per hanc dignoscuntur ab alijs, qui tales non sunt, & per opera virtuosa simul, quæ ab eadem charitate procedunt: Quia, *si amor est, magna operatur*, vt ait Gregorius. *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis si dilectionem habueritis ad inuicem*, inquit Dominus: Non in alijs, *qua etiam, non mei habent*, inquit interlinealis glossa.

Verè ex vestibus proprijs, ex vexillo, ex facis, ex imagine aliqua, vel stemmate, & ex alijs quibuscunque exterioribus dicisplini, cognoscuntur ab honinibns, quod sint hi, vel illi hoc est: huius, vel alterius scolæ, confratriæ, aut sodalitatis scolares, confratres, aut sodales, sed non est hæc vera, ac sufficiens cognitionis, vel distinctionis ratio 5

& funda-

fundamentum, nempe: Nullum horum seigillatim, nec ista omnia simul probant, vel probare possunt, quemquam vere discipulum vel scolarem esse illius, vel alterius scolæ, aut societatis, sed extrinsece solum, & imperfectè valdè: sola dilectio, quæ distinguit, teste Aug. & alijs, inter filios Dei, & inter filios Diaboli, etiam inter veros Christi Discipulos verè distinguit, ac certissimè: & non solum apud Deum ipsum, sed etiam apud homines: ait enim Christus ijsdem discipulis suis: *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem.* Hæc enim (vt diximus) virtuosè operari facit: quia *nunquam est Dei amor otiosus*, (vt inquit Greg.) *operatur enim magna si est*: Discipulos enim Christi, Christi amor opera mandatorum suorum operari facit inprimis, secundum illud eiusdem Magistri ad eosdem discipulos suos: *Si diligitis me, mandata mea seruate.* Ioann. 14. Hinc idem Ioannes in prima sua epistola, capite secundo, scriptum reliquit: *Si quis dicit, quoniam diligo Deum, & mandata eius non custodit, mendax est.* Amor Christi scolares omnes cuiuscumque scolę illa operari facit, quæ suæ scolæ, ac regulę propriè sunt mandata, instituta, regulas, ceremonias, piasque consuetudines. In Sanctissimi Sacramenti scolaribus illa præstat Christi amor, quæ ipsum sui corporis, ac sanguinis Sacramentum concernunt, ipsius cultum, scilicet, reuerentiam, deuotionem, ac frequentem communionem præsertim: si tales sunt huius scolæ scolares, veros se illius scolares comprobant: Certissimum, ac infallibile est hoc verorum discipulorum signum ab ipso magistro Christo assignatum *In hoc cognoscent omnes, &c.* Et cum his solum discipulis idem Magister pascha se facere manifestè declarat, idem eis Sacramentum impertiens, ac dicens: *Facio Pascha cum discipulis meis.*

Hinc idem Dominus, vt hoc pascha nouum dignè, ac frequenter discipuli sui fideles omnes secum semper faciant, quia sine dilectione, & amore eius id fieri nequit (sicut nec eius discipulus est, qui eo caret) hunc eisdem amorem, post ipsius Sacramenti institutionem obnixe a Patre deprecatus est sicut scripsit Ioan. 17. cap. *Vt omnes vnum sint*, ait. Et iterum clarius: *Vt dilectio, qua dilexisti me, in ipsis sit:* Quod etiam Isaiæ cap. 8. alijs verbis fuerat prænuntiatum: *Liga legem, signa testimonium in discipulis meis*: Sic enim ibidem Dominus pro eisdem discipulis: Patrem rogat, vt dilectionem, quam legem suam dixit, quia, *plenitudo legis est dilectio*, Discipulis suis concederet, ab omnibus nunquam abscederet, quasi cum eisdem alligata: dilectionem, inquam, quæ firmissimè testatur, eam habentes, discipulos esse Christi, & est ipsius discipulatus manifestissimum, infallibiliquè signum, & indicium, per quòd, vt verè discipuli, ab omnibus cognoscerentur, ipsius magistri testimonio, vt dictum est. Eia ergo, discipuli Christi, veri discipuli, ac scolares estote: charitatem, & vos instanter ab eodem afflagitate, vt tales esse possitis, vt sic, verè Pascha cum eodem magistro vestro facere possitis qui ait: *Facio pascha cum discipulis meis.* Pro his omnibus autè verè, id quòd pascha significat adimplete. *Moneo vos, vt pascha celebretis*, (inquit Ambrosius) *vt transitum faciatis.* Et Gregorius. *Bonus transitus transire de peccato ad iustitiam, de vitijs ad virtutes*: Sicsic transibitis, dignè pascha facietis, Amen.

SERMO

SERMO TRIGESIMVS OCTAVVS.

Pro scolaribus doctrinæ Christianæ. Ante Eucharistiam expositam.

Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta. Psal. 2.

ARGVMENTVM.

De Eucharistia verba hæc explicantur secundum varias eorum translationes: & duas potissimum: vt Christianæ disciplinæ discipuli inprimis digne ipsam Eucharistiam apprehendant, & cum illa veram pariter disciplinam.

1 PROPRIVM non solum est discipulorum, siue scolarium omnium, magistrorum suorum doctrinam ac mores apprehere, ac imitari, verum etiam consueuerunt quamplures ipsum etiam nomen doctorum suorum sibi assumere, ab eodemque denominari: Hinc olim a Pithagora ac disciplina eius Pithagorici, siuè Pithagorei sunt appellati discipuli eius: similiterquè a Socrate Socratici, a Platone Platonici, ab Aristotele Aristotelici, sicquè de alijs multis: Nouissimis verò temporibus a Christo Domino, & a Christiana disciplina Christiani pariter omnes vocati sumus, & vocamur: Inter Christianos autem, vos signanter, fratres, non tantum Christi doctrinam, & ipsum commune Christiani nomen cum alijs habetis, & sequimini, sed ipso etiam Christi, & Christianæ doctrinæ vocabulo insigniri prę elegistis, dum discipuli, siue scolares doctrinæ christianę nominari voluistis, vt ipsam etiam doctrinam eius, ac disciplinam, & sollicitius apprehenderetis, & seruaretis perfectius, quod & ipsa nominis nuncupatio, & scolæ ac societatis vestræ professio indicat, ac supponit.

Vnde hoc ipsum modò ex psalmo vobis rememoro, dicens vobis. *Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta*; vt, scilicet, sic magno studio, ac humilitate præ alijs omnibus Christianis vos subijciatis Christi, & Ecclesiæ præceptis, ac concilijs, integrè, ac perfectè quantum potestis, custodientes ea: & hoc, *quasi præsidium, ac munimentum* (vt Interl. exponit) *aduersus omnia, quæ obesse possunt*, quod etiam indicant sequentia verba. *Nequando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta*, nempe, ne vobiscum, tamquam cum disciplinæ suæ violatoribus (quam tamen re, ac nomine specialiter profitemini) *irascatur* Christus, & *pereatis de via iusta*, idest de via vitæ æternæ, de bonorum remuneratione, & fœlicitate, sicut Genebrardus exponit, secundum Hebreorum lectionem. *Ne fortè irascatur, & pereatis in via*: legit Pagninus, hoc est, secundum eundem Genebrardum: *Ne subito, & in media via absumamini, ne Dei subitus furor vos perdat, quando adhuc in itinere consistitis*. Et hæc, disciplinæ siuè doctrinæ Christianæ scolares, vobis pro nunc de ipsa Christiana doctrina obiter indicasse sufficiat. 2

3 Alium nunc vobis referam oportuniorem horum verborum sensum: *Apprehendite disciplinam*, pro Eucharistia, nimirum, de qua hic principaliter intendimus. Nicolaus de Lyra hæc psalmi verba exponens, sensu tamen alio, sic scribit: *In Hebreo sunt ibi dua*

dictio-

dictiones æquiuocæ. *Prima est verbum Hebraicum*, Nasse Ku: *& significat. Apprehendite*,
3 *& adorate, & osculamini: tamen frequentius accipitur pro osculamini: Alia dictio est*, Bar, *& significat disciplinam, & puritatem, & filium, tamen frequentius accipitur pro filio*: Sic ibi Lyranus noster, & postea explicans similiter reliquam eiusdem versiculi partem: *Ne quando irascatur Dominus, &c.* coniungit prioris verbi, scilicet *Apprehendite* interpretationes cum interpretationibus secundi verbi, nempe *Disciplinam*: singulas reddendo singulis, primam scilicet prioris verbi interpretationem primæ similiter secundi verbi interpretationi, secundam secundæ, & tertiam deniquè tertiæ, hoc modo: *Si non apprehendatis eius disciplinam: Vel, si non adoretis eum pura, vel, si non osculemini filium.* Hinc ad Eucharistiam nonnulli referunt hæc psalmi verba, & hanc eorum glossam ex Lyrano: Pro illa enim mysteriosa multum, ac consideratione digna videntur, & doctrinæ Christianæ scolaribus præterea specialiter conuenire pro eadem Eucharistia, de qua ad eosdē nūc verba facio. Vos itaque, Christianæ disciplinæ scolares, in Eucharistia inprimis apprehendite disciplinam, & doctrinam Christi, vt iam exposuimus: in ea enim est veraciter idem Christus doctor, ac magister noster, qui ore proprio,
8 suis dixit discipulis. *Vos vocatis me Magister, & Dominus, & benedicitis, sum etenim.*

4 Vnde hac ratione, de eadem Eucharistia id non immerito (vt puto) pronunciabimus, quod cap. 8 libri Sapientiæ scriptum est. *Doctrix est enim disciplinæ Dei*: Eucharistia dici potest dotrix disciplinæ Dei, quia secretò saltem docet nos disciplinam Dei filij Iesu Christi Domini nostri in ea realiter contenti; Idem enim est realiter doctrina in doctore, quòd disciplina in discipulo: & est propriè eruditio, quā à præceptore discipulus accipit: sic enim scolæ tradunt: sicquè etiam iura loquuntur, & pręsertim leg. Si pendentes § si serui ff. de vsufr. Præterea in Eucharistia apprehendentes disciplinam, etiam *adorate puritatem*, quæ erat secunda, verborum interpretatio, puritatē, dico, ipsum Christum Dominum: *Candor est n. lucis æternæ, & speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius.* Ideoq; anthonomastice, & absolutè ipsa puritas hoc loco vocatur, & proinde sub puritatis nomine eum in Sacramento adorare iubemur: *Adorate puritatem*, quòd tertia adhùc verborum explicatio sequens magis manifestè declarat. *Osculamini filium.* Vnde S. Chrisost. hom. 61. ad pop. Ant. de Eucharistia loquens, ait. *Fætente quidem ore tuo Regem osculari non eligeres: Regem verò, cœli fœtenti anima deosculari*s. Est enim filius Dei & Virginis simul, qui & puritas vocatur, quem in Eucharistia prius adoramus, & postea osculamur etiam, & sumimus. Canon. n. de illa est, ex Aug. *Nemo autem carnem illam manducat, nisi prius adorauerit.*

Vel alio hoc modo etiam liceat nobis hæc combinare verba. Appræhendite: Adorate: 5
Osculamini increatam sapientiam, ipsam puritatem, filium, nempe, vnigenitum, ac primogenitum Dei Patris, & matris Virginis in Eucharistia: Datum est enim Euangelico Sacerdoti id, quod petebat quidem, sed minime obtinebat sinagoga ab antiquis temporibus, sic exclamans. *Quis det te fratrem meum sugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris, & deosculer.* Cant. cap. 8. Vel secundùm Hebraicam lectionem. *Quis det te vti fratrem mihi.* Cupiebat Ecclesia sponsa eundem Dei filium fratrem suum fieri per humanæ carnis assumptionem: cupiebat, petebat, sed nemo illū illi dabat: *At vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere*, quando idem Dei filius *propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis, & incarnatus est de Spiritusancto ex Maria Virgine, & homo factus est*: Tunc enim *matris suæ*, vt 70. transferūt, & matris nostræ etiam vbera suxit, viz., eiusdem Virginis, quòd celebrando siccanta ipsa Ecclesia. *Nesciens Mater Virgo virum peperit sine dolore, Saluatorem sæculorum, ipsum Regem Angelorum sola Virgo, lactabat vbere de cœlo pleno*: Item: *Beata vbera, quæ lactauerunt Christū Dominum*

Tunc etiam non confundebatur homines vocare fratres, sed ore proprio, dicebat de hominibus ad homines. *Ite nunciate fratribus meis*: tunc, inquam, Ecclesia inuenit eum foris idest, extra cœlum etiam in terra, incarnatum nimirum, prius, & postea etiam sacramentatum, vt quidam loquuntur: & quidem, quum extra cœlum in terra hominem factum inuenit, osculari tantum tunc potuit: *Vt inueniam te foris* (inquit) *& deosculer.* Vel apud Grecos. *Inueniens te foris, osculabor te.* At postquam idem Sacramentum Eucharistiæ instituit, in quo nobiscum esse voluit, *omnibus diebus vsque ad consumationem seculi*, tunc etiam id quod in eisdem canticis subdi-

subditur, impletum est: *Apprehendam te, & ducam te in domum matris meæ: ibi me docebis:* per Sacerdotes suos continuò Dei filium de Cœlo, vbi nunc sedet ad Patris dexteram, quasi apprehendit, & ducit in materiali templo, quod domus sua, & nostra similiter dici potest. *Apprehendam te* (inquit) *& ducam in domum matris meæ ibi me docebis*. Pro bis enim sic Pagninus transfert ex hebreò textu. *Quis det te vti fratrem mihi suggentem vbera matris meæ: & Ducam te, venire faciam te ad domum matris meæ*: Caldaica Paraphrasis adhuc clarius ad rem nostram sic habet *In tempore illo reuelabitur rex Messias cœtui Israel &c.* Deinde sequentia sic. *Ducam te rex Messias, & introducam te in domum sanctuarij mei.* Hæc enim verba, Sacerdotum propria esse possunt, qui consecrando eundem Dei, & Mariæ Virginis filium quasi in Cœlo, siue de cœlo apprehendentes, in terram ducunt (in eodem tamen cœlo etiam simul & semel dimittentes) & venire faciunt ad domum, vel in domum materialem matris nostræ Sanctæ Ecclesiæ, quæ est ipsa Ecclesia materialis, siue corporalis, in qua quotidie per eosdem Sacerdotes ipsa Eucharistia quotidie conficitur, & offertur in missa Hinc Seraphicus Pater noster Sanctus Franciscus de eodem Dei filio loquens, & de eisdem Sacerdotibus, per quos ipsa quotidie cōficitur hoc idem sic testabatur, vt alibi refferimus: *Ecce quotidiè humiliat se, sicut quando a regalibus sedibus venit in vterum Virginis: quotidie venit ad nos ipse humilis apparens: quotidè descendit de sinu Patris super altare in manibus Sacerdotis*.

Non solum autem secundum Canticorum scripturam, & variam interpretationem eius, Sacerdotes nunc venire faciunt, ducunt, & introducunt de cœlo in Ecclesia Christum, dum in altari Eucharistiam conficiunt: & non solum etiam eundem apprehendunt, dum eum in communione recipiunt, sed præter hæc omnia, ab eodem insuper edocentur, & tunc præsertim apprehendunt disciplinam: *Ibi me docebis*, inquit scriptura: Et hoc speciale quod de Sacerdotibus dicitur, de laicis etiam fatendum est, nempè, eos similiter ab Eucharistia, edoceri, & ab ea apprehendere disciplinam, quod psaltes suadet: *Apprehendite disciplinam, &c.* Et liceat hoc ipsum exemplo etiam comprobare pro vtrisq;: De Stephano enim Clareualēsi Abbate legitur, quòd ex Eucharistia, quam sibi Columba in os misit, sic apprehenderit disciplinam, vt de trinitate postea etiam altissimè prædicaret, subtilissimèquè dissereret.

Et vos ergo, disciplinæ, siue doctrinæ Christi scolares, sacerdotum saltèm exemplo prouocati, eamdem in Eucharistia apprehendite disciplinam, vt iam sœpè vos monui, sed potissimum in eadem adorate puritatem, hominum, scilicet, & Angelorum puritatem, Christū Dominum: Verum ipsā puritatem adorate etiā purè: Sic enim hæc eadem verba ex Hebreo transfert S. Hieron. Adorare verò purè puritatem Christum in Eucharistia est adorare eum purà ac perfecta adoratione, quæ latria dicitur, & est Dei propria. Vel adorare eum pura, ac simplici intentione, & sine fictione vlla, vel hæsitatione, firmiter credendo Dei filium, & Mariæ Virginis esse id, quod panis, vel vinum esse videtur: Vnde hæc ipsa verba alij etiam sic transferunt, *Adorate fasciculum spicarum*, & alij: *Adorate frumentum*, sicuti alij etiam: *Adorate filium*, vt sœpè diximus: Quia de facto vere Dei filius est, & Mariæ, qui panis videtur frumenti ex spicis educti. Tandem, ideò adorare purè iubemur Dei filium, quia sicut ille puritas ipsa est, quam in eadem Eucharistia adoramus: (Vnde dicitur etiam, *Adorate puritatem* pro: *Adorate purè*) sic cum animæ puritate, puritatem ipsam adorare debemus.

Vnde S. Ambrosius in oratione ad missam præparatoria, quam & Ecclesia Sacerdotibus proponit, sic ipsum Dei filium orat, & orando interrogat: *Quanta enim, Domine Iesu Christe, cordis contritione, & lacrymarum fonte: quanta reuerentia, & tremore: quanta corporis castitate, & animæ puritate istud diuinum cœleste sacrificium est celebrandum, vbi caro tua in veritate sumitur, vbi sanguis tuus in veritate bibitur, vbi summis ima iunguntur, vbi adest præsentia Sanctorum Angelorum, vbi tu es sacerdos, & sacrificium mirabiliter, & ineffabiliter constitutus*. Hinc & S. Chrisostomus quasi respondens interrogatiuæ orotionis S. Ambrosij, & ad illud verbum præsertim de puritate, cum qua ad Eucharistiam accedendum est, tradit, quòd cum summa puritate hoc præstandum est, hom. 24. in 1. cor. cap. 10. sic enim de Christi corpore ibi inter alia scribit. *Cum timore, & sūma puritate ad ipsum accedamus*: Quam summam puritatem idem etiam Dominus voluit lagena illa [illegible]issimæ ac limpidissimæ aquæ, quam per Angelum

Patri

Patri nostro Francisco ostendere fecit, vt vulgatum est: Itaque, vos præcipue fratres, qui a Christi disciplina ac doctrina vocanimi, eiusdem puritatis doctrinam, ac disciplinam apprehendere præ alijs debitis, hoc modo pure eandem, apprehendentes Eucharistiam, & in ea Iesum Christum Dominum nostrum: Ne quando irascatur idem Dominus; & pereatis de via iusta, in viam mortis æternæ ruentes: *Qui enim manducat, & bibit indignè, iudicium sibi mãducat, & bibit.* Quin potius per viam iustam eatis omnes mecum in vitam æternam. *Qui enim manducat hunc panem, viuet in æternum.* Amen.

SERMO TRIGESIMVS NONVS.

Pro Sodalibus Confraternitatis Immaculatæ Conceptionis Beatæ Mariæ. Ante Eucharistiam expositam.

A facie tua Domine concepimus, & peperimus, & quasi parturiuimus spiritum salutis. Isa. c. 26

ARGVMENTVM.

Immaculatæ Conceptionis Mariæ Cõfratres, sicut illam singularius colunt, sic eiusdem exemplo debent potissimum quando ante Eucharistiam sunt, Christum in corporibus, & in animabus suis per deuotam Communionem concipere, & firmum simul suæ salutis propositum, & omni studio præterea quæ tũc proponunt, tãquã parturiẽtes & pariẽtes executioni mãdare. Hinc, quia in festo S. Mariæ ad Niues hæc dictare contigit, niuis miraculum ad eiusdem Virginis, & Cõceptionis eius singularem puritatis candorem variè refertur.

NON vnum tantùm nunc habetis, Conceptionis Mariæ pij cultores ad mysticam Cõceptionem vestram stimulum, vel incentiuum, sed duplex quidem, vt mihi videor, & vtrũque pariter viuum, & efficax, ac penetrabilis omni gladio ancipiti, pertingens vsque ad diuisionem animæ, ac spiritus, ipsam, nempe, primò Dei genitricis Mariæ Conceptionem, quàm præ alijs fidelibus, specialius, colitis, & cui etiam nomen in scola vestra dedistis, quæ purissima, & immaculata fuit, & ab originali peccato prorsus immunis, & prætерea, Christi filij eius in Eucharistia præsentiam, antequã nunc mecum statis, vt, scilicet, nunc quoque præcipuè, & vos spiritum, ac voluntatem firmam salutis vestræ concipiatis, & Eucharistiam ipsam in corporibus, & in animabus vestris: & sequatur etiam vtramque Conceptionem partus conformis, vt verè, & vos dicatis Christo Domino in eadem. *A facie tua Domine concepimus & peperimus & quasi parturiuimus spiritum salutis.*

Hac omnia clariùs, ac diffusius hodie exponemus. Insuper, quia in festiuitate Sanctæ Mariæ ad Niues huiuscemodi nobis sermo incidit, ipsam de niue historiam, & mysterium 2

rium ad ipsius Virginis, & Conceptionis eius candorem, & puritatem referemus: sicut etiam in eodem præcedentis anni festo, quia de Eucharistia, & de eadem Virgine simul, sermo nobis se obtulit, ex eiusdem nimis occasione, nonnulla pariter de Mariæ candidissima puritate in eodem congessimus. Itaque, o conceptionis discipuli iam de conceptione dicere incipiamus, vt verã, factaq; conceptionem ex Eucharistiæ præsẽtia, & Mariæ Conceptione præsertim discatis Christo dicentes. *A facie tua Domine concepimus, & quasi parturiuimus ac peperimus spiritum salutis*: Sic enim legunt, & continuant, siue distinguunt verba hæc antiqua exemplaria, etsi noua aliter: sicutetiam quamplures alij sunt eorundem verborum sensus: Vtroque modò verò exemplum est, & similitudo à mulieribus desumpta, quæ post conceptionem, summo cum dolore, ac clamore simul prolem pariunt, quam cum summa pariter delectatione conceperant: *Sicut quæ concepit, cum appropinquauerit ad partum, dolens clamat in doloribus suis. sic facti sumus*, inquit antiqua lectio: & postea immediate sequuntur verba, quæ retulimus. *A facie tua Domine concepimus*, &c. Videlicet punctuando immediate ante illud: *A facie*, & discontinuando illud a præcedentibus: etsi noui codices hęc verba iungant cum præcedentibus, hoc modo: *Sic facti sumus a facie tua, Domine*: ibi punctum figentes, & postea prosequuntur: *Concepimus, & quasi*, &c. Sed quocunque modo ea legamus, eadem similitudo est, & idem pro nobis concluditur, nimirum, vt & nos modò verè ante faciem Domini constituti, cum ante Eucharistiam consistamus, in qua, Dominum, & Deum nostrum Iesum Christum esse firmiter credimus, primò concipiamus, & postea pariamus, *bonum propositum ibidem conceptũ deducendo ad effectum*, vt Lyranus explicat: Vt, inquã, concipiamus verũ, firmumq; salutis nostræ desideriũ, ac propositũ, & deinde hoc ipsum, quod iam proposuerimus ac deliberauerimus, opere, & compleamus, & ad hoc ipsum omni studio, & conatu tendamus, iugiter pro peccatis nostris dolentes, flentes, & ad Deum corde, & ore clamantes, quasi mulieres parturientes, atque dicentes: *A facie tua Domine concepimus & peperimus, & quasi parturiuimus spiritum salutis*: Verba sunt enim ista Iudæorum, qui cum a Deo punirentur, ad ipsum conuerte-bantur: Si enim hoc efficiebant Dei flagella in Iudeis, quanto magis hoc præstare deberet eiusdem Dei beneficia in Christianis, & Eucharistia præsertim eis nunc præsens, omniũ beneficiorum Dei maximum, ac singularissimum? Si hoc, dico, potuit in seruis timor quãto magis, hoc idem, poterit in filijs amor? Itaque ne in hac sanctæ conceptione, quod vobis suadeo, Conceptionis scolares, ab ipsis Iudeis superemini, quod (sicut, etiam in fidelis quolibet) indignum nimis esset, sic in vobis præsertim, qui sicut conceptionem immaculatam, ac purissimam Dei Matris specialiter solitis vestri professione cõtinuo celebratis, sic illam quoq; pro viribus imitari debetis. Idcirco spiritum salutis: & vos mente concipite (vt diximus) a facie Domini, hoc est, ex præsentia eius in Eucharistia, & postea etiam opere parturite, & parite, sicut mulier postquam conceperit, parturit etiam, ac parit. Primo verò iam ex eadem scriptura audite mysticæ Conceptionis vestræ modum, sicut de eadem habetis ex Eucharistia, & ex Mariæ Conceptione motiuum, & exemplum: Hęc autem scri, tura quę traditur Ecclesiastici 32. cap. non solum modum eius explicat, sed simul etiam ea, quæ ipsam præcedere debent, vt digne fiat: Hanc diligenter auscultate, & obseruate: *Hora surgendi non te trices: præcurre autem prior in domum tuam, & illic auocare, & illic lude, & age conceptiones tuas, & non in delictis, & verbo superbo*. Eia, hęc omnia explicemus, vt explicata melius practicare possimus, & priora prius, Conceptionem ipsam antecedentia. *Hora surgendi non te trices*, ait primò: Hæc ad omnes dicuntur fideles, omnibusque communia esse debent in hoc præcipue orationis quadraginta horarum tempore, vt, etiam omnes pariter hora constituta orationis sue saltem, quando surgere debent, & exire de lecto, de domo, de negotijs, de mutuis conuersationibus, vel colloquijs vanis. Non se tricent, hoc est, non fiat ad hoc tardi, vel pigri, moram alibi pertrahendo: sed statim ad Ecclesiam se conferant pro ipsa oratione. Et hoc est, quòd immediatè subdit ibidem textus. *Præcurre autem prior in domum tuam*: Domus enim nostra principalis, & communis, in qua viuentes, & mortui etiam manemus, Ecclesia sancta est, Ad hanc semper, & modò præsertim quilibet prompte accurrere debet, vt alijs præcurrat: *Maturè surgas* (ait

3

(ait Hebraica lectio apud Vatablum) *non intet vltimos, recipe te domum, nec desideas.*

Modò quid agendum est in hac domo nostra Ecclesia? suggerit hoc statim Ecclesiasticus ibidem: *Illic auocare te, & illic lude, & age conceptiones tuas, & non in delictis, & verbo superbo;* En, conceptiones nostras in Ecclesia agendas monet Spiritus Sanctus: & quomodo etiam eędem agendę sint docet, vt postea audiemus, sed primò ante
4 conceptiones istas duo alia indicit eisdem præstanda concipientibus: *Illic auoca te,* ait: Hoc est primum, quòd agas. *Illic*, nempe, in Ecclesiæ domo aduoca in alia domo, hoc est, in conscientia tua, teipsum, & cogitationes tuas intra te, & ad te colligendo: Vel *Aduocare*, vt sit verbum deponens, secundum antiquam grammaticam: Hoc est: *Tu esto aduocatus, & aduocati officium facito, contra teipsum allegando: Tu sis reus, & aduocatus* (inquit Vgo Cardinalis hæc verba, explicans) *conscientia sit accusator, ratio iudex, & timor carnifex.* Post hoc verò aliud sequitur in Ecclesiæ, & propriæ conscientiæ domo peragendum: *Et illic lude*, ait, scilicet, *cum Domino, qui tecum ludit*, inquit idē doctor: Cum Christo Iesu Domino nostro in Eucharistia spiritualiter ludere debemus, in pijs nos exercitijs ante ipsam occupantes, videlicet, in orationibus, meditationibus, deuotis lectionibus, &c. & hoc cum delectatione, & gaudio vt in ludis. Nam
5 in eadem Eucharistia idem Dominus nobiscum etiam ludit delectabiliter, sua mirabilia ostendendo, & gaudium, & lætitiam infundendo, vt tradit idem Cardinalis, quod ipsemet Christus ore proprio sic fatetur in Prouerbiorum libro cap. 8. *Et delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum: & deliciæ meæ esse cum filijs hominum.* Ludit verò hoc modo nobiscum in Eucharistia Dei filius, non per vnum tantum diem, sed *per singulos dies*, nec præterea in vno solum tempore, sed *in omni tempore*, nec tandem in hoc vel illo speciali orbis terrarum loco solum, sed *in toto orbe terrarum*: *Delectabar* (inquit) *per singulos dies, ludens corā eo omni tempore; ludens in orbe terrarum; & deliciæ meæ esse cum filijs hominum* Singulis enim diebus, & horis per totum terrarum orbem hi mutui ludi fiunt inter Deum, & homines, quando ipsa Eucharistia in Sancto altari deuotè, ac reuerenter per Sacerdotes conficitur, offertur, ac sumitur, & etiam quando extra Missam exposita a fidelibus visitatur, & colitur: *Per dies singulos* (inquit) *omni tempore, in orbe terrarum*. Propter hoc de Eucharistia inquit scriptura. *Illic lude*. Et tandem post ludos istos subijcit conceptiones nostras, quas ante Eucharistiam agere debemus: *Lude, & age conceptiones tuas*, inquit: Post prædicta omnia vestras agere debetis conceptiones, vos signanter, qui a conceptione vocamini, vt etiam verè dicatis cum Israelitis: *A facie tua Domine concepimus*: Hoc est ante Christum Dominum in Eucharistia stantes, & ex eiusdem præsentia prius mente concipere debetis. Concipio enim est idem, quod, simul capio, & appræhendo; Vnde fœmina etiam, de qua cum scriptura exemplum sumpsimus, tunc concipere dicitur, cum genitale semen a viro appræhendit ad fœtum formandum. Itaquè, & vos ex Eucharistię præsentia concipite primum (vt iam docui) in vobis ipsis bonum desiderium, verum, & firmum simul, pœnitentię, ac bonorum operum propositum pro futuro: Curateque, ac laborate quantum potestis, vt hoc ipsum, quod statueritis, opere impleatis, tanquam post conceptionem parientes, & quasi parturientes vestræ salutis spiritum, Christoque in Sacramento verè dicentes. *A facie tua Domine concepimus, & peperimus, & quasi parturiuimus spiritum salutis: Parturio* enim verbum est desideratiuum *a pario*. & idem significat, quod, *in pariendo laboro*, vel, *laboro vt pariam*, vt tradunt grammatici.

Hinc Plinius lib. 20. cap. 21. *Constat, parturientes folijs substratis celerius solui.* Hinc & Cicero. *Vtinam aliquando dolor populi Romani pariat, quod iamdiu parturit.*

De nobis .n. Dominus conquæritur Isa. 37. *Venerunt filij vsq; ad partū, & virtus non est pariendi.* Et de sodalibus nonnullis Conceptionis specialius hæc dicta videntur. 6
Hi namque præcipuè Mariæ filij dici possunt, propter specialem deuotionis obseruantiam scolæ suæ erga immaculatam Conceptionem eius: Verùm de his filijs suis conquæritur in hunc modum Sanctissima Mater: *Venerunt filij vsq; ad partū, &c.* Puto quidem, charissimi, imino pro certo habeo, quòd nunc omnes, vel quasi omnes à facie Domini ex præsentia Christi

4 Sic in prędicto sermone: Aliud adhuc addamus ternarium ad laudem Trinitatis Sanctissimæ, necnon & augustissimæ Eucharistiæ ex eodem Bonauentura in Breuiloquio suo, 6. par. 9. cap. de Eucharistia. *Quoniam ergo nutrimentum nostrum quantum ad esse gratuitum attenditur in vno quoquè fidelium per conseruationem deuotionis ad Deum, dilectionis ad proximum, & delectationi intra se ipsum: & deuotio ad Deũ exercetur per sacrificij oblationẽ, dilectio ad proximum per vnius Sacramenti communionem, & delectatio intra se ipsum per viatici refectionem: Hinc est, quòd principium nostrum reparatiuum istud Sacramentum Eucharistiæ dedit in sacrificium oblationis, & Sacramentum communionis, & Viaticum refectionis: Quia ergo principium nostrum reparatiuum, non tantum est sufficientissimum, verum etiam sapientissimum, cuius est omnia agere ordinatè, ideò sic dedit, & disposuit nobis Sacrificium, Sacramentum, & Viaticum exhibere, secundum quod competit tempori gratiæ reuelatæ, statui viæ, & capacitati nostræ.* Omnia hæc ibi S. Bonauentura noster, quæ etiam immediatè diffusius, & clarius explicat, vt videre est apud illum. Aliatis modo contenti sint Sanctæ Trinitatis Discipuli.

5 Quia ergo, *Omnis caro ad simile sibi coniungetur, & omnis homo simili suo associabitur*, sicut ipsa scriptura immediatè subdit: Idcirco & vos, Sanctissimæ Trinitatis Confratres, quia & eidem Trinitatis nomen dedisti in sodalitio eius, & ab ipsa pariter Trinitate idcircò vocamini: Sicut hac ratione Eucharisticæ carni, in qua multiplicem Trinitatem esse ostendimus, assimilamini, sic eidem quoque libenter vos coniungi, & associari inprimis dignũ & iustum est: Verum, videte, & attendite, quid ipsa scriptura ibidem adhuc subinferat: *Si communicabit lupus agno aliquando sic peccator iusto*: Non communicant certè inter se, vel conuersantur lupus: & agnus. Mysticè enim locutus est Isaias cum dixit: *Lupus, & agnus pascentur simul: Ecce agnus Dei*, fratres hoc primum enim dicit Sacerdos Eucharistiam fidelibus communicandis ostendens, vt, nimirum, si quisquam inter eos lupus est, cum hoc Dei agno communicare nullo modo præsumat: nec, si peccator, cum eodem iusto: quia hoc indecens nimis est, & sacrilegum est, & eidem quam maximè iniuriosum: *Quanam igitur erit nobis excusatio*, (ait Chrisostomus) *cum talibus pasti, talia peccemus, cum lupi fiamus agnum comedentes. Quia rapacitas Lupi cum agni inocentia non conuenit, nec auari rabies cum modestia simplicis*; *Nulla communicatio immunditiæ cum mundicia*. Sic Chrisostomus ait: *Si communicabit lupus agno aliquando, sic peccator iusto*, inquit scriptura: & immediatè post hæc sic rursus. *Quæ communicatio homini Sancto ad canem? vt quæ pars diuiti ad pauperem?* Et respondit interrogationi scripturæ, eiusdem scripturæ Glossa hoc modo: *Nulla enim communicatio immunditia cum mundicia*; Ideo ait Nicolaus de Lyra ad hæc ipsa verba: *Sicut lupus rapax esse non debet, qui dignè de Christi corpore communicare vale, sic nec etiam canis, scilicet, rixosus, iracundus, & gulosus*, Item *qui ad peccatorum depositum vomitum iterum reuertitur*, sicut eandem verba explicat Vgo Cardinalis. Hinc Salomon, etiam Prou. 16 *Sicut canis qui reuertitur ad vomitum suum, sic imprudens, qui iterat stultitiam suam*: Et citatur hoc ab eadem Ordinaria Glossa hoc loco. Itaquè, & vos N Trinitatis Sãctissimę consodales, mementore, carnẽ ad carnem quidS coniungi, non tamen indifferenter omnem carnem omni carni, sed tantum similem simili (*Omnis caro* inquit scriptura nostra) *ad similem sibi coniungetur*: Sicut ergo in Trinitatis titulo, Christo in Eucharistia assimilamini, ita etiam in sanctitate, & iustitia coram ipso omnibus diebus vestris eidem assimilari semper curate: sicque semper eidem dignè coniungamini, dignè illam semper colentes, ac suscipientes. Amen.

SERMO

SERMO TRIGESIMVS SEPTIMVS,

Pro Confratribus Corporis Christi, Ante Eucharistiam expositam.

Facio Pascha cum Discipulis meis. S. Matth. cap. 26.

ARGVMENTVM.

Cum veris tantum Discipulis, qui dilectionem operantem habent, Eucharisticum pascha facit Christus, & illi vicissim cum illo.

FIDELIS sermo, & omni acceptione dignus, qui de corpore Christi est in Eucharistia, & ad eiusdẽ Christi corporis scolares dirigitur, & cuius etiã initium, argumentum, ac fundamentum, verba sunt, quæ idem Dominus ad primos suos, & corporis sui scolares ac discipulos, habuit, quando veteri paschate cum eisdem in vltima cœna celebrato, cum eis pariter nouum aliud pascha nouæ legis celebrare disposuit: Vnde dixit etiam: *Desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum antè quam patiar*, quum, inquam, iam pascha ipsum celebrare cum eisdem inciperet: hęc, nimirum: *Facio pascha cum discipulis meis*: Hęc ergo, quæ tunc ad primos discipulos suos, & corporis sui scolares Diuinus Magister pronunciauit iterum & ego renuntiabo ex eius nomine ad vos, qui præ alijs omnibus fidelibus singulari ratione, eiusdem Christi, & corporis eius scolares estis, & vocamini, illius sodalitio adscripti, vt etiam maiori præ illis pietate, deuotione, ac reuerentia, Sanctum hoc Domini pascha cum ipso magistro vestro facere, & vos semper studeatis, sicut ipsum præsertim scolaris corporis Christi nomen, & institutum specialius expostulat, & idem Christus, magister vester imprimis: Eiusdem enim ad scolares suos potissimum sunt verba illa, quæ audistis ab initio. *Desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum.*

Vt & vos ergo hoc ipsum cum magistro vestro pascha manducare desiderio desideretis, hæc eiusdem priora verba, quæ elegimus, diligenter audite, & sollicitè considerate: *Facio pascha cũ Discipulis meis.* Ante omnia verò aduertendum est, ac firmiter asserendum, quòd dum cum discipulis suis se facere pascha Dominus declarat, non de omnibus discipulis suis hoc ille intelligit, nec intelligendum est a nobis, sed de illis tantum discipulis, qui verè sunt discipuli eius, non voce tantum, vel nomine, sed re, & nomine simul, qui .s. non solum discipuli vel scolares Christi, & Christi corporis vocantur, & in scola eiusdem conscripti sunt, sed qui factis etiam hoc ipsum comprobant, quod dicuntur, vel profitentur: Et Iudas enim Christi discipulus erat, sed nomine tantum, nõ re, vel factis talis erat: re vera autem eiusdem magistri sui inimicus, & traditur pessimus; & ideo cum tali discipulo non desiderabat sanctissimus magister pascha suum facere, sicut cum alijs veris discipulis suis; Immo hoc eidem displicuit vehementer, & non parum de hoc ipso & doluit, & conquæstus est. Audiamus, ex Diuo Bernardo in sermone secundo, In Cœna Domini: Sic enim scribit de veris Christi discipulis, & de Iuda discipulo falso: *Sigillatim elegerat duodecim, sed vnus diabolus erat Iudas Iscarioth, qui contra Dominum leuauit calcaneum, de quo ipse dixit: Vt impleatur scriptura: qui manducat panem meũ, leuabit contra me calcaneum suum. O Iuda in-*

felix, Dominicum panem manducas, & contra Dominum calcaneum leuas. Sic S. Bernardus de primis Christi discipulis, & de Iuda signanter, postea sermonem conuertens ad Christianos omnes primorum illorum discipulorum successores, quales estis vos præsertim sic lamentatur: *Heu quanti Iudæ, qui panem Domini manducant, & Dominum in operibus suis calce percutiunt.* Hinc tertiò idem sanctus ad religiosos, & clericos omnes, & ad sacerdotes specialius eadem lamenta, & querelas continuat, quæ cum prædictis operæ pretiũ duxi hic similiter recensere. *Quanti de altari viuunt* (ait) *qui altari non seruiunt: imo Dominum altaris pro nihilo ducunt. Heu* (*quod magis dolendum est*) *quanti sacerdotes, sed falsi sacerdotes, qui panem Christi, corpus Christi sumunt ore, & Christum conculcant pede, putridi fœtore luxuriæ, infecti veneno nequitiæ: Isti sunt Iudæ Iscarioth, qui nisi se in melius commutauerint, vtinam nati non essent.* Hęc omnia Sanctus Bernardus ocasione Iudæ mali discipuli.

3 Quibus etiam de eodem malo discipulo tria alia in scriptura notabilia subijcio: Primum est, quòd, *post bucellam introiuit in eum Satanas.* Ioan. 13. secundùm, quòd *abiens laqueo se suspendit* Matt. 27. *Et suspensus crepuit medius, & effusa sunt omnia viscera eius.* Act. 1. Tertium deniquè, quòd de malo illo discipulo suo, antè hæc omnia dixit idem Magister, Matth. 26. *Bonum illi erat, si natus non fuisset homo ille.* Scripta sunt enim hæc omnia de hoc malo discipulo, & Magistri sui traditore ad correptionem nostram, & eorum maximè, qui se Christi similiter, & corporis sui discipulos dicunt, & de hoc ipso non modicum gloriantur, quos idcirco cum eodem Bernardo rursus sic confidenter alloquar. *Vos ergo, fratres mei discipuli Christi, cogitate quid Iudas Scarioth fecit, & videte ne consimilia faciatis. Iudas contra Christum leuauit calcaneum suum, vos autem illi prosternite corpus, & animam. Iudas ab illo recessit, vos autem sequimini illum: Iudas vendidit illum Iudeis, vos autem vendite quæ habetis, vt possitis comparare eum. Non solum autem quæ habetis, sed etiam vosmetipsos præ amore tantæ pulchritudinis margaritæ pro nihilo reputetis, & illi soli placere quantum potestis, contendite.* Hæc est S. Bernardi pia admonitio in eodem citato sermone.

4 Admonitionem modo Sãcti Ioannis Chrisostomi, quam etiam Ecclesia repetit, audiant ijdem Eucharistiæ scolares signanter, vt sciant, quomodo pascha cum magistro suo celebrare debeant, ad quod, & ego eosdem nunc præcipuè suadeò, verba Domini illis prædicans. *Facio pascha cum discipulis meis. Nullus itaquè Iudas assistat, nullus auarus, nã tales mensa non suscipit: Si quis est discipulus, adsit: ait enim, cum discipulis meis facio pascha.* Si autem ijdem discipuli, quos modo conuenio, adhuc vlterius scire cupiant, qui nam sint veri Christi discipuli, cum quibus solummodo, & non cum falsis dicimus velle magistrum suum pascha facere, & quomodo etiam tales esse, & ab omnibus, etiam cognosci possint ab eodem magistro statim, & facilime scire poterunt, nam hoc ipsum a Sanctissimo quodam eiusdem discipulo, & & inter alios magis magis ab eodem dilecto, Ioanne videlicet, notatum est cap. 13. historiæ suæ Euangelicæ, in verbis istis. *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem*: Dilectio enim proximi, quę a dilectione Dei manat, & vnũ & idem est cum ipsa, & peccatum quodcunque lethale excludit, veros Christi Discipulos facit, & ostendit. De charitate enim ait Salomon in Prou. c. 10. *Vniuersa delicta operit charitas*: & Petrus in 1. cap. 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum.* Charitas ergo, & dilectio Dei, & proximi, quæ nullum omnino mortale peccatum secum in anima com patitur, veros Christi, & corporis eius discipulos sola facit: Hi soli qui hanc habent ad inuicem dilectionem scolares verè sunt Sanctissimi Sacramenti, in quo est corpus, & sanguis Christi, & ipse totus Christus: per hanc dignoscuntur ab alijs, qui tales non sunt, & per opera virtuosa simul, quæ ab eadem charitate procedunt: Quia, *si amor est, magna operatur*, vt ait Gregorius. *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis si dilectionem habueritis ad inuicem*, inquit Dominus: Non in alijs, *quæ etiam, non mei habent*, inquit interlinealis glossa.

Verè ex vestibus proprijs, ex vexillo, ex facis, ex imagine aliqua, vel stemmate, & ex alijs quibuscunque exterioribus disciplini cognoscuntur ab hominibus, quod sint hi, vel illi hoc est: huius, vel alterius scolæ, confratriæ, aut sodalitatis scolares, confratres, aut sodales, sed non est hæc vera, ac sufficiens cognitionis, vel distinctionis ratio 5

& funda-

fundamentum, nempe: Nullum horum sigillatim, nec ista omnia simul probant, vel probare possunt, quemquam vere discipulum vel scolarem esse istius, vel alterius scolæ, aut societatis, sed extrinsece solum, & imperfectè valdè: sola dilectio, quæ distinguit, teste Aug. & alijs, inter filios Dei, & inter filios Diaboli, etiam inter veros Christi Discipulos verè distinguit, ac certissimè: & non solum apud Deum ipsum, sed etiam apud homines: ait enim Christus iisdem discipulis suis: *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem.* Hæc enim (vt diximus) virtuosè operari facit: quia *nunquam est Dei amor otiosus*, (vt inquit Greg.) *operatur enim magna si est*: Discipulos enim Christi, Christi amor opera mandatorum suorum operari facit inprimis, secundum illud eiusdem Magistri ad eosdem discipulos suos: *Si diligitis me, mandata mea seruate.* Ioann. 14. Hinc idem Ioannes in prima sua epistola, capite secundo, scriptum reliquit: *Si quis dicit, quoniam diligo Deum, & mandata eius non custodit, mendax est.* Amor Christi scolares omnes cuiuscumq; scolę illa operari facit, quæ suæ scolæ, ac regulę propriç sunt mandata, instituta, regulas, ceremonias, piasque consuetudines. In Sanctissimi Sacramenti scolaribus illa præstat Christi amor, quæ ipsum sui corporis, ac sanguinis Sacramentum concernunt, ipsius cultum, scilicet, reuerentiam, deuotionem, ac frequentem communionem præsertim: si tales sunt huius scolæ scolares, veros se illius scolares comprobant: Certissimum, ac infallibile est hoc verorum discipulorum signum ab ipso magistro Christo assignatum *In hoc cognoscent omnes, &c.* Et cum his solum discipulis idem Magister pascha se facere manifestè declarat, idem eis Sacramentum impertiens, ac dicens: *Facio Pascha cum discipulis meis.*

6 Hinc idem Dominus, vt hoc pascha nouum dignè, ac frequenter discipuli sui fideles omnes secum semper faciant, quia sine dilectione, & amore eius id fieri nequit (sicut nec eius discipulus est, qui eo caret) hunc eisdem amorem, post ipsius Sacramenti institutionem obnixe a Patre deprecatus est sicut scripsit Ioan. 17. cap. *Vt omnes vnum sint*, ait. Et iterum clarius: *Vt dilectio, qua dilexisti me, in ipsis sit*: Quod etiam Isaiæ cap. 8. alijs verbis fuerat prænuntiatum: *Liga legem; signa testimonium in discipulis meis*: Sic enim ibidem Dominus pro eisdem discipulis Patrem rogat, vt dilectionem, quam legem suam dixit, quia, *plenitudo legis est dilectio*, Discipulis suis concederet, a quibus nunquam abscederet, quasi cum eisdem alligata: dilectionem, inquam, quæ firmissimè testatur, eam habentes, discipulos esse Christi, & est ipsius discipulatus manifestissimum, infallibiliquè signum, & indicium, per quòd, vt verè discipuli, ab omnibus cognoscerentur, ipsius magistri testimonio, vt dictum est. Eia ergo, discipuli Christi, veri discipuli, ac scolares estote: charitatem, & vos instanter ab eodem efflagitate, vt tales esse possitis, vt sic, verè Pascha cum eodem magistro vestro facere possitis qui ait: *Facio pascha cum discipulis meis*. Pro his omnibus autẽ verè, id quòd pascha significat adimplete. *Moneo vos, vt pascha celebretis*, (inquit Ambrosius) *vt transitum faciatis*. Et Gregorius. *Bonus transitus transire de peccato ad iustitiam, de vitijs ad virtutes*: Si sic transibitis, dignè pascha facietis, Amen.

SERMO

SERMO TRIGESIMVS OCTAVVS.

Pro ſcolaribus doctrinæ Chriſtianæ. Ante Euchariſtiam expoſitam.

Apprehendite diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus, & pereatis de via iuſta. Pſal. 2.

A R G V M E N T V M.

De Euchariſtia verba hæc explicantur ſecundum varias eorum translationes; & duas potiſſimum; vt Chriſtianæ diſciplinæ diſcipuli inprimis dignè ipſam Euchariſtiam apprehendant, & cum illa veram pariter diſciplinam.

1 PROPRIVM non ſolum eſt diſcipulorum, ſiue ſcolarium omnium, magiſtrorum ſuorum doctrinam ac mores apprehere, ac imitari, ſverum etiam conſueuerunt quamplures ipſum etiam nomen doctorum ſuorum ſibi aſſumere, ab eodemquè denominari: Hinc olim a Pithagora ac diſciplina eius Pithagorici, ſiuè Pithagorei ſunt appellati diſcipuli eius: ſimiliterquè a Socrate Socratici, a Platone Platonici, ab Ariſtotele Ariſtotelici, ſicquè de alijs multis: Nouiſſimis verò temporibus a Chriſto Domino, & a Chriſtiana diſciplina Chriſtiani pariter omnes vocati ſumus, & vocamur: Inter Chriſtianos autem, vos ſignanter, fratres, non tantum Chriſti doctrinam, & ipſum commune Chriſtiani nomen cum alijs habetis, & ſequimini, ſed ipſo etiam Chriſti, & Chriſtianæ doctrinæ vocabulo inſigniri prçelegiſtis, dum diſcipuli, ſiue ſcolares doctrinæ chriſtianç nominari voluiſtis, vt ipſam etiam doctrinam eius, ac diſciplinam, & ſollicitius apprehenderetis, & ſeruaretis perfectius, quod & ipſa nominis nuncupatio, & ſcolæ ac ſocietatis veſtræ profeſſio indicat, ac ſupponit.

Vnde hoc ipſum modò ex pſalmo vobis 2
rememoro, dicens vobis. *Apprehendite diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus, & pereatis de via iuſta*; vt, ſcilicet, ſic magno ſtudio, ac humilitate præ alijs omnibus Chriſtianis vos ſubijciatis Chriſti, & Eccleſiæ præceptis, ac concilijs, integrè, ac perfectè, quantum poteſtis, cuſtodientes ea: & hoc, *quaſi præſidium, ac munimentum* (vt Interl. exponit) *aduerſus omnia, quæ obeſſe poſſunt*, quod etiam indicant ſequentia verba. *Nequando iraſcatur Dominus, & pereatis de via iuſta*, nempe, ne vobiſcum, tamquam cum diſciplinæ ſuæ violatoribus (quam tamen re, ac nomine ſpecialiter profitemini) *iraſcatur* Chriſtus, *& pereatis de via iuſta*, id eſt de via vitæ æternæ, de bonorum remuneratione, & fœlicitate, ſicut Genebrardus exponit, ſecundum Hebreorum lectionem. *Ne fortè iraſcatur, & pereatis in via*: legit Pagninus, hoc eſt, ſecundum eundem Genebrardum: *Ne ſubito, & in media via abſumamini, ne Dei ſubitus furor vos perdat, quando adhuc in itinere conſiſtitis*. Et hæc, diſciplinæ ſiuè doctrinæ Chriſtianæ ſcolares, vobis pro nunc de ipſa Chriſtiana doctrina obiter indicaſſe ſufficiat.

Alium nunc vobis referam oportuniorem 3
horum verborum ſenſum: *Apprehendite diſciplinam*, pro Euchariſtia, nimirum, de qua hic principaliter intendimus. Nicolaus de Lyra hæc pſalmi verba exponens, ſenſu tamen alio, ſic ſcribit: *In Hebreo ſunt ibi duæ*

dictio-

dictiones equiuoca: Prima est verbum Hebraicum, Nasse Ku: *& significat. Apprehendite, & adorate, & osculamini: tamen frequentius accipitur pro osculamini: Alia dictio est*, Bar, *& significat disciplinam, & puritatem, & filium, tamen frequentius accipitur pro filio*: Sic ibi Lyranus noster, & postea explicans similiter reliquam eiusdem versiculi partem: *Ne quando irascatur Dominus, &c.* coniungit prioris verbi, scilicet *Apprehendite* interpretationes cum interpretationibus secundi verbi, nempe *Disciplinam*: singulas reddendo singulis, primam scilicet prioris verbi interpretationem primæ similiter secundi verbi interpretationi, secundam secundæ, & tertiam denique tertiæ, hoc modo: *Si non apprahendatis eius disciplinam: Vel, si non adoretis eum pura, vel, si non osculemini filium.* Hinc ad Eucharistiam nonnulli referunt hæc psalmi verba, & hanc eorum glossam ex Lyrano: Pro illa enim mysteriosa multum, ac consideratione digna videntur, & doctrinæ Christianæ scolaribus præterea specialiter conuenire pro eadem Eucharistia, de qua ad eosdē nūc verba facio. Vos itaque, Christianæ disciplinæ scolares, in Eucharistia inprimis apprehendite disciplinam, & doctrinam Christi, vt iam exposuimus: in ea enim est veraciter idem Christus doctor; ac magister noster, qui ore proprio, suis dixit discipulis. *Vos vocatis me Magister, & Dominus, & benedicitis, sum etenim.*

4 Vnde hac ratione, de ea item Eucharistia id non immerito (vt puto) pronunciabimus, quod cap. 8 libri Sapientiæ scriptum est. *Doctrix est enim disciplina Dei*: Eucharistia dici potest dotrix disciplinæ Dei, quia secretò saltem docet nos disciplinam Dei filij Iesu Christi Domini nostri in ea realiter contenti; Idem enim est realiter doctrina in doctore, quòd disciplina in discipulo: & est propriè eruditio, quā à præceptore discipulus accipit: sic enim scolæ tradunt: sicque etiam iura loquuntur, & presertim leg. Si pendentes § si serui ff. de vsufr. Præterea in Eucharistia apprehendentes disciplinam, etiam *adorate puritatem*, quæ erat secunda, verborum interpretatio, puritatē, dico, ipsum Christum Dominum: *Candor est enim lucis æternæ, & speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius.* Ideoq; anthonomasticè, & absolutè ipsa puritas hoc loco vocatur, & proinde sub puritatis nomine eum in Sacramento adorare iubemur: *Adorate puritatem*, quòd tertia adhùc verborum explicatio sequens magis manifestè declarat. *Osculamini filium.* Vnde S. Chrisost. hom. 61. ad pop. Ant. de Eucharistia loquens, ait. *Fœtente quidem ore tuo Regem osculari non eligeres: Regem verò, cœli fœtenti anima deosculari*: Est enim filius Dei & Virginis simul, qui & puritas vocatur, quem in Eucharistia prius adoramus, & postea osculamur etiam, & sumimus. Canon .n. de illa est, ex Aug. *Nemo autem carnem illam manducat, nisi prius adorauerit.*

5 Vel alio hoc modo etiam liceat nobis hæc combinare verba. Apprehendite: Adorate: Osculamini increatam sapientiam, ipsam puritatem, filium, nempe, vnigenitum, ac primogenitum Dei Patris, & matris Virginis in Eucharistia: Datum est enim Euangelico Sacerdoti id, quod petebat quidem, sed minime obtinebat sinagoga ab antiquis temporibus, sic exclamans. *Quis det te fratrem meum sugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris, & deosculer.* Cant. cap. 8. Vel secundùm Hebraicam lectionem. *Quis det te vti fratrem mihi.* Cupiebat Ecclesia sponsa eundem Dei filium fratrem suum fieri per humanæ carnis assumptionem: cupiebat, petebat, sed nemo illū illi dabat. *At vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere*, quando idem Dei filius *propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis, & incarnatus est de Spiritusancto ex Maria Virgine, & homo factus est*: Tunc enim *matris sua*, vt 70. transferūt, & matris nostræ etiam vbera suxit, vlz., eiusdem Virginis, quòd celebrando siccantaipsa Ecclesia. *Nesciens Mater Virgo virum peperit sine dolore, Saluatorem sæculorum, ipsum Regem Angelorum sola Virgo, lactabat vbere de cœlo pleno*: Item: *Beata vbera, quæ lactauerunt Christū Dominum*

6 Tunc etiam non confundebatur homines vocare fratres, sed ore proprio, dicebat de hominibus ad homines. *Ite nunciate fratribus meis*: tunc, inquam, Ecclesia inuenit eum foris idest, extra cœlum etiam in terra, incarnatum nimirum, prius, & postea etiam sacramentatum, vt quidam loquuntur: & quidem, quum extra cœlum in terra hominem factum inuenit, osculari tantum tunc potuit: *Vt inueniam te foris* (inquit) *& deosculer*. Vel apud Grecos. *Inueniens te foris, osculabor te.* At post quam idem Sacramentum Eucharistiæ instituit, in quo nobiscum esse voluit, *omnibus diebus vsque ad consumationem seculi*, tunc etiam id quod in eisdem canticis subdi-

subditur, impletum est: *Apprehendam te, & ducam te in domum matris meæ: ibi me docebis:* per Sacerdotes suos continuò Dei filium de Cœlo, vbi nunc sedet ad Patris dexteram, quasi apprehendit, & ducit in materiali templo, quod domus sua, & nostra similiter dici potest. *Apprehendam te* (inquit) *& ducam in domum matris meæ ibi me docebis.* Pro bis enim sic Pagninus transfert ex hebreó textu. *Quis det te vti fratrem mihi suggentem vbera matris meæ: & Ducam te, venire faciam te ad domum matris meæ:* Caldaica Paraphrasis adhuc clarius ad rem nostram sic habet *In tempore illo reuelabitur rex Messias cœtui Israel &c.* Deinde sequentia sic. *Ducam te rex Messias, & introducam te in domum sanctuarij mei.* Hæc enim verba, Sacerdotum propria esse possunt, qui consecrando eundem Dei, & Mariæ Virginis filium quasi in Cœlo, siue de cœlo apprehendentes, in terram ducunt (in eodem tamen cœlo etiam simul & semel dimittentes) & venire faciunt ad domum, vel in domum materialem matris nostræ Sanctæ Ecclesiæ, quæ est ipsa Ecclesia materialis, siue corporalis, in qua quotidie per eosdem Sacerdotes ipsa Eucharistia quotidie conficitur, & offertur in missa Hinc Seraphicus Pater noster Sanctus Franciscus de eodem Dei filio loquens, & de eisdem Sacerdotibus, per quos ipsa quotidie cōficitur hoc idem sic testabatur, vt alibi retulimus: *Ecce quotidiè humilias se, sicut quando a regalibus sedibus venit in vterum Virginis: quotidie venit ad nos ipse humilis apparens: quotidiè descendit de sinu Patris super altare in manibus Sacerdotis.*

Non solum autem secundum Canticorum scripturam, & variam interpretationem eius, Sacerdotes nunc venire faciunt, ducunt, & introducunt de cœlo in Ecclesia Christum, dum in altari Eucharistiam conficiunt: & non solum etiam eundem apprehendunt, dum eum in communione recipiunt, sed præter hæc omnia, ab eodem insuper edocentur, & tunc præsertim apprehendunt disciplinam: *Ibi me docebis*, inquit scriptura: Et hoc speciale quod de Sacerdotibus dicitur, de laicis etiam fatendum est, nempè, eos similiter ab Eucharistia, edoceri, & ab ea apprehendere disciplinam, quod psaltes suadet: *Apprehendite disciplinam, &c.* Et liceat hoc ipsum exemplo etiam comprobare pro vtrisq;: De Stephano enim Clareualēsi Abbate legitur, quòd ex Eucharistia, quam sibi Columba in os misit, sic apprehenderit disciplinam, vt de trinitate postea etiam altissimè prædicaret, subtilissimèque dissereret.

Et vos ergo, disciplinæ, siue doctrinæ Christi scolares, sacerdotum saltèm exemplo prouocati, eamdem in Eucharistia apprehendite disciplinam, vt iam sœpè vos monui, sed potissimum in eadem adorate puritatem, hominum, scilicet, & Angelorum puritatem, Christū Dominum: Verum ipsā puritatem adorate etiā purè: Sic enim hæc eadem verba ex Hebreo transfert S. Hieron. Adorare verò purè puritatem Christum in Eucharistia est adorare eum purā ac perfecta adoratione, quæ latria dicitur, & est Dei propria. Vel adorare eum pura, ac simplici intentione, & sine fictione vlla, vel hæsitatione, firmiter credendo Dei filium, & Mariæ Virginis esse id, quod panis, vel vinum esse videtur: Vnde hæc ipsa verba alij etiam sic transferunt, *Adorate fasciculum spicarum*, & alij: *Adorate frumentum*, sicuti alij etiam: *Adorate filium*, vt sœpè diximus: Quia de facto vere Dei filius est, & Mariæ, qui panis videtur frumenti ex spicis educti. Tandem, ideò adorare purè iubemur Dei filium, quia sicut ille puritas ipsa est, quam in eadem Eucharistia adoramus: (Vnde dicitur etiam, *Adorate puritatem* pro *Adorate purè*) sic cum animæ puritate, puritatem ipsam adorare debemus.

Vnde S. Ambrosius in oratione ad missam præparatoria, quam & Ecclesia Sacerdotibus proponit, sic ipsum Dei filium orat, & orando interrogat: *Quanta enim, Domine Iesu Christe, cordis contritione, & lacrymarum fonte: quanta reuerentia, & tremore: quanta corporis castitate, & animæ puritate istud diuinum cœleste sacrificium est celebrandum, vbi caro tua in veritate sumitur, vbi sanguis tuus in veritate bibitur, vbi summis ima iunguntur, vbi adest præsentia Sanctorum Angelorum, vbi tu es sacerdos, & sacrificium mirabiliter, & ineffabiliter constitutus.* Hinc & S. Chrisostomus quasi respondens interrogatiuæ orationis S. Ambrosij, & ad illud verbum præsertim de puritate, cum qua ad Eucharistiam accedendum est, tradit, quòd cum summa puritate hoc præstandum est, hom. 24. in 1. cor. cap. 10. sic enim de Christi corpore ibi inter alia scribit. *Cum timore, & sūma puritate ad ipsum accedamus:* Quam summam puritatem idem etiam Dominus voluit lagena illa p[illegible] issimæ ac limpidissimæ aquæ, quam per Angelum Patri

Patri nostro Francisco ostendere fecit, vt vulgatum est: Itaque, vos præcipue fratres, qui a Christi disciplina ac doctrina vocamini, eiusdem puritatis doctrinam, ac disciplinam apprehendere præ alijs debitis, hoc modo pure eandem, apprehendentes Eucharistiam, & in ea Iesum Christum Dominum nostrum: Ne quando irascatur idem Dominus, & pereatis de via iusta, in viam mortis æternæ ruentes: *Qui enim manducat, & bibit indignè, iudicium sibi mãducat, & bibit.* Quin potius per viam iustam eatis omnes mecum in vitam æternam. *Qui enim manducat hunc panem, viuet in æternum.* Amen.

SERMO TRIGESIMVS NONVS.

Pro Sodalibus Confraternitatis Immaculatæ Conceptionis Beatæ Mariæ. Ante Eucharistiam expositam.

A facie tua Domine concepimus, & peperimus, & quasi parturiuimus spiritum salutis. Isa.c.26

ARGVMENTVM.

Immaculatæ Conceptionis Mariæ Cõfratres, sicut illam singularius colunt, sic eiusdem exemplo debent potissimum quando ante Eucharistiam sunt, Christum in corporibus, & in animabus suis per deuotam Communionem concipere, & firmum simul suæ salutis propositum, & omni studio prаterea quæ tũc proponunt, tãquã parturiẽtes & pariẽtes executioni mãdare. Hinc, quia in festo S. Mariæ ad Niues hæc dictare contigit, niuis miraculum ad eiusdem Virginis, & Cõceptionis eius singularem puritatis candorem variè refertur.

NON vnum tantùm nunc habetis, Conceptionis Mariæ pij cultores ad mysticam Cõceptionem vestram stimulum, vel incentiuum, sed duplex quidem, vt mihi videor, & vtrũque pariter viuum, & efficax, ac penetrabilis omni gladio ancipiti, pertingens vsque ad diuisionem animæ, ac spiritus, ipsam, nempe, primò Dei genitricis Mariæ Conceptionem, quàm præ alijs fidelibus, specialius, colitis, & cui etiam nomen in scola vestra dedistis, quæ purissima, & immaculata fuit, & ab originali peccato prorsus immunis, & præterea, Christi filij eius in Eucharistia præsentiam, antequã nunc mecum statis, vt, scilicet, nunc quoque præcipuè, & vos spiritum, ac voluntatem firmam salutis vestræ concipiatis, & Eucharistiam ipsam in corporibus, & in animabus vestris: & sequatur etiam vtramque Conceptionem partus conformis, vt verè, & vos dicatis Christo Domino in eadem. *A facie tua Domine concepimus & peperimus & quasi parturiuimus spiritum salutis.*

Hac omnia clariùs, ac diffusius hodie exponemus. Insuper, quia in festiuitate Sanctæ 2
Mariæ ad Niues huiuscemodi nobis sermo
incidit, ipsam de niue historiam, & myste-

(ait Hebraica lectio apud Vatablum) *non intret ultimo, recipe te demum, nec desideas.*

Modò quid agendum est in hac domo nostra Ecclesia? suggerit hoc statim Ecclesiasticus ibidem: *Illic auocare te, & illic lude, & age conceptiones tuas, & non in delictis, & verbo superbo.* En conceptiones nostras in Ecclesia agendas monet Spiritus Sanctus: & quomodo etiam eędem agendæ sint, docet, vt postea audiemus, sed primò ante conceptiones istas duo alia indicit eisdem præstanda concipientibus: *Illic auoca te,* ait: Hoc est primum, quòd agas, *Illic*, nempe, in Ecclesiæ domo aduoca in alia domo, hoc est, in conscientia tua, teipsum, & cogitationes tuas intra te, & ad te colligendo: Vel *Aduocare*, vt sit verbum deponens, iuxta dumtaxat antiquam grammaticam: Hoc est: *Tu esto aduocatus, & aduocati officium facito, contra teipsum allegando: Tu sis reus, & aduocatus* (inquit Vgo Cardinalis hæc verba, explicans) *conscientia sit accusator, ratio iudex, & timor carnifex.* Post hoc verò aliud sequitur in Ecclesiæ, & propriæ conscientiæ domo peragendum: *Et illic lude,* ait, scilicet, *cum Domino, qui tecum ludit*, inquit idē doctor: Cum Christo Iesu Domino nostro: N. in Eucharistia spiritualiter ludere debemus, in pijs nos exercitijs ante ipsam occupantes, videlicet, in orationibus, meditationibus, deuotis lectionibus, &c. & hoc cum delectatione, & gaudio vt in ludis. Nam
5 in eadem Eucharistia idem Dominus nobiscum etiam ludit delectabiliter, sua mirabilia ostendendo, & gaudium, & lætitiam infundendo, vt tradit idem Cardinalis, quod ipsemet Christus ore proprio sic fatetur in Prouerbiorum libro cap. 8. *Et delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum: & deliciæ meæ esse cum filijs hominum.* Ludit verò hoc modo nobiscum in Eucharistia Dei filius, non per vnum tantum diem, sed *per singulos dies*, nec præterea in vno solum tempore, sed *in omni tempore*, nec tandem in hoc vel illo speciali orbis terrarum loco solum, sed *in toto orbe terrarum: Delectabar* (inquit) *per singulos dies, ludens corā eo omni tempore; ludens in orbe terrarum; & deliciæ meæ esse cum filijs hominum.* Singulis enim diebus, & horis per totum terrarum orbem hi mutui ludi fiunt inter Deum, & homines, quando ipsa Eucharistia in Sancto altari deuotè, ac reuerenter per Sacerdotes conficitur, offertur, ac sumitur, & etiam quando extra Missam exposita à fidelibus visitatur, & colitur: *Per dies singulos* (inquit) *omni tempore, in orbe terrarum.* Propter hoc de Eucharistia inquit scriptura. *Illic lude.* Et tandem post ludos istos subijcit conceptiones nostras, quas ante Eucharistiam agere debemus: *Lude, & age conceptiones tuas,* inquit: Post prædicta omnia vestras agere debetis conceptiones, vos signanter, qui a conceptione vocamini, vt etiam verè dicatis cum Israelitis: *A facie tua Domine concepimus:* Hoc est ante Christum Dominum in Eucharistia stantes, & ex eiusdem præsentia prius mente concipere debetis. Concipio enim est idem, quod, simul capio, & appræhendo; Vnde fœmina etiam, de qua cum scriptura exemplum sumpsimus, tunc concipere dicitur, cum genitale semen a viro appræhendit ad fœtum formandum. Itaquè, & vos ex Eucharistię præsentia concipite primum (vt iam docui) in vobis ipsis bonum desiderium, verum, & firmum simul, pœnitentię, ac bonorum operum propositum pro futuro. Curateque, ac laborate quantum potestis, vt hoc ipsum, quod statueritis, opere impleatis, tanquam post conceptionem parientes, & quasi parturientes vestræ salutis spiritum, Christoque in Sacramento verè dicentes. *A facie tua Domine concepimus, & peperimus, & quasi parturiuimus spiritum salutis: Parturio* enim verbum est desideratiuum *a pario.* & idem significat, quod, *in pariendo laboro*, vel, *laboro vt pariam*, vt tradunt grammatici.

Hinc Plinius lib. 20. cap. 21. *Constat, parturientes folijs substratis celerius solui.* Hinc & Cicero. *Vtinam aliquando dolor populi Romani pariat, quod iamdiu parturit.*

De nobis .n. Dominus conquæritur Isa. 37. 6
Venerunt filij vsq; ad partū, & virtus non est pariendi. Et de sodalibus nonnullis Conceptionis specialius hæc dicta videntur. Hi namque præcipuè Mariæ filij dici possunt, propter specialem deuotionis obseruantiam scolæ suæ erga immaculatam Conceptionem eius: Verùm de his filijs suis conquæritur in hunc modum Sanctissima Mater: *Venerunt filij vsq; ad partū, &c.* Puto quidem, charissimi, immo pro certo habeo, quòd nunc omnes, vel quasi omnes à facie Domini ex præsentia Christi

Eucharistica spiritum salutis, bonum, nempe, desiderium, ac voluntatem eorum, quæ ad salutem vestram vtilia, vel etiam necessaria sunt cõceperitis vere, vel cõcipietis saltẽ: ante Eucharistiam, nimirum, modò stantes, & orantes in hoc tam sancto & tam acceptabili orationis tempore quadraginta horarum, vt exposuimus: & hoc insuper tanto feruore, talique proposito, siue deliberatione, vt etiam ad partum, ipsum post cõceptum venisse videamini vobis metipsis saltem, & nihil iam desit, quin quasi parturiatis, & pariatis quę concepistis, ea, nempe, opere exequentes, & adimplentes, quæ iam mente firmiter, proposuistis, ac deliberastis. Verùm, non sic res se habet: *Venerunt* (inquit scriptura) *filij vsque ad partum, & virtus non est pariendi. Fœtus ad proximum peruenit* (inquit Vat. ex Heb.) *& parienti vis enitendi destituit*, & Pagn. similiter ex Hebr. *Venerunt filij vsque ad rupturam alui, & virtus non ad pariendum*: Et Chaldeus. *Sicut mulierem quæ sedet ad pariendum, & non est robur, vt pariat*: Et denique 70. Interpretes. *Venit dolor parienti, virtutem autem non habet ad pariendum.* Sic & vos, ô Conceptionis filij, concipitis verè modò præsertim à facie Dñi, ex præsentia Chri in Eucharistia concipitis cum deuotione, ac feruore magno spiritum salutis, spiritum salutarem, bonam voluntatem, desiderium sanctum, piumquè propositum de salute, siue saluatione vestra, veram potissimum proponendo, ac statuendo vitæ vestræ emendationem, & insuper mandatorum Dei & Confraternitatis vestræ institutorum perfectam obseruantiam, itaut iam præ magno spiritus ardore, ac vehementia, hæc omnia iam actu præstare videamini, nihilominus verè hæc non facitis, non est in vobis vera vis, vel virtus pariendi hoc est firma resolutio, vt dicitur, voluntas efficax, ac omnino deliberata ista perficiendi, & ad actum deducendi. *Venerunt filij vsque ad partum, & virtus non est pariendi*: Vel *ad pariendum*. Cùm tamen vnicuique vestrum sermo Diuinus, quem audistis, vobis sic inculcet: *Age conceptiones tuas*, & cum præterea iuxtà hoc veri conceptionis filij præsertim ante Eucharistiam existentes, illud etiam in veritate canant, quòd & nos toties modo repetimus. *A facie tua Domine concepimus, & peperimus, & quasi parturiuimus spiritũ salutis*. Hoc est, quod mente cogitauimus, opere compleuimus, pro hoc ipso ad Dominum suspirantes, gementes, & flentes in hac lacrymarum valle: sicque virtus pariendi, quæ nobis ante non erat, nunc verè adfuit nobis, ex quo vera ac completa conceptio nostra apparuit, sicut verè à conceptione dominantur immaculatæ Deigenitricis Mariæ.

Ad hanc ipsã enim vos instanter hortatur
idem Dominus in scripturis: Mich. 4. dicens. 7
Dole, & satage filia Sion quasi parturiens. Quæ parturit mulier, iam concepisse supponitur, parturire verò solet, antequam pariat, hoc est summè dolere, & cruciari ob hoc ipsum, vt dictum est. Idcirco ait Dominus ad vnumquemque Conceptionis Mariæ deuotorum specialiter: Tu qui iam per bonum propositum spiritum salutis, eo modo, quo docuimus, concepisti, dole, & satage quasi parturies, nimirum, dole primum de peccatis tuis ex corde, & quantum potes, & propter Deum, præsertim, quem multum etiam peccando offendisti: *Et præterea, simul satage*. Quid est. *Satage ingemisce*, secundùm Pagninum ex Hebraico textu Vel; *gemitum age*, secundùm Vatablum ex eodem: Vel: *Contremisce*, secundùm Chaldaicum, itaut illud in te impleatur, quòd de verè dolentibus ac pœnitentibus scribitur Isa. 63. *Vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione spiritus vlulabitis.*

Vel aliter dicamus secundùm Grecam lectionem ex septuaginta interpretibus. *Dolesam, & viriliter age*, quia, nempe, vsquemodo ex illis es filijs, de quibus iam cum eodem Isaia scripsimus: *Venerunt filij vsque ad partum, & virtus non est pariendi*. Idcirco. *Dole nunc saltẽ & viriliter age, quasi parturiẽs*, Inte iam virtus parturiendi appareat, itaut de facto verè parias, & in veritate Christo dicas. *A facie tua Dominè concepimus, &c.* Propter hoc enim fortè, ijdem Conceptionis cultores, quos, prius apud Isaiam Dominus filios solùm vocat, quia, etsi post Conceptionem, vsque ad partum veniant, non est tamen illis virtus pariendi, quando tamen ad pariendum etiam actualiter se disponunt, filij Syon dicuntur, qui est Mons Ierusalem, qui aliàs mons Domini, & mons Sanctus dicitur: Vt, videlicet, per hoc significetur, quòd Domini sint, & sancti, quando postquàm conceperint, quasi partu-

parturiunt, & pariunt etiam spiritum salutis & præcipue, quando hoc ipsum faciunt, à facie Domini, propter præsentiam Christi in Eucharistia existentis, & ante ipsam pariter Eucharistiam constituti. Vnde hoc ipsum ad eiusdem Christi gloriam, & pro gratiarum actione illi etiam prædicant id, quòd & nos nunc prædicamus. *A facie tua Domine concepimus, &c.*

9 Verũ sciendũ est hoc loco, non ad illã tãtùm nos hortari Conceptionem scripturis, de qua iam latè egimus, sed ad aliam etiam. *Age Conceptiones tuas*, inquit Ecclesiasticus, in plurali, non in singulari, *Conceptionem tuam*. Quia ex filij Dei Sacramentali præsentia eundem etiam quasi matres & nos concipere debemus, non solùm per fidem, & amorem, sed corporaliter etiam, ipsum met in Sacramento per manum Sacerdotis recipientes in corporibus, & in animabus nostris, per deuotam communionem, & hoc tamquam alterius Mariæ Conceptionis etiam æmuli, quæ eundem Dei filium in Vtero suo purissime côcepit. Sic enim legimus. *A facie tua Domine concepimus, & peperimus, & quasi parturiuimus spiritum salutis: Deus autem spiritus est*, inquit Dei filius. Ioan. c. 4. Et spiritus salutis procul dubio: Isidorus enim, Plini, & alij scribunt viperam per os concipere, dùm, scilicet, consortis caput in os suum recipit. *Omnis viri caput Christus est*. 1. Cor. 11. Christus autem per serpentem se figuratum docuit verbis illis. *Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, sic exaltari oportet filium hominis*. Idem insuper nos etiam serpenti comparauit dicens: *Estote ergo prudentes sicut serpentes*: Sicut serpentes ergo prudentes & nos simus, caput nostrum Christum Dominum in ore sumentes in Eucharistia, sicque per conceptionem oris, ad conceptionem mentis eiusdem Christi perueniamus, quæ conceptione oris valde, est perfectior, sicut etiã *Beatior fuit Maria concipiendo fidem Christi, quam carnem Christi*, vt ait Aug.

10 Ne aliquis putat in eo, quod dicimus, Christum nos concipere, dum eum in Sacramento comedimus, nobis ipsis esse contrarios, dum pariter asserimus, inter ipsum & nos etiam ludos fieri in eadem Eucharistia: & pueri enim pomis in mensa ludunt, quæ postea comedunt: & nos etiam cantamus de eodem Christo; *Sicut malus inter ligna siluarum, sic dilectus meus inter filios*: Cantic. 2. Et prosequimur sic statim canticum. *Sub umbra illius, quem desideraueram, sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo*: Et minus obstat quòd etiam Mater Christi dicendi simus, quia dicimus, nos Christum in Sacramento concipere, parere, & quasi parturire, tanquam matres: *A facie tua Domine concepimus, & peperimus, & quasi parturiuimus*, quia hoc ipsum docet idem Christus: in Euangelio Mat. 12. *Quicumque fecerit voluntatem patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater, & soror, & mater est*: Voluntas verò Patris sui (sicut & sua etiam) est, vt corpus suum manducemus. *Accipite, & manducate, hoc est enim corpus meũ* Si enim in re quacumque facientes voluntatem eius, eius mater etiam sumus, absque dubio multó magis tales erimus in corpore suo manducando, quod ipse ore proprio mandauit nobis: Sicut vero mater eiusdem sumus eundem intus, per fidem, & amorem concipiendo, & in Sacramento sumendo, sic dum eundem verbo, vel exemplo in proximorum mente quasi parimus, vel parturimus, vel ad eundem communionem illos trahimus. Ait enim Hieronimus. *Isti sunt mater mea (ait Dominus) qui me quotidie in credentium animis generant*: Et Gregorius. *Quasi enim parit Dominum, quem cordi audientis infuderit, & mater eius prædicando efficitur, si per eius vocem amor Domini in proximi mente generatur*: Vt pij ergo conceptionis immaculatæ Mariæ æmulatores, & nos nostras agimus conceptiones, secundum Ecclesiastici consilium: *Age conceptiones tuas*: dum spiritum salutis concipimus, & Eucharistiæ Sacramentum: & post conceptionem etiam parimus & quasi parturimus vtroque modo, & hoc præsertim a facie Domini ex præsentia Christi, dũ ante Eucharistia (vt modo) stamus: Sicque eodem Christo in veritate dicentes. *A facie tua Domine concepimus* &c.

Reliquum est modò: vt sciamus, etiam modum vtriusq; conceptionis nostræ distinctius quo Mariæ conceptionem imitari possimus, sicut eandem etiam singularius celebramus: *Age conceptiones tuas* (inquit Ecclesiasticus) *non in delictis, & verbo superbo*, uel, *sermone superbo*, vt alij transferunt: Non in delictis, nec peccatis, fratres mei, concipiamus, & spiritum salutis ante Sacramentum, & Christum in Sacramento, *vt in tanti non pigeat, quod celebrare declarat*, vt Augusti. ait

Nam

Nimirum ipsa Mariæ conceptio, quam sodalitij vestri speciali cultu veneramini, purissima fuit, & ab originali peccato prorsus immunis.

Sic enim primum Franciscana Religio nostra, quæ ab ipso capite suo Francisco verbo atque exemplo edocta, eiusdem Virginis sanctissimæ, deuotissima semper fuit, & honoris, & gloriæ eius zelantissima, publicè asseuerare, & prædicare primum cœpit, pro hac ipsa veritate vbique terrarum multifariã, multisq; modis semper indefesse laborans: & tãdem nobiscũ alijs etiam Religiosis, Prælatis, Regibus, & multis Principis collaborãtibus, & apud Apostolicam sedem coagentibus, post constitutiones varias de ipsa conceptione, felicis recordationis Paulus Quintus speciali suo decreto mãdauit, & præcepit omnibus, & singulis cuiusuis ordinis, & instituti regularibus, & alijs quibuscunque, tam Ecclesiasticis, quam secularibus personis, cuiusuis conditionis, status, gradus, ordinis, aut dignitatis, tam Ecclesiasticæ, quam secularis, etiam si specialis, specifica, & indiuidua earum esset necessario mentio habenda, vt in posterum, donec articulus huiusmodi a Sancta Sede Apostolica fuerit definitus, vel per Sanctitatem suam, & Sedem Apostolicam fuerit aliter ordinatum, non audeant quicunque sint in publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus, & alijs quibuscunque actibus publicis, asserere, quòd eadem Beatissima Virgo fuerit concepta cum peccato origiali: Contrafacientes autem eadem Sanctitas sua voluit, & declarauit subiacere debere, & subiecit censuris, & pœnis contentis in supradictis constitutionibus suorum prædecessorum de hac eadem re, & sua ipso facto incurrendis: Post hoc autem rursus Gregor. XV. alio similiter speciali decreto supradictum Pauli V. decretum extendit, & ampliauit etiam, ad priuata colloquia, & scripta, mandans, & præcipiens omnibus, & singulis supradictis, ne de cætero, donec articulus huiusmodi a Sede Apostolica diffinitus, vel per Sanctitatem suam, & Sedem Apostolicam fuerit aliter ordinatum, neque etiam in sermonibus, & scriptis priuatis audeant asserere, quòd eadem Beatissima Virgo fuerit concepta cum peccato originali, nec de hac opinione affirmatiua aliquo modo agere, seu tractare, exceptis tamen quibus a Sancta Sede Apostolica fuerit super hoc specialiter indultum: Et insuper eadem Sanctitas sua, cum Sancta Romana Ecclesia de Beatissimæ Virginis cõceptione festum solemniter, & officium celebret, omnibus, & singulis personis Ecclesiasticis tam secularibus, quam cuiusuis ordinis, & instituti Regularibus mandat, ac præcipit, vt in Sacrosancto missæ sacrificio, ac diuino officio celebrandis, tam publicè, quã priuatim, non alio, quam conceptionis nomine vti debeant. Contrauenientes autem Sanctitas sua voluit, & declarauit subiacere debere, & subiecit censuris, & pœnis contentis in supradictis constitutionibus, ac præfato decreto suorum prædecessorum ipso facto incurrendis.

Hæc omnia ex eisdem prædictorum Pontificum decretis ad litteram trãscripsimus, & ipsa decreta etiam in fine sermonis huius integra, & fideliter apponemus ad horum omnium maiorem firmitatem: & ne alicui vllus relinquatur ambigendi locus de his, quę hoc loco de Sanctissimæ Virginis immaculata Conceptione scribimus ad eiusdem honorem, & gloriam, & deuotorum suorum ædificationem, vt sicut illa nullum actuale peccatum habuit, nec etiam veniale quantumcumque leuissimum, prout etiam Sancta Tridentina Synodus testatur: & in ipso præterea vitæ suæ initio, nempè, in conceptione originali etiam culpa prorsus caruit, sic & illi pariter omni studio curent vitam suam transigere sine peccato, graui saltem, vel lethali, ex quo in originali, velint, nolint, eamdem vitam inchoarunt. Vnde simul cũ alijs omnibus dolentes clamant. *In peccatis concepit me mater mea.*

Quia verò in festo Sãctę Marię ad niues de eiusdem conceptione hæc tradere nobis, cõtigit & in die Sabbati etiam, in quo de more officiũ de eadẽ Conceptione nos recitamus, sicut, quia idem festus dies erat pariter, quando in anno præterito de eadem Virgine, & de mortuis simul scribebam, idcirco aliqua de eodem festo, quæ ad rem facere videbantur pro eadem Virgine tunc notaui, sic etiam modò nonnulla, quæ mens fugerit, de ipso festo nunc proferam pro eiusdem Virginis, & Conceptionis suę candore, ac puritate, sicut iam premonui.

Magnum ergo, & admirabile mysterium, mihi videtur, charissimi, de Marię Virginis eximia Sanctitate, & de puritate Conceptionis

ptionis eius præsertim id ipsum, quod de eadem hodierna die cum Ecclesia celebramus, nonis, nimirum, Augusti, quo tempore in vrbe maximi calores esse solent (sicut, & ipsa experientia nûc omnes docet) quòd, inquam, in ipsa die, Liberio Summo Pontifice, cum nix partem collis Exquilini contexisset, Dei mater Ioânem Patricium Romanum, & coniugem eius in somnis admonuit (eorum preces, & vota ex animo ad hoc facta, benignè audiens) vt quem locum niue conspersum viderent, in eo Ecclesiam ædificarent, quæ Mariæ Virginis nomine dedicaretur, sicut vere factum est: In hoc enim ipsa Virgo tacitè, & sub mysterio indicasse videtur hoc ipsum, quod nos modo vobis expressis verbis de eiusdem Conceptione prædicamus, suum, nempe potissimum singularem, & admirabilem prorsus puritatis & innocentiæ candorem præcipuè. & cum hoc etiam perfectionis, ac sanctitatis suæ celsitudinem dum, super morem sibi domum elegit, in qua deuotius coleretur. & super montem præterea tunc ab eadem niue tam mirabiliter coopertum, nempe, ad eamdem domum in ipso monte sibi designandam in montis nempe altitudine sanctitatis suæ altitudinem quasi symbolizans, & niuis albedine suæ pariter puritatis candorem. Vtrumque autem, quia & ipsa altera domus Dei fuit, Dei videlicet mater alma, de qua & cantamus: *Domus pudici pectoris templum repente fit Dei, intacta nesciens virum, verbo concepit filium*: Domus Dei profectò, in qua, idem Dei filius, se fecit eius filium per humanitatem, quam in eius ventre Virgineo assumpsit, & in qua insuper nouem mensium spatio homo factus habitauit, antequam de ipsa domo, per natiuitatem suam exiret: Quia verò domus Dei Maria fuit, ideo etiam mysticè mons fuit, montibus idest Sanctis omnibus, & Angelis vniuersis semper in sanctitate eminentior, atq; sublimior.

Ita planè: *An non mons sublimis Maria,*
16 *quæ, vt ad conceptionem æterni verbi pertingeret, meritorum verticem supra omnes Angelorum choros vsque ad solium deitatis erexit?* inquit S. Gregorius in librum 1. Regum. Et idem ante hoc immediatè explicans prima illa eiusdem libri verba. *Fuit vir vnus de Ramathaim, sophim de monte Ephraim*, hæc scribit. *Montis Ephraim nomine beatissima Virgo Maria Dei genitrix designari potest: Mons quippe fuit, quæ omnem electæ creaturæ altitudinem electionis suæ dignitate transcendit*: Et Paulo inferius etiam explicat, cur mons Ephraim ipsa dicatur his verbis: *Sed rectè mons Ephraim idest frugifer, dicitur, de qua optimus fructus idest nouus homo generatur*: & infra aliam etiam rationem de hoc ipso sic reddit: *Rectè igitur mons Ephraim dicitur, quæ dum ineffabile dignitate diuinæ generationis attollitur, in eius fructum arida humanæ conditionis germina reuirescunt*. Est igitur mons Maria, & alijs montibus altior, quia super montes commoratur: & sicut est montibus altior, sic etiam est niue candidior, quia, sic etiam est Angelis, & sanctis omnibus sanctior, quemadmodum est illis, quoque purior: super niuem enim habitat, dum super montes domum habet niue candidatos.

Hinc præterea sicut a Gregorio, dicitur, 17
Mons Ephraim, sic etiam à Hieronymo, & ab alijs, mons libanus etiam appellatur, & in eodem monte etiam habitare narratur: Hoc autem tum propter suæ altitudinis sanctitatem, tum etiam propter puritatis suæ candorem: quia mons Libanus, & altissimus est, & niue semper coopertus. Et hac ipsa de causa idem Hieronymus testatur, quòd de illa a Salomone scribatur illud canticorum 4. *Veni de libano, veni coronaberis*: Veni. Nam venire de Libano iubetur tanquam in Libano stans, & Libano ipso, & alio quocumque altissimo monte altior, & candidior, siue caucassus ille sit, siue Olympus, vel alius, quia sanctitas, & puritas eius altam quacumquè creatam sanctitatem, & puritatem, siue hominum, siue etiam Angelorum transcendit: Docet hæc omnia idem Hieronymus manifestè dicens. *Non immeritò igitur venire de Libano iubetur, quia Libanus candidatio interpretatur: erat enim candidata multorum meritorum virtutibus, & dealbata niue candidior, Spiritus Sancti muneribus simplicitatem columba in omnibus repræsentans: quoniam quidquid in ea gestum est, totum puritas, & simplicitas, totum veritas, & gratia fuit, totum misericordia. & iustitia, quæ de cælo prospexit, & ideo immaculata, quia in nullo corrupta*: Hæc omnia S. Hieronymus caussam reddens, cur Virgo Maria Libanus dicatur, & de Libano etiam venire iubeatur in Canticis, & propter suæ sanctitatis celsitudinem, & puritatis candorem, quia Libanus

mons

mons, & altissimus est, & niue etiam candidissimus, vt dictum est.

18 Hinc eadem ratione de illa scribitur ibidem c. 5. *Species eius vt Libani*: & Isa. 35. *Gloria Libani data est ei*: Et rursus. *Gloria Lybani ad te veniat*. Item de eadem Eccl. *Veniens à Libano, quam pulcra facta est*: Et tandem illa etiam de seipsa. *Quasi cedrus exaltata sum in Libano*. Quia denique alij quidem sancti omnes môtes inferiores vocantur in scripturis ob sanctitatis altitudinem: sola Virgo Maria verò omnib. illis in sanctitate altior, nomen et altissimi montis habet, nempe, Libani, & ipso etiam Libano altior prædicatur, quia exaltata est in Libano, & de Libano venire perhibetur. Et præterea niui solùm illi omnes comparantur, & niue loti siue dealbati tantùm dicuntur, *Si lotus fuero, quasi aquis niuis*, dixit vnus ex eis de seipso Iob cap 9. *Sicut nix dealbabuntur in Selmon*, dixit alius de se, & de alijs, & in Psalmo 67. & iterum. *Mons Dei mons sanctus*. Et ad summum Ioãnes Baptista, quo nullus maior surrexit inter natos mulierum, nix etiam, vel niueus solùmodo ab ipsa Ecclesia prædicatur, ob insignem puritatis candorem. *Nesciens labem niuei pudoris*. Dei mater autem Maria, quia illis omnibus inconparabiliter omnino est purior, & candidior, Ideo de se ipsa ait per Dauid parentem suum. *Super niuem dealbabor*: *Erat et candidata* (inquit Hier.) *multis meritorum virtutibus, & dealbata niue candidior*.

19 Verè dealbata, & niue candidior Maria fuit, vt inquit ille, ab originali, nempe, culpa, & à quacumque actuali etiam semper purissima, alii verò sancti omnes, vt nix solùm candidi dicuntur, scilicet, in vita tantùm, ad summum, & non semper, non in Conceptione autem: & tunc etiam solùm à grauium peccatorum nigredine dealbati sunt, nô autem à nigredine leuium, vel venialium: nam illorum quemlibet in originali peccato concepit mater sua, vt de alijs omnibus aliàs diximus. Et præterea omnes etiam saltem maculam venialium peccatorum contraxerunt: quare de illa prædictum fuit, *Super niuem dealbabor*, de alius verò solùm *Sicut nix dealbabuntur*.

20 Sed quid de Maria dicimus? Parum hactenus de illa diximus, & minus valdè, quam dicere debemus. Non solùm super terestrẽ niuem Maria dealbata fuit, sed super cælestem etiam. Non solùm super homines pura fuit, sed etiam super Angelos: & Angeli enim niui propter puritatem itidem suam in scripturis assimilantur: Siquidem Angeli illius, quem Sanctus Ioannes in primo suæ Apoc. capite, sibi apparuisse narrat, caput, & capilli erant candidi, tanquam lana alba, & tanquam nix: Tradidit vero hoc manifestè Sanctus Anselmus eandem sic Virginem alloquens. *O benedicta super mulieres, quæ Angelos vincis puritate, & sanctos superas pietate*. Similiter Damascenus de Virgine ait. Ipsa namque Cherubinos superãs, ac supra Seraphinos euecta, propinqua Deo extitit. Idem docet S. Chrisost. alijs verbis, idem alij multi.

Præterea, ex hoc ipso, quòd Mariæ puritas puritatem Angelorum vincit, illusque celsitudinem superexcedit, aliud necessario inferendũ est, quòd, videlicet, ad ipsam Dei puritatem pertingat aliquo modo, cùm Angelorum puritatem transcendat: quia supra Angelos immediate solùm Deus est, nec datur inter illos, & Deum aliud medium. Cùm enim Secundùm Theologorum sententiam Deus sit in rebus omnibus tribus modis solùm, nempe, per præsentiam, siue essentiam, per potentiam, & per operationem, vel effectus, *Quarto modo* (inquit Damianus cum alijs in serm. 1. in natiuit. Virginis) *inest vni creaturæ, videlicet Mariæ Virgini identitate, quia idem est, quod illa*. Si Deus, nempe, Dei filius Iesus Christus Dominus noster idem est, quod Maria mater eius, secundùm Damianum, ergo etiam in puritate idem est cũ illa: nam ex Theologorum sententia. Quicquid est in Deo, Deus est: Sicq; vna & eadem est puritas in Maria, & in Deo, aliquo modo saltem, vt diximus. Et ideò ipsa Virgo dealbanda super niuẽ vaticinata e. sup niuẽ s. terreã, & æthaream, siue Angelicam: hoc est habitura puritatem, non humanam tantùm, & Angelicam, sed etiam Diuinam, quantùm pura creatura habere potuit, quando ad eundem dixit filium suum. *Super niuem dealbabor*.

Vnde insuper in ipsis uerbis, causam etiã & modum talis dealbationis, tanteque puritatis insinuauit, hæc præmittens ante ipsam dealbationem. *Asperges me Domine Hysopo, & mundabor*. Hysopo enim herba

21

22

quæ-

quædam est, ex qua in veteri lege aspersoriũ fiebat, quo ex sanguine animalium Deo immolatorum populum, & alia multa aspergebantur. Vnde Paulus ad Heb. cap. 9. *Lecto enim omni mandato legis à Moyse vniuerso populo, accipiens sanguinem vitulorum, & hircorum, cum aqua, & lana coccinea, & Hysopo, ipsum quoque librum, & omnem populum aspersit, dicens: Hic sanguis testamenti, quod mãdauit ad vos Deus. etiam Tabernaculum, & omnia vasa ministerij sanguine similiter aspersit, & omnia penè in sanguine mundantur, & sine sanguinis effusione non fit remissio.* Sic ad Heb. Paul. de sanguine animalium, quæ in lege veteri Deo offerebantur.

Significauit verò manifestè sanguis ille omnium illorum sacrificiorum antiquorum san-
1 guinem Christi, quem ille abundè effudit pro nobis, dũm in ara Crucis Æterno Patri pro nobis seipsum sacrificium obtulit, cuius virtute mundum totum aspersit, ac mundauit. *Dilexit enim nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo*, vt Sanctus Ioannes in eadem sua Apocalipsi scripsit. Et eiusdem Christi sanguinis virtute etiam præuisa solùm, & nondum exhibita, Virgo Maria, quia Mater illius futura erat, ab omni originalis peccati labe ab eodem filio suo preseruata est in Conceptione sua, & su-
2 per humanam & Angelicam niuem etiam, hoc est, puritatem dealbata, & ipsa etiam diuina puritate candidata. *Erat n. candidata multorũ meritorum virtutibus* (inquit Hieron.) *& dealbata niue candidior. Spiritus sancti muneribus, simplicitatẽ columbæ in omnibus repræsentãs.* Quia (inquam) mater futura eius, qui est *candor lucis æternæ, & speculũ sine macula Dei Maiestatis, & imago bonitatis illius.* Ideoq; & ipsa *candida, & immaculata* prædicatur, *& quasi aurora consurgens, pulcra vt luna, electa vt Sol*: quia ex illa *ortus est Sol Iustitiæ Christus Deus noster.* Ideoque, etsi quædam alia de se dicebat: *Nolite me considerare quod fusca sim, quia decolorauit me Sol*, de Maria tamen cãtitatur: *Egredimini, & videte filiæ Syon Reginam vestram, quam laudant astra matutina, cuius pulcritudinem sol, & luna mirantur, & iubilant omnes filij Dei.*

3 Hinc hodiè, legimus cum Ecclesia, Romæ de cœlo descendisse niuem, quæ Exquilini collis partem contexit, vbi Mariæ domus fabricata est, & erat autem [illegible] pariter legeremus, quòd in monte Thabor Christi vestimenta, dum trãsfiguraretur, *facta sunt alba sicut nix*, ibique etiam Petrum tria Tabernacula facere voluisse *tibi vnum, Moysi vnum, & Eliæ vnum.* Quasi innuetur ex hoc, quod primordialis matris candor in sua Conceptione à filio procedit, ob id. scilicet, de quo loquebantur cum eo Moyses, & Elias, q tunc ibidẽ eidem apparuerunt, etenim (vt scribit Sanctus Lucas) *Dicebant excessũ eius, quem completurus erat in Hierusalem.* Excessum, scilicet, suæ passionis, mortis. Ex morte enim filij sui præuisa Deus Mariam ab omni labe præseruauit originalis peccati in sua Conceptione. Vnde eiusdem purissimę Conceptionis suę deuoti, veriq; cultores ad ei⁹ exemplũ (vt iam ad rem nostram iterum reuertamur) & ipsi cum animę puritate concipiunt & Spiritum salutis, & Christum Saluatorẽ in Eucharistia, & maximè quando ante illam orant, ex eiusdem Domini præsentia in illa contenti, ita ut verè dicant id, quòd sæpe & nos pro eis diximus: *A facie tua Domine concepimus, &c.* Et hoc enim est agere conceptiones sine peccato, secundùm Ecclesiastici Consiliũ sępe pariter repetitũ: *Age conceptiones tuas* (inquit) *non in delicto, & verbo superbo.* A peccatis omnibus certè cauere debemus, vt ad Mariæ imitationem, & nos concipiamus spiritualiter, maximè verò à verbo, & à facto etiam superbiæ: quoniam *Initium omnis peccati est superbia* (vt docet Eccius Cap. 10.) *& qui tenuerit illam, adimplebitur maledictis, & subuertet eum in finem.*

Cùm maximè de hoc ipso etiam ha- 4
beamus insignè valdè, ac memorandum exemplum in alia etiam eiusdem Virginis Conceptione, quando Angelo eidem nuncianti, in vtero suo eundem Dei filiũ Iesum Christum Dominum nostrum concepit, iuxta illius verbum. *Ecce concipies in vtero, & paries filium: Et erit magnus, & filius altissimi vocabitur.* Ad hæc enim illa respondit ei: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundùm Verbum tuum.* In quibus verbis: *Vide humilitatem; vide deuotionem* (inquit Sanctus Ambrosius) *ancillam se dicit, quæ mater eligitur; nec repentino exaltata promisso* [illegible]

Et sicut in matre, sic & in filio profundissimæ habemus humilitatis exemplum, & quidem continuum in Eucharistia, quia, nimirum, sub modici panis, & vini specie in ipso Sacramento continuò esse voluit; sic que ab hominibus, & etiam ab indignissimis coutrectari, & sumi: *Nisi enim esset humilis, nec manducaretur, nec biberetur*, inquit de illo August. in Psalm. 33. de qua eius humilitate alias ex professo magis tractamus: Etsi verò semper mouere nos debeat tantæ humilitatis exemplum in filio Dei, multò magis tamen, quando ipsum exemplum ê ante oculos nostros habemus, ipsum (dico) Eucharistiæ Sacramentum, vt a facie Domini, & ex ipsa Christi Eucharistica præsentia nostras agamus, quas satis iam explicauimus, conceptiones, *non in delicto, & verbo superbo*: sicque veraciter eidem dicamus id, quod hodie prolixè explicauimus. *A facie tua Domine concepimus, & peperimus, & quasi parturiuimus spiritum salutis*.

26 Sed, heus, Pauli verba loqui cogor ad Gal. cap. 4. *Timeo vos, ne fortè sine causa laborauerim in vobis*: Timeo & ego vos, fratres, ne ista precipue de mystica, ac multiplici cõceptione vestra toties inculcando, in nonnullis saltem ex vobis sine causa, hoc est, sine fructu, & in cassum laborauerim in illis, nempè, qui etsi ab immaculata Virginis Conceptione nominantur, in cuius sodalitio adscribuntur, non solum tamen intus in anima a peccatis immaculati, vt plurimum, non sunt, sed nec modo etiam, pro hac ipsa spirituali puritate, ex præsentia Christi in Eucharistia, antequam nunc mecum consistit, conceperunt, nec parturierunt, nec pepererunt spiritum salutis suæ, nec ipsum Christum in Sacramento, vt sæpe eos docui: vnde nec verba sodalium conceptionis propria veraciter pronuntiare poterunt, *A facie tua Domine concepimus, & peperimus, & quasi parturiuimus spiritum salutis*: sed ea potius, quæ ad hæc statim sequuntur. *Iustitiã non fecimus in terra*. Vel ex aliorum translatione; *Salutes non fecimus in terra*. Hoc est, in hoc mundo, in terra nostra iusta opera non fecimus (sicut nec iusti fuimus) vnde salutem consequi possemus. Quare & ego ad hos conuersus (si qui sunt) vna cum Diuo Chrisostomo sic exclamo, *Quæ est, ista iustitia, sanctos colere, & sanctitatem contemnere?* Vos pro sodalitatis vestræ instituto, sanctissimam super omnes Sanctos, & Angelos, genitricem Dei Mariam colitis, & sanctissimam pariter, ac purissimam conceptionem eius: Sed, quæ, velqualis est iustitia hæc vestra? Certè non plus abundans, quam iustitia scribarum, & Pharisæorum, cum qua non intrabitis in regnum cœlorum. Nam nihilominus ipsam sanctitatem contemnitis, & animæ puritatem simul, quia iustitiam non facitis in terra, idest, opera iustitiæ, vel iusta opera mandatorum Dei, & scolæ vestræ, sicut nec iusti estis, sed iniusti valde: salutes non facitis in terra, ea, nempè, quæ ad salutem vestram pertinent, & quæ sola saluos vos faciunt: *Hoc est enim non facere salutem* (inquit Glossator quidam horum verborum) *nempè, aut admodum tardè, aut valdè interruptè facere*.

Non salutes, sed potius perditiones facitis, & quæ ad perditionem, & damnationem spectant, & de facto vos perdunt, vel perdent. De quolibet ex vobis enim potius dicemus cum Psalmista. *Ecce parturijt iniustitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem; lacum aperuit, & effodit eum*: Hæc enim sunt verba vestra, quæ de quolibet vestrum verificantur, sicut de veris conceptionis filijs alia his opposita omnino; *A facie tua Domine concepimus, & peperimus, & quasi parturiuimus spiritum salutis*. 27

Notanda etenim videtur horum verborum inter se oppositio: In prioribus siquidem, quæ de bonis sũt conueniens ordo seruatur, dum primò conceptio recensetur, & postea partus: sic enim scriptura. *A facie tua Domine concepimus, & peperimus & quasi parturiuimus spiritum salutis*: In alijs verò, quæ de malis loquuntur, partus ipse ante conceptionem ponitur: *Parturijt iniustitiam* (inquit) *concepit dolorem*: hoc autem quia, vt ait quidam horum verborum cõmentator: *Ex hac præposteratione litteræ notatur transgressio*: Nicolaus vero noster in Morali sic exponit illa ordine congruo ad rem nostram simul cum illis etiam, quæ ad hæc immediatè sequuntur: *Lacum aperuit, & effodit eum*: *Malus igitur* (ait) *ex suggestione diaboli concipit voluntatem peccandi, parturit autem per conatum adimplendi, parit verò in actu peccandi: & sic lacum inferni sibi aperit, & incidit*: Simili modo breuius illa exponit alius quidam. *Concipit malus concupiscendo, parturit consentiendo, parit perpetrando peccatum*: Quia idem peccatum ijsdem tribus nominibus, *iniustitia*, vide- 28

videlicet, *dolor*, & *iniquitas* hoc loco significatur: appellatur enim peccatum primo dolor secundum nonnullos, quia est omnis doloris causa, & secundum alios, scriptura etiā vocat peccatum dolorem, vt ipso verbo inciteт ad fugam eius, & significet peccatum non posse expiari sine dolore. Secundò peccatum dicitur iniustitia, quia hoc solum nos iniustos facit: Et tertio idem peccatum dicitur etiam iniquitas: nam scribit S. Ioannes 1. cap. 3. *Omnis qui facit peccatum, & iniquitatem facit: & peccatum est iniquitas.* Peccator ergo facit peccatum, & cōcipiendo, dum etiam concipit dolorem, & parturiendo, dum parturit iniustitiam, & pariendo, dum parit iniquitatem: Mala conceptio: peior parturitio: pessima paritudo, si sic fari licet. Quia hoc est concipere, parturire, & parere spiritum non salutis, sed damnationis, nam sequitur ad ista immediatè: *Lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foueam quam fecit*; scilicet lacum, & foueam inferni, vt iam cum Lyrano explicauimus: Sicut boni per oppositum, & præsertim immaculatæ conceptionis Mariæ deuoti de seipsis in veritate testātur, maximè ante Mariæ filium in Eucharistia orando persistentes: *A facie tua Domine concepimus, & peperimus, & quasi parturiuimus spiritum salutis.*

Vel si non tam male de aliquibus conce-
29 ptionis Mariæ confratribus sentiendum videatur, vt illis hæc ex Psalmi, nota iuuratur, illam tamen Isaiæ cap. 34. neutiquam effugere poterunt: *Concipietis ardorem parietis stipulam*: Magnum certè ardorem, ac feruorem spiritus nonnulli modo concipiunt, sed partus conceptioni non respondet: *Partus non sequitur ventrem*, contra leg. Partum, C. de rei vindicatione. Denique differt, ac discordat partus a conceptu, quod contra naturā eiusdem ordinem omnino videtur, & monstruosum simul, scilicet, vt mulier, vel aliud quodcumque animal vnum concipiat, & aliud pariat, & tamen sic est in multis ex vobis N. Vnum concipitis, & aliud paritis: *Concipietis ardorem*, & ardorem non parietis, sed algorem, vel teporem: Opus bonum, quod cum spiritus, ardore, ac feruore nunc proposuistis, cum algore, vel tepore, hoc est, cum negligentia magna, & imperfectione multiplici perficietis. *Concipietis ardorem, parietis stipulam*: Etsi ex deuotionis ardore magnum quid nunc proponatis, tamē parum quid erit, ac minimū, quòd postea, ipsa deuotione frigescente præstabitis. Hinc Vatab. ex Heb. verba hæc: *Concipietis ardorem*, sic trasfert: *Concipietis stramen*: in stramine enim innumeræ stipulæ sunt, vel festucæ: Innumera proponunt multi, quando concipiunt; stramen tunc concipiunt, in quo multa sunt, sed vnicam vix rem, & paruam faciunt: pariunt stipulam, secundum illud vulgatum etiam: *Parturient montes, nascetur ridiculus mus.* Non sic quæso non sic o Mariæ, & conceptionis eius purissimæ, ac sanctissimæ pij veneratores, sed & vos, quæso a facie Dini, ex Mariæ filiū in Eucharistia vobis præsenti, si vsquè modo non concepistis, concipite nunc saltem, Virginis etiam sanctissimæ exemplo, & imitatione eandem Eucharistiam, & spiritum salutis: & sicut conceperitis, sic etiam per opera bona semper magis, ac magis parturite, ac parite, vt in veritate etiam semper dicatis id, quòd toties ex me audistis: *A facie tua Domine concepimus, & peperimus, & quasi parturiuimus spiritum salutis.* Hoc modo enim æternam etiam salutem concipietis, parietis, & parturietis vobis, Amen.



Feria iij. Die XXIV. Anno à Natiuitate D. N. Iesu Christi. M.D.C.XXII.

In generali Congregatione S. Romanæ, & Vniuersalis Inquisitionis, habita in Palatio Apostolico in Monte Quirinali coram S. D. N. D. Gregorio Diuina prouidentia Papæ XV. ac Illustriss. & Reuerendiss. D. D. S. R. E. Cardin. aduersus hæreticam prauitatem Inquisitoribus Generalibus à Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

SANCTISSIMVS D. N. auditis votis Illustrissimorum, & Reuerendissimorum D.D. Cardinalium contra hæreticam prauitatem Generalium Inquisitorum, Decretum alias editum a fel. rec. Paulo V. eius Prædecessore tenoris sequentis, videlicet.

SAnctissimus Dominus Noster post longam, & maturam discussionem, auditis votis Illustrissimorum, & Reuerendissimorum D. D. Cardinalium contra hæreticam prauitatem Generalium Inquisitorum, re accuratè, ac diligenter perpensa, prouidè considerans, quòd quamuis in Constitutione fel. rec. Sixti IV. super Conceptione Beatissimæ Virginis Mariæ pro submouendis inter Christi fideles scandalis, rixis, & contentionibus edita, a Sancta Tridentina Synodo innouata, & deinde in alia constitutione sanæ mem. Pij V. super eadem re, quas similiter sanctitas sua innouauit, cum quibusdam prouisionibus, & addictionibus pœnarum pro efficaciori earum obseruatione, relinquatur vnicuique libera facultas tenendi, & etiam asserendi vtramque partem, quòd scilicet fuerit, vel non fuerit concepta cum peccato originali, dum tamen neutra, veluti erronea, aut hæretica damnetur, nihilominus ex occasione assertionis Affirmatiuæ in publicis Concionibus, Lectionibus, Conclusionibus, & actibus publicis, quòd eadem Beatissima Virgo fuerit cum peccato Originali concepta, oriuntur in populo Christiano, cum magna Dei offensa, scandala, iurgia, & dissensiones, Propterea volens huiusmodi scandalis ex debito sui muneris prouidere, decreuit, & præcepit, ac præsentis Decreti virtute mandat, & præcipit omnibus, & singulis cuiusuis ordinis & Instituti regularibus, & alijs quibuscunque, tam ecclesiasticis, quam secularibus personis, cuiusuis conditionis, status, gradus, ordinis, aut dignitatis, tam Ecclesiasticæ, quam secularis, etiam si specialis specifica, & indiuidua earum esset necessario mentio facienda; vt in posterum, donec articulum huiusmodi a sancta Sede Apostolica fuerit diffinitus, vel per sanctitatem suam, & Sedem Apostolicam fuerit aliter ordinatum, non audeant in publicis Concionibus, Lectionibus, Conclusionibus, & alijs quibuscumque actibus publicis asserere, quòd eadem Beatissima Virgo fuerit concepta cum peccato Originali: Contrafacientes autem, eadem sanctitas sua voluit, & declarauit subiacere debere, & subiecit censuris, & pœnis contentis in supradictis Constitutionibus suorum prædecessorum, & sua, ipso facto incurrendis. Per huiusmodi tamen prouisionem Sanctitas sua non intendit reprobare alterã opinionem, nec ei vllum prorsus præiudicium inferre, eam relinquens in eisdem statu, & terminis, in quibus de præsenti reperitur, præterquam, quo ad supra disposita. Vlterius sub eisdem censuris & pœnis mandans, quòd negatiuam opinionem, videlicet, quòd non fuerit concepta cum peccato Originali, in prædictis publicis actibus asserentes, aliam opinionem non impugnent, nec de ea aliquo modo agant, seu tractent. Insuper voluit, & expressè mandauit, vt extra hos casus expressos publicorum actuum, in reli-

In reliquis omnibus supradictæ Constitutiones firmæ, & illesæ remaneant, & exactè obseruentur perinde, ac si præsens Decretum non emanasset; Et ita decreuit, & mandauit vbique inuiolabiliter obseruari, non obstantibus in hac parte supradictis Constitutionibus, & alijs omnibus in contrarium facientibus, &c.

Hoc suo præsenti DECRETO ex eisdem causis euitandi scandala, dissentiones, atque discordias in Populo Christiano, quæ pari ratione oriri posset, & vt accepit, in aliquibus regionibus iam orta sunt ex sermonibus priuatis, occasione assertionis affirmatiuæ, extendit, & ampliauit etiam ad priuata colloquia & scripta, mandans, & præcipiens omnibus & singulis supradictis, ne de cetero, donec articulus huiusmodi a Sede Apostolica diffinitus, vel per Sanctitatem suam, & Sedem Apostolicam fuerit aliter Ordinatum, neque etiam in sermonibus, & scriptis priuatis, audeant asserere, quòd eadem Beatissima Virgo fuerit concepta cum peccato Originali, nec de hac opinione affirmatiua aliquo modo agere, seu tractare, exceptis tamen, quibus a Sancta Sede Apostolica fuerit super hoc specialiter indultum. Per hoc tamen Sanctitas sua non intendit reprobare hanc opinionem, nec ei vllum prorsus præiudicium inferre, eam relinquens in eisdem statu, & terminis, in quibus reperitur, præter quam, quoad in supradicto felic. rec. Pauli V. & hoc suo Decreto disposita; Eademque Sanctitas sua voluit, & expressè mandauit, vt in omnibus, vbi huiusmodi Decretis non aduersantur, Constitutiones Sixti IV. Alexandri VI. & Pij V. ac Pauli V. eius prædecessorum super Conceptione Beatissimæ Virginis firmæ, & illibatæ remaneant, ac exactè obseruentur perindè, ac si huiusmodi Decretum non emanasset. Et insuper eadem Sanctitas sua, cum Sancta Romana Ecclesia de Beatissimæ Virginis Conceptione festum solemniter, & officium celebret, omnibus; & singulis personis Ecclesiasticis, tàm secularibus, quam cuiusuis ordinis, & instituti regularibus mandat, ac præcipit, vt in Sacrosancto Missæ sacrificio, ac diuino officio celebrandis, tàm publicè, quàm priuatim, non alio, quam Conceptionis nomine vti debeant. Contrauenientes autem Sanctitas sua voluit, & declarauit, subiacere debere, & subiecit Censuris, & pœnis contentis in supradictis Constitutionibus, ac præfato Decreto suorum prædecessorum, ipso facto incurren. Et ita decreuit, & mandauit vbiquè inuiolabiliter obseruari, non obstantibus in hac parte Constitutionibus supradictis, Decreto præfato Pauli V. consuetudinibus etiam immemorabilibus, nec non omnibus, & singulis, quæ Prædecessores prædicti voluerunt, non obstare, ac alijs, quibuscumque in contrarium facientibus. Volens, & decernens pro obseruatione, & executione præsentis Decreti, & omnium in eo contentorum, quòd contra huiusmodi transgressores etiam regulares cuiusuis ordinis, & instituti, etiam quomodolibet exemptos, & alias qualcunque Ecclesiasticas, & seculares personas cuiuscunque status, conditionis, gradus, ordinis, aut dignitatis, tam Ecclesiasticæ quam secularis, tam Episcopi, & Prælati Superiores, alijque, Ordinarij locorum, quam hæreticæ prauitatis vbiq; locorum deputati Inquisitores procedant, & in eos seuerè animaduertant, tribuens eis, & eorum cuilibet liberam facultatem, & auctoritatem contra eosdem transgressores procedendi, ac pœnis coercendi, & puniendi. Voluit demum, ne præmissorum ignorantia a quoquam prætendi possit, quod præsens Decretum, seu illius exempla ad Valuas Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, & in acie campi flore affixa, omnes ita arctent, & afficiant, perinde ac si vnicuique personaliter intimata fuissent, quòdque præsentium transumptis etiam impressis manu Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Andreas de Pettinis S. Rom. & vniuers. Inquisitionis Not.

ANno à Natiuitate Domini Nostri Iesu Christi millesimo sexcentesimo vigesimo secundo, indict. 5. die verò 2. mensis Iunij, Pontificatus Sanctiss. in Christo Patris & D. N. D. Gregorij diuina prouidentia Papæ XV. Anno secundo, supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad Valuas Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, ac in Acie Campi flore, vt moris est, per me Brandimartem Latinum Sanctiss. D. N. PP. Cursorem.

Octauius Spada Mag. Curs.

Romæ, Ex Typographia Reu. Cameræ Apostolicæ, 1622.

SERMO


SERMO QVADRAGESIMVS.

Pro Fratribus, & Sororibus Sanctissimi Rosarij. Ante Eucharistiam Expositam.

Quasi rosa plantata super riuos aquarum fructificate, Eccl. cap. 39.

ARGVMENTVM.

Eucharistia riui aquarum spiritualium dicitur: Rosarij vero Sanctissimi cultores, ante Eucharistiam stantes, rosæ plantatæ super eosdem riuos aquarum: tuncque potissimum Deo multipliciter fructificare debent.

1 

AD Rosarij sanctissime deuotos è hic sermo meus, & ad eos signanter, qui modo in hoc templo mecum ante expositam Eucharistiã, deuotè, ac reuerenter assistunt ad animarum suarum spiritualem fructum, His propterea nil conuenientius, & ad rem magis fortassis ex sacris litteris prædicare possem, quam idipsum, quod ab initio protuli. *Quasi rosa plantata super riuos aquarum fructificate*. Rosarij Sanctissimi sodales alloquor, ideo de rosis loquor. Quasi rosæ plantatæ super riuos aquarum sunt viri omnes, ac mulieres Rosarij sodalitatis ante Eucharistiã stantes, quia Christi corpus, & sanguis in eadem Eucharistia riui sunt diuinarũ aquarum, idcirco subiungo ad eosdem. *Quasi rosa plantata super riuos aquarum*. Denique, quia rosa, quæ super riuos aquarum plantata est, multum fructificare solet, hac de causa mysticas easdem rosas super Eucharisticos riuos plantatas sic insuper suadeo. *Quasi rosa plantata super riuos aquarum fructificate*.

Vt autem sic fructificent, paulò diligentius ostẽdam primùm, corpus & sanguinem Christi in Eucharistia riuos esse spiritualium aquarum; secundò loco verò quonam modò Rosarij ipsi Sanctissimi Confratres, & Consorores multiplicitèr Deo fructificare nunc præsertim debeant quasi rosæ plãtatæ super eosdem Eucharisticos aquarum riuos. *Quasi rosa plantata super riuos aquarum fructificate*.

Ergo riuos primò cõsideremus, vt super hos plantati fructificemus. Eucharistia certè aqua dicitur aliquando in scripturis: de illa enim Sanctus Ambrosius libro quinto de Sacram. exponit illud Pauli 1. Corinth. capite 10. *Bibebant autem de spirituali consequente eos petra: petra autem erat Christus*, hoc modo. *Sacerdos verbo Dei tangit petram: & fluit aqua, & bibit populus Dei: tangit ergo Sacerdos calicem, redundat aqua in calice: salit in vitam æternam, & bibit populus Dei: qui gratiã Dei cõsecutus est*. Item Sanctus Hieronymus de eadem Eucharistia explicans illud Isaiæ 55. *Omnes sitientes venite ad aquas*. Ait. *Ipse enim, & aqua, & panis est, qui de cælo descendit*. Dicitur verò hoc loco Eucharistia riuus aquarum, vel ratione duplicis speciei, quia ad nos aquæ istæ deriuant, & cum illis Dei gratia, & spiritualia alia dona superabundanter; quã petimus, aut intelligimus; & præcipuè, quando super eãdem Eucharistiam stamus, illam conficientes, sumentes, & venerantes, quasi rosę plantatæ super riuos aquarum, sicut clarius suo loco declarabimus.

De

De riuis ergo Eucharisticis inprimis scriptum videtur Deut. capite octauo. *Eduxit riuos de petra durissima. Petra autem erat Christus*, subdit ibidem glossando interlinealis: textus verò: *Cibauit te manna*: Et Glossa rursus: *corpore Christi* exponit. Corpus Christi ergo sicut & ipse Christus manna cœleste est, & per manna Hebreorum figuratum, & riui etiam cœlestes, quibus potamur, & irrigamur, sicut Moyses ex petra materialium aquarum riuos eduxit ad potum & refrigerium eorundem Hebreorum.

3 Vel per petram ipsum Altare petreum intelligamus: quia enim super Altare est Christus in Sacramento, ex eodem etiam Altari Eucharistici riui ad nos fluere dicendi sunt non immeritò. Vnde de eisdem materialib. Altaribus sub petrarum nomine scriptum videtur Iob 28. cap. *In petris riuos excidit*. Vel Hebraice: *In silicibus riuos erumpere fecit*. *In petris*, non *in petra*, quia in pluribus Altaribus per totum orbem riuos hos Eucharisticos diuina potentia, sapientia, ac bonitas per Sacerdotum ministerium excidit, & erumpere facit ad fideles omnes: sicut in hoc nostro etiam hodierna die. Vnde Altare quodlibet dici potest Isa. 33. *Locus fluuiorum, riui latissimi, & patentes*. Quod enim de Eucharisticis fluuiis ac riuis hæc intelligenda sint, manifestè demonstrant verba præcedentia immediatè. *Quia solummodò ibi magnificus est Dñus noster*, post hæc enim subditur statim id, quod dicimus: *locus fluuiorum, riui latissimi, & patentes*: Eucharistiæ siquidem Sacramentum sicut dicitur fons, ita etiam fluuij, & riui latissimi, ac patentes, quia ad omnes fideles patenter vbique terrarum deriuant, in altari Ecclesiæ, tanquam in ordinario loco suo. *Quia solummodo ibi magnificus est Dominus noster*, inquit scriptura: *Quia solummodo ibi magnificus videtur*, ait Interlinealis glossa: Vel quia ibidem magnificatur, honoratur, & adoratur a nobis: vel secundum Hebraicam lectionem: *Quia verè ibi fortis Dominus nobis erit, vt locus fluuiorum, & riui latissimi*: Quia, verè ibi, in altari, semper erit Christus Dominus Sacramentaliter, qui nobis erit semper, vt locus fluuiorum, & riui latissimi, nimirum, gratiarum, ac bonorum omnium ad nos simul cum illo fluentium: sicut & ipsum Sacramentum, & fontem, & fluuium, & riuum dicimus, & fluuios etiam, & riuos latissimos: quia idem instar multorum fluuiorum, ac riuorum latissimorum ad fideles omnes vbique terrarum semper fluit, ac derinat, & si vnum sit in se Sacramentum, sicut & vnus est Christus in eo contentus.

Quod sic notatur etiam Ezech. 31. cap. *Riuos suos emisit ad vniuersa ligna regionis*; Idem enim Christus riuos suos Eucharisticos ad Christianos omnes ex altari emittit per Sacerdotes suos, qui super riuos illos, tanquam ligna, siue arbores (vt alij trasferunt) plantati dicuntur, & ij signanter, qui de rosario nuncupantur, tanquam rosæ, vt tanquam rosa etiam plantata super riuos aquarum fructificent pœnitentiæ præsertim, & bonorum operum fructus, sicut cum scriptura ecclesiastica inculcamus: *Quasi rosa plantata super riuos aquarum fructificate*.

De Eucharistia siquidem sic primò scribitur in psal. 64. *Flumen Dei repletum est aquis*; & postea subditur *Parasti cibum illorum*. *Parasti frumentum illorum* ex Hebreo, *quoniam ita est præparatio eius*: Ille enim parauit nobis hunc Eucharistiæ cibum, illam sub frumenti specie instituens, & nobis tradens: *Quoniam ita est præparatio eius*: Ita, scilicet, gratuita, ac liberalis: *Non enim ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam suam*: magnam hunc nostrum parauit cibum, quo saluos nos fecit. *Qui enim manducat hunc panem viuet in æternum*. Dicitur verò hoc Eucharisticum flumen, quòd Deus sic parauit, & in quo idem Deus cibus est, repletum aquis, gratiarum, videlicet, quia dum in eo sumitur Christus Dei filius omnis gratiæ auctor, mens nostra impletur gratia, sicut etiam futuræ gloriæ nobis pignus datur. Hinc additur in psalmo: *Riuos eius inebria*. *Sulcos eius inebria*, transfer D. Hieron. Ecclesiæ enim totius orbis Eucharistico flumine gratiarum aquis repleto inebriantur; hoc est, tanquam riui, & sulci quidam irrigantur, & implentur: sicque fideles super riuos illos, vt arbores plantatæ & aquis eisdem abundanter irrigatæ multipliciter fructificant. Vnde sequitur statim: *Multiplica genimina eius. Multiplica fruges eius*: Sanctus Hieronymus. Ex hoc maximè asserendum est de Rosarij sodalibus ante ipsam Eucharistiam existentibus, & quasi rosis super eosdem Eucharisticas aquas plantatis, vt, videlicet, tunc inprimis fructificare studeant sanctarum virtutum, & operum fructus: propter hoc enim Psalmista cum dixerit. *Riuos eius inebria*. subiunxit

iunxit statim: *Multiplica genimina eius: in stillicidijs eius latabitur germinans*: Et Ecclesiasticus ad eosdem: *Quasi rosa plantata super riuos aquarū fructificate.* Et secundum Hebreorum litteram: *Quasi rosa iuxta flumen aquorum nascens, pullulate.* Vel secundum aliam: *Vt rosa nata iuxta fluuium agri germinate*: Quia *flumen Dei*, vel *Riuus Dei*, secundum alios, *repletum est aquis*: Quia *Parasti cibum illorum* inquit Scriptura. Quia, inquam, hoc flumen Dei est non solum potabilis, sed etiā comestibilis. Est enim eiusdem Dei filij corpus, de quo idem ait: *Caro mea verè est cibus*, & similiter eiusdem sanguis, de quo subiungit: *Et sanguis meus verè est potus*. Etsi modò non vt potum, nec vt cibum Eucharistiam consideremus, sed vt riuum solum, vel riuos, super quos Rosarij deuotos, quasi mysticas rosas fructificare suademus iteratis his vocibus: *Quasi rosa plantata super riuos aquarum fructificate*: Plantæ enim rosarum, quæ currentibus aquis irrigantur, iuxta quas idcirco plantantur, multum fructificare solent fragrantes rosas suas. Itaque, vos omnes, qui vocamini a Rosario, quia Rosarij sodales estis, & quia etiam rosa plantata estis, nunc signanter super riuos aquarum Eucharisticos ante omnia etiam fructificate, hoc est, *facite fructus dignos pœnitentia*, primum dignè, & veraciter peccatorum vestrorum pœnitentes, ac dolentes, sicque fructum cordis primo proferentes, de quo Isaias testatur c. 21. *Iste omnis fructus vt auferatur peccatum eius*: Secundò verò fructum oris etiam fructificate omnes, ipsa peccata vestra integrè, humiliter, ac deuotè confitentes, his maximè diebus, vt indulgentias etiam, & alia spiritualia bona, quæ Sanctissimi Rosarij confratribus, ac consororibus sic verè pœnitentibus, & Eucharistia refectis conceduntur, & vos dignè consequi possitis, sicque impleatur in vobis id, quod scribitur Prou. 14. *De fructu oris sui vnusquisq; replebitur bonis*; Et illud etiam, quod ibidem additur immediatè, in vobis pariter compleatur: *Et iuxta opera manuum suarum retribuetur ei*: Nam sicut corde, & ore quasi rosæ plantatæ super Eucharisticos riuos, fructificare debetis: Sic etiam, & opere, nimirum, satisfactione, quæ est tertia pœnitētiæ pars: *In omni opere bono fructificantes*, sicut hortatur Paulus Col. 1. c. De quo et fructu scribitur Prou. vlt. *Date ei de fructu manuum suarum*, *& laudent eam in portis opera eius*: Explicat hæc omnia Aug. de salutaribus documentis, hoc modo de corpore Christi scribens. *Quādo enim illud accipere debemus, antea ad confessionem, & pœnitentiam recurrere debemus, & omnes actus nostros curiosius discutere, & peccata nostra si in nobis senserimus, cito festinemus per confessionem, & veram pœnitentiam abijcere, ne cum Iuda traditore Diabolum intra nos celantes, pereamus, protrahentes, & celantes peccata nostra de die in diem, & si quid mali, aut nequam cogitauimus, de eo pœnitentiam agamus: & velociter illud de corde nostro eradere festinemus*.

Verum non sufficit Rosarij confratribus fructificare solum, sed quasi rosæ fructificare debent, & quasi rosæ plantatæ super Eucharisticos aquarum riuos, vt iam monuimus. *Quasi rosa* (inquit) *plantata super riuos aquarum fructificate*: Quomodo verò fructificant rosæ illæ præsertim, quæ super riuos aquarum plantatæ sunt? & quisnam est earum fructus? fructus rosæ, vel plantæ rosæ, rosa sanè est, & vocatur, sicut & plantæ fici (e.g.) fructus, ficus est, & plantæ pyri pyrus: Cum ergo, & vos plantæ rosæ mysticæ sitis, rosas pariter mysticas, siue spirituales, tanquam fructus proprios fructificare debetis (& non tres tantum pœnitentiæ fructus iam narratos cęteris oibus communes) ipsa, videlicet, rosaria singulis saltem hebdomadibus semel recitando, sicut ipsa Rosarij instituta suis præscribunt, adhibitis etiam materialibus rosarijs, quæ ex granis cōstant, fieri solet: sicut & Paulus etiam monere videtur ad Hæbreos scribens cap. vlt. *Offeramus* (inquit) *hostiam laudis semper Deo, idest, fructum labiorum confitentium nomini eius*: Ipsæ ergo orationes nostræ, ipsa rosaria, quæ recitamus, rosarij mysteria deuotè meditantes Christum laudantes, benedicentes, eiq; gratias agentes, fructus dicentur labiorum nostrorum, fructus oris nostri: & hoc sacrificium illi oblatum, est eidem gratissimum, & acceptissimum, quia roseum est, vel rosaceum (vt sic loquamur) quod vos quasi rosę plantatæ super Eucharisticos riuos, tanquam fructum proprium eidem nunc fructificatis: *Quasi rosa plantata &c.* Rosas loqui enim, etiam apud antiquos, & prophanos idem est, quod gratiosè loqui: Vnde rosacea, & rosacea verba habere illi dicuntur, qui lepidè, ac efficacitèr

su

sic loquuntur, vt alios, & summè delectent, & sic commoueant etiam, vt ab eisdem impetrent quæcunque velint: Vnde scripsit & Virg.

Conticuit, roseo insuper hæc addidit ore,

& Pont.

7 *Extinxit rosas purpura missa genas.*

Hinc tradit Pier. Valer. lib. 55. suorum Hierogl. Magos olim ad conciliandos sibi Principes rosas adhibere consueuisse, rosaceosque vocasse eos, qui latentem vim ad animos pelliciendos haberent: Et quòd insuper, pro certo estimabát eũ, qui phialã, oleo rosaceo plenam, dextera manu, conceptis verbis cuipiam offerret, eodem se vngendo, illum sibi sic conciliare, vt nihil sibi negare posset, quòd peteret. Hac de causa insuper ijdem antiqui Veneri rosam dicabant, & eandem roseo semper ore loqui affirmabant, & ipsam rosam maximè sine spinis cõsideratã, cum venustatis, tùm amoris, & gratiæ symbolum, vel signum esse docebant, qua quis præditus omnium in se amorem contrahat, & animos conciliet. Sed ista nunc missa faciamus, contenti ex his solùm aliquo modo comprobasse, quantùm rosę nostræ, coronæ nostræ, ac rosaria, quæ vt rosarij, & nos plantæ fructificamus, ipsi Deo, & Matri eius Mariæ oblata, grata sint, & ad obtinenda ab eisdem quælibet, efficacissima, sicut exempla quamplurima testantur; & in dies etiam experiuntur veri Rosarij cultores, ac deuoti, qui frequenter, reuerenter, ac deuotè, vt decet, & tanquam frugiferæ rosarum plantæ proferunt, hunc labiorum suorum fructum Iesu Christo, & Mariæ, & hoc laudis sacrificium eisdẽ gratissimum offerũt, & nobis etiam vtilissimum, & efficacissimum, quòd inter alios paupercula quędam mulier aliquando in seipsa experta est, quæ litem cum viro potentiori, ac ditiori se, & pecunia iudicem corrumpente habens, humana ope destituta, quasi rosæ planta plantauit se super riuos aquarum: Hoc est ante Altare ibiquè fructificauit, deuotè quam potuit rosarium recitans, Christo, & Matri eius seipsam, & causam suam instanter commendans: Fuit enim vtrique tam gratus hic suorum labiorum fructus, & sibi adeo proficuus, vt cum Iudex iniquus iniquam cõtra pauperculam illam sententiam ex scripto ter pronunciare conaretur, inuitus tamen in fauorem eius, & cõtra diuitẽ illam ferre coactus est: sic que idem Rosarij fructus, eidem fructificanti planctæ cõtra ordinem naturæ, sed secundùm ordinem gratiæ iam mirabiliter fructificauit, tanquam, certè, fructus, non oris solùm, sed cordis etiam, & operis, qualis esse debet fructus sodalium Rosarij Sanctissimi.

Ita vt in veritate illud Pauli ad Corint. 1. c. 8
14. enuntient. *Orabo spiritu, orabo & mente:* hoc est, vt ore orantes, dùm Rosarium recitant, orent etiã *spiritu*, nẽpe, secundũ Lyrani glossam, & Interlineale affectu, & voluntate: voluntate, inquam, firma, ac efficaci ea imitandi, & adimplendi, quæ Rosarij mysteria nobis repræsentant, & præsertim Christi Domini, & Matris eius præclara virtutũ omnium exempla: & hoc erit ore orare, & voluntate, siue opere simul: Sicut orare mente, est intellectu orare ex eisdẽ glossis. *Orabo spiritu, orabo & mente:* quòd præstant ijdem Rosarij Confratres, dùm Rosarij mysteria intellectu attentè meditantur, ore Rosarium recitantes, vt meditata voluntate, & opere compleant, sicquè triplex sit mysticarum harum Rosarum rosaceus fructus, oris, nimirũ, cordis, & operis, cùm præsertim super Eucharisticos riuos se plantatas conspiciunt, vt modò. *Quasi rosa plantata super riuos aquarũ fructificate.*

9 Hinc rursus notandum est, quòd id ipsum, quod Ecclesiasticus hoc loco vocat rosas plantatas super riuos aquarum, cap. 24 plãtationem rosæ in Ierico nominat, *Quasi* (inquit) *plantatio rosæ in Ierico.* Vel secundùm Tigurinam versionem: *Plantã rosarum.* Vel secundùm alios: *Stirpes rosarum, quòd idem est.* Verùm, cur non rosæ in communi, sed rosæ in Ierico? Respondeo, magno mysterio pro Rosarij deuotis, vt (dico) sicut Rosæ, Ierico omnibus alijs palestinæ rosis sunt pulcriores, ac meliores, sic illi cęteris fidelibus qui aliqua ratione, & ipsi plantę rosarum dici possunt, meliores, ac sanctiores esse debere, certò sciant, & ad alios etiam odoramenta virtutum per exempla omittere, tanquam *repleti fructu iustitiæ per Iesum Christum Dominum nostrum.* Philippen. 1. quem fructum, & alij proferant exemplorum suorum odore tracti, illud canticum cantantes. *In odorem vnguentorum tuorum currimus:* & hac ratione etiam specialiter rosæ Ierico veraciter vocabuntur, quia Ierico vno modo *odor eius* interpretatur. Sed habent Ierícuntinę rosæ aliud etiam in se

in se singulare, quòd manifestè Rosarium sanctissimum, de quo loquimur, repræsentat nempe, centum quinquaginta folia in puncto, vt dicitur, sicut scribunt nonnulli, & Rosarium pariter centum quinquaginta Angelicas salutationes continet, quem numerum ipsa Deipara insigni miraculo aliquando comprobare voluit in milite quodam Britano eiusdem Rosarij sui deuotissimo: Hic enim in exercitu S. Ludouici Francorum Regis dimicans contra Albigenses hæreticos, cum se in summo vitæ discrimine constitutum videret, ad Virginem confugit, quam quotidie centum quinquaginta Rosarij salutationibus salutare solebat, adstitque repente a dextris eius ipsa Regina Sanctissimi Rosarij: centum quinquaginta similiter lapides habens, quos contra deuoti sui militis aduersarios iaciens statim in fugam eos conuertit, ipsumquè ab iminentis mortis periculo liberauit, qui postea Dominicanorum sacram religionem etiam ingressus est, in eaque fuit, sanctitate conspicuus, & Rosarij eiusdem eximius prædicator, multumque in se, & in alijs fructificauit *quasi*
11 *plantatio rosa in Ierico.*

Et confirmat hæc omnia alia adhuc horum verborum trâslatio, quam Syrus textus habet, vnam tantum dictionem faciens loco harum duarum: *plantatio rosa*: hoc modo. *Sicut Buphthalmus in Ierico*: Adduntque Syrij: *Buphthalmus est plâta quadam, qua germinat secus decursus aquarum, & habet flores sicut rosa*: Hoc refert Cornelius a lapide ad hæc verba: *Quasi plantatio rosa in Ierico*, docês, quòd hæc arbor, quam Syrij lingua sua Buphthalmum appellât, & quam similiter secus decursus aquarum germinare dicunt (sicut & de rosa Ecclesiasticus ait. *Quasi rosa plantata super riuos aquarum fructificate*) arbor Mariæ dicatur ab eisdem: Quare ipsum Mariæ rosarium manifestè significabit, secundum hanc Syriorum translationem: Vnde idem erit dicere. *Plantatio rosæ in Ierico*, quòd rosarium: plantatio enim rosæ ab eis *Buphtalmus dicitur*, & Buphtalmus arbor Mariæ, de quo Mariæ arbore rosario nos hodiè prędicamus: *Quasi rosa plantata super riuos aquarum fructificate*, nempè de vobis: quia & vos mystica plantatio rosæ in Ierico estis & arbor Mariæ eidem specialiter dicata, rosa, nempè, plantata nunc super riuos aquarum Eucharisticarum, vt multipliciter fructificetis, sicut explicauimus: *Quasi rosa plantata, &c.*

De vobis sic prophetatum videtur Ezech. 12
47. cap. *super torrentem orietur in ripis eius ex vtraque parte omne lignum pomiferum: non defluet foliũ eius ex eo: & non deficiet fructus eius: per singulos menses afferet primitiua*: En torrens, en riui aquarum, Eucharistia nêpè, quòd toties iam repetiimus: En vna torrentis pars, ripa eius dextera, hæc pars; scilicet, Ecclesiæ, & altaris dextera. En altera ripa & pars, pars sinistra eiusdem: En ex vtraque parte, vel ripa torrentis huius omne lignum pomiferum, arbor, nempè, Mariæ hoc est viri, ac mulieres omnis status, conditionis, & ætatis verè plantæ rosarum plantatæ (vt Ecclesiasticus ait.) super riuos aquarum Eucharisticarum, in quibus desiderioruũ folia nunquam defluunt, nec deficiunt bonorum operum fructus: *Super torrentem* (inquit Ezechiel de vobis) *orietur in ripis eius ex vtraque parte omne lignum pomiferum: non defluet folium eius, & non deficiet fructus eius*: Et addit insuper Ezechiel vnum speciale, quod siluit Ecclesiasticus: cum enim dixisset Propheta: *Non deficiet fructus eius*. Subitò expressit, quando renouentur hi fructus in arboribus Mariæ quæ sunt super Eucharistiæ torrentem, vel riuos plantatæ. *Per singulos menses* (ait) *afferet primitiua*: Verè nô tantum per singulos mêses, fructus rosarû, Rosarium recitando, producunt Rosarij fratres, ac sorores, quasi plantæ rosarum, sed per singulas hebdomadas, communiter ad minus: imo & per singulos dies multi, & sæpius etiam aliquando: Tamen per singulos menses præsertim afferunt primitiua, hoc est (secundum Vgonis Cardinalis expositionem) nouos, & optimos fructus: In prima, nempe cuiuslibet mensis die Dominica specialius Christo, & Mariæ varios afferunt fructus, quos iam sæpe explicauimus, quia in ipsa die etiam super Eucharisticos hos aquarum riuos, quasi rosarum plantas seipsos plantant, quibus per deuotam communionem potissimum abundanter irrigatæ, abundanter etiam sic fructificant.

Vnde hac de causa verè, rosas Ierico il- 13
los nuncupauimus cum scriptura, quia, Ierico interpretatur etiam, *mensis*, vel *luna*, quæ singulis mensibus renouatur: & ideo etiam pro ipso mense accipitur: Cum ergo per menses singulos afferât hæc primitiua nouos hos

hos, & optimos fructus, & in ipsa etia prima dominica die, iure merito de his rosarū mysticis plātis sic prophetalie diximus Ezec. *Per singulas menses afferet primitiua*, sicut eadem ratione ab Ecclesiastico etiam, *plantatio rosę in Iericho* dicuntur, quod lunam, vel menstem significat, & alias, *quasi rosę plantata super riuos aquarum*, quod nos specialiter hodie prosequimur.

24 Olim certe Dea quaedam a Romanis colebatur, quę Flora siue Cloris dicitur a Poetis sicut alijs etiam nominibus ab eisdem appel
8 latur, & in ea vrbis parte domicilium habuisse dicitur, quę nunc communiter Acies cāpi Florę vocatur. Hanc Floram Romani, & alij cum eis, floribus, & frugibus praesertim praesse putabant, eisdemq; ortum, & incrementum prosperum dare. Hac de causa ijdem Romani ludos quosdam quotannis ei celebrabant, quos floralia, siue ludos florales vocabant, & hoc ex annuo fœnore pecuniæ, quam ipsa illis reliquerat, bonorum suorum etiam heredes eosdem scribens. De hac ipsa etiam fabulantur Poetę, quòd Deus quidam illius pulcritudine captus, in sponsam eam sibi elegerit; Sed fabulę sunt ista omnia, vt diximus, & vanę gentilium illorum superstitiones: Maria Virgo vere Domina, ac regina Rosarij est: Insuper vere Dea est quantum Deitas pura creaturæ conuenire potest. Hæc ob animi, & corporis singularem pulcritudinem, a Dei filio in matrem electa est, a Patre vero in filiam, & a Spiritu Sancto in sponsam: Hæc floræ illi omnino opposita, & ex diametro, vt dicitur, quia fœmina illa inhonestissima, & impudicissima fuit, & corporis quæstu quæsitas opes, eius Romanis testamento reliquit. Vnde, & impudicitiis & lasciuijs etiam plena erant festa, & ludi, qui impudentissima illi celebrabantur, & ab impudentissimis similiter. At Maria Virgo Virginum purissima semper, & castissima, virginitatis, ac puritatis, & aliarum insignium virtutum, illarum non vnam vrbem tantum, sed totum prorsus orbem reliquit heredem: *Talis enim fuit Maria*, inquit Ambrosius, *vt eius vnius vita, omnium sit disciplina*: Et rursus: *Quicunque sibi Maria exoptat, ipsius imitetur exemplar*: Hanc vere floram, siue florum Deam, ac reginam nuncupabimus. Quia Rosarij Sanctissimi Domina est, & rosa enim florum omnium similiter regina est. Huic tandem veræ floræ nostræ, Sacratissimi Rosarij reginę celebramus non prophanos ludos, sed sacros festos dies, simulquè in eis alia Christianę pietatis opera eidem dedicantes, præsertim verò Rosarij varios fructus:

Id autē non semel tantū in anno, vt illi Floræ fuit, sed per singulos menses ad minus, quasi menstrue, & nos rosæ, & plantatæ super Eucharisticos riuos aquarum: & præterea etiam per singulas hebdomadas, & per singulos dies quoque. 15

7 Sic enim vere præcibus, & meritis Beatæ Mariæ semper Virginis, vniuersum iam per orbem hæ præcipue Rosarij plantæ, Rosarij, dico, fratres, & sorores in domino fructificant, vt illud Esdræ 4. cap. 7. cōpleatur in eis: *Processit enim subito fructus multitudinis immensus*, Rosarij, nempe, recitationes & aliæ orationes, & spiritualia opera, ex eodem Rosario continuo, & vbique prodeuntia, qui sunt eiusdem Rosarij fructus immensi, & ex innumera fidelium multitudine processerunt subito à prima eiusdem Rosarii per Beatum Dominicum facta institutione, & procedūt semper in dies magis, ac magis: Vel alia etiam ratione, & sensu speciali dicamus, quòd processit, & procedit iugiter multitudinis Rosarii fructus immensus, quia immēsa cœli gloria ex eodem Rosario, tanquā fructus eius primus ac nouissimus processit, & procedet semper in Ecclesia Dei, quod etiam manifestiùs satis idem Dominus loco citato cap. 8. cum eisdem Rosarij deuotis asseuerare videtur his verbis suis. *Vobis enim apertus est Paradisus, plantata est arbor vitæ* &c. Sanctissimum enim, arbor vitæ dicendum est, & multipliciter quidem, primò, quia est arbor Christi, qui ait: *Ego sum via, veritas, & vita*, Secundò, quia est arbor Mariæ, vt iam cum Syrijs etiam docuimus, quæ similiter, *Vita dulcedo, & spei nostra* vocatur a nobis, & tertio denique, quia vitam æternam præstat suis cultoribus: Arbori illi enim est omninò opposita, de qua Dominus protoplastem nostrum sic contestatus est, paulo postquam ab eodem creatus, vitam est gustare cooperatus: *In quacunque die comederis ex eo morte morieris*: Qui enim Rosarii spirituales fructus dignè gustant, vita viuent, æterna illis. enim. ait Dominus primum. *Vobis apertus est Paradisus*: Et postea subiit: *Plantata est arbor vitæ*, explicans, quod nam illud

illud fit, quod paradisum illis aperiat, Rosarium, nempè, quæ est arbor vitæ in terra plantata, & vsquè in cœlum eleuata, vt cęlum ipsum, & in cęlo paradisum eisdem aperiat.

16 Vnde Iacob scala videtur ipsum Rosarium, de qua legitur: Gen. cap. 18. *Viditque Iacob in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cælum, Angelos quoque Dei ascendentes, & descendentes per eam, & Dominum inixum scalæ.*

Nec magnum, nec longum multum est rosæ lignum, vt videmus, ideoque nullo modo aptum, vel sufficiens pro scalæ materia, ex qua, illa fabricari possit. Rosarium tamen Mariæ, verè scala dici potest, adeoque longa, siue alta, vt, cum in terra plantata sit, & in terra videatur, (nam primum eius mysterium, quod est Verbi Incarnatio, in terra facta est, videlicet, in Ciuitatem Galileæ, cui nomen Nazareth, sicut & in terra Chanaam scalam suam vidit Iacob) vsque in cœlum tamen pertingit. Et (quod plus est) longior etiam est scala nostra Iacobea scala absque proportione vlla, quia illa solùm in cacumine cœlū tangebat: *Viditque in somnis scalam stantem super terram* (inquit Scriptura) *& cacumen illius tangens cœlum*. Nostra autem Rosacea scala non solùm tangit cœlum, sed præterea ipsum etiam cœlum intrans, penetrat. Insuper non parum solùm cœlum penetrat, nec vnum tantùm cœlum, sed omnes omninò cœlos, quasi perfodiens, pretergreditur cacumen illius, hoc est, eiusdem Rosarij vltimum mysterium, quod est Sanctissimæ Virginis glorificatio, & coronatio à Domino, super omnes cœlos, sicut etiam super omnes Angelorum Choros, *Exaltata est enim sancta Dei Genitrix super Choros Angelorum ad cœlestia regna.*

17 Ex quo etiam alia scalæ nostræ præcellentia ad figuralem illam scalam comprobatur: Illa enim in vno tantùm loco Dominum habebat, vbi, eidem scalę inixus erat: *Et Dominum inixum scalæ*, ait: Sed scala nostra Rosarij, non in vno loco solùm, hoc est, non in vno solùm mysterio Dominum nostrū Iesum Christum habet, sed ferè in omnibus quindecim ipsis mysteriis, vt patet illa omnia consideranti, à primo de Incarnatione Christi, vsque ad vltimum de Mariæ Glorificatione, vt dictum est. & præterea non Christus solùm in omnibus ferè eisdem mysterijs cernitur, sed cum illo etiam Mater eius Virgo sanctissima. Rursus excedit valdè in hoc Rosaria scala nostra, scalam Iacob, quòd illa in vno tantùm loco fuit, & in somnis solùm ab eodem visa, ideoquè somno durante solū ibidem durauit, at scala nostra verè, ac realiter est, & vna, & eadem in omni orbis terra plantata, & cum iam per tot annos vbique fixa, & immutata, perseuerauerit, perseueratura etiā speratur vsque ad mundi ipsius perseuerantiā.

Etsi verò in multis inter se hæ duæ scalæ differant, conueniunt tamen etiam in multis aliis. Quindecim gradus habebat scala Iacobea, secundum Rabinorum aliquorum sententiam, quindecim etiam sunt Rosarij mysteria, per quæ, quasi per gradus quosdā, illud recitando, à terra in cęlum mente scandimus. Rursus Iacob qui in somnis vidit scalā, *Vidit Angelos quoque Dei ascendentes, & descendentes per eam*, vt Scriptura ait. Ascendunt Angeli etiam per mysticam scalam nostrā, dùm Rosarias præcationes nostras, & alia pia opera, quæ in Rosarii scola docet, Deo in cęlis offerunt. Descendunt verò per eamdem, dùm a Deo nobis peccatorum nostrorum veniam, eius gratiam, & quamplura alia beneficia per eiusdem Rosarii merita nobis reportant. Tandem, vnum adhuc est, in quo cum scala Iacob conuenimus: sed vtinam non esset in nobis hæc conuenientia, siue similitudo: propter hoc enim, etsi primum hoc sit in ordine scripturæ eorum, quæ vsque modo de illa, & de nostra scala retulimus; in vltimo tamen loco illud reliquimus, ne huius narratio aliorum narrationem aliquo modo perturbaret, vel minus gratam redderet. *Viditque in somnis scala*, inquit scriptura. Dormit Iacob, quando eidem à Domino tam mysteriosa scalā demonstratur: Heu: Nos etiā per negligētiā, dormimus, quando Dominus, per Ecclesiam, & per pastores, & concionatores suos Rosarium Sanctissimum, excellentiam eius, ac spirituales fructus eiusdem nobis ostendit. Somnus Iacob naturalis fuit, ideoque culpa omni caruit, sicut & ille in hoc culpa carebat: vnde etiam tam mirabilis scalæ illius visione à Domino dignatus est? At nos culpabiles multum sumus, quia per pigritia dormimus in conspectu huius sanctæ scalæ nostræ in ipsis, scilicet, Rosarij solemnitatibus, & alias etiam

etiam quando per deuotionem magis vigilare deberemus, dum, nimirum, ipsum Rosarium, vel per ipsa festa, vel per conciones, vel per libros, vel per imagines, quæ sunt simplicium libri, corporis, & mentis nostrę oculis pariter (sicut nunc) demonstratur.

19 *Igitur non dormiamus, sicut & cæteri*, inquit ad Thes. 1. c. 5. Apostolus: *Sed vigilemus, & sobrij simus: Coronemus nos rosis istis antequã marcescant*, vt legitur Sap. 2. cap. Rosarij rosis nos coronemus, deuotè illud recitantes, & multipliciter fructificantes, quasi mysticę & nos rosę & ipso fructu, & merito nosmetipsos ornantes nunc pręcipuè & quasi rosę super Eucharisticos riuos aquarum plantatę, vt iam sæpius docuimus: Et Simon enim Onię filius Sacerdos magnus Eccl. 50. *Quasi flos rosarum in dieb. vernis* nominatur. Sicut verò rosis nostris, & rosarum coronis nos coronare monemur in scripturis (sicut, & Rosarium suis Rosis coronatur) sic in eisdem pariter suademur Iesum Christum Dominum nostrum inprimis coronare, videlicet ad honorem & gloriam eius ea omnia, quę de Rosario docuimus, exequendo: sic enim Zach. 6. *Sumes argentum, & aurum, & facies coronas, & pones in capite Iesu*: Habet Rosarium tres coronas speciales, eius, nẽpè, tres partes principales (vt notum est) quorum singulæ quinque decades habent quinque mysteria repræsentantes. Has coronas nos facimus, cum illas deuotè recitamus: in capite Iesu illos ponimus, cum ad eius gloriam id referimus, & nunc pręcipue ex nobis ipsis itidem, quasi humanas coronas eidem in Eucharistia existenti facientes, & circa illum stantes, quasi plantatę rosę super riuos aquarum. Etsi vero rosaceę coronę nostrę gratiores illi sint, & acceptiores, quam coronę aureę, vel argenteę: Etenim, *Super argentum, & aurum gratia bona*, inquit Prouerb. 22. cap. tamen nec aurum ipsum, nec argentum per se reijcit sibi oblatum ab eisdem Rosarij fratribus, & sororibus: immo requirit instanter vtrumque ab vno quoque eorum, eleemosynam, scilicet, pro Rosarij scola, secundum quod potest vniuscuiusque manus, dum ait primò: *Sumes argentum, & aurum*, ipsas verò Rosarij tres coronas, siue partes earum, nempe deuotam recitationem, vt diximus, dum subdit. *Facies coronas, & ponas eas in capite Iesu*: Ad quod etiam deseruire videtur Chald. versio eorundem verborum: *Facies coronam magnam*: Ipsum enim Rosarium magna quędam corona est ex tribus paruis coronis constans, qua Iesum coronare iubemur: *Facies coronam magnam*, vel: *facies coronas, & pones eas in capite Iesu.*

Verùm non solum Iesus hac corona magna, vel his paruis coronis rosaceis a nobis coronandus est, sed eius mater etiam Virgo Sanctissima, nam Regina predicatur ab Ecclesia Sanctissimi Rosarij. Si enim fabulosæ deæ, nempè Musæ naturalibus rosis ab infidelibus coronabantur, cur non magis veri Dei mater, & Dea consequenter (quantum creatura Dea esse potest) spiritualibus, & sanctis rosis merito a fidelibus coronanda est, vt illud etiam de ea impleatur, quod de eadem cantant. *Circumdabant eam flores rosarum?* Et præterea si rosa cum symbolum sit amoris, gratiæ, & pulcritudinis, vt ibi retulimus, idcirco Veneri ab antiquis dedicabatur, cur non multo magis Mariæ, quæ mater est pulcrę dilectionis, & mater gratię, rosas, siue rosaria nostra dedicabimus, iisdem coronantes eam simul cum filio eius, ad honorem vtriusque deuotè, ac frequenter Rosaria nostra persoluentes? Sic enim verè ipsa Virgo cum filio (vt varia narrant exempla) visa est non semel ab Angelis coronari, dum eidem, & filio suo pariter coronæ istę spiritualium rosarum ab hominibus deuotè illas recitantibus, offerentur. Itaque & filium, & matrem his coronis hoc modò coronemus in terris, & tunc potissimũ, quando ante Eucharistiam stamus, quasi rosa plantata super riuos aquarum, vt a Christo pariter, & nos coronemur quando ante se ipsum idem nos plantabit nimirum in cœlis. Amen. 20

SERMO


SERMO QVADRAGESIMVS PRIMVS.

Pro Confratribus Cordæ Sancti Francisci. Ante Eucharistiam expositam.

In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis: declinaui ad eum, & vesceretur. Oseæ cap. 11.

ARGVMENTVM.

Eucharistia, & Francisci cingula præsertim, quasi duobus funiculis, & vinculis charitatis trahit Deus ad se homines, & specialius Cordæ Sancti Francisci Confratres ante ipsam Eucharistiam stantes.



De Francisco, de Francisci funiculis, & de Francisci funiculo ferentibus arbitror exponi posse præ asserta Oseæ verba, sicut & de alijs multis; Adā enim, homo siue terrenus interpretatur, secundum illud etiam Pauli prime ad cor. 15. cap. *Primus homo de terra terrenus:* Ideoque Franciscum adumbrare videtur, quia Franciscus habitu est inuentus vt homo, hoc est, vt terrenus, nam terræ colore se induit, & indui suos omnes voluit, & se ipsum pariter cum illis, funiculis, seu cordis cinxit; Quare Francisci cordæ, seu funiculi, Adam funiculi non immerito ob hoc videntur appellari posse, & vincula simul Diuinæ charitatis, in quibus vos specialius, Sancti Francisci, & cordæ eius pij cultores vna cum alijs fratribus, & sororibus suis Deus ad seipsum trahit, hoc est a peccatis ad pœnitentiam, & ad amicitiam suam, vt tandem ad gloriam suam etiam trahat. *In funiculis Adam traham eos* (ait de vobis) *in vinculis charitatis*; Subiungit præterea per Oseam Dominus: *Declinaui ad eum, vt vesceretur*: quod, scilicet, in hac die, & in hac hora signanter, ad quemlibet vestrum Sancti Patris nostri corda, sic a Deo cinctum, & tractum, Dei filius Iesus Christus Dominus noster in Sacramento illo tam venerabili nunc præsertim declinasse videtur, vt eodem tamquā vero animarum cibo vescendo, quasi alio funiculo etiam, & charitatis vinculo, sic eundem ad se trahat eiusdem Patris exēplo, quē etiam in corde, gestatione imitatur: Itaque, & cordam quam gestatis, fratres, & sorores, & cibum ipsum Sacramentalem ad vos modò declinatum, tanquam duo, charitatis diuinæ vincula, quibus, & vos modò specialius Christus Iesus vincit, & quasi vinctos ad se trahit, diligentius consideremus, vt iisdem semper ab ipso vinci, & trahi omni studio curetis, nam de hoc ipso idem gloriatur dicens: *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis, declinaui ad eum, vt vesceretur.*

2 Sunt quidem do se beneficia, omnia vincula quædam charitatis, & amoris, & insuper quidam funiculi, quibus, qui alterum diligit, & ab eodem vicissim amari desiderat illum ligat, & sibi obligat, & quasi sic ligatum ad se dulciter trahit, & ad mu-

tuum, amorem ſuum: & hoc conuenit imprimis Dei beneficijs, quæ hominum beneficia longe ſuperant, quibuſque in hoc ſcripturæ loco idem teſtatur, ſe Adam poſt peccatum ad pœnitentiam, & ad amorem ſuum, ſuorumque præceptorum obedientiam traxiſſe. Per Adam verò, quia caput eſt humanæ generationis, & omnium hominum primus parens, & idem etiam idcirco ſignificat, quod homo, omnes alij homines ſimiliter intelliguntur, quòd, nempe, per beneficia Dei pariter more prothoplaſtorum, tanquam in vinculis charitatis ſuæ Deus eoſdé quaſi liget, & in funiculis Adam, ſiue hominú ſic ligatos ad ſe trahat. Nam vbi vulgata noſtra legit: *In funiculis Adam*: *In funibus hominum*, legunt teſte Hier. Sym. Septuaginta, Aquila, & Theodotion. Vnde huius propheticæ ſententiæ Interpretes tradunt vnanimiter, quòd hoc loco hoc nomen *Adam* accipi poteſt, vel, vt nomen proprium primi parentis, vel, vt commune hominem in communi ſignificans: ſi vt nomen proprium ſumatur, ſenſum hoc pro Deo faciet, ex communiori ſcripturalium doctrina: *Sicut ex amore Adam natura ſimul, ac gratia, & amicitia mea donaui, ita & vos poſteros eius bonis iiſdem donabo*: ſi autem ſumatur pro homine communiter, vt diximus, quo modò verſiones illud præfati doctores, hoc ſignificabit, *In funiculis, quibus ſolent homines ligari, & trahi, nempè amore, & beneficijs, traham illos ad me*. Vnde Chaldeus vertit: *Sicut mos eſt trahi filios dilectos, traxi eos fortitudine charitatis*. Et Arabicus: *Attraxi eos pugillo protectionis meæ*. S. Hieronymus hanc ſecundam acceptionem ſequens de homine in communi, intelligit per hominem ſpecialiter Patriarchas, Abraham, Iſaac, & Iacob. Hi enim fuerunt parentes Iſrael, ob quos Deus Iſraeliticum populum multum amabat: & de his verba hæc *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis*: Sic interpretatur. *Curaui eos propter funiculos, & vincula charitatis quibus mihi Abraã Iſaac, & Iacob aſtrinxeram*.

3 Sed non eſt mihi modò ſermo de Patriarchis, nec de homine in communi, nec de Adamo Patriarcharum, & omnium hominum parente. De funiculis loquor, de fune ſunt verba mea, de corda Sancti Patris noſtri Franciſci, & ad eos, qui cordam ipſam Franciſcanam ex deuotione portant. Si ergo omnia Dei ad homines beneficia, & ſpiritualia præſertim, quæ hominibus confert vincula charitatis, & amoris eius dicuntur, & funiculi ſiue funes pariter, quibus ille homines ligat, & ligatos ad ſe trahit, multò magis procul dubio ipſo funiculus, ſiue corda Sancti Frãciſci: & eiuſdem cordæ ſodalitas, ac deuotio, funiculi dicendi ſunt, & vincula diuini amoris etiam hac ratione ſpeciali, quibus ipſos cordæ deuotos ac ſodales eam geſtantes, & eadem ligatos, tanquam duplici funiculo, ac vinculo ad ſe trahit idem Chriſtus Dominus, eiuſdem teſtimonio, *In funiculis Adam*, vel *In funibus hominum traham eos*.

Equidem manifeſtum eſt, ſola vitia, ac peccata noſtra a Deo nos ſeparare, & elongare; proinde de peccatore quolibet ſcribitur Ier. 17. *A Domino recedit cor eius*. Et rurſus de eiſdem peccatoribus, & de eorum ſupplicio, ſapientiæ 3. *Impij autem ſecundum quæ cogitauerunt, correptionem habebunt, qui neglexerunt iuſtum, & a Domino receſſerunt*. Hoc modò a Domino receſſit Adam primus plaſtes hominum inobedientiæ peccato contra Domini præceptum, nimirum, vetitum pomum guſtans. Hoc modo, dico, a Domino illum ſeparando traxit Lucifer, quando etiam *cauda ſua trahebat tertiam partem ſtellarum*, ſicut in Apocalipſi ſua cap. 12. annotauit Ioannes. Et hoc eodem modò etiam, trahit continuo filios Adam, dum eos ad peccata diuerſa trahit, ſicque a Deo diuidit: quare ſicut Deus ipſum Adã poſt inobedientiæ ſuæ peccatum, illum illuminando, & vocando, & alijs beneficijs cumulando, quæ vincula ſunt charitatis, ligauit, & ad ſe traxit, hoc eſt, ad delicti ſui pœnitentiam, & ad ipſius Dei ſeruitium, & amorem, ſic eodem modo quotidie peccantes homines per Sancti Franciſci funes quibus eoſdem cingendo ligat, ad ſe trahit: per ipſam, dico, Franciſcanæ cordæ ſocietatem, ſiue ſcolam, ſicut etiam per varias eiuſdem Sancti Franciſci religiones præſertim eoſdem trahit ad ſuorum peccatorum pœnitentiam, & ad diuinorum mandatorum cuſtodiam, ad virtutum perfectionem, & præterea per eoſdem cordigeros, omnes alios etiam ad ſimilia vota trahit, eorundem ſemper exemplo, atque doctrina, vt tandem omnes ſimul ad gloriam trahat: Sicque verbum Domini de Adam, & de Adæ filijs ab eodem prolatum, in Franciſco, & in Franciſci ſectatoribus impletur. *In funiculis Adam*, vel: *In funibus hominum traham eos*.

Verùm

5 Verùm hic percunctabitur aliquis vestrum: Cum vna tantum fune, siue corda quilibet nostrum cingatur, sicque cinctus a Domino trahatur: & cum pariter confraternitas nostra, quæ nos eadem corda cingit, Cordæ, vel de Corda in singulari numero, non verò de Cordis in plurali dicatur, sicut etiam vna tantum corda se cingebat Seraphicus Pater noster Franciscus, quem sequimur: vnde etiã de eodem cantatur: *Funã cingitur duplicibus dimissis*. Cum (inquam) hæc ita se habeant, cur eidem Francisco, & Francisci Discipulis plures cum scriptura assignamus cordas, siue funes, de illis prædicantes: *In funiculis Adam: In funibus hominum traham eos?* Est in promptu responsio, & quæstionis solutio ex eadẽ scriptura, & ex re ipsa simul: Fune cingitur vere Sanctus Franciscus, duplicibus dimissis; & similiter Cordigeri omnes Franciscum sequentes: & Francisci scola, siue congregatio, Cordæ dicitur, non Cordarum eiusdem Patris nostri: Sed tres nihilominus distinguuntur cordæ, vel funes, quia tres etiam sunt ordines a ab eodem instituti, qui illius cordam ferunt; scilicet, Ordo Fratrum: primus, Ordo Monialium: secundus, & Ordo Pœnitentium: Tertius: Canunt enim de eodem Francisco, ijdem tres Ordinis eius: *Tres ordines hic ordinat: primumque fratrum nominat minorum: pauperumque fit dominarum medius: sed pœnitentium tertius sexum capit vtrumque.* Sicut verò tres sunt eiusdem institutoris Ordines fune cincti, sic etiam tres hac ratione dicuntur Francisci funes, per quas Deus homines ad pœnitentiam trahit: Et vos etiam vniquidem confraternitati Cordæ adscripti estis, sed sicut estis multi, sic multis etiam cordis vincimini, & a Domino trahimini, Cordigerorum insuper ex hoc ipso nomen sortientes: Vnde iure merito de vobis scriptura, & de funibus vestris: *In funibus hominum traham eos*: Quia denique (vt mihi videtur) de eisdem funibus Eccl. cap. 4. sic ait: *Funiculus triplex difficilè rumpitur.* Triplicem, non simplicem, siue vnicã vocat Francisci funem, sicut etiam *Tres ordines hic ordinat* funem portantes.

6 Et ipsa triplicitate aliud magnum mysterium fortasse indicat, nempè, quòd sicut *funiculus triplex difficile rumpitur*, sic Ordo triplex Franciscanus funicularius, siue funarius (vt ita dicam) vel Cordigerus, per quem Deus quasi per triplicem, siue triplicatã cordam continuo homines ad pœnitentiam trahit, non solum difficilè, sed etiam impossibiliter rumpetur vsque ad mundi finem: Difficile enim pro impossibili aliquãndo sumitur in sacra pagina, Quare de eisdem Franciscanis funiculis, & ordinibus esse puto Isaiæ vaticinium. 33. cap. *Omnes funiculi eius non rumpentur*: Sicut & allegatum Salomonis testimonium: *Funiculus triplex difficile rumpitur*: Quia certum est ex Franciscanorum scripturis, quòd ijdem Francisci Ordines vsque ad mundi finem perdurabunt, sicut eidem Frãcisco per Angelum Dominus reuelauit: ergo etiam eorundem Ordinum funes non antea rumpentur, sed vsque ad ipsum mundi finem ijsdem homines semper cingentur, & per illas iugiter a Deo ad pœnitentiam, ad gratiã, & ad gloriam deniquè trahentur, nam hoc ipsum sine vlla temporum præcisione promittit idem Dominus: *In funibus Adam traham eos.* Quare eisdem hominibus sic Iob 12. imprecandum est: *Vinciantur funibus paupertatis*: Vel iuxta 70. Interpretum versionem: *Capiantur in funibus paupertatis*: Funes enim pro Frãcisco, & pro Religione eius, cuius propriæ sunt funes, sumuntur, sicut mitra pro Episcopatu, & pileus rubeus pro Cardinalatu sumi solet: Dicuntur verò funes Francisci funes paupertatis, quia Franciscus paupertatem semper sic amauit, & seruauit, vt nullus eo pauperior vnquam post Apostolos visus fuerit: Vnde de eodem etiam scribit S. Bonauentura: *Nemo tam auri, quam iste cupidus paupertatis: nec thesauri custodiendi sollicitior vllus, quam iste cupidus huiusmodi Euangelicæ margaritæ*: Sic pauper Franciscus fuit, & sic amator paupertatis, vt in ipsã paupertatem totus quasi transformaretur, sicque etiã ipsa paupertas dici posset: Et ideo Frãcisci funes funes paupertatis dicũtur, quę ab omnibus desiderãdæ sunt vehementer, vt illis vinciãtur, & capiantur: *Vinciantur funibus paupertatis*: *Capiantur in funibus paupertatis*, vt his funibus vincti, & capti, a Deo trahantur, secundum ipsius promissionem: *In funibus hominum traham eos*.

7 Hac de causa prophetauit Isaias cap. 3. *Erit pro suaui odore fœtor, & pro zona funiculus, & pro crispanti crine caluitium, & pro fascia pectorali cilicium*: Hæc enim de fratribus, & sororibus, de filijs, & filiabus Sancti Francisci ad litteram prædicta videntur, ex quibus multi priùs in sæculo sua in odore, vestimen-

torum fragrantes, pro eis laneum assumunt habitum Sancti Francisci, propter oleum, cum quo conficitur, vel alias vtcunque foetentem & similiter vice zonæ, funiculo cinguntur, de quo est nobis sermo. *In funiculus &c.* Et tertiò pro crispante crine est fere caluitium, fratribus quidem in tonsura siue corona. monialibus verò in capillorum omnium attunsione: Et tandem ex his, & ex illis quamplurimi cilicium deferunt, quod in foeminis vicem gerere potest fasciæ pectoralis: Nisi etiam ipsa Franciscanorum indumenta, qualia sunt illa præsertim, quibus Capuccini, & Reformati indui solent, alijs, rudiora & asperiora, cilicia dicamus: Et quòd de Fratribus, & de Sororibus Franciscanis dicimus, etiam de Confratribus affirmare possumus: nam & ipsi, non solum pro zona Francisci funiculum eligunt, sed etiam fragrantiam vestimentorum contemnentes, scolæ suæ indumenta omni odore carentia superinduunt, funiculis ipsis se cingentes, & insuper crispantem crinem abhorrent, & aliquando etiam ipso cilicio, & ipsi Franciscanorum religiosorum æmuli, carnem suam edomant.

8 Verùm non de cilicio modò, sicut nec de crinibus, neque de vestimentorum odore, vel foetore. De funiculis solum Franciscanis, in quibus ligatos Deus ad se trahit homines: *In funibus Adam traham eos*: De his hoc addimus, quòd non solum homines vulgares, siue ordinarij (vt dicitur) rudem funiculum S. Francisci etiam pretiosæ Zonæ præferunt, illud Isaiæ implentes, quod retulimus. *Eris pro Zona funiculus*: sed & ipsi Reges, & Imperatores etiam ipsum suum Regale, vel Imperiale cingulum, Francisci cingulo postposuerunt: illud abijcientes, vt hoc assumerent, & regnũ, ac imperium alijs dimittẽtes, vt Francisco seruirent, sicut de nonnullis referunt Frãciscanæ historiæ. Quare de horum quolibet illud impletum est, quod scribitur Iob 12. *Balteum regum dissoluit, & præcingit fune renes eorum.* Vel Hebraica traslatione: *Vinculum regum dissoluit, & ligauit cingulum in renibus ipsorum.* Deus, scilicet, qui de Francisci fune, vel cingulo, & de hominibus ait. *In funiculus Adam traham eos: in vinculis charitatis.*

Verum iam satis de funiculis Sancti Francisci diximus: Iam de Eucharistia dicere pergamus, sicut principaliter intendimus. Post funiculos cibum apponit Oseas: *In funiculis Adam traham eos* (inquit) *in vinculis charitatis.* Primò promittit Dominus, charitatis suę vinculo ad poenitentiam vos tracturos, confratres, Sancti Francisci corda & sequela, deinde, ad vos se declinasse dicit, vt vescamini. *Declinaui ad eum, vt vesceretur*: Sic namq; subdit statim scriptura: Eucharistia enim Sanctissima, est cibus, quo vesci debetis, & ad hoc præsertim ad vos nunc Christus in illa declinat super altare, vt videtis, vt illa vescamini: Idem enim est: *Declinaui ad eum, vt vesceretur*, secundum Diui Hieronymi sententiam, ac si diceret; *Dedi eis esum corporis mei.*

Ieremię 38. cap. latius aliquantulum, & manifestius expressa videntur hæc duo de fune Francisci, & de Eucharistia, quæ duobus tantum verbis Oseę significauit. Missus fuerat Ieremias Propheta de Sedeciæ Regis licentia, a Principibus quibusdam hostibus suis in lacum, *in quo non erat aqua, sed lutum.* 10
vt inquit scriptura ibi: Et miserant eum in in lacum illum luctuosum, *vt ibi moreretur fame; non erant enim vltra panes in ciuitate*: Sicut ibidem in textu dicitur; Sed seruus quidam Regis nomine Abdemelech Hieremiæ miseratione commotus, eodem rege cõscio, & quibusdam assumptis socijs, de lacu eundem extraxit: Sed quo modo? Funibus quibusdam, & pannis, quos ad eundem submisit in lacum per funiculos: *Dixitque Abdemelec ad Hieremiam* (sic habet littera) *pone veteres pannos, & hæc scissa, & putrida sub cubito manuum suarum, & super funes: Fecit ergo Hieremias sic & extraxerunt Hieremiam funibus, & eduxerunt eum de lacu*: lacus est mundus iste, & lacus miseriæ, de quo in libro psalmorum: *Eduxit me de lacu miseriæ*: In hoc lacu miseriæ abundat lutum peccati, non aqua Diuinæ gratiæ. De peccatore enim scribitur Sap. 15. *luto vilior vita eius*: *Et de peccato.* Prou. 14. similiter. *Miseros autem facit populos peccatum.* Hieremias, & si ab vtero matris sanctificatus, prout tamen in lacum ab hostibus ob prætensum, non commissum ab eo peccatum, missus, & funibus similiter de eodem eductus, peccatorem quẽcunque adumbrat, qui de se fatetur in Psalmo 118. *Funes peccatorum circumplexi sunt me.* quia etiam Salomone testante Prou. c. 5. *Iniquitates sua capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur*: His peccatorum horum funibus

peccator constringitur ab hostibus suis, scilicet, a Demonibus in hoc mundi lacu: sicque constrictus manet, donec non seruus regis Sedeciæ, sed ille qui Rex regum cum esset, formam tamen serui accepit, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo Iesus Christus Dominus noster, de luto primum peccati ipsum extrahit, & de lacu miseriarum mundi huius: Sed quo modo? Ipse explicat dicens: *In funibus Adam traham eos*: In funibus Sancti Francisci: sicque & vos, o fratres de lacu peccati trahendi estis, vt iam satis declaratum est: Verum Hieremiæ de lacu extracto panis datur, ne fame moriatur; Vos etiam qui ad pœnitentiam trahimini per Sancti Francisci cordam, & pannos, panem Sacramentalem sumere debetis, ne spirituali fame pereatis. *Ecce panis Angelorum, factus cibus viatorum. Hic est panis de Cœlo descendens, vt si quis ex ipso manducauerit, non moriatur. Qui manducat hunc panem, viuet in æternũ.* De materiali pane, quo refectus est statim Hieremias de lacu eductus, ne corporali fame moreratur, ibidem scribitur: *Non sunt enim vltra panes in ciuitate*: At Eucharisticus panis, quod est corpus Christi sub panis forma, est semper in ciuitate, & in opido, & in omnibus locis, & in omnibus omnium locorum Ecclesijs, & altaribus: Et in huius Ecclesiæ altari omnibus modò ostenditur, vt qui per Francisci funes, vel alias, ad pœnitentiã a Christo tracti sunt, illo ad voluntatem suam vescantur, eodem Christo pane testante *Declinaui ad eum, vt vesceretur*: Idest: *Dedi eis esum corporis mei*.

Confirmantur hæc ipsa ex verbis quibus-
11 dam, quæ in textu eiusdem Oseæ posita sunt, inter priora illa: *In funiculis Adam traham eos in vinculis charitatis*, & hæc posteriora, quæ modò pertractamus: *Declinaui ad eum, vt vesceretur*, illa ñ. data opera in hunc locum distulimus, *Et ero eis* (ait) *quasi exaltans iugum super maxillas eorum*: post hæc enim sequitur sic immediate textus. *Declinaui ad eum, vt vesceretur*: Diuersis enim omissis huius literæ sensibus, allusionem illam esse dicimus ad id, quòd agricolæ bobus suis faciunt post laborem: tollunt siquidem tunc a maxillis, hoc est ab ore eorum capistrum illud, siue frenum, quod hoc loco iugum vocatur, quod dum plaustrum, vel aratrum trahunt, eisdem imponunt, ne tunc comedere possint, hinc illinc fœnum, vel aliud carpendo, ex quo a labore distrahebantur. Peccatum Ecclesiastici testimonio c. 40. est *Iugum graue super filios Adam*. Ad eosdem filios Adam declinat Dominus in Sacramento, vt eodem vescantur: *Declinaui ad eum, vt vesceretur*, vt iam sæpè diximus: Vt vescantur vero dignè Christi corpore, peccatum ab eisdem prius tolli iuperas Dominus, postquam ad internam eiusdem pœnitentiam, vno vel alio modo traxit. *In funiculis Adam traham eos*: A maxillis autem tollendum siue eleuandum dicitur hoc peccati iugum: quia, *Ore confessio fit ad salutem*: vt digne, scilicet, hoc Eucharistiæ cibo vescamur: Et ideo idem Dominus postquam ad dolorem peccatorum, Cordigeri per Cordã Francisci vos traxit: *In funiculis Adam traham eos*, eorundem peccatorum confessionem vobis indicit, nam immediatè subijcit: *Et ero eis quasi exaltans iugum super maxillas eorum*: & post hæc statim sanctam communionem exhibet: *Declinaui ad eum, & vesceretur*.

Vnde omnino dissimilis, & oppositus cibus iste Christi corporis deprehenditur cibo 12
ligni, quòd erat in medio paradisi, de illo enim testati sunt patres nostri Gen. cap. 3. *De fructu lignorum, quæ sunt in paradiso vescimur, de fructu verò ligni, quod est in medio Paradisi, præcepit nobis Deus, ne commederemus*: At de fructu ventris Mariæ Virginis, Christi, tempe, corpore, quòd in medio Paradisi Ecclesiastici est, idem Christus testatur: *Declinaui ad eum vt vesceretur*: Non solum vult Dominus vt illo vescamur, sed hac de causa ad nos in nostro paradiso cœlestis iste fructus declinare voluit, & ibidem semper esse, vt ibidem etiam homo eodem vesceretur semper ad libitum, & ad voluntatem suam: Ille enim est, qui ab Ieremia cap. 14. vocatur, *Viator declinans ad manendum*: nam cum adhuc viator esset Dominus noster Iesus Christus, transiturus etiam quasi viator ex hoc mundo ad Patrẽ: hoc Sacramẽtũ instituit, & in illo quasi declinauit ad manendũ nobiscum, oĩbus diebus vsque ad consumationem sęculi, & modò pariter in altari publice declinauit ad vos, & ad omnes vt eodem omnes vescerentur: *Declinaui ad eum, vt vesceretur*: Vnde sicut protoplastes nostri, cibo dum vescerentur negato, culpam contraxerunt, sic nos dũ concesso vescimur, mens nostra repletur gratia: Per cibum illum traxit illos Demon a Deo ad se ipsum, & per cibum nostrum a Demone

ratione retrahit nos Deus ad se ipsum, similiter: *In funiculis Adam traham eos*. traxit & trahit nos Diabolus ad se in vinculis odij, & inuidiæ; at Deus trahit nos ad se in vinculis amoris, & misericordiæ: *Traham eos in vinculis charitatis*, & præsertim, dum in cibum corpus suum ad nos declinat, vt illo vescamur; vnde subdit: *Declinaui ad eum vt vesceretur*: quod est dicere: *Dedi eis esum corporis mei*; in quo teste Tridentina Synodo: *Diuitias diuini sui erga homines amoris velut effudit*: Vnde ex hoc etiam ipsa Eucharistia amor amorum vocatur, de quo nil aliud modò, quia id præsentis instituti non est, & quia etiam est de hoc alius sermo specialis.

13 De tactu enim Christi solum hic agimus, quo homines beneficijs suis, & charitatis suę vinculis, quasi funiculis quibusdam ad se trahit, nimirum, Eucharistia præcipuè, quæ (vt diximus) amor amorum dicitur, de eadem hodiè ad Confratres Sancti Francisci prædicantes, quòd ad eosdem hodie in eorum conspectu super altari declinans, & ad vescendum eosdem inuitans, tanquam fortissima quadam fune, & charitatis vinculo ad se trahere desideret, sicut etiam Franciscana eorum fune: Vnde iam de his vinculis illud mihi dicere liceat ad vnumquemque vestrum id, quod scribitur Ezech. cap. 4. *Ecce circumdedi te vinculis, & non te conuertes a latere tuo, in latus aliud, donec compleas dies obsidionis tuæ: Et tu sume tibi frumentum*. Verba enim Christi ad vos, cōfratres, specialiter mihi videtur, Vinculis charitatis suæ vos circumdedit, quibus vos ad se trahat, secundum verbum suum: *In funiculis Adam, &c.* Eucharistia vnum est ex his vinculis, quod ad vos hodiæ signanter declinat; vt illo corpus, & animam vestram circumdet: *Declinaui ad eum, vt vesceretur*: Funes vestræ Franciscanæ alia vincula sunt, quibus etiam nunc de facto vos circumdatos, ac cinctos ab eodem video; Vnde idem Dominus de vtrisque ad vnumquemque vestrum in lectione nostra dicit: *Circumdedi te vinculis*: *Dedi super te funes*, secundum Pag. Vel: *Posui super te funes*, secundum Vat. Sed ad quid dedit, & posuit super vos funes istas, & his vinculis funiceis vos circumdedit, ligauitque? Legamus sequentia immediate: *Et non te conuertes a latere in latus aliud, donec compleas dies obsidionis tuæ*: Sed quomodo intelligendum est hoc præceptum, quòd Dominus imponit his, quos vinculis istis circumdat? Meminerimus eorum, quæ iam sæpè inculcauimus, quòd, videlicet, Dominus funiculis Adam, siue hominum, quæ vincula suæ charitatis sunt nempè, beneficia sua, ligat homines, vt sic ligatos trahat; quo modò prius Adam post peccatum traxit: *In funibus Adam* (ait) *traham eos*, quod idem est, quod *In funibus hominum traham eos*. Verùm quia non satis est ad pœnitētiā trahi a Christo Christi vinculis nisi et in pœnitētia ipsa permaneamus, & in virtutum exercitio, idcirco vobis, quos nunc ad pœnitentiā duplicibus suis vinculis trahit, præcipit, vt in illa perseueretis, ad peccatū rursus non vos conuertētes, tanquam a latere in latus, donec vitæ præsentis cursus compleatur, quæ obsidio quædam dicitur, siue conclusio secundū 70. interpretationē, sicut etiam custodia, & carcer in eadē scriptura vocatur, in qua ab hostibus nostris detinemur. *Educ de custodia animam meam*. Psal. 141. *Circumdedisti me carcere* Iob. 7. Vel *Statuisti super me custodiam* Grecè, S. Hieronymus enim sic Ezech. verba explicat audiamus: *Non te conuertes a latere in latus aliud: donec compleas dies obsidionis tuæ: Non te conuertas, & in tua pœnitentia, & vita bona, quam incepisti, sine interruptione permanebis, donec de carne mortali exiens, in qua, quasi in carcere conclusus teneris*.

Hæc quę ad vos Dominus loquitur, ad vos repeto, Fratres: *Ecce circumdedi te vinculis meis*, &c. *In tua pœnitentia, & vita bona, quā incepisti, sine interruptione permanebis*. Ad hoc enim ad pœnitentiam vos trahit Dominus Dominus his charitatis suæ vinculis, vt in pœnitentia permaneatis, & uita bona, non conuertendo vos rursus ad aliud peccati latus. *Et non te conuertes* (ait) *a latere in latus aliud*. Sic enim faciens quilibet, dignus erit, qui Sacramento Eucharistiæ vescatur, vnde magis ad Dominum trahatur: Quare Ezechiel cum dixerit: *Non te conuertes a latere in latus aliud, donec compleas dies obsidionis tuæ*; subdit statim de ipso cibo Eucharistiæ, quia est sub frumenti specie: *Et tu sume tibi frumentum*, vel *Sume tibi triticum*, scilicet, Eucharisticum, apud 70. Sed *quis est hic ex vobis, & laudabimus eum*? Quis est, qui sic se trahi sinat a Domino his suis vinculis, & tractus persistat in pœnitentia, & vita bona, sicut ipsa vincula, & funes, & funium sedula sua profitentur? 15

Eia, audistis in Ezechiele quid facere iubeat vobis Dominus: Audite nunc in Hie-

remia cap. 10. id quod (nonnulli saltem) facitis: Audite eiusdem Domini quærelam de vobis, & non de vobis solum, sed de funiculis vestris, & de scola vestra, quæ de corda dicitur Sancti Patris nostri Francisci: Audite verò de ipsa scola primum Ieremiã. *Tabernaculum meum vastatum est*: Vel: *Tabernaculum meum perijt*, Secundum aliam litteram: Sic de ipsa Confraternitate vestra primum conqueritur Dominus, Tabernaculum suum illam vocans, primò quia illam ipse principaliter erexit, & custodit, sicut etiam eiusdem Francisci Religionem, ipsius Christi testimonio ad eundem Franciscum: Secundò, quia in illa, quasi in tabernaculo suo stat, illius funiculis homines ad se trahens: De hoc verò tabernaculo suo conqueritur, quod vastatum sit, quòd perierit verè, ac moraliter: Et insuper subdit: *Omnes funiculi mei disrupti sunt*: Eodem modo: Et quare? Audite: propter id, de quo vobiscum conquæritur, tertiò subijciens: *Filij mei exierunt a me, & non subsistunt*: Secundum historiam hoc pariter: Quia multi scolam deserunt, & Deum consequenter: Et non subsistunt, hoc est, diu non permanent, vel perseuerant in obseruantia scolæ suæ, in Sacramentorum frequentia, in officij recitatione, in orationibus, & in alijs huiusmodi sanctis operibus, ac deuotis exercitijs eius: Præterea additur de eisdem: *Non est qui extendat vltra tentorium meum, & erigat pelles meas, siue cortinas meas*, secundum alios: Non est qui verbo, & exemplo suo Confraternitatem extendere, & ampliare curet, nec qui ei beneficium, aut seruitium aliquod, vel paruum impendat: Et hæc est causa vastationis, ac ruinæ eius: Vnde de vobis iure merito lamentetur: *Tabernaculum meum vastatum est*: perijt: ob defectũ, nempe, confratrum multiplicem: Sed vnde hoc principaliter? lege sequentia. *Quia stultè egerunt pastores, & Dominum non quæsierunt, propterea non intellexerunt: & omnis grex eorum dispersus est*. *Vt bruta animalia facti sunt pastores*: legit Hebreus: Exponant, hæc eidem pastores.

26 Et quid tandem ad hæc sequitur? Oppositum eius omnino, quod vsque modo prædicauimus: *In funiculis Adam traham eos &c.* Trahere ad se vos desiderat Deus, & trahit semper quantum in se est, & specialius per hos funiculos, per Sancti Francisci sequelam, & per sui corporis cibum, quod vobis frequenter offert: Sed illi non sinunt se trahi, quia nec funiculis istis ligari, sed potius ipsos funiculos, & vincula multipliciter peccando, rumpunt, quod eorum cuilibet Dominus obijcit Hiere. 20. *Rupisti vincula mea, & dixisti, non seruiam*: Itaque iam illud Aug. 26. tractatu in Ioan. pro fine ad mentem reducam cuilibet vestrum: *Noli putare te inuitum trahi*. Item, quod, *Beneficium non confertur in inuitum*; Secundum Cęsareas leges. C. Vnde legitim. leg. fin. Maximè verò beneficia sunt Francisci funiculi, & Eucharistia, sed non conferuntur in inuitum: Ideoque, *Noli putare per hæc te inuitum trahi*. Quia vt ibidem ait D. Aug. *Non motu corporis, sed voluntate cordis accedimus*: Et rursus. *Parum est voluntate, etiam voluptate traheris*: quasi dicat: trahimur quidem a Christo, sed accedimus etiam; sed accendendum est etiam ad illum voluntate, & voluptate cordis nostri: quia non est hic tractus corporalis, nec motu corporali fit, sicut motus corporum violentus; cuius principium est extra, non conferente vim passo. Nam lapis v.g. vel ferrum, cum sit graue, & deorsum consequenter tendens, non inclinatur ad motum, quo trahitur, immo ad oppositum: Ideoque violenter trahi dicitur, at motus siue tractus, quo nos trahit Christus, non violentus, sed voluntarius esse debet. Vnde accessus etiam dicitur, qui voluntarium, non violentus sonat. *Voluntate cordis accedimus* inquit Augustinus, & Psalmista) *Accedite ad eum, & illuminamini*: Idcirco, qui voluntariè nolunt ad Christum accedere, ab illo nunquam trahentur Christi cibo, vel Francisci funiculis, vel alijs beneficijs eius, illi, nempe qui more lapidum, vel lignorum, tanquam insensati, & ratione carentes, tractui diuino voluntate, non consenserunt, sed repugnarunt potius: Vnde fatebuntur in morte: *Traxerunt me, & non sensi*. Prou. 23. Sicut per oppositum, qui Christi tractui annuerunt, gratias agent eidem dicenti: *In funiculis Adam traham eos*: Vtinam ab eodem nunc trahamur omnes in hoc mundo, & postea in cęlo. Amen.


SERMO QVADRAGESIMVS SECVNDVS.

Pro Confratribus Sacrorum Stigmatum Sancti Patris Francisci. Ante Eucharistiam expositam.

Ego enim stigmata Domini nostri Iesu Christi in Corpore meo porto. Gal. 6.

ARGVMENTVM.

Corpus, & sanguis Christi in Eucharistia Stigmata eius, dici possunt, quæ in suo corpore portare debent ij potissimum, qui Franciscum sequuntur.



Audistis (vt puto) fratres charissimi, qui sacris a Stigmatibus Sancti Patris nostri Francisci vocamini, de eisdem Stigmatibus sæpè sermonem, sæpius etiam de Eucharistia, & in hoc tempore prælertim orationis quadraginta horarum: modò autem sermonem ex me audituri estis, qui & de Stigmatibus erit, & de Eucharistia simul: corpus enim, & sanguinem Christi in illa, stigmata Domini nostri Iesu Christi esse ostendam, hoc est, signum, siuè memoriam passionis eius, quam in corpore nostro iugiter portare debemus, Sanctorum Pauli, & Frãcisci exempla sequentes, ita vt nostrum quilibet cum eisdem in veritate referat eorundem verba, quæ premisimus de ipsa Eucharistia: *Ego enim stigmata Domini nostri Iesu Christi in corpore meo porto.*

De stigmatibus porro differentes, in primis obseruare debemus, ipsum nomen *stigma*, siue *stigmata* in duplici potissimum significatione accipi. Primo enim stigmata, Grecis dicuntur notæ alicui inustæ, quales seruis inurunt Domini, vt si fugiant, ex hisce notis agnoscantur esse seruitutis Domini, & habetur hoc manifestè in iure, scilicet, leg. stigmata C. dè fabric. hæc enim est ipsa lex formaliter: *Stigmata, hoc est, nota publica fabricensium brachijs ad imitationem tyronum infligantur, vt hoc saltem modò possint latitantes agnosceri*: In alia etiam significatione ipsum nomen *Stigmata* vsurpatur, nempè vt idem est, quòd cicatrices (verbi gratia) militum vulneratorum. In vtroque sensu sic loquebatur Paulus: *De cætero, nemo mihi molestus sit, ego enim stigmata Domini nostri Iesu Christi in corpore meo porto.* Nemo, scilicet, Iudeorum rogando me, an seruus sim Christi, an Moysis, me molestet: nam cuius sim seruus, patet ex stigmate meo: Ego enim, non stigma circumcisionis præfero, vti faciunt serui legis, sed Christi stigmata, idest plagas, & cicatrices ex verberibus, vulneribus, & afflictionibus alijs propter Christum susceptis, quæ corpori meo impressæ sunt, & quæ quidem stigmata coram Deo non dedecora sunt, sed summæ laudes: Vnde sicut milites vexilliferi, & capitanei, sua vulnera, & cicatrices ostentant, quasi signa fortitudinis, & gloriæ bellicæ, ita ego Paulus hæc stigmata, has plagas, quasi trophea militiæ Christi, non tantum habeo, sed porto, & ostento: Sic verba hæc Pauli de suis stigmatibus interpretantur. Hier. Chris. Ansel. D. Thom. & alij, sicut refert etiam, Cornelius a lapide in ipsa verba.

Tribuuntur Francisco et hæc Pauli verba in eodem duplici sensu: De eo .n. scribit S. Bonauentura noster præsertim: *Fidelis te nera* *sunt*

suis famulus, & minister Christi Franciscus. Vnde ut verus etiam Christi famulus, ac minister, biennio, antequam spiritum redderet cœlo, in loco excelso seorsum, qui mons Aluernæ dicitur, sacris stigmatibus ab eodem insignitus est in manibus, in pedibus, & in latere, quæ etiam ex tunc in corpore suo portauit vsque ad mortem, propter eiusdem Christi gloriam, & amorem: Vnde de ipso canimus: *Signasti Domine seruum tuum Franciscum signis redemptionis nostræ*: Verùm non de stigmatibus Sancti Patris, nec de stigmatibus Diui Pauli modò agimus: Sed de Eucharistia ad stigmatum Franciscanorum cultores, ac deuotos, quæ stigma Christi dici potest, sicut inferius patebit: Signum, scilicet, siue nota passionis, ac mortis eius, vt iam diximus S. Chris. enim primò hæc verba Pauli exponens, pro verbo *stigmata*, ponit hoc verbum *notas*, sic; *Ego enim notas Domini nostri Iesu Christi in corpore meo porto*: Et Hier. similiter eadem explicans, pro eodem verbo: *stigmata*, ponit, *signa, & characteres*; Manifestum est verò Eucharistiam notam esse, ac signum Christi passionis, & signum rememoratiuum, quia sacrum mysterium est, *in quo Christus sumitur, & recolitur memoria passionis eius*: vt de illa cantat Ecclesia: Et non solum est Eucharistia signum rememoratiuum passionis Christi, sed est etiam signum effectiuum gratiæ eius, nam per eamdem *mens impletur gratia*, sicut eadem subiungit, Et denique est etiam signum figuratiuum gloriæ: Quia in ipsa pariter *futuræ gloria nobis pignus datur*, vt ibidem additur.

4 Sicut ergo Eucharistia dicitur sacrũ sacrorũ, & Sacramentum Sacramentorum; ab Incerto apud Bernardum de Cœna Domini, sic etiam signum signorum dici poterit passionis Christi, quod nos tanquam stigma quoddam, Paulum, & Franciscum sequentes, in corpore nostro recipere, & portare iubemur: Vnde eadem de causa (vt reor) id quod omnibus Sacramentis commune est, esse nempè signum, & sacræ rei signum, Eucharistiæ specialiter tribuitur in canone. De consec. dist. 2. c. Signum: & hoc tanquam signo signorum (vt diximus) sacro sacrorum, & Sacramento Sacramentorum: Præsertim verò ipsa signi definitio ab Aug. relata de doct. Christ. lib. 2. c. 1. quæ Sacramentis omnibus adaptatur, Eucharistiæ singulariter eidem applicatur, cap. Signum. *Signum* (inquit Aug.) *est res præter speciem, quam ingerit sensibus, aliud aliquid faciens ex se in cognitionem venire*: quod glossa de Eucharistia sic declarat: *Signum est, idest, species panis & vini. Est aliud præter id, quod videtur, & aliud aliquid ostendit, & innuit, sicut circulus vinum venale: Ex se, idest forma, & compositione sui, nam panis fit ex granis puris: sic intelligitur Corpus Christi ex membris suis*: sic glossa.

Rectè ergo signum signorum Eucharistia dicitur, quia signum speciale est passionis Christi a fidelibus in corpore, & in mentem etiam portandum: quia signum illud est, de quo sic prophetauit Isaias cap. 11. *In die illa radix Iesse, qui stat in signum populorum: ipsum gentes deprecabuntur* [illegible] quem latinè sic primò exprimere possumus: *Erit radix Iesse stans in signum populorum*: Radix enim Iesse hoc loco vocatur surculus ex radice Iesse natus, puta Christus. Hinc ait, *qui*, non, *quia stat*, quia transit a typo ad antitypum, scilicet, a radice ad Christum, vt quidam hic ait. Christus ergo primum ex radice Iesse natus; hoc est filius Dauid secundum carnem, fuit in signum populorum, scilicet, in signum salutis gentium, vt etiam Lyranus explicat: *Et hoc fuit in sua passione impletum* (subdit ille) *quando fuit eleuatus in cruce, propter quod dixit Saluator Ioan. 3. Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Sicut verò hac ratione Christus dicitur signum populorum, siue gentium, & quem gentiles ad fidem conuersi per prædicationem Apostolorum, post eius resurrectionem, & in cœlis Ascensionem deprecati sunt, vt inquit ibidem Lyranus, sic etiam Eucharistia, in qua idem Christus continetur, signum est gentium, & populorum omnium, & signum pariter salutis eorum, quia signum est primò rememoratiuum Christi passionis, per quam saluati, & liberati sumus; & quia secundò etiam signum est effectiuum, & causatiuum gratiæ & signum tertiò figuratiuum gloriæ: Ideoque signum est, non commune, non vulgare, non materiale, non naturale, non purum, vel simplex signum, sed signum sacrum, signum signorum, sicut etiam sacrum sacrorum, & Sacramentum Sacramentorum, vt iam diximus, & denique sacrificium etiam sacrificiorum, & mysterium mysteriorum, & signum

signum, inquam, quod gentes deprecantur, sicut & nos modo deprecamur, & Christū in eo principaliter, secundum Isaiæ vaticiniū: *In die illa radix Iesse qui stat in signum populorum, ipsum gentes depracabuntur*: Sicut verò hoc signum dignissimum, ac sanctissimum deprecamur, sic etiam sumimus atque in corpore nostro portamus tanquam stigma Domini nostri Iesu Christi, ita vt de illo tanquam de duplici stigmate, ratione duplicis speciei: sub qua Eucharistiam conficimus, & sumimus, & in corpore nostro portamus, cum Francisco dicamus: *Ego enim stigma Domini nostri Iesu Christi in corpore meo porto*.

Non solum autem Eucharistiam stigma
6 Domini nostri Iesu Christi dicimus, quia signum, vel nota est ipsius, & suæ passionis (vnde, quod aliqui stigma hoc loco dicunt, alij signum vel notam vocant, vt iam diximus) sed quia insuper stigma idem est etiam, quod character, & Eucharistia etiam character vocatur eadem ratione: S. Hier. enim primò (vt audiuimus) ipsum stigma, etiam characterem nominat, sicut etiam figuram: Et nos Franciscani similiter sacrorum stigmatum Sancti Patris celebrantes festum, sic primum de eisdem cantamus: *Signans eum charactere, in volis, plantis, latere*: & postea, quasi explicantes clarius, quinam sint hi characteres, quibus Christus Dominus Franciscum suum signauit statim subiungimus, ipsum alloquentes Christum in oratione: *Domine Iesu Christe, qui frigescente mundo, ad inflammanda corda nostra tui amoris igne, in carne Beatissimi Patris nostri Francisci passionis sua sacra stigmata renouasti*, &c. Eucharistiam verò characterem appellat, & characterem Christi ac passionis eius. S. Paschasius præsertim De corp. & sang. Christi cap. 4. sic de illa scribens. *Veritas ergo est, dum corpus Christi, & sanguis virtute spiritus in verbo ipsius, ex panis, vinique substantia efficitur: figura verò, dum Sacerdos, quasi aliud exterius gerens ob recordationem sacra passionis ad aram, quod semel gestum est, quotidie immolat agnum: sed si veraciter inspiciamus, iure simul veritas, & figura dicitur, vt sit figura, vel character veritatis, quod exterius sentitur: Veritas verò, quidquid de hoc mysterio interius rectè intelligitur, aut creditur*. Hæc S. Pasch. Eucharistia ergò character est Christi, ergo etiam stigma Christi, quod idem omnino significat: Non abs re ergo, vel leuiter (vt aliquis forte æstimasset) stigma, vel stigmata Christi ratione duplicis speciei ipsam Eucharistiam nominamus, quæ Francisci deuoti cultores in suo corpore portare debent, ad eiusdem præcipue exemplum; De illo enim (vt alia pro nunc taceamus) scribit S. Bonau. in eius legenda cap. 9. *Flagrabat erga Sacramentum Dominici corporis feruore omnium medullarum, stupore admirans permaximo, illam Charissimam dignationem, & dignantissimam Charitatem: sæpè communicabat, & tā deuotè, vt alios deuotos efficeret, dum ad immaculati agni degustationem suauem, quasi spiritu ebrius in mentis fut plurimum) rapiebatur excessu*: Sic de Francisco Bonauentura. Verùm quia de hoc alias etiam, ideo ad stigmata redeamus.

Stigmata quidem olim prohibebat Domi-
nus Iudeis: Sic enim ad eos, Leu. 19. *Super* 7
mortuo ne incidetis carnem vestram, neque figuras aliquas, aut stigmata facietis vobis. Ne inciderent carnem suam propter mortuum, prohibebat, secundum Lyranum, quia Idolatræ hoc faciebant, vt habetur 3. Reg. cap. 18. vbi dicitur, quòd Sacerdotes Baal incidebat se cultris, & lanceolis, donec profunderentur sanguine: Prohibebat verò ne figuras aliquas, aut stigmata sibi facerent, quia talia sunt signa pactorum cum Demonibus, sicut doctor idem, subdit, & quia similiter ijdem Gentiles hoc etiam præstare solebant, & Syri maximè Iudeis vicini, a quibus hoc
Iudei dedicerant, & etiam Scythæ: Hinc 8
Lucianus Syrus de Syris suis ait. *Certis notis cōpunguntur omnes: alij quidē in vola manu, alij in ceruice: Et inde est, quòd cuncti Assirij notas inustas habent*: Item Herodotus de eisdem Scythis sic scribit. *Scytha in funere regum aurem decidunt, crinem circumtundent, brachia circumcidunt, sinistram manum sagittis trajciunt*. Hæc de Iudeis, & Gentibus in eorum scripturis legimus: Mala sunt, vana sunt, superstitiosa sunt, ignominiosa sunt, ac indecora Iudeorum, & Gentilium stigmata pro mortuo, sicut etiam incisiones, notæ, & signa quælibet in corpore, & in corporeis membris quibuscunque, ideoque etiam Deo odiosa. & ab eo damnata, & vetita omnibus, & Iudeis speciatim: *Super mortuo ne incidetis carnem vestram, neque figuras aliquas, aut stigmata facietis vobis*. At stigmata Domini nostri Iesu Christi, quæ Sanctus Paulus primum, & Sanctus Franciscus postea in suo corpore portauerunt super mortuo, & pro

mortuo

mortuo in cruce pro nobis Christo, & propter honorem, gloriam, & amorem eius, & propter memoriam etiam eiusdem mortis eius, bona sunt, sancta sunt, pia sunt, digna sunt, honorabilia omnino ac gloriosa: idcirco, qui sanctissimi fuerunt, ac Christo charissimi illam portauerunt in corpore suo, etsi non eodem modò: Et illi portantes, de hoc ipso lætantes gloriabantur: Et Paulus præcipue, & Franciscus, illud sæpè repetentes. *Ego enim stigmata Domini Iesu Christi in corpore meo porto. Ista enim stigmata* (inquit Ambr. hæc ipsa exponens verba) *idest cicatrices plagarum testimonia sunt credentium eorum, qui patiuntur, quòd digni sunt futura promissione:* Quibus consonat Anselmi expositio super ipsa verba, quæ huiusmodi est, *Ego enim porto stigmata Domini Iesu in corpore meo, scilicet, ego sum de familia Christi, ego sum annumeratus in militia regis æterni, quod multiplices plagæ, in corpore meo per cicatrices ostensæ designant:* Et infra: *Stigmata enim vocabantur signa quædam, quæ in manibus militum fiebant, per quæ recognoscebantur esse de militia Romani Imperatoris. Sic & Paulus non vna tm̃ corporis, sed multis, ac varijs partibus gerebat notas, & signa plagarum pro Christo perpessarum, per quas miles fortissimus summi Regis esse declarabatur.* Sic Anselmus.

Et quod ille de Paulo hic asserit, cicatrices,
9 nempe, & notas plagarum pro Christo perpessarum, signum fuisse, eundem militem fortissimum extitisse summi regis Iesu Christi, ac de familia eius, eodem iure, & potiori etiã, id de Francisco asserendum videtur, quo ad hoc speciale de stigmatibus (salua semper tamen Apostoli reuerentia, ac honore in reliquis) quia, nempe, Franciscus non tãtùm cicatrices consuetas, vulnerum, quæ aliquando pro Christo pertulisset, & quæ stigmata appellabat Paulus, sed ipsa verè vulnera portauit iugiter per biennium ante mortẽ suam in corpore suo, in volis, plantis, latere. Ideoquè etiam verius, ac proprius illa stigmata dicenda videntur Domini nostri Iesu Christi.

Quia ergo sancta sunt, & gloriosa hæc stigmata, & quæcumquè alia pro Christo, & ad Christi exemplum tollerata à fidelibus, idcirco hortať nos scriptura ad hoc ipsũ. *Christo igitur in carne passo, & vos eadem cogitatione armamini,* inquit Petrus, 1, ca. 4. Et rursus c. 2. *Christus passus est pro nobis vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius.* Hinc ait etiam Hieronymus. *Stigmata Christi in corpore suo portant qui corpus macerant, & affligunt amore Christi, vtq; se Christi cruci, & passioni configurent, ac conforment:* Similiter dicendum de ijs, qui à Deo morbis, & ærumnis affliguntur, vt Christo hic in cruce, & post hanc vitam in gloria conformentur.

Verùm de his stigmatibus, & alijs huiusmodi passionibus, vel afflictionibus non est principale institutum nostrum, vt iam monuimus, sed de Eucharisticis stigmatibus, de corpore, scilicet, & de sanguine Christi in Eucharistia. Hæc enim mysteriosa stigmata eius, quia similiter summè sancta sunt, honorifica, & gloriosa, vt potè ipsum sanctitatis omnis auctorem, & Regem gloriæ Iesum Christum in se continentia, non prohibuit idem Christus hominibus, vt de alijs stigmatibus referebamus ex scriptura. *Neq; figuras aliquas, aut stigmata facietis vobis:* quinimò ore proprio præcepit vt illa sibi facerent in memoriam suorum stigmatum, siue vulnerũ, quæ pro eisdem hominibus pertulit; *Hoc facite in meam commemorationem. Et: Hæc quotiescũq; feceritis, in mei memoriã facietis,* de Eucharistia dixit, vt notum est, ad hoc certè, vt illam, & conficeremus, & sumeremus, sicquè memoriam passionis eius faceremus: quia in hac recolitur memoria passionis eius: quia ipsa est memoria eiusdem passionis, signum eius, character eius, stigma eius; quòd in corpore nostro sic portare debemus, vt de illa etiam dicamus, & de vtraquè eius specie: *Ego enim stigmata Dñi nostri Iesu Christi in corpore meo porto.*

In determinatis corporis membris antiqui- 10
tus stigmata (vt narrauimus) portabantur: in brachijs, nimirum, in manibus, & in capite, hoc est in fronte, & in ceruice: Eucharistiã vt Christi stigma in brachio, & in manu portat Sacerdos, dum illam consecrat, & sibi, vel alijs administrat, vel administrandam portat, aut alio modo illam pertractat. Portat illam verò idem, & alij in ore, cùm eãdem sumunt: Sed excedit in hoc valdè Eucharisticũ stigma stigmata alia vel signa, & infidelium, & fidelium etiam, quia corporalia tantùm erant omnia stigmata illa, & in corpore tantùm inurebantur, & solùm pro corpore instituta erat, at Eucharistia, etsi stigma corporale dici possit,

fit, quia corporis nostri membris pertractatur, & in corpore à nobis sumitur, vt dictum est, & quia etiam vere corpus Christi est, & sanguis eius, tamen est etiam stigma animæ, & animæ principalius quam corporis, & pro anima à Christo institutum: vt à nobis in corpore prius sumptum, in anima postea sumatur, sicque à corpore ad animã progrediatur: *Vt quod ore contingimus contingamus & mente*: Vt denique *quod ore sumpsimus pura mente capiamus, & de munere temporali fiat nobis remedium sempiternum.* Vnde hac de causa Cant. illud vlt. c. *Pone me, vt signaculũ super cor tuũ, vt signaculũ super brachiũ tuũ*, verba Eucharistiæ videtur ad vnumquemque nostrum, in quibus nos ad sui sumptionem inuitat; per brachium enim, quod nobis Eucharistiam porrigit, totum corpus figuraliter intelligitur, in quo etiam accipitur, per cor vero anima ipsa communi scripturarum sensu accipitur. Et quia (vt diximus) anima principalior est, & ratione animæ prius recipitur in corpore, & quia etiam est quidem stigma corporis, sed principalius stigma mentis, nam ideo illud portamus in corpore, vt portemus in mente: vnde & Sanctus Hieronymus ipsam Eucharistiam in morte sua alloquens, & sumens, sic ad illam dicebat: *Tu esca es animæ non corporis, impinguas mentem, non ventrem*, & Incertus similiter de cœna Domini de eadem: *Cibus iste non est ventris, sed mentis. Non est enim datus ad ruinas huius vitæ, quæ vapor est ad modicum parens, sed ad æternam vitam animæ comparandam.* Hac de causa (dico) super cor prius se poni imperat ipsa Eucharistia, quod animam significat, & super brachium postea, quod totum ipsum corpus repræsentat. *Pone me, vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum.* Quare huic Eucharistiæ præcepto obediens Sacerdos in Missa, priusquam eandem super brachium suum ponat, ad seipsum, & alios communicandum, vice omnium illam rogat, vt se super omnium corda ponat per deuotam, ac fructuosam communionem, dicens. *Tu te cordi nostro pone, nobile signaculum.*

21 Et habemus de his omnibus illustre exemplum in infirmo quodam milite, qui, cum præ tussi Eucharistiam sumere non auderet, instanter petijt à Sacerdote, vt nobile hoc signaculum in panno mundo super cor suum poneret, quod obtinens, sicque stigma hoc Domini nostri Iesu Christi in corpore suo portans, recessit de se ab Eucharistia pannus, ipsa verò Eucharistia per se vere in corde militis deuoti intrauit, & in anima eius: quia: *esca est animæ non corporis, impinguans mentem, non ventrem*, quia: *Cibus iste non est datus ad ruinas huius vitæ, sed ad æternã vitæ animã conferendã.* Idcirco ex tam mirabili communione mirabiliter etiam in anima consolatus idem pius miles statim ad æternam vitam transijt.

Quia enim stigma hoc Eucharisticum Domini nostri Iesu Christi prius portauit in corpore, & posterius in anima, ideo vicissim ab ipso Domino anima eius primò in Cœlũ portata est, quo postea cum anima portabitur, & corpus in die iudicij, vbi, *qui hunc manducat hunc panem, viuet in æternum.*

Ex quo etiam rursus manifestè apparet 22
magnum discrimen inter stigma hoc Domini nostri Iesu Christi, quod nos fideles in corpore nostro portamus, & stigmata antiquorum infidelium. *Stigmata enim* (ait Sanctus Anselmus hæc eadẽ verba nostra de stigmatib. explanans) *propriè vocantur seruiles notæ, quibus inurebantur serui, vel fuga, vel alterius culpæ conuicti.* Et idem, nos etiam cum alijs iam tradidimus. Ergo stigmata seruitutem indicabant, & supponebant, quia serui solùm fugæ, vel alterius delicti conuicti, vt inquit Anselm. stigmatizabantur: & idcirco in seruis tantũ stigmata fiebant, & apparebant hac ratione. Sed opposito prorsus modo res se habet in stigmatibus Iesu Christi, in corpore videlicet, & in sanguine eius in Eucharistia. Testatur enim de illa Ecclesia in Tridentina Synodo, quod idem Christus Dominus, qui hoc suo stigmate Christianos suos insignire dignatus est, sumi eam voluit, *tanquam antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præseruemur.* Constans verò est, peccatis solùm hominem seruũ fieri: Quia: *Omnis, qui facit peccatũ, seruus est peccati*, inquit idem Christus Ioan. 8. Si ergo peccatum solùm seruos nos facit, & à peccatis Eucharistia nos liberat, & præseruat, ergo Euchã non seruorum stigma est, sed liberorũ, siue liberatorum, *qua libertate Christus nos liberauit.* Quia, & per ipsã liberabimur à seruitute corruptionis peccati, in libertatẽ gloriæ filiorum Dei, ipso Christo asseuerante: *Qui mãducat meã carnem, & bibit meum sanguinem habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die.*

13 Hinc alia etiam ratione Eucharistia stigma nõ seruorũ, sed liberorũ posse dici videtur, q a vere stigma est, siue signũ Christi passionis, p q̃ potissimè liberati sumus. Vnde cum Ecclesia eidẽ, per q̃ Christo canimus: *Tua vtrũ cum adoramus Domine, & recolimus tuam sanctissimam passionem, per quam saluati & liberati sumus.* Et rursus. *Per lignum serui facti sumus, & per sanctã Crucẽ liberati sumus.* Preterea, iam ex Anselmo diximus, quòd *Stigmata propriè vocantur seruiles notæ, quibus inurebantur serui, fuga, vel alterius culpa conuicti.*

Serui, & serui Diaboli nos omnes eramus, quia, & culparum multarum conuicti, & fugæ, præsertim, quia à Deo, & Domino nostro, qui vbiquè est, stulti fugiebamus, vel fugere putabamus, vt vere ad Infernum fugeremus, vel potius fugaremur. A Diabolo tyranno præterea infernali suo stigmate, peccati, nempe, & æternæ damnationis inurebamur. Sed gratias agamus Iesu Christo vero Domino nostro; dignum enim, & iustum est: Nam sanguine suo, quem pro nobis in sua passione effudit, Satanicum stigma, quo nos Diabolus, vt seruos suos signauerat, in nobis deleuit, à delictis nostris, ac peccatis nos absoluit, à Diaboli seruitute, & tyrannica potestate nos liberauit, seruos suos nos fecit, & à fuga tandem qua ad Infernum fugiebamus nos reuocauit, ad cœli viam nos reducens.

Hæc omnia vero per passionem suam possissimum, cuius Eucharistia signum est, atquè memoria, & eiusdem libertatis nostræ consequẽter, & aliorum omnium etiam eiusdem Passionis suæ beneficiorum, ac fructuum. Vnde etiam Christi stigma, & stigma pariter liberorum, siue liberatorum per ipsum, & per Passione eius, hac de causa prædicamus illã. Audiam⁹ de Christi Passione Paulũ ad Colos. *Et vos cum mortui essetis in delictis, & præputio carnis vestræ, conuiuificauit cum illo. donãs vobis omnia delicta, delens quod aduersus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci: & expolians principatus, & potestates, traduxit confidenter, triumphans illos in semet ipso.* Et iterum ad Rom. 6. *Liberati autem à peccato, serui facti estis iustitiæ.* Et rursus ibidem. *Nunc vero liberati à peccato, serui autẽ facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam.*

De numerò seruorum Christi, & seruorum iustitiæ fuit verè Sanctus Franciscus, ideòquè à Christo Domino etiam, vt seruus eius stigmatibus suis signatus. Vnde eidem canimus. *Signasti Domine seruum tuum Franciscum signis redemptionis nostræ.* Et quia seruus factus fuit Christi, habuit & ipse *fructum suum in sanctificationem, finem verò vitam æternam:* sicut etiã quia Christi seruus, alio similiter stigmate eu⁹, nempe, Eucharistico, tam signanter (vt Sanctus Bonauentura testatur) signatus erat. Vita enim æterna finis est seruorum Christi, & merces seruitutis eorum, quia in hoc mundo, tanquam Christi serui, suo hoc Eucharistiæ duplici stigmate signantur, corpore nimirum, & sanguine eius: ait enim idem Christus Dominus. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.*

Et de sanguine enim Christi in eadem 14
Eucharistia insignis quædam figura habetur in libro Iosue cap. 2. (vt etiam de hoc aliquid eius stigmate, hoc saltem dicamus) Ibi enim legimus, quòd Raab meretrix, exploratores illos, quos Iosue ad explorandam Vrbem Ierico miserat, in domo sua receptos, & absconditos, saluauit de manu Regis, demittens illos per funem coccineam de fenestra. Antequam vero eos sic saluaret, ab ijsdem petijt, vt illi etiam, postquam sibi tradidisset Dominus terram suam, saluarent illam vicissim, eiusque patrem, matrem, fratres, ac sorores, & omnia, quæ eorum erant, quòd illi prōptè promiserunt, exactèque seruauerunt. Pro hoc verò, signum postulauit, & impetrauit ab eisdem: signum porrò illud fuit funis ipsa coccinea, per quam è fenestra eos demiserat, quam ipsa statim in fenestra eadem hac de causa appendit: nam hoc videntes illi, quando paulò post eãdem Vrbem ceperunt, omnia interficientes, quæ in Vrbe erant saluã fecerunt illam, & parentes eius cum suis omnibus, sicut eidẽ per signũ illud repromiserant. *Nunc ergo iurate mihi per Dominum, vt quomodo ego feci vobiscum misericordiam, ita & vos faciatis cum domo patris mei. Detisq; mihi signum verũ, & saluetis patrẽ meũ, & matrẽ, fratres, ac sorores meas, & oĩa, quæ illorũ sunt, & eruatis animas nostras à morte.* Sic Raab ad exploratores: Illi verò sic ad illam. *Innoxij erimus à iuramẽto hoc quo adiurasti nos, si ingredientibus nobis terrã, signum non fuerit funiculus iste coccineus, & ligaueris eũ in fenestra, p quã nos demisisti, &c.* 15

Hun-

Funiculus iste coccineus, & rubrus, quod signum fuit, per quod primò saluati sunt exploratores illi à Raab meretrice, & per quod illa cum suis omnibus ab illis reciprocè saluata est, sanguinem Christi, quem in passione sua effudit, significat: per passionem enim suam, quam à peccatoribus, & pro peccatoribus tolerauit, ad gloriam coeli peruenit: *Oportuit enim Christum pati, & ita intrare in gloriã suã:* Per ipsum sanguinem similiter ab æterna morte nos saluamur, gloriam æternam consequentes, quod Paulus etiam ad Hebr. 10. cap. manifestè insinuat, dicens: *Habentes itaque fratres, fiduciam in introitu Sanctorum in sanguine Christi, quam initiauit nobis viam nouã.* Quod verò Christi sanguis sit hoc signũ rubrum mysticè, nempe funiculus, vel corda rubra, apertè docet cũ alijs et Ordinaria glossa, sic de Raab scribens hoc loco: *Ipsa autem pannum coccineum posuit in domo sua, per quod saluetur ab excidio Ciuitatis: Coccineũ, scilicet, quod sanguinis formam gerebat: sciebat enim, quòd nulli esset salus, nisi in sanguine Christi: Datur etiam ei hoc mandatum. Omnes qui inuenti fuerunt in domo sua saluabuntur: si quis ergo saluari vult, veniat in hanc domum, in qua Christi sanguis in signo est redemptionis:* Hæc Glossa.

17 Quam quidem, sicut & scripturam ipsam, cuius glossa est, de sanguine Christi in se, & prout ab ipso, in passione sua effusus est, in remissionem peccatorum nostrorum, principaliùs intelligendam esse, certum est; Veruntamen id speciale, quod de illo rubro funiculo sanguinem Christi præfigurante hic narratur, nempe, quod, postquam per illum duo illi exploratores demissi sunt à Raab per fenestram, in eadem domo eius ex mutuo condicto permanserit, etsi eiusdem sanguinis meritum, virtutem, & applicationem præsertim per Sacramenta referat, quæ in Ecclesia iugiter vsque ad mundi finem perseuerabunt, nihilominus ipsum sanguinem, prout in Eucharistia est, & in eadem bibunt illum fideles, specialiùs representare videtur: & illam enim promisit nobis Dominus Christus omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi: Præterea, in loco domus alto, & conspicuo erat signum illud rubrum, in fenestra, videlicet: Christi sanguis etiam (sicut & corpus) in materiali Ecclesia locum excelsum, & honoratum obtinet, nempe altare: appensum erat signum illud coccineum in fenestra clauo, vel alteri rei, ex qua pendebat, Christi sanguis etiam vini speciebus, & accidentibus quasi innectus: & ligatus est tandem per funiculum illum Raab, & omnis domus sua à morte liberati sunt: *& qui bibit Christi sanguinem, habet vitam æternam:* Est ergo Christi sanguis stigma, siue signum passionis ipsius, sicut etiam eiusdem corpus: & vtrumque in corpore suo portare debent per deuotam vtriusque sumptionem illi præsertim, qui Sancti Francisci stigmata speciali deuotione venerantur, dicentes:

Ego enim stigmata Domini nostri Iesu Christi in corpore meo porto:

Vt tandem idem corpus, & sanguis eius reportent eos in vitam æternam. Amen.





SERMO QVADRAGESIMVS TERTIVS.

Pro Scolaribus Sanctæ Martæ. Ante Eucharistiam expositam.

Martha autem satagebat circa frequens ministerium. S. Luc. cap. 10.

A R G V M E N T V M.

Sanctæ Marthæ Scolares præsertim circa Eucharistiam sollicitæ esse debent magistræ suæ exemplo.

1 DE obiecto isto, auditoribus istis, verba ista conuenienter (vt puto) ac opportunè pponimus: De obiecta nẽpè, nobis in sancto altari Eucharistia, & de in ea contento Christo Domino, S. Martæ sectatoribus, ea, quæ ipsa circa eundem Dominum in carne ambulantem sedula exequebatur, Luca testante. *Martha autem satagebat circa frequens ministerium.* Duo verò potissimũ de ea notantur in verbis istis, circa eiusdẽ Domini nostri ministerium, & obsequium, diligentia, scilicet, & frequentia, quæ imprimis Marthæ Discipuli Magistrę suæ exemplo commoti itidem pro viribus suis adimplere debent circa eundem in omnibus, & in Eucharistia præsertim.

2 *Martha autem satagebat circa frequens ministerium.* Diligens erat Martha, sollicita, ac studiosa circa Christi Domini ministerium illum, nempe, in domo sua hospitando, pascendo, & in omnibus vitę necessarijs vnà cũ domesticis suis eidem inseruiendo: hoc magna cura, ac promptitudine præstabat, magna humilitate, ac pietate: magna benignitate, ac reuerentia: magna denique liberalitate, & humanitate: & hoc etiam frequenter: *Satagebat* (inquit) *circa frequens ministerium. Suscepit eum Martha, sicut solent suscipi peregrini* (inquit August. hoc loco) *sed tamen suscepit famula Dominum, ęgra Saluatorem, creatura Creatorem*: Si hoc verò præstitit Martha circa Dominum, quem tamen, vt hominem solùm, non vt Deum etiam reputabat, quid fecisset, si etiam verè Deum, vt nos, credidisset? Addit August. de illa: *Suscepit autem in spiritu pascenda in carne pascendum*: Si ideò Christum pascebat, *ministrans necessaria mortali carni, qua indutum erat Verbum*, vt ait Interlinealis. Quia, scilicet sanctitatis eius exemplis, atque doctrina spiritualiter pascebatur, quid præstare debent ij, qui non hoc tantummodo, sed etiã humanitate, ac diuinitate eius simul in Eucharistia, ab eodem quotidiè in corpore, & in spiritu pascuntur? A Martha conuiuium Domino parabatur. nos in eius conuiuio iucundamur, in quo idem Christus sumitur, & ab eodem nobis paratur. Ideò & nos satagere debemus circa hoc ipsum dignissimum, excellentissimumq; ministerium, ac mysterium eius. *Quapropter fratres, magis* 3
satagite (inquit Pet. 2. ca. 1.) *vt per bona opera vestra certam vestram vocationem, & electionem faciatis.* Omnes vos fratres estis, & cõfratres, qui S. Marthæ Discipuli estis, & Discipuli, sicq; ab omnibus appellari. Vestram ergo Magistram diligenter etiam (vt par est) imitari

tari curate, *vt certam vestram vocationem. & electionem faciatis*, vt ab illa vos vocatos osten datis, & in scolam, siue societatem suã electos, sed per bona opera vestra hæc comprobate, circa Christi ministerium; ad Magistræ vestræ exemplum. *Martha autem satagebat circa frequens Christi ministerium* Christo verò ministramus, & à nobis ille hospitatur, & pascitur duobus modis potissimùm, scilicet, cõuersione nostra, & deuota communione, ad quam ipsa conuersio ordinatur. Vnde cùm ille Samaritanam mulierem cõuertisset, oblatum à discipulis cibum respuit, dicens Io. 4. *Cibum habeo manducare, quem vos nescitis.* Audiamus Ambros. in Psalm. *Beati immaculati*, vers. *Media nocte surgebam &c. Paratus assiste*, ait, *vt accipias tibi munimentum vt corpus edas Domini Iesu, in quo remissio peccatorum est, postulatio Diuinæ reconciliationis, & protectionis æternæ: suscipe antè Dominum Iesum tuæ mentis hospitio vbi corpus eius, ibi Christus est, cùm hospitium tuum aduersarius tuus viderit occupatũ cœlestis fulgore præsentia, intelliget locum tentamentis suis interclusum esse per Christum, fugiet, ac recidet, & tu mediam noctem sine vlla offensione transibis.*

Hæc ergo duo potissimùm, perfecta, nempe, pœnitentia, ac sancta, frequensque communio, ad quam pœnitentia ipsa ordinatur, opera vestra bona, erunt, per quæ, secundùm Petri consilium, satagere debetis, *vt certam vestram vocationem, & electionem faciatis.* Hoc perfectissimum ministerium vestrum erit circa Christum, ad illius imitationẽ, de quà scribitur, quòd *satagebat circa frequens ministerium.* Ait enim & Innocen. Papa tertius. De myst. &c. *In perceptione corp. & sangu. Christi, magna est nobis adhibenda discretio. Cauendum enim est, ne si nimium differatur, mortis periculum incurratur, Domino protestante. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Propterea carissimi*, inquit Petrus 2. cap. 3.) *hæc expectantes satagite immaculati, & inuiolati ei inueniri in pace.* Satagite in conscientijs vestris per verum pœnitentiam à peccatis omnibus, *immaculati, & inuiolati ei*, vel, *ab illo*, vt alij transferũt, *inueniri* cum Deo, cum proximo, & vobiscum etiam *in pace*, & tunc maximè cum sacramentum pacis, & charitatis sumpturi estis. Hoc idem est, quòd S. August. suadet in serm. 1. de tempore loquens de solemnitate Nat. Dom. *Rogo vos, & admoneo, vt in quantum possumus cum Dei adiutorio laboremus; quatenus illo die cum sincera, & pura conscientia, & mundo corde, & casto corpore ad altare Domini possimus accedere.* Hoc est quod hortatur pariter S. Ignatius ad Ephesios scribens: *festinate frequenter accedere ad Eucharistiã, & gloriam Dei; quando enim assiduè hoc ipsum agitur, expelluntur potestates Sathanæ.*

Hęc sunt, dilectissimi, quæ fideles quidẽ omnes præstare deberent circa Christum, & circa frequens ministerium eius in Eucharistia. Marthæ vestigia sequentes, quæ satagebat circa frequens eiusdem Christi ministerium, ex fidelibus autem, illi potissimùm, qui fideliores, ac deuotiores alij se profitẽtur, quales sunt confratres, ac scolares eius: *Nunc autem*, inquit Chrisostomus de Eucharistia, *multi Christianorum in tantam vecordiam, tantumq; Venere contemptum, vt cùm innumeris scateant malis, nullam tamen vitæ suæ curam habeant, sed in diebus festis negligenter, ac temerè ad mensam hanc accedunt.* Multi Christianorum, dicit Chrisostomus, multi etiam scolarium S. Marthæ, dico ego, quod peius est, qui de illa audiunt signanter: *Martha autem satagebat circa frequens ministerium, Tamen in tantam vecordiam, tantumque Venere contemptum, vt cùm innumeris scateant malis, nullam tamen vitæ suæ curam habeant, sed in diebus festis negligenter, ac temerè ad mensam hanc accedunt.* Qui sanctam ego sequuntur, vel sequi saltem profitentur, *innumeris scatent malis*, Qui à Martha, hoc est, prouocante vocantur, ab illa tamen, vel ab illius exemplo minimè de facto prouocantur, sed *nullam vitæ suæ curam habent.* Qui satagentis, idest diligentis, & sollecitæ sunt discipuli, *in tantam vecordiam, tantumque Venere contemptum, vt negligenter, ac temerè ad mensam hanc accedant*, & denique: *Martha satagebat circa frequens ministerium*, Marthæ verò scolares desidebant, & desident communiter circa frequens ministerium, & mysterium simul Christi Eucharisticum. O error, ò pudor, ò dolor. *In cœlum nos vocauit*, inquit iterum Chrisostomus in Epistol. ad Ephes. *ad mensam regis magni. & admirabilis & recusamus, & cunctamur, & ad eam rem non accurrimus: & quanam est nobis spes salutis? Nihil licet causari imbecillitatem, nec culpam conferre in naturam: socordia solum, & ignauia nos reddit indignos*: Hæc notate, ò Marthæ alumni, ex Chrisostomo, & hæc postrema eius verba, præsertim: *socordia solum, & ignauia nos reddit*

vobis

vobis Christi mensa reddit indignos, qui tamen nunc auditis de eadem: *Martha autem sata-gebat circa frequens ministerium.*

Eia, quæso, attentè audite, & diligenter cō-siderate quid de eadem hac mensa Eucharis-tica præcipiat Dominus, vt præceptum eius saltem ad diligentiam, ac deuotionem vos prouocet circa illam, quos nō prouocat pro-uocantis Marthæ exemplum. Hoc n. Prouer. 23. vnicuique fidelium de sancta cōmunione datur mandatum: *Quando sederis vt comedas cum principe, diligēter attende quæ apposita sunt ante faciem tuam*: Vel secundum Hebraicam versionem ex Pagn. *Cùm sederis ad comeden-dum cum Domino, te considerando considera, quæ erit coram te.* Præterea idem præceptum Ec-clesi. 30. quasi repetitur, dum de eadem Eucha-ristia dicitur: *Epulæ enim illius diligenter fiunt.* Diligenter à Christo Domino epulę Eucha-risticæ factæ sunt, vt diligenter etiam à nobis sumantur, ad illius etiam exemplum, quæ *satagebat*, idest, diligens erat *circa* frequens *Christi ministerium.* Si enim eadem Scriptura testante Hier. 40. *Maledictus est, qui facit opus Dei negligenter*, multò magis absque dubio maledictus erit, qui facit negligenter opus Dei super omnia Dei opera dignissimum, ac sanctissimum, quod ipse Deus principaliter operatur, & in quo Dei filius continetur, in-dignè s. Eucharistiam conficiens, vel sumēs.

Itaque, fratres, ne maledicti simus, quòd hoc opus Dei Eucharisticum cum negligētia fecerimus, & ne vt maledicti à Christo in die Iudicij in ignem mittamur æternum, sed po-tius ad regnum vocemur cœlorum cum be-nedictis, ad quod, vt singulariter benedicta, ab eodem Martha vocata est, quia frequēter, ac sollicitè eundem in domum suam vocauerat, illique ministrauerat. (Legimus enim ipsum Christum eidem Mar-thæ in hora exitus sui apparuisse, atque di-xisse. *Veni hospes mea dilectissima, nam sicut tu in domum tuam in terris me recepisti, sic ego in cœlum te recipiam in domum meam.*) Ipsam itaque Martham imitemur, quam imitari profitemur: Satagebat illa circa fre-quens ministerium, & nos etiam satagamus, pij, solliciti, studiosique simus, ac frequentes circa Christi ministerium in omnibus, & circa mysterium eius, sanctam nempe Eucharistiā præsertim, deuotè ac frequenter illam confi-cientes, sumentes, ac venerantes, vt tandem ministerij huius nostri mercedem ab eodem Christo vocati recipere mereamur, regnum cœlorum, quod iam diligens ministra eius Martha ab eodem vocata recepit, ait enim idem Dominus. *Volo Pater, vt vbi ego sum illic sit & minister meus.* Amen.

SERMO QVADRAGESIMVS QVARTVS.

Pro Virginib. Ante Eucharistiam expositam.

Virgines quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias. S. Matthæus cap. 25.

A R G V M E N T V M.

Sub parabola quinque prudentum Virginum Virgines edocen-tur, quomodo parare se debeant, vt ad Eucharisticas nuptias cum earum Sponso Christo intrare possint: Simulq; osten-ditur, quales hæ nuptiæ sint, & quæ illarum virtus, & vtilitas.

NON solùm ea, quæ Domi-nus noster Iesus Chri-stus ore proprio olim parabolicè de pruden-tibus Virginibus, ac de sponso, & nuptijs eius, ad quas ille secum in-gredi meruerunt vnà cum sponsa, de Virgi-nibus nostris etiam, & de Eucharisticis nup-tijs, verissimo, ac omnino historico sensu enunciare possumus in hoc sacro oratio-nis tempore quadraginta horarum, sed eisdem præterea nuptias ipsas digito etiā, & ad oculum (vt dicitur) demonstrare, vt ad

ad illas, quando eisdem libuerit, cum eodem sponso ingredi confidenter valeant: Si tamen ad has paratæ inueniantur, cum de eisdem verè scribatur in Euangelio. *Et quæ paratæ erant intrauerunt cum eo ad nuptias.*

Ad hoc verò explicabimus præsertim quonam modo ad Eucharisticas has nuptias se parare debeant, quia solùm *quæ paratæ erant intrauerunt cum eo ad nuptias.* Cum hoc verò etiam, quales sint hæ nuptiæ; & quæ potissimum illarum virtus, & vtilitas.

2 Linquimus modò alias parabolæ partes, & sensus: Et cum de virginibus specialiter expol ponant illam Chrisostomus, Theophilatus, Euthymius, & alij multi, de eisdem nos quoque hoc solùm, quod de ipsa parabola selegimus, exponemus. Per nuptias verò, ad quas ipse Virgines paratæ ingrediuntur, sacramentum Eucharistiæ accipimus non iure minori, sicut patentius, ac prolixius suo loco demonstrabimus.

3 Et vt manifestius id, quòd de virginibus, ac nuptijs illis parabolicis ad rem nostram assumpsimus, perspicuum fiat, libuit primum hic ea referre, quæ breuiter de ipsa parabola tradit Iansenius ex Sanctorum Patrum sententia.

Moris enim erat (inquit ille) *vt sponsus vespertino tempore comitatus adolescentium societate, accederet sponsæ suæ domum, celebraturus cum illa nuptias, ac tum è sponsæ domo Virgines quædam sponsæ assidentes, sponsæ domi residentes, & aduentum sponsi præstolantes, prodirent obuiam sponso, deducturæ illum cum lampadibus in domum sponsæ, & ibi cum sponsis nuptialibus fruituræ gaudijs.* Sic Iansenius.

Quibus pro instituto nostro, ex eodem Euangelio addendum est, quòd ex his virginibus, quæ decennarium numerum non excedebant, quinque prudentes erant, quinque verò fatuæ. Prudentes, cum oleum aliud lampadibus superinfundendum, cum necesse esset, in vasis paratum secum accepissent præter illud, quod iam in ipsis lampadibus igni pabulum præbebat, fatuæ aũt nec de isto quidquam cogitassent, & cum præterea ex mora sponsi ardentes lampades vtrarumque iam oleum, quod habebant, consumassent, adueniente tandem sponso, habuerunt prudentes, quod apponerent: Sicque aptantes denuò lampades suas, & omnino paratæ exierunt obuiam ei, & intrauerũt cum eo ad nuptias: fatuę autem, cum nec à prudentibus oleum impetrare potuissent (quod illę sibi quoque necessarium fore formidarent) ideoque lampades suas, quæ iam ob eiusdem olei defectum extinguebantur, iterum aptare non possent, ad vendentes ire compulsæ sunt, sicut eisdem à prudentibus responsum fuerat: dum autem irent emere, venit sponsus, & solùm prudentes, *quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias, & clausa est ianua*; ad quam cùm pulsassent reliquæ Virgines dicentes: *Domine, Domine aperi nobis*, respondit eis sponsus: *Amen dico vobis, nescio vos*: Et hæc breuiter de parabola, & de vtrisque virginibus prudentibus, & fatuis referre prius volui, vt apertiora sint, quę in argumento dicuntur.

4 Modo omissis fatuis virginibus, de prudentibus solũ loquamur, explicantes primò, quomodo paratæ esse debeant, vt ad sacramentales nuptias cum sponso Christo ingredi dignè possint. Solùm enim *quæ paratæ erant intrauerunt cum eo ad nuptias.* Inprimis sponsum esse Christum, & Ecclesiam spõsam eius, manifestum est; Nuptiæ verò quotidianæ, ac continuæ, quæ in domo horum sponsorum, s. in Ecclesia materiali fiunt, sacramentum est corporis, ac sanguinis eiusdem Christi sponsi sui, quod semper in eadem vbiquè conficitur, & conseruatur. Ad has nuptias virgines præcipuè tùm ob virginitatem corporis, tũ ob puritatem mentis, simul cum tota Ecclesia, quasi generali, vel communi eius sponsa, tota, nẽpe fidelium omnium congregatione vocantur: nam & ipsa communis sponsa Ecclesia virgo est, 2. Cor. 11. *Despondi enim vos, vni viro virginem castam exhibere Christo*: & ipse sponsus pariter virgo est, & filius Virginis, cuius corpus solùm cibus est harum nuptiarum, & sanguis eius potus, eiusdẽ testimonio: *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*, quo etiam se ipsum pauit, & potauit, cùm primò Eucharisticas istas nuptias nobis parauit. Ideoque virgines signanter simul cũ sponso, & in domo eius, ad has nuptias intrare scribuntur, si tamen paratæ sint: ait enim & parabola: *Quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias.*

Sed iam hanc præparationem virginum attendamus, qua ratione s. vel modo, separare 5 debeant hæ virgines ad has Euchæ nuptias:

Ex-

Explicat hoc satis m ni e. te ipsum Euangeliū. Narrat enim, quod cum audirent illæ: *Ecce sponsus venit, exite obuiam ei: tunc surrexerunt oēs Virgines illæ & ornauerūt lāpades suas.* Ecclesia similiter easdem Virgines alloquens, & eidem parabolæ alludens, sic ait. *Prudentes Virgines, aptate vestras lampades: Ecce sponsus venit, exite obuiam ei.* Sicut de facto aptatas lampades accipientes, eidem sponso obuiam exierunt ipso Euangelio asserente.

Hæc præparatio Virginum ergo ad sponsi nuptias in lampadibus est, & in lampadum adaptatione, siue ornatu consistit: sed quænam primò hæ lampades, siue lucernæ Virginum nostrarum? Hic enim lampades pro lucernis accipiuntur, quia nō lampades, sed lucernas, & Virgines, & alij omnes in manibus nocte deferunt. Et præterea, quænam sunt illa, quæ pro ornatu lampadarum, siue lucernarum istarum requiruntur? Nam clarum est, quòd sicut materiales nō sunt istæ lampades, sic consequenter, nec ea, quæ ad illarum ornatum necessaria sunt, materialia erunt. Lampas hæc, vel lucerna vestra, ò Virgines, anima vestra est, siue conscientia: de his enim scribitur Cant. 8. *Lampades eius lāpades ignis, atque flammarum.* Ignis vero, vel lumen, est Dei gratia, & charitas. *Fons viuus, ignis charitas:* Oleum autem, sunt bona opera. De oleo siquidem sic Hieronymus. *Oleum habent Virgines, quæ iuxtà fidem & operibus adornantur.* Diuus Hilarius verò de igne, de oleo, & de ipsa lampade simul, hæc scribit. *Lampades animarum splendentium, lumen est. quæ Sacramento Baptismi splenduerunt: Oleum boni operis est fructus.* Oleum ergo, & ignis, sunt inprimis necessaria, vt lampas ardere possit, ac lucere.

6 Etsi verò de his solùm Euangelium meminerit, illis præcipuè verbis: *Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguuntur,* quia, nimirum, hæc præcipua sunt, nihilominus, alia etiam, tanquam lampadibus similiter necessaria supposuit, nempe, ellychinium, quod igne accenditur, & instrumentum illud variè appellatum, quod ellychinium ipsum sustentat, in lampade, ne ad ima descendat. Et ista quoque pro instituto nostro non vacant (vt mihi videtur) mysterio: sicut enim in corde Virginis, tanquam in lampade ignem, diuinum amorem necessarium dicimus, quo erga Deum, & proximum ardeat, alios etiam omnes illuminando per exemplum: Et oleum pariter bonorum operum, quo idem ignis amoris foueatur, & nutriatur, ne animæ lampas ob vtriusque defectum extinguatur, sicut fatuis Virginibus accidit, sic pariformiter linamentum, hoc est, spes igne charitatis ardens, & insuper linamenti sustentaculum, nempe, fides, quæ & spem ipsam, & charitatem simul inter bona opera sustētat, ac portat, eadem ratione necessaria dicenda sunt, & vt talia etiam ab ipso Christo supposita.

Etsi de lampadibus sermonem faciens, quas Virgines habebant obuiaturæ sponso, oleū tantùm expresserit, & ignem, vt principaliora, & notiora, alia omnia silendo.

Hæc quatuor cum lampade simul copulasse videtur breui hac sua sententia Diuus Paulus, dum ad Romanos scriberet 5. cap. 7
Scientes, quòd tribulatio patientiam operatur, probatio verò spem, spes autem non confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. In cordibus nostris? En lampades nostræ, primò corda nostra, nimirum: *Tribulatio patientiam operatur.* En oleum, nempe, opera, quæ in tribulatione per patientiam probantur, ac perficiuntur. *Patientia autem perfectum opus habet,* inquit Sanctus Iacobus capite quinto. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris.* En ignis, & lumen, charitas, videlicet, quę in cordis nostri lampade oleo operum nutrita ardet, ac splendet. *Probatio verò spem.* En lampadis ellychinium, videlicet, spes: *Vt spes nostra firma sit,* inquit Paulus 2. ad Cor. cap. 1. Sicut ellychinium lampadis firmum stare debet. *Spes autē non confundit,* ad Rom. 5. En quartum, denique, nempe, fides: spes enim non confundit nos, nullo modo in fundo desperationis labi nos permittens, quia oleo operum fota, & igne charitatis accensa, fide regitur, ac sustentatur; quæ Pauli eiusdem testimonio ad Heb. 11. *Est substantia rerum sperandarum argumentum non apparentium.* Audistis itaque, Virgines, quomodo vos ipsas parare debeatis, sub quinque prudentum Virginum metaphora, vt Eucharisticis nuptijs dignæ sitis. Non est enim exterior, hæc præparatio vestra, qua vos ad has nuptias præparare debetis, sicut illa quinque parabolicarum

parabolicarum Virginum,quæ ad sponsi illius nuptias se præparauerunt: sed est interior tantum per exteriorem illam significata: Non est inquam ornatus vester corporalis, neque in materialibus lampadibus,vel vestibus cõstituitur,sed est spiritualis,& in virtutibus, & sanctis operibus consistit: corda vestra lampades vestræ sunt, vt audistis: Sit in vobis igitur inprimis firma fides, hæc in lampade est ellichynij sustentaculum: sit spes viua, hoc linamentum: sit charitas, hic ignis ardens: sint denique virtuosæ operationes,hoc oleum, ignem charitatis nutriens in eisdem animabus vestris.

8 Sicut verò prædictis omnibus non ornantur lampades, nisi prius de alijs omnibus euacuentur, sic de omnibus vitiorum, ac peccatorum sordidus per verã penitentiam, corda vestra, Virgines euacuare debetis, vt modo prædicto, quasi lampades ornare possitis, vt de vobis verè dicatur id, quod de prudentibus illis Virginibus in Euangelio narratur: *Surrexerunt virgines illæ, & ornauerunt lampades suas;* Hhoc enim modo, & S. Augustinus animam, siue conscientiam suam, quasi lampadem, vel vas aliud considerasse videtur pro Eucharistia, cum sic ad ipsam orasse legatur in suo Manuali cap. 11. *Panis viue, qui nos reficis, & in te non deficis: quotidie comederis, & semper integer manes: resplende mihi, accende me: illumina, & sanctifica me: Vas tuum de malitia euacua, imple de gratia, & plenum conserua, vt ad salutem animæ meæ manducem cibum carnis tuæ, quatenus manducando te, viuam de te, perueniam ad te, & repausem in te:* sic ergo, o Virgines aptate animarum vestrarum lampades: sed inprimis, rogate & vos Dominum cum Augustino, vt de malitia euacuet illas, & vos etiam (quod in vobis est) per veram pœnitentiam illas euacuare curate, vt ipse oleo gratiæ, & charitatis suæ eas implere dignetur: hoc enim modo verè paratæ eritis, & vt paratæ, ad nuptias Eucharisticas cum omni fiducia intrabitis: *Quæ enim paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias;* idest. *Quibus conscientia dabat bonum testimonium,* inquit Interlinealis glossa, vel. *Quæ paratæ erant, per opera charitate formata,* vt interpretatur Lyranus.

Hinc verum ergo discant Virgines ornatum, quem præcipuè affectent, & maximè quando in Ecclesia ad nuptiales Christi Corporis sunt ingressuræ nuptias: quia, & Ecclesiæ Pastor D. Petrus 1. c. 3. illas solum laudat mulieres, quæ *conuersationem sanctam habent in timore: & quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus:* Quia sicut tradit S. Cyprianus hæc exponens. *Sericum, & purpuram indutæ, Christum induere non possunt. Auro, & margaritis, & monilibus adornatæ ornamenta cordis, & corporis perdiderunt:* Quia sicut testatur D. Augustinus in Epistola quadam: *Verus ornatus maximè christianorum, & christianarum, non tantum nullus fucus mendax, verum ne auri quidem, vestisque pompa, sed mores boni sunt.* Et si specialius, Virgines, Virginis ornatũ scire desiderant, Gregorium Naz. consulant in præclaro enim illo carmine, quod in laudem virginitatis edidit: Hæc enim ibi inter alia virginitatem, loquentem introducens, ait:

Sordida Cæsaries decor est mihi, vilis amictus
Vestis, quam mirè mouet aurea fimbria Christus
Est mihi, testã animæ decus, ornatusq. refulgens.

Nec silendum hoc loco pro Virginibus, id quod Hieronymus de Paula Romana, quam adeo coluit, narrat in epitaphio, Quòd, scilicet, si vidisset virginem aliquam comptiorem, contractione frontis, & vultus tristitia arguebat errantem dicens, munditiam corporis, atque vestitus, animæ esse immunditiam. Notent diligenter Virgines hæc omnia, quæ de eorum vero ornatu recensuimus: In hoc enim frequentius, ac grauius delinquere solent, vnde & scriptura Hier. 2. *Nunquid obliuiscetur virgo ornamenti sui?* Ideoque etiam de hoc ipso indigent specialius, & grauius admoneri: cum & Ecclesia ipsa de hac eadem ad Eucharistiam præparatione sollicita cuilibet præcipiat. Parocho: *vt populum sæpius admoneat, qua præparatione, & quanta animi religione, ac pietate, & humili etiam corporis habitu, ad tam diuinum Sacramentum debeat accedere.*

10 Cum enim ad communionem sanctam accedunt Virgines præcipuè, tunc illud Euangelicum speciale sibi intimatum specialiter nouerint: *Ecce sponsus venit: exite obuiam ei:* Et præterea sicut verba hæc audientes quinque prudentes virgines surrexerunt, & ornauerunt lampades suas, & exierunt obuiam sponso alieno, sic multo magis & illæ, ornantes (vt docuimus) animarum suarum lampades, sponso suo Christo ad se ipsas tunc venienti obuiare debent, sicque cum eo ad Eucharisticas suna nuptias introire. nam;

nam: *Quæ paratæ erant intrauerunt cum eo ad nuptias*: De his quæso nuptijs audiant, & obseruent illæ signanter id, quod B. Petrus Damianus scripsit lib. 7. epist. epist. 19. *Nuptiæ (inquit) factæ sunt in Cana Galileæ, & sicut Euangelista testatur, vocatus est Iesus ad nuptias cum Discipulis suis: sed tanquam pronubus, non vt sponsus quasi pransurus, non vt nupturus: Istæ vero nuptiæ tanto illas priuilegio superant vt hic Iesus verè credatur non amicus esse, sed sponsus: & quoniam, qui adhæret Domino, vnus spiritus est: sponsus iste non modo sponsæ iungitur, sed vnitur: atque ex hac copula, non corruptio nascitur, sed integritatis potius clausula reparatur: Illic Iesus aquam conuertit in vinum: hic idem Iesus, & vinum semetipsum fecit, & cibum: quia ipse est panis, qui de Cœlo descendit, vinũ verò quod lætificat cor hominis.*

21 Hæc sunt Damiani verba, & notabilia sanè iudicio meo, & multa consideratione digna, præsertim pro Virginibus. Primo enim, quinque illæ prudentes virgines lampades habentes, etsi introierint cum sponso ad nuptias, & clausa statim ianua quinque fatuis, non tamen fuerunt nec omnes, nec illarum aliqua eiusdem sponsi sponsa, nec vt sponsæ ad has nuptias ingressæ sunt, sed tanquam sociæ solum, & amicæ veræ sponsæ, vt ab initio narrauimus: sed Virgines nostræ, & omnes simul, & quælibet illarum sigillatim vbique terrarum non intrāt solum, cum tota Ecclesia communi sponsa, (vt iam nominauimus eam,) ad nuptias sponsi Christi Eucharisticas, sed intrant vt veræ etiam eiusdem sponsi sponsæ omnes, sicut etiam veræ illius sponsæ sunt. Præterea aliud etiam est singulare inter sponsum ipsum Christum, & ipsas sponsas Virgines: Sponsi alij sponsis suis solum coniunguntur: verum sponsus iste (inquit B. Damianus) non modo sponsæ iungitur, sed vnitur, vt idem ait.

22 Sed nondum statim finis: Duo sunt adhuc his & mirabiliora, & singulariora valde in Virginibus sponsis nostris, quæ non habent aliæ sponsæ, & hæc ipsa tradit idem Damianus immediate post prædicta verba, sic enim subdit: *Atque ex hac copula non corruptio nascitur, sed integritatis potius clausula reparatur*: Ex hac copula (inquit) non corruptio nascitur, hoc primum est: O res mirabilis certè, & inaudita prorsus: quis enim audiuit vnquam tale? aut quis vidit huic simile? quòd scilicet ex copula sponsorum corruptio non nascatur? Adulescentulæ quidem ad nuptias sponsorum suorum intrant Virgines, sed Virgines non exeunt de illis, quia corruptio virginitatis in illis, sequitur ex copula cum sponsis suis: sed nostræ Virgines Christo quidem sponso suo junguntur, & vniuntur, corpus suum comedentes, & sanguinem bibentes: nam idem sponsus testatur. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo*: & tamen, post nuptias adhuc Virgines sunt, sicut ante illas: immo plus etiam, ac verius, quia tales nuptiæ sunt, talesque de se faciunt eas omnes, quæ paratæ intrant ad illas: vt statim demonstro ex secundo, nimirum, singulari pariter ac prorsus mirabili, quod de Eucharisticis nuptijs his docet S. Damianus. *Ex hac copula* (dicebat ille pro primo iam exposito) *non corruptio nascitur*: pro secundo verò, sic immediate subiungebat: *sed integritatis potius clausula reparatur*: quia, videlicet, non solum Virgines non corrumpunt, vel maculant vllo modo, nec etiam leuissime Sacramentales istæ Christi nuptiæ, sed insuper Virginitatem restituunt ijs etiam: quæ alias amiserant illam: *sed integritatis potius clausula reparatur*, ait Damianus: quia, nimirum, nouam etiam virginitatem causant, quòd plus est: ipsum, n. Christum in se continent qui (vt Ecclesia in missa testatur) natus de Virgine, Matris integritatem non minuit, sed sacrauit.

Nec noua nimis, vel erronea et fortasse istæ 23
videantur, quoniam ex ipsa scriptura, & ex Patribus comprobantur, sanè tamen intellecta. Primò Zach. num. 9. habetur. *Quid enim bonum eius est, aut quid pulchrum eius. nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* De Eucharestia verò hæc communiter interpretantur, vt latè probamus in sermone præcipue Iuuenum: Hoc solum hic dicamus: *Vinum germinans virgines*: quod data opera etiam in hunc locum reseruauimus: Eucharistia, & præsertim sub vini specie, sub qua modo inter Græcos, & alios etiam à laicis omnibus vtriusque sexus sumitur (prout sibi dignis de causis ab Ecclesia conceditur) vinum dicitur germinas virgines, vinum quidem ratione accidentium, vini, & quia vinum fuit: sed vinum germinans virgines, hoc est, non nouos vere homines virgines germinans, sed nouam quandam virginitatem in hominibus, sicq. quasi nouos virgines, prout inferius etiam clarius explicabimus: germinare verò, siue producere

nouam

nouam in hominibus virginitatem, plus est profectò, quam in ipsis virginibus virginitatem ipsam conseruare, & plus etiam, quam eandem virginitatem restituere illis, qui illam iam amiserunt: Nam, generaliter loquendo, plus est aliquid de nouo facere, quam factum conseruare ijs, qui illud habent, vel restituere ijs, qui iam habuerunt: Si ergo primum Eucharistia facit, nouam, scilicet, procreando virginitatem, quia est vinum germinans virgines: ergo, & secundum poterit, & tertium similiter, vt cum Damiano diximus: Nam ex iuris etiam communis regula. *Non debet, cui id, quod plus est, licet, id, quod minus est, non licere*. potent, inquam, & Virgines conseruare, & Virgines renouare, conseruare virginitatem habentibus, & restituere non habentibus eam, supero mnem naturæ virtutem, ac potentiam: quia hæc omnia etiam opera sunt gratiæ, non naturæ: *quia ex hac copula* (inquit B. Damianus) *non corruptio nascitur, sed integritatis potius clausula reparatur*: Nam (vt iam monuimus) sano modo hæc omnia accipienda sunt, sicut clarius adhuc explicabo.

14 Sanè de Buda quodam Gymnosophistarum Principe narrant Cælius Rodiginus, & Ioannes Rauisius in suis mirabilibus, quod virginem quandam ex latere suo pepererit, sicut verè *ædificauit Deus costam, quam tulerat de Adam in mulierem*, vt legimus Gen. cap. 2. sed fabula mera potius hæc reputatur, quam vera historia: sicut manifestè fabula est, pariter alia huic similis, quod, scilicet, Iuno Dea in Canatho fonte apud Argiuos se lauans quotannis virginitatem recuperaret. At verissimum omnino, & certissimum est, quod Eucharisticum vinum in Ecclesia Dei virgines germinat, in hoc sensu, videlicet: propter Eucharistiæ deuotionem, reuerentiam, ac pium cultum, multiplicantur in Ecclesia Dei fœminæ (sicut & viri etiam) quæ spreto carnali connubio, & quibuscumq. carnis illecebris, virginitatis statum conseruant, vel in suis domibus, vel in religionum claustris, vbi frequenter Christo animarum sponso in Eucharisticis nuptijs copulatæ, quasi semper magis virgines redduntur, hoc est semper mente puriores, & corpore, & eiusdem virginitatis plus semper etiã amantes, ac deuotæ, sicque etiam ad easdem nuptias paratiores: Nam, *Virgines quæ paratæ erant intrauerunt cum eo ad nuptias*; Et in hoc sensu pariter ipsæ nuptiæ, & earum vinum secundum Zachariæ oraculum, germinare dicitur virgines.

Item alio modo hæc verba de eodem vino Eucharistico verificantur: quòd, nimirum, non solum in Virginibus, sed etiam in Coniugatis, in Viduis, & denique in omnibus quibuscumque, ipsum dignè frequentantibus, causat cogitationes castas, affectiones puras, moresque pudicos ac sanctos, quales in multis Virginibus: & maximè in religiosis castitatis voto Christo sponso perpetuo consecratis experimur: sicque tandem verum ostenditur id, quod ex S. Damiano referebatur, nempe, quod ex copula, qua Virgines Christo in Eucharistia copulantur, *non corruptio nascitur sed integritatis potius clausula reparatur*. Quia certè Eucharistia vinum est germinans virgines, & has omnes insuper spirituali lætitia, & gaudio replens, quasi cœleste ac diuinum vinum. 15

16 Et in his omnibus patronos, & doctores habemus sanctos Patres, vt dixi, & S. Hieronymum præsertim, qui hæc ipsa Zachariæ verba: *Frumentum electorum; & vinum germinans virgines*, sic exponit: *Qui frumentum est electorum, siue iuuenum, ipsum est vinum, quod lætificat cor hominis: & bibitur ab his virginibus, quæ sunt sanctæ corpore, & spiritu, vt inebriatæ, atque gaudentes, sequantur Ecclesiam, & dicatur de eis: Adducentur Regi virgines post eam, adducentur in lætitia, & exultatione*. Et iterum sic: *Quomodo enim lætitiam non habebunt, quæ inebriatæ poculo Saluatoris generantur in virgines, & audiunt dicere: Introducite me in cellulam vini*. Sic S. Hieronymus sic verò cum illo etiam S. Paschasius in suo lib. de corp. & sang. Domini cap. 21. ipsa verba Prophetæ allegans. *Fœlix fructus vbertatis, ex quo virginitas germinatur: nam in hoc nostrò germinis vino castitas corrumpitur: ab isto vero virgines procreantur: & ideo. iure omnis Ecclesia Christi, virgo nominatur, quia isto repleta vino, nullum præter Christum amare nouit, nullum esurire aliam, nullumque sitire: Quoniam summum eius bonum Christus est: & summa pulchritudo*. Et idem paulo inferius, sic iterum ad rem nostram: *Exercete in castitate, quoniã hic sanguis nihil magis diligit, quam in Christo Virgines. Virgines, inquam, sed prudentes, & pudicas: quia sunt, & fatuæ intus in anima, non habentes oleum secum Spiritus Sancti*.

17 Et faciunt similiter ad hoc ipsũ aliæ translationes eorundem verborum: septuaginta enim interpretes hebraicum verbum: *Ienubeb*,

Qq 2 his

his duobus respondens: *germinans virgines* in nostra vulgata vertunt: *odoratum ad virgines*, vel: *boni odoris ad virgines*: scilicet, bonum odorem exalans virginibus: vt videatur esse aromaticum: Tigurina vero lectio habet: *Suculentos, & vegetos reddens virgines*. Vat. *Exhilarans Virgines*. Arabicus: *Vngens instar vnguenti Virgines*: Pagn. *Cantare faciens Virgines*. Sanchez. *Florere faciens Virgines*. Alij denique: *fructificans, procreans, propagans Virgines*. Sic hi omnes de vino Eucharistico, quod ad sponsi Christi nuptias intrantes paratæ Virgines bibunt, & semper virgines remanent, & virginiores etiam, vt ita dicamus: hoc est se ipsis semper honestiores, puriores, ac sanctiores, & etiam pro eisdem nuptijs semper paratiores, ac digniores: Quia *Virgines quæ paratæ erant &c.*

28 Et possumus ratione etiam quasi naturali conprobare id, quod diuinæ scripturæ, & sanctorum Patrum auctoritate demonstrauimus: Nutritum enim nutrimentum imitatur, eique non parum assimilatur, sicut naturalis ratio docet ipso quotidiano, ac manifesto experimento firmata: Qui enim cholericis v.g. nutriuntur (cæteris paribus) cholerici sunt: & qui flegmaticis, flegmatici: & sic de alijs: Eucharisticum porrò nutrimentum quo in Christi nuptijs omnes nutrimur, scilicet, tam cibus, qui est corpus eius, quam potus, qui est sanguis eiusdem, virgineum est, vel Virginale, quia, & ipse Christus Virgo est, & corona Virginum, *quem mater illa concipit, quæ sola virgo parturit: cuius Pater fœminam nescit*, vt Virgo illa similiter dicebat, de qua statim: & proinde etiam, qui eodem Christo Virgine in Sacramento pascuntur, qui Virginale eius corpus comedunt, & Virginalem similiter sanguinem bibunt, Virgines, & ipsi sunt, vel fiunt, si non corpore mente saltem: virginitatem nempe, vel castitatem sectantes, vel saltem multũ amantes, & reputantes, quia (vt sœpe repplicauimus ex scriptura) *est frumentum electorum, & vinum germinans virgines*.

29 Et sit nobis de virginibus virgo quædam pro exemplo, & documento simul: Agnes nimirum, Virgo, & martir simul sanctissima, & in Dei Ecclesia insignis valde, multumque celebrata à Patribus: sic enim illa dicebat: *Amo Christum, in cuius thalamum introibo: cuius mater, Virgo est: cuius Pater fœminam nescit: Quem cum amauero, casta sum, cum tetigero, munda sum; cum accepero, Virgo sum.* Sic testabatur virgo Agnes de Agni nuptijs, & virginum simul: Verè enim Eucharisticæ nuptiæ, nuptiæ agni, & nuptiæ Virginum simul appellandæ videntur: (Vt modò aliquid de hoc Agno dicamus, quum Agnes virgo de virginibus nobis loquentibus occurrit) maxima est, si quidem conuentio inter Agnum Christum, & Virgines. *Virgines enim sunt, & sequuntur Agnum quocumque ierit* inquit scriptura: Et Ecclesia similiter de virginibus ipsum alloquens Agnũ. *Quocumque pergis, virgines sequuntur, atque laudibus, post te canentes cursitan, himnosque dulces personant*. Vnde quia ad nuptias vadit Agnus, & qui earumdẽ Virginum est sponsus, ipsę etiam Virgines, quia sequuntur agnum quocumque ierit, idcirco, ad easdem Agni sponsi sui nuptias euocantur illis vocibus: *Prudentes virgines, aptate vestras lampades: ecce sponsus venit: exite obuiam ei*, & de facto: *quæ paratæ erant intrauerunt cũ eo ad nuptias: Beatæ quæ ad cœnam nuptiarum agni vocatæ sunt*: Nam, *venerunt nuptiæ agni, & vxor eius præparauit se: Et datum est illi, vt cooperiat se byssino splendenti, & candido: byssinum enim iustificationes sunt Sanctorum Apoc. 19.* Et hæc est virginum præparatio, qua se ipsas ad Eucharisticas sponsi sui agni nuptias præparare debent: Iustitia generalis, nimirum, virtus, quæ omnes in se virtutes claudit, & simul virginalis candor, ac puritas, prout iam clarè satis docuimus eas, sub lampadarũ exemplo.

Itaque virgines: *Venerunt nuptiæ agni:* 30
Nuptiæ quidem paratæ sunt: Ecce agnus Dei: agnus ille, cuius sunt illæ nuptiæ, & qui in istis nuptijs sumitur, vnum omnino, & idem est cum eisdem nuptijs; *Agnum immaculatum immolo quotidiè in Altari* (dixit S. Andreas Apostolus ad Egeam Procunsulem) *cuius carnem, postea quam omnis populus credentium manducauerit, Agnus, qui sacrificatus est, integer perseuerat: Ecce Agnus Dei, & ecce qui tollit peccata mundi* in sancto altari illo: hoc enim nobis dicit Sacerdos ipsum Eucharestiæ Sacramentum ostendens nobis, & ipsas nuptias, quando mox ad illas ingressuri sumus: quando hunc Agnum statim sumus manducaturi: quando ipsum Sacramentum subito sumus sumpturi: Agnus ille, quem, quia tollit peccata mundi, ideo vt in Sancta etiam Communione peccata nostra tollat, sic etiam tunc rogamus eum. *Agnus Dei qui tollis peccata mundi miserere nobis*: &

quia

quia hic agnus Dei est Filius Dei Iesus Christus Dominus noster; ideo sic statim rursus eumdem deprecamur *Domine Iesu Christe Fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris, cooperante Spiritu Sancto mundum viuificasti, libera me per hoc Sacrosanctum tuum Corpus, & sanguinem ab omnibus iniquitatibus meis, & vniuersis malis, & fac me tuis semper inhaerere mandatis, & à te numquam separari permittas: qui cum eodem Deo Patre, & Spiritu Sancto viuis, & regnas in saecula saeculorum.*

21 Agnus certe, & dupliciter agnus, est hic agnus Dei, qui est Filius Dei: Agnus in passione, Agnus in Communione: Agnus in Caluario, Agnus in altario: Agnus in cruce, Agnus in vase: Agnus in sacrificium crucis, Agnus in sacrificium, & in sacramentum altaris: Agnus ad mortem: Agnus ad vitam: Agnus moriens, Agnus viuens: Agnus denique, qui ab eisdem manducatur, pro quibus immolatur: Agnus verè propter humilitatem, & mansuetudinem suam primò, dum viueret, qui etiam diceret, *Discite à me quia mitis sum, & humilis corde*. Secundò; Agnus dum moreretur propter Patris obedientiã, & hominum salutem, ita vt de illo scribatur: *Sicut ouis ad occisionem ducetur, & sicut agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum*: Tertiò Agnus, & ante mortem, & post mortem, & post resurrectionem, quoque in Sacramento, in quo sub Agni nomine, (vt iam diximus) eum manducaturis demonstratur; & ab eisdem pariter inuocatur: In quo praeterea Sacramento hic Agnus Dei non in vno loco, vel tempore solum suam omnibus notam fecit mansuetudinẽ, & humilitatem, vt ante mortem, vel in ipsa morte; sed in omni loco prorsus, & in omni tempore, Augustinus .n. de hoc eodem Agno Dei, & Filio Dei in psal. 33. ait. *Notus est enim Dominus noster Iesus Christus: In corpore, & sanguine suo voluit esse salutem nostram: Vnde autem commendauit corpus, & sanguinem suum? de humilitate sua. Nisi enim esset humilis, nec manducaretur, nec biberetur?* Hinc meritò ipsum corporis, & sanguinis sui Sacramentum, in quo a nobis manducatur, & bibitur, nuptiae Agni dicuntur. *Venerunt nuptiae Agni &c.* agnus enim humillimum, & mansuetissimum animal est.

22 Et quidem Eucharistiales nuptias, verè esse, & verè appellandas esse Agni nuptias propter eiusdem Agni Christi humilitatem, quae in eis tam insigniter elucet, dum, nempè, sub modici panis, & vini specie vbique terrarum, & continuè, & ab omnibus bonis, & malis etiam, & ab indignissimis quoque se contrectari, & manducari permittit, voluit idem Dominus insigni etiam miraculo demonstrare, quod sic narrat B. Petrus Damianus lib. 6. epist. ad Abbates, & Monachos, epist. 25. *Dum Sanctus quidam Abbas missam celebraret, lecto Euangelio, alius monachus eidẽ inseruiens agnum vidit iuxta altare assistere, quem cum voluisset repente corripere, tremefactus expauit, manumque in eum extendere non praesumpsit: cumque ad id peruentum esset, vt corpus Dominicum frangeret, praefatum agnum super mensam altaris vidit, quem cum fixis oculis denuo miraretur, repente disparuit*: sic Petrus Damianus. Nuptiae Agni ergo sunt corpus, & sanguis Christi, quę dum veniunt, non solus Agnus Dei, qui est Filius Dei, qui, & ipsae nuptiae est, verè venit, sed venit tunc etiam agnus alius in eodem loco, & tempore, tanquam Agni Dei, Filij Dei vera imago, symbolum, & ieroglificum.

Reliquum est iam solum, ò Virgines, vt 23
illud compleatur in vobis, *Venerunt nuptiae agni, & vxor eius praeparauit se*: vt vos, scilicet, quae vxores, & sponsae eiusdẽ Agni, & sponsi Christi pariter estis, & tamen Virgines, ad easdem nuptias iam saltem vos dignè preparare studeatis, si vsque modo vos non preparastis, sicut vos saepe sum adhortatus, Euangelicum illud tam saepe inculcans vobis: *Virgines, quae paratae erant, intrauerunt cum eo ad nuptias*: Neque hoc dico de quinque tantum ex vobis, sicut quinque solum fuerunt, quae etiam similiter prudentes fuerunt, & ad nuptias illas intrauerunt, sed de omnibus omninò sine vllius numeri termino, vel praefixione: hoc est, omnes prorsus paratae sitis, & ad sacramentales nuptias omnes pariter intretis.

Legimus quidẽ in lib. Esther, cap. 1. quod 24
iussu Assueri Regis per vniuersas prouincias regni eius, quae centum viginti septem erant, quaesitae sunt eidem Regi puellae virgines, ac speciosae: sed per tot prouincias tot puellae virgines quaesitae sunt, non vt omnes, sed vt vna tantum ex illis omnibus, illa, nempe, quae oculis eiusdem Regis prae alijs omnibus placuisset, regnaret pro Regina Vasthi, quae propter eiusdem Regis coniugis sui inobedientiam, & contemptum nequaquam vltra

ad Regem

ad Regem ingressura erat, sicut ibidem narratur. Sic etiam Dan. 1. Nabuchodonosor Rex & ipse quæri iussit pueros, *sed in quibus nulla esset macula, decoros forma &c.* Hi verò cibo Regio enutriendi erant. Regi Regum Christo Domino vniuersum per orbem, per Concionatores, ac Pastores suos non semel, sed semper quæruntur puellę Virgines speciosæ mente, & si non corpore, & pro hoc omnes quæruntur, & non vt vna tantum ex eis, quæ alijs sit in virtutibus speciosior, & quæ ideo eidem Christo Regi hac de causa plus alijs placeat, Eucharisticis suis nuptijs potiatur, sicut de Virginibus Assuero quæsitis legitur, quod inter omnes quæsitas, & inuentas, Esther solum Regi placuit, & ad eius nuptias etiam ipsa sola intrare meruit, eius vxor, & Regina facta pro Vasthi: sed vt omnes omninò deuotæ Virgines, sine vlla exceptione, & sine etiam vlla numeri limitatione id consequatur: Etsi enim vna sit alijs deuotior, & ob hoc etiam plus alijs eidem Domino placeat, dummodo tamen nec alię eidem displiceant per mortale peccatum, ad eius sacramentales nuptias & ipsæ omnes cum illa pariter admittentur, factæ eiusdem Regis Christi sponsæ, & Reginæ, sicut & illa sanctior, & Christo gratior, qualis illa Virgo fuit, de qua S. Ambrosius scribit pro exemplo, quæ cum à parentibus, & propinquis quæreretur pro terreno sponso, illa æternum sponsum Christum potius in loco Eucharisticarum nuptiarum, scilicet, ante altare quæsiuit (vere fœlix) & inuenit: hæc enim sunt S. Ambrosij verba de illa. *Memoria nostra puella dudum nobilis in sæculo, nunc nobilior Deo, cum vrgeretur ad nuptias à parentibus, & propinquis, ad Sacrosanctum Altare confugit: stabat ad aram Dei pudoris hostia, victima castitatis. Quid agitis (aiebat) propinqui, quid exquirendis adhuc nuptijs sollicitatis animum? iam dudum prouisas habeo: sponsum offertis, meliorem reperij.*

25 Hoc est, sorores Virginęs, Virginis exemplum ab Ambrosio visum, & narratur, ipsum notate quęso, ipsum obseruate; & pro virginitatis amore, & pro Eucharistię deuotione, Hæc enim sunt præcipue, quæ vobis suadeo, vos omnes alloquens: quæro enim, & ego tanquam, non Assueri, sed Christi minister in hac prouincia puellas virgines speciosas, quę dignæ sint Eucharisticis eius nuptijs: Eia ergo, sic agite, quæso, vt per me de vobis psalmi verba verificentur, quæ de Virginibus cantantur. *Adducentur Regi virgines post eam, proximæ eius afferentur tibi in lætitia, & exultatione.* Nimirum, vt sicut prudentes illæ Virgines, quæ paratæ erant, post sponsam, hoc est sponsam comitantes intrauerunt cum sponso ad nuptias, sic & vos, Virgines, Ecclesiam communem Christi sponsi sponsam sequentes, quasi singulares quædam eiusdem sponsæ, vt iam diximus, eidem primo adducamini, cum ipso ad Eucharisticas eius nuptias, tanquam benè paratæ intrantes, & hoc in lætitia, & exultatione spirituali, vt hoc modo illud quod in ipso psalmo subiungitur adimpleatur in vobis. *Adducentur in templum Regis,* Vel. *In palatium,* siue: *In thalamum Regis,* vt alij transferunt. In thalamum nempe cælestis sponsi, in palatium Regis regum omnium, & in tēplum gloriæ suæ, in cœlum, nimirum summa lætitia, & exultatione adducamini, cum eodem sponso in æternū victuræ, secundum eiusdem sponsi fidelem promissionem. *Qui manducat hunc panem viuet in æternum.* Cantat enim & ipsa sponsa Ecclesia de nuptijs illis Eucharisticis. *O sacrum conuiuium, in quo futura gloriæ nobis pignus datur.*

Et proinde auctor sermonis de cœna Domini apud Bern. eidem Ecclesiæ concinens, & verbis illis etiam scripturæ alludens de gaudio, & exultatione facienda propter Eucharistiæ nuptias: *Gaudeamus, & exultemus, & demus gloriam ei, quia venerunt nuptiæ agni, & vxor eius præparauit se: &c.* sic & ipse ad Ecclesiam, & quasi ad virginem quamlibet nobiscū, ait: *Gratulare sponsa gaudens incomparabiliter, præsidentem habes, & rectorem sponsū in præsentis exilij militia, pignus habes, arrham tenes, quibus fœliciter sponso vniaris in patria: gloriosa, & amabilis sponsa in terra sponsum habes in sacramento, in cœlis habitura es sine velamento: & hic, & ibi veritas, sed hic palliata, ibi manifesta: Hic vtique sponsum habet Ecclesia suo ordine, nondum perfectæ maiestate, vel æternitatis securitate. Hic ero vera quasi dulce præludium, & iucunda desponsatio, ibi nuptiale conuiuium, & beata fiet coniunctio, cum de fide ad speciem, de mense ad mensam, de sabbato ad sabbatum, de calore panum, ad æternitatis conuiuij calorem transibimus:* Amen. 26

SERMO

SERMO QVADRAGESIMVS QVINTVS.

Pro Viduis. Ante Eucharistiam expositam.

Quæ autem verè vidua est, & desolata, speret in Deum, & instet obsecrationibus, & orationibus, die, ac nocte. 1. Thim. cap. 5.

ARGVMENTVM.

In tempore orationis quadraginta horarum ante Eucharistiam, Viduæ præsertim orare debent.

1 Viduas nunc alloquimur, Pauli verbis ad orationem eas hortantes, in hoc potissimum orationis quadraginta horarũ tempore: Etsi verò omnes hîc modò congregatæ Viduæ audiant verba mea, ad eas tamen illa diriguntur specialius, quæ verè Viduæ sunt, vt hæ specialius etiam nunc orationi vacent ante earum verum sponsum in Eucharistia contentum Iesum Christum Dominum nostrum, firmiter in eum sperantes, secundum Apostoli consilium iam relatum. *Quæ autem verè vidua est, & desolata, speret in Deum. & instet obsecrationibus, & orationibus nocte ac die.*

2 Si verò primum scire cupiat Vidua quælibet, quænam verè vidua sit, vt si vsque modo, verè Vidua non fuit, nunc saltem verè Vidua fiat, & vt verè Vidua etiam instet obsecrationibus nocte, ac die, discat hoc ex Chrisostomo sic verba ista Pauli exponente: *Ea* (inquit) *quæ secularem penitus abiecit vitã, atque in viduitate persistit, verè vidua est, quæ in Deum, vt conuenit, sperat quæ obsecrationibus, & orationibus intenta, permanet in eis nocte, ac die.* Et rursus idem discat ex Anselmo eadem verba sic distinctius etiam, ac singillatim magis declarante: *Illa* (*quæ verè vidua est,*) *idest ab omni auxilio mundano destituta, & ab omni terreno solatio desolata* (*sperat in Deum*) *idest videns ex nulla parte, se habere suffugium, toto animo adhæret Deo, a quo solo sperat auxilium vitæ, & salutis: & ideo* (*nocte, ac die instat obsecrationibus*) *pro remotione solius mali,* (*& orationibus*) *pro adeptione bonorum.* Sic Anselmus verba Pauli, quæ pro Viduis selegimus, interpretatur: Et statim interpretationem suam exemplo confirmat S. Annæ Filiæ Phanuel Viduæ similiter: *Talis erat* (*inquit S. Anna, quæ non discedebat, de templo, ieiunijs, & orationibus seruiens die, ac nocte:* Est autem hoc exemplum ex ipso Euangelio desumptum, vt notum est, vnde hoc idem indicat, etiam S. Hieronymus ad eadem verba Apostoli. *Præ cæteris enim* (subiungit ibidem Anselmus) *viduæ debent vacare orationibus, quia & Dominus, cum ad semper orandum hortaretur, viduam commemorauit, quæ, videlicet, iniquum iudicem ad audiendam causam, assiduè interpellando, commouit.*

Ex Anselmi verbis, sic modo de Viduis 3
pro Eucharistia inferimus: Si præ cæteris Viduæ debent vacare orationibus, multo magis sanè in ipso tempore orationis: Et præterea, si in quolibet orationis tempore præ cæteris illæ orare debent, multo magis adhuc proculdubio, quando ante Eucharistiam sunt, dum, videlicet, vel in Missa illa

offertur,

offertur, vel in altari proponitur, & in hac præcipua quadraginta horarum oratione speciali, quæ nocte ac die aliquando perseuerat. *Qui enim sanguinem suum effundere non recusauit, & carnem suam, & rursus ipsum sanguinem nobis communicauit, quid pro salute nostra recusabit*, ait Chris. hom. 2. ad Pop. Ant. Et statim ex hoc infert idem ferè, quod modo cum Paulo Viduis prædicamus, nimirum, vt obsecrationibus, & orationibus instent nocte, ac die: sic enim subdit, immediatè: *Hac igitur spe fidentes, ipsum continuè rogemus. & precibus, ac supplicationibus vacemus, & reliqua virtutis cum omni diligentia curam habeamus, vt instans fugiamus periculum, & futura assequamur bona.*

4 Non solum autem his de causis Viduę præ cęteris debent vacare orationibus, vt inquit Anselmus, sed alia etiam speciali, ac potissima, quia, scilicet, tunc etiam simili modo Angeli ante eandem Eucharistiam cum orantibus omnibus, & pro omnibus similiter orare consueuerunt, eodem Chrisostomo assertore, De non contemnenda Ecclesia Dei. & mysterijs, & homil. 3. De incompræhensibili Dei natura. *Diuina enim communionis tempore fratres* (inquit) *non soli homines, maximè horrendum illum clamorem vociferantur: sed & Angeli procumbunt Domino, & Archangeli canunt: Nacti sunt enim tempus opportunum, & oblationem sibi auxiliantem*: Sic ille, & paulò infra hanc orationem etiam describit, quam pro hominibus Angeli effudunt ante ipsam Eucharistiam. *Pro his rogamus, quos tu ipse prior ita dilexisti, vt animam tuam dares: pro his supplices preces profundimus, pro quibus ipse sanguinem profudisti, pro his precamur, pro quibus corpus hoc hostiam obtulisti*. Hæc est, o Viduæ, sanctorum Angelorum oratio, qua ante Eucharistiam cum hominibus, & pro hominibus orant semper, & in Missa præsertim: Ideo hac etiam ratione singulari vos præcipuè obsecrationibus, & orationibus instare debetis, ante Eucharistiam die, ac nocte, sicut semper etiam præ cæteris debetis orare. *Quæ autem verè vidua est, instet obsecrationibus, & orationibus die ac nocte.*

Quia, tunc tales cooratores (vt ita dicam,) & intercessores apud Christum habetis, ideoque etiam certæ quasi, ac securæ estis de petitionum vestrarum exauditione: scriptum est enim Ecclesiastici 35. *Non despicies preces pupilli, nec viduam, si effundat loquelam gemitus*. Item in Psal. 145. *Pupillum, & viduam suscipiet*: Si ergo solius etiam Viduæ preces non despicit Deus, sed suscipit, & exaudit, quantò magis illarum preces exaudiet, si Ambrosij, Augustini, & aliorum Patrum pro illis, & cum illis Angeli precentur? elogio impossibile est multorum hominum orationes non exaudiri, quantò magis impossibile erit, non exaudiri præces multorum hominum, & Angelorum simul, & præsertim, cum, & Angeli, sicut & homines Christum precentur per corpus, & sanguinem, eiusdem Christi. ante ipsum corpus, & sanguinem simul procumbentes. Exaudientur ergo Viduæ nostræ hoc modo cum Angelis precantes Christum, si tamen veræ Viduæ erunt, vel esse curabunt, vt eas iam docuimus: Habemus enim de exauditione, hanc eiusdem Christi certam in psalmis promissionem: *Viduam eius benedicens benedicam*: idest, in bonis spiritualibus, & temporalibus multiplicabo eas, vt explicat Lyranus: Benedicens benedicet vos, o Viduæ quia in hoc sæculo gratiam suam, & temporalia bona vobis concedet in terra, & gloriam æternam in Cœlo. Amen.





SERMO

SERMO QVADRAGESIMVS SEXTVS.

Pro Coniugatis. Ante Eucharistiam expositam.

Nolite fraudare inuicem, nisi forte ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi. 1. Corinth. cap. 7.

ARGVMENTVM.

Coniugati fraudent inuicem, ex consensu, vt vacent orationi præsertim quadraginta horarum.

Debitum quidem coniugale, vobis inuicem reddere debetis, ò Côiugati, cômuniter: Veruntamen, vt orationi vacetis, eodem mutuò debito, ex mutuò etiã consensu, & ad tempus tantùm, vos similiter fraudare debetis: Nam inquit S. Ambro., hæc Pauli recitata verba explicans. *Quamuis munda sint coniugia, tamen etiam à licitis abstinendum est, vt facilius ad effectũ deducatur oratio. Nam & in lege sanctificari volentes, inter cætera etiam, ab viris passis iussu Domini temperabant, vt fierent sanctiores. cùm enim quis etiam concessa non contingit, ostendit se velle quod precatur accipere:* Licet ergo subdit Chrisostomus pro eisdem verbis) *& cum vxore habere consuetudinem, & attendere orationi, sed per continentiã oratio fit exactior. Ne enim damnetur talis coniugum vita* (addit Anselmus, Ambrosium sequens) *deprecatio simplex ad Deum est fundenda: & quamuis munda sint, coniugia, tamen etiam* a licitis *abstinendum est, vt faciliùs ad effectum deducatur oratio. Nam & in lege sanctificari volentes, ab opere coniugali se continebant, vt fierent sanctiores.*

Sed quodnam est tempus hoc, ad quod coniugati ex consensu se fraudare suadetur à Paulo, vt orationi vacent? explicat hoc idem Anselmus eadem verba Pauli explicando. *Ad tempus* (inquit ille) *idest, aliquo sacratioris temporis spatio, vt vacetis orationi.* Et quodnam, quæso, est tempus sacratius, in quo orationi vacare debemus omnes, & in quo coniugati signanter fraudare debent inuicem, vt eidem orationi vacent, quam tempus hoc præsens, quòd etiam oratio dicitur quadraginta horarum, quia quadraginta horarum spatio protenditur, & in quo insuper faciliùs ad effectum producitur, oratio, vt cum Ambrosio iam dicebamus, & in quo per continentiam ipsa fit exactior, vt cum Chrisostomo notauimus? Quando, scilicet, ante ipsam Eucharistiam oramus, & oratione illa insuper, quæ (vt ipso experimento scimus) omnibus alijs orationibus, omnium aliorum temporum solet semper esse frequentior, feruentior, ac fructuosior.

Hoc itaque, dico, fratres, Coniugati, qui difficiliùs quam vxores vestræ, coniugali debito ab eis vos fraudari suffertis, cogitate, quòd hoc quadraginta horarum spatium, tempus breue est. 1. Corinth. ca. 7. *Reliquum est ergo, vt qui habent vxores,*

tanquam non habentes sint, fraudantes inuicem, nempe, ipsi, & vxores ex consensu ad tempus hoc breue, vt vacent orationi, quia, vt dicit Hieronymus in verbis istis. *Nolite fraudare inuicem; Paulus negare videtur, incontinentes orationi posse vacare.*

3 Hinc Ioel. 2. Sacerdotes monens Dominus, vt populum in Ecclesiam congregarent ad pœnitentiam, & adorationem præcipuè, de alijs quidem omnibus mandat, vt coadunentur, & congregentur solùm. *Coadunate senes* (inquit) *congregate paruulos, & sugentes vbera.* Verùm post hæc statim de sponsis loquens, non præcipit, vt congregentur, sicut de alijs, etsi, & illi, profectò, cum toto populo in Ecclesiam congregari volebat, sed. *Egrediatur*, ait, *sponsus de cubili suo, & sponsa de thalamo suo.* Quid est hoc, fratres? Hoc idem procul dubio, quòd vsque modò cum Paulo prædicauimus: Vt sponsus, videlicet, & sponsa fraudent inuicem ex consensu ad tempus, vt vacare possint orationi, & hoc est eos exire de thalamis suis, in quibus debito coniugali reddendo magis, quam orationi uacare solent, quod etiam apertè monstratur ex Interlineali Glossa verborum horum. *Vt tempore*, ait, *ieiunij non seruiant operi nuptiali, sed vacent orationi.* Hinc & Missale Romanum in fine Missæ pro sponso & sponsa, in rubrica ait. *Moneat Sacerdos oratione graui, vt sibimet ipsis seruent fidem, orationis tempore, & præsertim ieiuniorum, ac solemnitatum casti maneant.* Hinc, & Nic. 1. in respons. ad q. Bulgar. c. 50, scribit. *Vt toto tēpore quadragesima, vt patè orationis, & ieiunij, ab vsu coniugis abstineant.*

4 *Itaq; non solùm in noua, sed etiam in veteri testamento sanctificantur à muliere, vt descendente Domino in montem assistere mereantur:* Ait Sanctus Hieronymus paulò post prædicta, & est allusio profectò ad id, quòd Exod. cap. 19. Iussit Dominus per Moysem Iudæis, ad eos super montem descensurus post tres dies, dicens. *Estote parati in diem tertium, & ne appropinquetis vxoribus vestris:* Super Altaris montem in Eucharistia iam descendit ad nos Christus Dominus.

Itaquè vos, viri, qui communiter, imparati estis magis, quàm vxores vestræ, estote parati per veram pœnitentiam, & orationem, in diem tertium, hoc, est à prima die vsque in diem tertium. *Estote parati tres dies*, secundum 70. Interpretes, vel: *Ad tres dies*, secundum Heb. ex Pagni. Nam tres dies, vel ad tres dies se parabant Hebrei ad Aduentū Domini in montem: Si per tres dies parabant se Hebrei dueceptiode, etsi in die tertia tantùm descensurus esset Dominus, idest, Angelus repræsentans Dominū super montē: *Sint parati in diem tertium*, inquit Textus, *in die enim tertia descendet Dominus coram omni plebe super montem Sinai*; quantò magis Christiani tres dies illos se parare debent per veram pœnitentiam, cum non in die tertia tantùm, sed in quolibet trium dierum coram omni plebe Christus Dominus verè, & non Angelus loco eius in Eucharistia super Altare semper descendat, & maneat.

Coniugum verò potissima præparatio est, ne appropinquent vxoribus suis, secundùm Pauli consilium, sed fraudent inuicem ex cōsensu ad tempus prędictum trium dierū, vt vacent orationi quadraginta horarum. 5

Quia, quod per homines iussit Deus, hoc ipsum etiam per Angelos eosdem docuit. Sic enim Angelus Raphael ad Tobiam c. 6. de Vxore sua. *Tu autem cum acceperis eam, ingressus cubiculum per tres dies continens esto ab ea, & nihil aliud, nisi orationibus vacabis cum ea.* Iam & vos accepistis vxores vestras, o viri, & insuper cognouistis eas. Ergo saltem post hoc illud præstate, quod ex Angeli monitis ante hoc præstitit Tobias iunior. *His tribus noctibus Deo iungimur.* Dixit ille ad Saram sponsam suam:

Et vos ergo dicite vxoribus vestris:
His tribus noctibus, & tribus
diebus orationis pariter
Dei filio in Eucharistia iungamur, ei assistentes, eū
adorantes, colentes,
orantes, ac etiam
sumentes humiliter, reuerenter, ac deuotè
quantùm possumus:
Sic eidem Dño obtēperabimus, Pauli
doctrinā sequētes, q̄ modo
audiuimus.
Amen.

SERMO

SERMO QRADRAGESIMVS SEPTIMVS.

Pro Iuuenibus. Ante Eucharistiam Expositam.

Quid enim bonum eius est, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines? Zach. cap. 9.

A R G V M E N T V M.

Eucharistia electorum hoc est Iuuenum esse dicitur propter fortitudinem ab illa manantem: nam Iuuenes maximè fortes sunt.

BONVM, en, vobis, refero nuncium, o Iuuenes, ex ipso Dei oraculo prolatum, quod, nimirum, Sacratissimum Eucharistiæ Sacramentũ in frumentaceo pane cõ fectum, ideoque frumentum appellatum, quod nunc vna mecum etiam in sancto Altari expositum colitis, & vestrum est, & vestrum specialiter dicitur, quia frumentum nominatur electorum, id est, frumentum Iuuenum, sicut hæc verba transferunt Greci. Pagninus Vatablus, & alij cum eis: Dicitur .n, frumentum electorum, & iuuenum, quia Iuuenes præ senibus eliguntur ad opera quæcumque laboriosa, ad ardua, ad difficilia quæcumque, & hoc propter naturalem ipsorum vim, robur, & animositatem, ex qua etiam sicut multum comendantur, sic apud omnes etiam valde amabiles, & chari redduntur. Confortari verò, ac roborare, & præsertim spiritualiter, frumento Eucharistico potissimum tribuitur, sicut etiam ipse frumentaceus panis corpus humanum fortificare solet, vnde de Apoque Psalmus 103. ait *Panis cor hominis confirmet.*

Itaque Iuuenes, vt deuotius semper, ac frequentius, & colatis, & sumatis hoc cœleste, diuinumque frumentum; hunc panem vestrum, vnde vobis vera fortitudo proueniat, & de qua magis vobis lætandum est; quia: *Fortitudo iuuenum exultatio eorum*, vt est in Prouerb. cap. 10. hæc eadem vobis verba solum: *frumentum electorum*, repetam & clarius explicabo: Et si enim sententia eadem scripturæ Iuuenes, & Virgines simul complectatur, pro Iuuenibus, *frumentum iuuenum* siuè *electorum* ipsam Eucharistiam nominando, pro Virginibus autem, *vinum germinans* hoc modo: *Quid enim bonum eius est aut quid pulcrum nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines*. Quia tamen de hoc vino germinante virgines, aliqua iam diximus, cum Virgines hortaremur, idcirco ad Iuuenes tantummodo de eorum frumento erit sermo noster in sermone Domini: *Frumentum electorum*: Supponimus itaque inprimis tanquam certum, & satis manifestum inter sacrarum scripturarum studiosos, præassumptà verba ex Zachariæ prophetiæ: *Quid enim bonum eius est & quid pulcrum eius, nisi frumentum electorum? &c.* De Eucharistia communiter interpretari. De Eucharistia siquidè illa exponunt Hier. præsertim Remig. Haimo, Lyranus, & alij multi cum eis.

Et signanter Cornelius à Lapide societatis Iesu,

tis Iesu, insignis valde inter recentiores diuinarum scripturarum interpretes, qui hæc ipsa sic exponens, & prædictos cum alijs refferens, hæc inter alia scribit ad rem nostra notatu digna: *Eucha dicitur bonum, & bonitas Christi, quia summa bonitate, summum, scilicet, se ipsum, quantus quantus est, puta totā Deitatem, & humanitatem nobis communicat, & in escam dat: ita vt totum quasi Deitatis ærarium hic in nos expromat, & exhauriat: Eadem dicitur, pulcrum, & pulcritudo Christi, primò substantia: quia, scilicet, substantialiter nobis exibet Christum, qui, quà Deus, est verbum, imago, & pulcritudo patris: quà homo, est speciosus forma præ filijs hominum. Secundò causalitate, & effectu, quia, scilicet, est frumentum electorum; & vinum germinans virgines, nam causat in nobis iuuentutem florentem spiritus, & animæ, dum facit eam robustam, floridam, agilem, & alacrem ad omne bonum sursum, dum facit eam virginem, & puram. Verè enim ait sapiens c. 4. O quam pulcra est casta generatio cum claritate? Tertiò sacramento, quia species vini representant nobis Christum in cruce immolatum, puta corpus à sanguine separatum, quasi occisum, & mortuū: Hæc autē immolatio, & victima fuit pulcherrima, præstantissima, Deo dignissima, & gratissima, vtpote, per quam omnis honor peccato violatus, & ablatus, ipsi est restitutus, ac consequenter peracta nostra redemptio, & reconciliatio cum Deo. Quo circa, eleganter, & verè S. Augustinus in Psal. 44. post initiū: Christus (ait) est pulcher in Cælo, pulcher in terra, pulcher in vtero, pulcher in manibus parentum, pulcher in miraculis, pulcher in flagellis, pulcher inuitans ad vitam, pulcher non curans mortem, pulcher deponens animam, pulcher recipiens, pulcher in ligno, pulcher in sepulcro. Quartò, conuiuio, Eucharistia enim, est conuiuium, quo Deus nobiscum conuiuatur, ac proinde apponit escam, non humanam, non Angelicam, sed diuinam, ideoque pulcherrimam, & magnificentissimam. Pulcritudo enim conuiuij est eius decor, & magnificentia; Hoc est, quod ait Psaltes Psalmo 109. Confessio, & magnificentia opus eius, quia, scilicet, escam dedit timentibus se: quam escam? Panem cæli dedit eis. Panem Angelorum manducauit homo.* Hec omnia Cornelius verba Prophetæ declarans. *Quid enim bonum eius est, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* Quæ tandem nonnullis interpositis sic concludit. *Disce hic, Eucharistiam esse omne bonum, & pulchrum Dei, & Christi, atque ac nostrum, adeò vt nihil melius aut pulchrius nobis dare possit.*

Hæc ille: & hæc etiam nobis sufficiant de his verbis. Nunc ista solum prosequamur, 4 *Frumentum electorum* pro Electis, siuè Iuuenibus de Eucharistia, quæ frumentum iuuenum, & frumentum electorum (quod idem est) per Prophetam nuncupatur: dum scribit de vtroque: *Quid enim bonum eius est, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum?* Vel. *Nisi frumentum Iuuenum.* Et quidem alias etiam consueuit ipsa scriptura, electos, & Iuuenes pro eodem accipere, & præterea eisdem etiam electis Iuuenibus fortitudinem, tanquam eorum propriam, ac specialem assignare, & in bello potissimum, & in omni armorum vsu, & exercitio. Et patet vtrumque simul præcipue. Iudith cap. 5. *Omnis itaquè regio, omnisquè vrbs, electam Iuuentutem armatam misit post eos*: sic ibi scriptura, de Iuuenibus Hebreorum: quos illi post Assyrios aduersarios suos fugientes miserunt, quòd Holophernem militiæ principem decollatū audissent. Item Hier. 48. idem habemus: *Electi Iuuenes eius* (inquit) *descenderunt in occisionem*: idest tunc occisi sunt electi Iuuenes populi Moab ab aduersarijs suis, qui tamen consueuerant aduersarios ipsos trucidare, tanquam fortes multum, ac strenui.

Sicut verò scriptura Iuuenes, electos, 5 vocat, & eisdem fortitudinem specialiter tribuit, sic pariter eandem fortitudinem in eis ab Eucharistia principaliter recognoscit, dum eorundem esse specialiter testatur Zachariæ verbis, quæ hoc loco repetimus: *Frumentum electorum; frumentum Iuuenum*: Et præterea in psal. 77. quod enim vulgata nostra ait: *Panem Angelorum manducauit homo.* S. Hier. & Pagn. ex Hebreo legunt; *Panem fortium comedit vir.* Item alij. *Panem potentium. Panem magnificorum*:

Vestrum ergò, ò Iuuenes, o electi, specialiter esse dicitur Eucharistiæ sacramentum per Prophetam frumentum appellatum, etsi verè omnium sit, quia pro omnibus verè illud instituit Dei Filius; & instituēdo etiam, omnibus tradidit, dicens, *Accipite, & manducate ex hoc omnes*: Vestrum autem specialiter dicitur, dum frumentum dicitur electorum, & Iuuenum ratione fortitudinis vestræ,

quæ

quę sicut in vobis singularis est, sic ab eodē frumento singulariter in vobis deriuare dicitur, etsi, & in alijs etiam sit hęc Eucharistiæ fortitudo, & cordis, idest animæ potissimum, quod manifestum est similiter in scripturis. *Panis cor hominis confirmat*, inquit Psal. 103. *Panis qui cor hominis fulcit*, inquit Hebraica translatio, ex Pagn. *Panis autem cor hominis roborat*: inquit ex Diuus Hieronymus, *Ipse panis* (idem hæc explicans) *ipse corda nostra confirmat: qui descendens de Cœlo, vitam tribuit mundo*: Et iterum in 4. c. Ezech. *Nihil quę ita vescētis animum roborat, quemodò panis uita, de quo scriptum est: & panis cor hominis confirmat*: Et tandem S. August. ad idem etiam, *Quid est hoc, fratres? quasi cœpit intelligi de quo pane diceret. Panis enim iste visibilis stomacum, confirmat, ventrem confirmat: est alius panis, qui cor confirmat, qui panis est cordis.* Modò, quod hic Dauid in Psalmo suo panem vocat, Zacharias vocat frumentum, quia panis frumentaceus est, vt dictum est, nimirum, quia panis frumenti prius erat, & in frumenti pane confectus est, & frumenti panis adhuc esse videtur: frumentum verò electorum, idest, Iuuenum specialiter dicitur, quia fortiores gratia facit eosdem, qui fortes sunt natura, & sicut cor hominis communiter confirmare scribitur, sic etiam cor electorum siuè Iuuenum specialiter confirmare dicendus est: & hoc ipsum tradit ordinaria glossa, hæc ipsa Zachariæ verba interpretans: *frumentum electorum*: sic enim ait: *frumentum, Saluator, quia est panis, qui de Cœlo descendit, & confirmat cor electorum, qui bibitur, ab his, qui sunt sancti corpore ac spiritu*: & S. Hier. iterum: *Hunc panem* (inquit) *comedunt qui in Christo robusti sunt, & ad quos Ioannes Euangelista loquitur. Scribo vobis, Iuuenes, quia Deus in vobis manet, & fortes estis, & vicistis malignum.*

6 Vnde si vlterius etiam scire velimus in quo nam hæc cordis fortitudo consistat, quam præstat nobis panis iste: ex Vgone Cardinali hoc scire poterimus, sic verba ipsa psalmi exponente. *Cor hominis confirmat ad malum vitandum, & bonum faciendum*: Ideo (subdit ille) *docuit nos Dominus in oratione dominica primum petere: fiat voluntas tua, & postea subiungere: Panem nostrum quotidianū, siuè consubstantialem, vel persubstantialem da nobis hodie, quasi dicamus. Vt tuam possimus facere voluntatem, cōfirma corda nostra pani tui Corporis.*

Sed non tantum cor vestrum, idest animam: confirmat, ac roborat Eucharistia, o Iuuenes: sed totum corpus etiā cum ipsa anima. Et quia hæc ipsa corporalis fortitudo vestra sicut vobis chara est multum, & apud alios in honore, sic facilius, & gratius ea apprehenditis, quæ de ipsa traduntur, idcircò quod etiam hæc ipsa corporalis fortitudo vestra, ab Eucharistia singulariter in vobis proueniat, & propter ipsam etiam cōsequenter vestra dicatur ipsa Eucharistia frumentum, nempè, electorum siuè iuuenum, clarius demonstro, & quòd qui panis dicitur, & panis cor hominis confirmans in psalmis, propter animæ fortitudinem, vt copiosè explicauimus, dicitur etiam Corpus Christi, quia corpus similiter confirmat, ac fortificat: Et tradit hoc S. Isidorus lib. 1. de Ecclesiastic. offic. cap. 8. quod est De sacrificio, vbi de corporali fortitudine eadem psalmi verba sic declarat: *Sed panis, quia confirmat corpus, ideo corpus Christi nuncupatur*, sicut etiam idem doctor immediatè de eiusdem Christi sanguine rationem reddit, cur in vino consecretur, subdens. *Vinum autem, quia sanguinem operatur in carne, ideo ad sanguinem Christi refertur.*

Sic verò corpus confirmat, ac fortè reddit simul cum anima corpus Christi: Vt S. Bonauētura noster in suis opusculis scribat, sœpe personas debiles in sancta synaxi siuè communione tantum sentire roboris, consolationis, ac lætitiæ, vt ab ea robustæ discedant, perindè acsi nulli infirmitati essent prius obnoxię. Preterea legimus infirmos quamplures, ex fœbri, & ex alijs infirmitatibus etiam grauissimis virtute Eucharistiæ fortes, ac robustos omninò redditos, ac pristinæ sanitati restitutos, S. Greg. Nazian. etiam orat. 19. in funere patris, inter alios scribit, patrem suum ardentissima, ac diuturna febri exaustum, sumpta Eucharistia conualuisse: & subiungit idem miraculum matri suę aliquanto post contigisse, idemquè similiter in funere Gorgoniæ sororis suę narrat, illam ad Eucharistiam orantem, a membrorum omnium dissolutione, ac grauissimis cruciatibus, quibus angebatur, sanatam esse. Item Cardinalis de Vitriaco in vita S. Marię Oigniacensis refert de ea, quòd infirma cibum omnem respuebat,

bat, solaque Eucharistia viuebat, & conualescebat, ac subinde facies eius quosdam, ex se radios lucis vibrare videbatur. Denique pro corporis, & animæ simul fortitudine, quam Eucharistia confert, vnde frumentum electorum, siue Iuuenum, cum Zacharia illam appellamus, Cyrillum etiam Ierosolimitanum audiamus Cathechesi mystagogica quinta. *Panis (inquit) iste Sanctus supersubstantialis dicitur, eo quòd substantiam animæ confert. Panis hic, non in ventrem descendit, & in secessum emittitur, sed per totum ad corporis & animæ vtilitatem distribuitur.* Hinc Ecclesia similiter in Missa frequenter orat, vt hoc Sacramentum, sit ad fortitudinẽ, ad salutem, ad tutamentũ, ad sanitatem mentis, & corporis.

8 Sicut verò, & animam, & corpus in vita roborat, sic etiam in morte, & præsertim, vt mortem pro Christo fortiter, constanterquè toleremus, vt patet in martiribus, qui Eucharistia se muniebant, ad tribunalia, & ad supplicia tyrranorum ituri, & ad mortem, vt constat præcipuè ex Sancto Cypriano 1. Epist. ad Cornelium, eaque de causa Eucharistiam tempore persecutionis præsertim domum olim deferebant, vt illam, instante periculo, sumerent. Ibi enim inter alia multa, sic ait. *Idoneus esse non potest ad martirium qui ab Ecclesia non armatur ad prælium: & mens deficit, quam non suscepta Eucharistia erigit, & accẽdit.* Hinc idem sic ad Thibaritanos in Epist. 56. de exhortatione martirij. *Grauior nunc & ferocior pugna iminet, ad quam fide incorrupta, & virtute robusta parare se debent milities Christi, considerantes, idcirco se quotidiè calicem sanguinis Christi bibere, vt possint & ipsi propter Christum sanguinem fundere.* Hinc, & Sanctus Anacletus Summus Pontifex, & martir anno Domini 112. incrudescẽte persecutione Traiani, sanxit, vt omnes Christiani sacrificio Missæ præsentes, eo peracto communicarent, sicque ad martirij agonem se roborarent. Alibi etiam de hac Eucharistiæ fortitudine agimus, idcirco nihil aliud de ea pro nunc addemus. Si ergo Eucharistia, & corpus, & animam fortificat, rectè frumentũ electorum, siue Iuuenum, hoc est, frumentum fortium, frumentum, robustorum, ac validorũ (quales esse solent Iuuenes communiter) immeritò nuncupatur.

9 Pro hoc ipso de Iuuene quoddam insigne audiamus exemplum in scripturis, in quo manifestissimè (vt mihi videtur) præfigurata fuit fortitudo ac robur, quod Eucharistia præbet, vnde frumentum Iuuenum, ac fortium nuncupatur: Extat hoc 6. cap. Iud. enarratum, scilicet, in Gedeone: De eo enim, sic primum ibidẽ scribitur. *Cũq; Gedeon filius eius (s. Ioas.) excuteret atque purgaret frumenta in torculari, vt fugeret Madian, apparuit ei Angelus Domini, & ait: Dominus tecum, virorum fortissimè.* Iam incipiunt mysteria ad rem nostram in his scripturæ verbis de Gedeone Iuuene: Dum Iuuenis hic frumentum excutit, ac purgat, fortissimus virorum ab Angelo vocatur, eique dicitur primum, quòd Dominus secum sit, & immediatè post, quòd sit virorum fortissimus: *Apparuit ei Angelus Domini* (inquit scriptura) *& ait: Dominus tecum virorum fortissimè.* Omnia ista innuunt aliquid: significare volunt aliquid: intentos nos faciunt. Innuunt, & significant (iudicio meo) quòd tunc fortissimi, & nominamur, & sumus quando frumentum, Eucharisticum dignè pertractamus, illud conficiendo, vel sumendo, quando hoc modo est nobiscum Dominus noster Iesus Christus in eodem frumento contentus; tunc (dico) sumus virorũ omnium fortissimi: *Dominus tecum virorum fortissimè*, ait Angelus Gedeoni Iuueni frumentum pertractanti; quia Eucharistia est *frumentum Iuuenum, frumentum fortium.*

Sed crescunt adhuc mysteria sacrorum mysteriorum, Quid per suam fortitudinem 10
consecuturus erat ille, qui fortissimus virorum à Domino dicitur & Dominum ipsum secum habere, dum frumentum præ manibus habet? Pergamus ipsam scripturam legere, *Vade in hac fortitudine tua: & liberabis Israel de manu Madian.* Idem Angelus, qui adolescentem Gedeonem fortissimum appellauerat virorum, eidem declarat, quid potissimum in hac in fortitudine maxima consequeretur, quòd, nimirum, non se ipsum tantum, sed etiam totum populum suum de manu hostium suorum Madianitarum liberaret, *à quibus fugiebat, tunc ad aliquod fortalicium*, vt ait Lyranus: *Ideoquè excutiebat, atquè purgabat frumentum ad prouidendum sibi de victu*, vt inquit idem Doctor. *Vade* (inquit illi Angelus) *in hac fortitudine tua & liberabis Israel de manu Madian*: Et rursus: *Ego ero tecum, & percuties Madian, quasi virum vnum.* Hoc est ergo mysterium: Christi frumentum fortissimos nos reddit

potissimum

potissimum contra Demones aduersarios nostros; ita vt non solum, nos ipsos liberemus ab illis, sed etiam vt omnino vincamus eos. ipsis facti terribiles, vt docet Chrisost. de quo alias.

11 Sed nec dum mysteria absoluimus, quæ in Iuuene Gedeone fortitudinem, quam nobis Eucharistia confert, præfigurant: Tunc ille fortissimus dictus est, & factus etiam à Domino, quando eidem super petram sacrificiū obtulit panis, & carnis, sicut sibi ab eodem Angelo demonstratum fuerat. *Cui dixit Angelus Domini* (ait scriptura inferius) *tolle carnes, & azimos panes, & pone supra petram illam, &c.* In pane azimo Eucharistia conficitur, quæ caro Christi est: Dum hunc panem, & hanc carnem in Missæ sacrificio Deo offerimus, & postea sumimus, tunc fortissimi sumus, & maximè contra Diabolum, vt dictum est: Ideò de ipsa Eucharistia cantamus in eius festo omnes eā sumentes: *Edent carnes, & azimos panes.* Et: *Commedetis carnes, & saturabimini panibus, iste est panis, quē dedit nobis Dominus ad vescendum*: Et hoc ipsum est *frumentum electorum, frumentum Iuuenum.*

12 Vnum adhuc superest de Gedeone: Quod ei prædixit Angelus ex Dei nomine, id eidem euenit, In fortitudine sua enim liberauit populum suum Israeliticum de manu Madianitarum à quibus iam per septem annos (sicut ipsa scriptura refert) afflictus fuerat: Eucharistia etiam contra visibiles hostes fortissimos vos reddit, o Iuuenes (modò enim de inuisibilibus sileo, nempè, de Demonijs, quia de hoc alias fusius dissero, idem de eisdē demonstrans) idcirco de eisdem alia referamus exempla: Hæc etiam diligenter attendatis, sicut & ipsam corporalem fortitudinem in bello, in conflictu, & in vsu armorū quocumque vehementer affectatis, & ostentatis: Otho Imperator prælium commissurus cum Vngaris, prius cum suis Eucharistiam sumpsit, ac deinde dimicans, ingentem hostium numerum trucidauit, illustrem victoriā ex eis reportans. Simile quid narratur, de Constantio Magni Constantini filio in bello contra Magnentium: Carolus Magnus nunquam in prælium descendebat, nisi sumpta Eucharistia, vnde & victor euadebat. Ludouicus XII. Franciæ Rex, cum Regnum suum ab hostibus circundatum videret, statuit, vt in toto Regno suo, dum in missa Eucharistia eleuatur, à cunctis fidelibus flexis genibus cantaretur: *O salutaris Hostia, quæ Cœli pandis hostium &c.* sicque hostes superauit.

Hi omnes enim, (sicut & alij quam plures quos prolixitatē abhorrentes omittimus) bellatores Reges illud bellatoris Regis, & Prophetæ simul confidentia magna intrepide dicebant: *Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum. Si exurgat aduersum me prælium, in hoc ego sperabo, psal. 26.* Vel: *Hac ego fido,* vt Hebræi legunt: Huius verò tam magnæ spei ac fiduciæ rationem statim subdunt: *Vnam petij à Domino hanc, requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ*: Hæc vna tantæ securitatis causa erat, quia omnibus diebus vitæ suæ prius in domo Domini, quam in domo castrorum habitare volebant: sequitur enim statim: *Vt videam voluptatem Domini, & visitem templū eius*: Et quæ est voluptas Domini? Ipse Dominus ad hoc respondet: *Deliciæ meæ, esse cū filijs hominum*: De Eucharistia enim hoc, a multis exponitur, nam per Eucharistiam est nobiscum *omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi*: Ergo Eucharistia est Domini voluptas, ac deliciæ, quam illi in domo Domini videre, ac sumere prius volebant, quam dimicare, vt sic dimicando fortes contra hostes euaderent, illosquè superarent, quia ipsa frumentum electorum, frumentum fortium dicitur ac validorum, quia fortes facit, & validos eam digne sumentes: Ideo vt & nos fortes simus, ac validi, hoc frumentum ante omnia quærere, videre, & sumere debemus, & hanc Domini voluptatem, ac delicias in templo Domini: *Vt videam voluptatem Domini, & visitem templum eius*: Vel secundum Hebraicam versionem. *Vt videam pulcritudinē Domini, & quæram in templo eius. Quid enim pulcrum eius est, & quid bonum eius nisi frumentum electorum.* Quod iam satis explicauimus.

14 Porrò iam ex his omnibus sic nobis argumentari liceat: Si affirmatio est causa affirmationis, & negatio negationis, inquit Arist. Si fortes sunt, & spirituali fortitudine præsertim, hi qui ad Eucharistiā deuotè accedunt, ergo hac fortitudine priuantur, qui ab Eucharistia se elongant, non sumentes eam: Et habemus de hoc etiam euidentia testimonia in scripturis.

De

De Saul Rege enim de se fortissimo legimus 1. Reg. cap. 28. in Eucharistiæ figura. *Robur non erat in eo, quia non comederat panem.* Quòd de Christianis multis (proh dolor) pronunciare possumus, & de Iuuenibus specialiter quamplurimis, qui etsi fortes, ac robusti sint corpore, verùmtamen animæ robur ac fortitudo, quæ maxime in bono faciendo, & fugiendo malo consistit (vt dictum est) non est in eis. Quia nec in eis est, nec ab eis sumitur nisi rarissimè, ac indeuotè multum Eucharistia, a qua solùm veram hanc fortitudinem sperare possunt, quæ ideò frumentum Iuuenū & frumentum fortium appellatur, sicut iam toties eisdem replicauimus.

Vnde vlterius eisdem accidit id, quòd plorãs lamentabatur Hieremias de principibus Hebreorum propter peccata sua in captiuitatē ductis à Chaldeis. *Facti sunt principes eius, velut arietes non inuenientes pascua, & abierunt, absque fortitudine ante faciem subsequentis.* Et hi .n. propter peccata varia, *velut arietes insensati sunt*, vt Lyranus explicat, vel, *emaciati, & omnino debiles, non valentes Diabolo resistere*; vt alij dicunt, quia pascua Eucharistica inuenire nolunt, & propterea etiam abierunt captiui, & abeunt continuò Infernum versus, absque hac vera animæ fortitudine *ante faciem* Diaboli *subsequentis*, idest, *abducentis*, vel *persequentis*, vt alij textus habent, siue *ad persecutorem*, vel *ante persecutorem*, scilicet, ipsum Diabolum, secundum alios.

25 Verè enim de ipso Diabolo enunciari posse æstimo id, quòd de Domino in sensu alio prædixit Isaias cap. 3. *Auferet à Ierusalem, & à Iuda validum, & fortem, omne robur panis, & omne robur aquæ.* Adimpletam iam certè experimur prophetiam hanc in multis ex Adolescentibus nostris, qui quidem de se, & naturaliter validi sunt, & fortes, & de hoc ipso multum gloriantur, vt sæpe iam diximus, sed verè validos, ac fortes spirituali fortitudine virtutum, rarò ac difficillimè inuenimus inter illos, quia abstulit iam de facto, & aufert cōtinuò impius hic persecutor ab Ecclesiâ huiusmodi fortes, ac validos.

Ideò verò, quia aufert pariter ab eisdem id, quo solùm fortes ac robusti vere fiūt, scilicet, omne robur panis Eucharistici, & omne robur Eucharisticæ aquæ similiter, .f. diuinæ gratiæ: *Optimum est enim gratia stabilire cor:* Heb. 13. De hac enim gratiæ aqua etiam Dominus dixit. *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum: Sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitā æternā.* Quod etiam hoc loco allegat idem Hieron. pro Eucharistia, quam aquam, quia gustare nollunt Iuuenes nostri, quia nec ipsum Eucharisticum panem, vnde ipsa aqua tam abundanter manat, ideò fortes sunt quidem, at non vera fortitudine fortes, sed *factus est cursus eorum malus* (inquit Hier. cap. 23.) *& fortitudo eorum dissimilis.* Est in eis quidem fortitudo, sed *fortitudo eorū dissimilis*, i. est, *non recta*, secundùm Hebraicā Bibliam: *fortitudo eorum sic*, secundùm 70. Translationem. *Sic*, nimirum, sicut est cursus, qui est malus: *factus est cursus eorum malus*, ideò mala etiam facta est eorum fortitudo: mala, non bona, quia dissimilis, dissimilis, nempe, iustitię, ac volūtati Dei: mala sicut malus est cursus, quia. *Pedes eorū ad malum currunt, et festinant, vt effundant sanguinē*, vt testatur Isa. c. 54. Malus cursus, & mala similiter est fortitudo Iuuenū multorū ætatis nostræ, quia fortes sunt solùm, *vt faciant mala, bene aūt facere nescierunt*, vel noluerunt. *Quia adulteris repleta est terra*, inquit Diuina scriptura paulò ante hęc verba: *Factus est cursus eorum malus, & fortitudo eorum dissimilis:* Quasi .n. ea explanat antequā proferat: quia Iuuenes præsertim adulterijs, fornicationib., stupris, & alijs immūditijs et peiorib. terram replent.

Itaque iuuenes iam tandem sermonem nostrum concludamus; cū prolixitatem eius vos præcipuè abhorrere, ac declinare consueueritis: pro fine verò, mementote eorum, quæ ab initio vobis proposui, & sæpius inculcaui; præsertim verò, quod Eucharistia est, & dicitur frumentum electorum, frumentū Iuuenū, frumentum fortiū, frumētum validorū, & qđ veram omnib. fortitudinem confert, & non corporalē tantū, sed spiritualem potissimum, quæ sola vera est fortitudo, & sine qua corporalis fortitudo vana è multū, & parū prodest: 26 Hac spirituali fortitudine pauci ex vobis fortes sunt, sed corporali solùm, & hoc, quia frumentum iuuenum, fortium, validiorum, frumentum, inquam, vestrum parum colitis, & rarò comeditis, ac indeuotè. Comedite ergo & frequenter, & piè, ac deuotè quantum potestis in posterum, vt sic verè fortes sitis, malam in bonam mutantes fortitudinem, vt qui in malo fortes fuistis, sitis deinceps fortes in bono: Si enim Isaiæ testimonio cap. 40. *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem*, multò magis qui in ipsum Dominum sperantes, panem fortium etiam comedunt, vnde for-

fortibus, ac validis omnis fortitudo deriuat, malam in bonam fortitudinem mutabunt. *Hac enim mensa* (inquit S. Chris. de Eucharistia in prima ad cor. cap. 10.) *est nerui nostra salutis; mentis vinculum, fiducia fundamentum, spes, salus, lux, vita*: Et hæc ipsa Eucharistica fortitudo, non solum in hoc sæculo nos fortes reddit, sed etiam ex hoc ad futurum transeuntes, ita vt in fortitudine eius ambulemus non ad montem Dei Oreb, sed ad ipsum cœlum: Loquatur iterum S. Chrisost. & sermo noster suo sermone terminetur: *Si cum hac mensa illuc excesserimus* (subdit statim) *cum magna fiducia sacra ascendemus vestibula, velute quibusdam armis aureis vndique muniti. Amen.*

SERMO QVADRAGESIMVS OCTAVVS.

Pro filijs paruulis. Ante Eucharistiam expositam.

Si quis est paruulus, declinet ad me: & insipientibus locuta est: Venite, comedite panem meum & bibite vinum, quod miscui vobis. Relinquite infantiã, & viuite: & ambulate per vias prudentia. Prou. Cap. 9.

ARGVMENTVM.

Paruuli potissimum, & qui paruulorum humilitatem, innocentiam, ac simplicitatem imitantur, ad Eucharistiã à Christo vocãtur. De hoc ipso verba quædam Pauli fusè explicantur: Et tandem: ad eos etiam sermo cõuertitur, qui paruulorum quoquo modo curam gerunt.



AD vos, ò filij paruuli, sunt verba ista, quæ modo ex ore meo audistis: his vos ões alloquitur Dei, & Virginis Mariæ filius: ille, scilicet, de quo cantatur: *Paruulus datus est nobis, & filius natus est nobis*, Iesus Christus, inquam, Dominus noster, qui super altare illud in venerabili semper, ac Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento continetur: hic, dico, est, qui ad se ipsum vocat vos, & inuitat, & non solum ad se ipsum colendum, & ad orandum, sed etiã, ad comedendum corpus eius sub panis specie, & ad bibendum eiusdem sanguinem sub specie vini, in eodem sacramento. Eia ergo ipsum, ad hoc vocantem, & inuitantem omnes quidem, sed vos paruulos nominatim, diligenter audite. *Si quis est paruulus, declinet ad me &c.* Dulcissimam hanc, liberalissimamque, & omni acceptione dignissimam vocationem, & inuitationem aliquantulum clarius vobis pro captu vestrò modo explicabo, vt illam (vt par est) & repuretis multũ nunc, & semper, & prompto, gratoque animo illam dignè acceptetis.

Si quis est paruulus, declinet ad me: Et insipientibus locuta est: venite comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis. Hæc sanè verba sapientiæ pronuntiauit primò Salomon: *Et ecce plusquam Salomon hic*, Christus Dominus, qui est ipsa increata sapientia, & qui est etiam hic, idest in hoc loco, in hoc altari, & in hoc sacramento, quod omnes reuerentes, & supplices colimus, & adoramus: Quare pro eodem Domino nostro prophetice Salomon hęc locutus est creditur: Vel in Salomone, & per Salomonem idem Dominus, qui est plusquam Salomon, illa de se ipso prophetauit, futurum pro præ-

ſenti tempore vſurpans, propter futuri euentus infallibilem certitudinem, ac veritatem, in hoc ſenſu, videlicet, ſecundum Lyrani expoſitionem: *Comedite panem meum: id eſt corpus meum ſub ſpecie panis: & bibite vinum quod miſcui vobis: id eſt ſanguinem meum ſub ſpecie vini, in quo admiſcetur aqua*: Eodem enim modo hæc verba exponit Ordinaria gloſſa, & alij communiter: *Hinc*, & S. Hier. *Certè in pane corporis ipſius. in vino mixto, ſanguinis ſacroſancti myſterium, quo in altaris menſa, videlicet, eius ſatiamur, oſtenditur*: Antiquitus enim (ſicut ibi notat idem Lyranus, & alij) in vtraque ſpecie communicabant fideles omnes: & paruulis etiam, & ſtatim baptizatis Euchariſtia miniſtrabatur, quaſi alimonia, ſymbolum, & perfectio Chriſtianiſmi: etſi communiter per aliquot menſes à natiuitate ſub vini tantum ſpecie illis daretur, ob faciliorem ſumptionem: Verùm poſtea ob periculum effuſionis ipſius ſanguinis, & quia de facili, & cito vini ſpecies in parua illa quantitate corrumpuntur, & multi etiam naturaliter à vini guſtu abhorrent, & alijs etiam dignis de cauſis, ipſa communio pro laicis ſub panis tantum ſpecie conſtituta eſt ab Eccleſia: Etſi Grecos, & alios in eadem antiquitate ſua relinquere, bonum non minus alia ratione iudicauerit.

3 Sed de alijs non eſt nobis modò ſermo: paruulos n. tantù alloquimur, & maſculos pręſertim, nã puellas ſigillatim poſtea alloq̃mur. *Itaque, ſi quis eſt paruulus* (inquit Chriſtus) *declinet ad me*: Et rurſum: *Venite comedite panem meum, & bibite vinum quod miſcui vobis*: Paruulos, dico, principaliter ad Euchariſtiam vocat Chriſtus, illos, ſcilicet, quibus per ætatem, & ſufficientem rationis, & alia ad id, neceſſaria, id licet, de quo poſtea: & hoc propter naturales, eorum qualitates, & conditiones. quæ ad eius dignam ſuſceptionem multum conducunt, ſicut (ratione harum adultos etiam quatenus, nimirum, in illis paruulos imitantur) & primò quidem propter humilitatem, ſimplicitatem, & puritatem, quæ in paruulis communiter multum relucere ſolent, quod non ſolum quotidiano experimento, ſed etiam eiuſdem ſaluatoris noſtri teſtimonio, & exemplo ſimul manifeſtè comprobatur, & de humilitate preſertim: cũ enim cũ aliquando ſic interrogaſſent diſcipuli eius Matthæi 18. *Quis putas maior eſt in regno cælorum? Aduocans ille paruulum, ſtatuit eum in medio eorum, & dixit. Amen dico vobis, niſi conuerſi fueritis, & efficiamini, ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorũ*: Et poſt hæc, quaſi explicans, in quo effici ſicut paruuli deberent, vt intrare in regnum cœlorũ poſſent, ſtatim intulit: *Quicumque ergo humiliauerit ſe, ſicut paruulus iſte, hic eſt maior in regno cælorum*. Humilitas ergo, propria eſt paruulorum, & cum ratione ipſius humilitatis ad Euchariſtiam vocentur fideles, hi magis vocati ad ipſam dicendi ſunt, qui de ſe magis humiles ſunt, nempe, paruuli, reſpectu cuius etiam grandæui paruuli nominantur, & ſub paruulorum vocabulo ad eandem cum ipſis paruulis à Chriſto vocãtur illis vocibus: *Si quis eſt paruulus*, &c. Hinc, & Hieron. hanc Chriſti vocationem ad illam, ſic declarat: *Si quis eſt paruulus: paruulos dicis humiles.*

Quod verò de humilitate paruulorum diximus, idem etiam de eorundem ſimplicitate, puritate ac innocentia eſt, dicendum: nam hæ virtútes non minus quam humilitas, paruulorum peculiares dignoſcuntur: Vnde idem Hieronymus hæc Domini verba interpretando, ſic ſcribit. *Non præcipitur Apoſtolis vt ætatem habeant paruulorum, ſed vt innocentiam: Et quod illi per annos poſſident, hi poſſideãt per induſtriam: Vt malitia non ſapientia paruuli ſint.* Et facit pro eodem etiam Diui Hilarij expoſitio: *Non niſi reuerſos in naturam puerorum introire in regnum cælorum Dominus docet: id eſt per ſimplicitatem puerilem vitia corporum noſtrorum, animæque reuocanda*: Cum ergo etiam ſimplicitas, & innocentia (ſicut & humilitas) ad Euchariſtiam inprimis neceſſariæ, paruulis approprientur, Paruuli ob hoc etiam ſpecialiter ad ſanctam Communionem vocantur a Chriſto, & cum paruulis, ſub nomine ipſo paruulorum etiam magni, ſiue adulti illi, qui paruulorum ſimplicitatẽ, & innocentiam imitari nouerũt. Quòd enim nos in Vulgata legimus. *Si quis eſt paruulus, declinet ad me*, in Hebrea legimus apud Pagninum, & Vatablum. *Si quis eſt ſimplex, declinet ad me*, quia inquit Sanctus Cyprianus de cœna Domini, *fides pura, mens ſincera, hunc habitatorem delectat*: Et Sanctus Auguſtinus pariter tractat. 26. in Ioan. ſic monet. *Videte ergo, patres, panem cæleſtem ſpiritualiter manducate, innocentiã ad altare apportate.* Et quia non ſolùm humilitate, ſimplicitate, puritate, & innocentia

natu-

naturaliter dotatur puerilis ætas, sed alijs etiam quamplurimis virtutibus, nempe, patientia, mansuetudine, pudore, amore, liberalitate, & huiusmodi, quæ similiter multum fideles disponunt, & ornant pro Eucharistiæ digna participatione, ideo, qui eisdem decorãtur virtutibus, eadem ratione paruuli nuncupantur, & sub paruulorum itidem nuncupatione, illos ad se venire, & ad suum corpus sumẽdum Christus desiderat, & inuitat, & ipsos paruulos inprimis ijsdem virtutibus à natura decoratos, de quibus hæc ad rem nostram tradidit Haimo, supradictam Christi sententiã declarans. *Nisi efficiamini sicut paruulus iste: &c. Sicut paruulus iste mulierem non concupiscit, alienas diuitias non appetit, læsus non lædit, non aliud cogitat, aliud loquitur, & iratus non perpetuas tenet discordias: ita & vos, nisi talem habueritis innocentiam in mente, qualem iste habet in corpore, regnum cælorum, quod humilibus, & simplicibus est præparatum, intrare nunquam potestis.* Hucusque ille, quibus similia scribunt Origenes, & alij multi.

5 Ijsdem ferè de causis cum paruulis etiam insipientes ab eodem Domino nostro inuitantur ad panis, & vini sui sacramentale conuiuiũ sic enim habet sacer textus. *Si quis est paruulus, declinet ad me: Et insipientibus locuta est: Venite comedite panem meum, &c.*

Quòd ergo Diuina Sapientia Incarnata paruulis dicit, hoc idem insipiẽtib. locuta est; vtrosque ad panem, & vinum suum sumendum inuitans: Sed qui sunt isti insipientes diuina tamen mensa dignati? An fortè verè insipiẽtes, & amentes? Absit pœnitus. Quinimò talibus communicare non licet, vt statuit Ecclesia in Rituali Romano, nisi tamen habeant lucida interualla, & deuotionem ostendant, dum in eo statu manent, & nullum indignitatis, vel irreuerentiæ periculum absit: Sed per insipientes intelligit Diuina scriptura secundũ Diui Hieronymi explicationem eos, *qui de mundana sapientia fastu nil habent*, intelligit eos, *qui humana sapientia insipientes sunt, & propria reputatione*, secundum Interlinealem Glossam, & alios: qualis erat verè sapiẽtissimus ille, qui dicebat: *Insipiens factus sum, vos me coegistis*, qui etiam ad hanc sanctam, & sapientem insipientiam sapienter sapientes alios suadebat his verbis, 1. Cor. cap. 3. *Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat, vt sit sapiens: sapientia enim huius mundi, stultitia est apud Deum: scriptum est enim, comprehendam sapientes in astutia eorũ*, quales tandẽ sunt omnes serui, & amici Dei, qui insuper de hoc etiam gloriantur, dicentes, 1. Corinth. 4. *Nos stulti propter Christum.* Hi sunt, dico, qui sub appellatione insipientũ vna cum paruulis à Christo vocantur ad sacrũ corporis, & sanguinis sui conuiuium, & ipsi paruuli principaliter, quia etiam in multis cõueniunt paruuli cum ijsdem fatuis, sicut & fatui cum illis vicissim: nam fatua multa siue stulta, vel his similia committunt pueri, & multa puerilia fatui.

Quare sicut rem stultorum habent in multis, sic etiam stultorum nomen apud multos sortiuntur: Vnde cum ijsdem stultis ad conuescendum ab ipsa Dei sapientia conuocantur hoc modo. *Si quis est paruulus, veniat ad me: Et insipientibus locuta est: Venite, comedite panẽ meum, & bibite vinum, quod miscui vobis.*

Et confirmantur, & declarantur ipsa verba, & alia omnia simul, quæ hactenus occasione ipsorum verborum scripsimus ex immediatè sequentibus in eodem textu. *Relinquite infantiã, & viuite, & ambulate per vias prudentiæ:* Siquidem hæc ita interpretatur Ordinaria ex Diuo Hieronymo. *Post oblatas epulas addit, & vitæ monita, vt quos perceptis suæ incarnationis mysterijs refecit, doctrina pariter cælestis instruat verbis.* Tria verò sunt monita, quæ addit vobis Dominus, Paruuli, post oblatas corporis, & sanguinis sui epulas, quæ idcirco & attentè audire, & diligenter, ac sollicitè adimplere debetis, vt Eucharisticis eius epulis dignos vosmetipsos reddatis. *Relinquite infantiam.* 6

Hoc verò, dicit cum dicit. *Relinquite infantiam.* Relinquite vitia naturalia, quæ infantiæ, & pueritiæ propria esse solent, non minus, quam virtutes naturales, de quibus iã diximus. Hæc verò sunt omnia vana, iocosa, leuia, scurilia, stulta quæquæ, ac puerilia, & horum affectio. Hinc Greci dicunt. *Relinquite stultitiam*, & Hebrei: *Relinquite simplices viam vestram.* Hoc ergo est primum Domini monitum ad vos paruulos ad sanctam communionem ab eodem vocatos *Relinquite infantiam*: Hoc ipsum alijs verbis sic expressit D. Paulus 1. cor. 14. *Nolite pueri effici sensibus, sed malitia paruuli estote:* Syriacè: *Nolite pueri effici mentibus vestris:* Secundùm Domini ad vos monitum est, hoc: *Viuite*, scilicet, spiritualiter (sicut & corporaliter viuitis) à peccatis saltem mortalibus omni stu- 7

dio semper cauendo, & in Dei gratia & amore vos conseruando: In hoc enim spiritualis vita nostra consistit, sicut in mortali peccato mors similiter spiritualis. nam. *Anima quæ peccauerit, ipsa morietur*, vt inquit Ezechiel c.18. *Iniustitia enim mortis est acquisitio*, scribitur in Sapientiæ libro cap. 1. & rursus c.16. *Homo autem occidit quidem per malitiam animam suam.* Et tandem, & Seneca scriptum similiter reliquit, *Tandiù viuit homo, quamdiù bene viuit.* Idcirco ad bene viuendum adhortantur à Domino Paruuli communicaturi, secundo hoc monito. *Viuite: Ideo quisque rectè vult communicare* (inquit S. Paschasius) *sic viuat, necesse est, vt templum Spiritus sancti semper esse queat, quia, si quis templum Dei violauerit disperdet illum Deus*: Sequitur adhuc tertium Dei monitum pro Paruulis Eucharistiam sumpturis. *Ambulate per vias prudentiæ*: nempe, *per vias mandatorum, & consiliorum*, vt inquit Lyranus. *De virtute in virtutem, per bona opera*, vt alij exponunt.

8 Et hæc sunt, ò Pueri, quæ à uobis Christus exigit, dùm ad sacram uos hortatur communioné dicés: *Si quis est paruulus declinet ad me. Comedite panem meum, &c.* Post hæc enim sic immediatè subdit: *Relinquite infantiam, & viuite, & ambulate per vias prudentiæ.*

Verùm, quia Pauci valdè sunt, qui hæc præstent, quæ Christus monet, vt dignè communicent, sicut etiá pauci nimis sunt veri Paruuli, quales & nos descripsimus, idcirco non omnes ad se vocat Paruulos indiferenter, & promiscuè, sed sic in singulari tantum loquitur, & sub dubio. *Si quis est paruulus*, & eadé ratione statim post huiusmodi inuitamentú: *Comedite paná meum, et bibite vinú, quod miscui vobis*, conditioné acceptationis illis adiecit: & non vnam tantum, sed triplicem simul, vt iá exposuimus. *Relinquite infantiam, & viuite: & ambulate per vias prudentiæ*; illa, nimirum, tria monita, quæ secundùm Hieronimú post oblatas epulas addidit paruulis, quibus ab eo dem oblatæ sunt.

Vnde insuper, idem Hieronymus de eadem Eucharistia, & de paruulis simul eadem verba vsurpauit, Eucharistiam ipsam alloquens, & in ea Christum Dominum, quando eam pro viatico, instante morte, sumpturus erat, sic dicens illi. *Si quis est paruulus securè ad te veniat, & te comedens, fiat magnus, & relinquéts senitas infantia, ambulet per vias prudentia*.

9 Certè inter alia summè appetunt paruuli crescere, & magni esse, sicut de facto multú in dies crescunt, & seipsis continuò maiores fiunt, & de ipso corporali augumento multú lætari, & gloriari solent, & sibi inuicem se præferre in ipsa magnitudine, & multa etiam statuunt, & sibi ipsis, & alijs quoque promittunt, cum ad adultá, & virilem maximè ætatem venerint, sępe dicentes præsertim, cum magnus ero, túc, hoc, & illud faciam, vel hoc modo, vel talis ero, &c. Si ergo, Paruuli, tantum corporis augmentum appetitis, multò magis animæ increméta desiderare debetis, incrementa, nimirum, frugum iustitiæ vestræ, vt sic certè grandes, siue grádeui esse positis, & magni coram Domino: sicut de Baptista pariter adhuc paruulo prædixit Angelus. *Erit enim magnus coram Domino*: Sed quis est, qui dat vobis incrementum. Vtiquè respondebitis à Paulo edocti: *Incrementú dat Deus* omnibus, quæ per incrementa paulatim maiora fiunt. Hoc autem est mediante cibo & potu, præcipuè in animalibus: Idcirco, sępe, ac multum vobis comedere conceditur, sicuti & vehementer, ac frequenter esuritis, vt faciliùs etiam, ac citius crescatis: Quod verò de corporis augmento dicimus, idem etiam est de animæ augmento suo modo dicendum: Nam sicut panis est corporis cib. principalis, & vinum principalis potus similiter, sic Christi corpus, quod sub panis specie continetur, & eiusdem sanguis, qui est sub specie vini, verus est animæ cibus, ac potus, eiusdem Christi assecueratione. *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* Hunc verò cibum & potum suum vobis, o Paruuli, vt illis vescamini, & grandes euadatis offert idem Dominus, dicens. *Si quis est paruulus, veniat ad me*: Et iterum. *Comedite paně meum, & bibite vinum, quod miscui vobis.*

Illemet, dico, qui apud Augustinum lib. 9. suarum confessionum fatetur de seipso in Eucharistia. *Cibus sum grandium, cresce, & manducabis me, nec tu me mutabis in te, sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me.* Cibus grandium dicitur Eucharistia, & cibus paruulorú quia paruulos grandes facit; & propterea ad Eucharistiam Hieronymus sic fatur. *Si quis est paruulus securè ad te veniat, & te comedens fiat magnus*; Sic enim fiet de paruulo *magnus coram Domino*, vt inquit Gabriel Angelus, ipsum, nempe, Dominum manducans, cuius magnitudo est infinita: idcirco 10

idem

idem magnus Dominus ex altari ad paruulos ait. *Si quis est paruulus, veniat ad me*, scilicet, ad me comedendum, ad me potandum, corpus, nempe, & sanguinem meum, vel. *Declinet huc*, vt in hebreo legitur; nimirum, ad Altare, in quo est Christus, ibique comedat panem, & vinum bibat eiusdem Christi, sicque magnus fiet.

11 Etsi enim paruulum sit etiam, immo & minimum id, quod à paruulo, & à magno sumitur, nempe, hostiola, vel minima etiam solũ eiusdem particula, sub illa tamen, & in illa, sicut & in tota hostia cõtinetur idem magnus Dominus, cuius magnitudinis non est finis. Psalm. 144. & cum eadem prorsus magnitudine, quam nunc in cœlo habet: Ille, inquã, quem, cum cœli capere nõ possent, in paruula hostia capi dignatus est, sicut etiam in minima parte eius, & quasi gigas, non in vnguis solùm spatio, vt ille, sed in valdè etiam minori, panis & vini accidentibus quasi depingi. Vnde de vtrisque illud Iob 3. ca. verè enuntiaretur. *Paruus & magnus ibi sunt.* Quia, nimirum, *magnus exinaniuit semetipsum formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus, vt homo*, dum mundum pugilo continens, ventris sub arca, primò clausus est, deinde etiam sub panis & vini accidentibus: Sicque nõ paruum solum, sed minimum etiam seipsum fecit: secundũ etiam Isaiæ prophetiam cap. 10. *Abbreuiationem Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terræ*: Verè enim: *Verbum abbreuiatum fecit Dominus super terram*: primum in Mariæ vtero, deinde in Eucharistiæ Sacramento. Quia verò, vt scribitur Eccli 13. *Omne animal diligit sibi simile sic & omnis homo proximum sibi, Omnis caro ad similem sibi coniungetur, & omnis homo simili sui sociabitur*. Ideo & Christus in incarnatione paruulus factus, paruulos filios benignè multum, & humaniter ad seipsum vocare consueuerat, & Discipulos suos arguebat, qui, ne ad Magistrũ venirent, prohibebant, etsi recta id intentione facerent, nempe, timentes ex hoc aliquã in magistro perturbationem, vel impedimentum aliud ad prædicationem, & ad miraculorum perpetrationem. *Sinite paruulos* (dicebat illis) *& nolite eos prohibere ad me venire, talium est enim regnum cælorum.* Cùm verò idẽ Dominus rursus nouo, ac mirabili prorsus modo paruulum se fecisset in Sacramento, eiusdem tñ sẽper manẽs naturæ, & affectus, siue inclinationis, eosdem paruulos ex eodẽ Sacramento ad se vocat, dicens. *Si quis est paruulus, veniat ad me*: Et non solùm ad se venire vult, vt antea, sed etiã ad seipsum manducandum, & bibendum, præ amoris magnitudine ad eosdem. *Comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis.* Et hoc vt iam sæpe diximus; vt ex paruulis magni fiant. *Si quis est paruulus, securè ad te veniat, vt te comedens fiat magnus*, dicit eidem Hieronymus; Quia: *Cibus sum grandium, cresce, & manducabis*, dicit paruulis idẽ Dominus magnus apud Augustinum.

Hinc est etiam, quòd Sãctus Petrus Eucharistiã lac vocat 1. ep. cap. 2. ad illam omnes adhortans hoc modo: *Sicut modo geniti infantes rationabiles sine dolo lac concupiscite, vt in eo crescatis in salutem*. De Eucharistia enim verba hæc multi interpretãtur. Hinc alij textus sic eadem verba legunt. *Rationabile, vel rationale sine dolo lac concupiscite, vt in eo augeamini in salutem*. Et Vatablus. *Vt modò nati infantes, lac illud non corporis, sed animi, quòd dolum nescit, appetite*. 12

Quòd Eucharistia lac spirituale, ac diuinum dicatur, iam in alio sermone satis apertè demonstramus. Idcirco, quæ de hoc ibi diximus, hic supponentes, ad rem nostram solũ hoc addimus, quod iure merito lac nuncupatur Eucharistia, quia sicut lac maternum de se nutrit multum, & crescere facit paruulos, sic etiam Eucharistia nos spiritualiter valdè reficit, & Dei gratiæ, cœterarumque virtutũ incrementa magna nobis præbet: Ideoquè ad vehemens desiderium eius, sub comparatione infantium modo genitorum ratione puritatis, & innocentiæ præsertim, nos inuitat D. Petrus, vt in ea crescamus in salutem; sicut etiam in eadem Dominus dicit apud August. *Cibus sum grandiũ, cresce, & manducabis me*. Et, Hier. *Si quis est paruulus securè ad te veniat, vt te comedens fiat magnus*. Quia est lac non corporis, sed animi: & lac non irrationale, idest, irrationalium animalium, nec brutum, sed lac rationale, idest, lac, qui est ipse Christus Deus & homo, & similiter sine dolo lac, vel lac, quod dolum nescit, quia nulla est deceptio, vel error in lacte isto, circa id, quod de ipso ab Ecclesiã docetur, nam verè corpus Christi est id, quod panis videtur, & eiusdem sanguis est id, quod videtur vinum. *Accidentia enim* (vt inquit S. Thomas in sermone huius festiuitatis) *sine subiecto in eodem existunt, vt fides locum habeat*

beat

ficat, & sensus à deceptione reddantur immunes, qui de accidentibus iudicant sibi notis.

13 Quia ergo, vt iam diximus, ipsa Eucharistia sub vini specie olim infantibus tunc natis dabatur, & modo etiam apud nonnullos, vt audio, & lac ipsum est sanguis concoctus, non corruptus, vt docet Arist. de gener. anim. Et quia secundùm alios etiam, sanguis, & lac idem sunt in substantia, & differunt solum in accidentib., & in colore præsertim, his, dico, & alijs de causis, quas retulimus, Apostolorū Princeps exemplo, modo natorum infātium, qui vehementer lac maternum concupiscunt, ad Eucharistiam vehementer concupiscendā omnes, & hortatur, & paruulos præcipuè, qui eisdem infantibus sunt ætate viciniores. *Quasi modo geniti infantes lac concupiscite*, inquit ad omnes de Eucharistia, & nos de eadem ad paruulos, nominatim cum Salomone. *Si quis est paruulus declinet ad me: Venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis.*

Hinc S. Chrisost. hanc eandem Petri similitudinem sequendo, ait de ipsa Eucharistia. *Nonne videtis, quanta promptitudine paruuli papillas rapiunt, & quantò impetu labia vberibus infigunt? Accedamus nos quoque cum tanta alacritate ad hanc mensam: quinimò cum longè maiori trahamur; tanquam infantes lactantes spiritus gratiam: & vnus sit nobis dolor, hac mensa priuari.*

Sicut verò lac infantium varijs de causis Eucharistiam nobis representat sub vini specie, nempe, Christi sanguinē, sub qua olim, & nunc etiam à nonnullis eisdem ministratur paruulis, sicut & magnis, sic eandem etiā sub forma panis, in qua paruulis, & magnis pariter Christi corpus datur, representare potest, & in colorē albo præsertim, & aliquantulum etiam in sapore. Ideo ad omnes quoque D. Petri verba extenduntur: *Quasi modo geniti infantes, lac concupiscite*, & ad Sacerdotes maximè, qui eandem duplici hac ratione lac nuncupatum quotidie sumunt, vt illi etiā præ alijs omnibus, infantium puritatem, ac innocētiam studeant imitari, de qua satis iam diximus: Etsi pro paruulis modo accipiamus ea, sicut eisdem etiam cum Christo de eadem Eucharistia prædicamus. *Si quis est paruulus, declinet ad me: Venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis.*

Sed quid facimus, vel dicimus, in Christo lac ponentes, & vbera consequenter? Ab vberibus enim lac sugitur, idcirco cui lac tribuimus, vbera etiam tribuere debemus: & viri enim aliqui lactis guttulas in vberribus vt fœminæ aliquando habent, vt Phisici testantur. Christus autem, qui non homo tantum, sed etiam Deus est, lac & vbera Eucharistica verè semper habet, quibus innumeros viros, ac mulieres, magnos, ac paruulos vniuersum per orbem lactauit, & enutriuit per tot iam sæcula, & lactabit, & enutriet adhuc semper omnibus diebus vsque ad omnium sæculorum consumationem. Corpus enim & sanguis eiusdem, sūt ipsum lac eius, & duo vbera illius pariter, & vtrumque idem omninò cum ipso nos lactante, eodem pariter testante. *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* 14

Alias hoc manifestè ostendimus, idcirco illa hic addemus solùm, quæ tradit Sanctus Ambrosius lib. 1. de Vrg. ante medium de Christo & de Ecclesia simul loquens. *Virgo est, quæ nupsit, Virgo, quæ nos suo vtero portauit, Virgo, quæ genuit, Virgo, quæ proprio lacte nutriuit, de qua legimus: quanta fecit Virgo Hierusalem.* Sic Sanctus Ambrosius primò de Ecclesia, posteà de vberibus Eucharisticis sibi à Christo traditis sic progreditur. *Non deficient de petra, vbera, neque nix à Libano, aut declinauit aqua valida vento, quæ portatur. Qualis est hæc Virgo, quæ trinitatis fontibus irrigatur; cui de petra fluunt aquæ, non deficiunt vbera, mella funduntur? Petra autem iuxta Apostolum Christus: ergo à Christo non deficiunt vbera, claritas à Deo, flumen à Spiritu. Hæc est trinitas, quæ Ecclesiam suam irrigat: Pater, Christus, & Spiritus.* 15

Hæc omnia ex Ambrosio cum alijs adduximus, vt fusius explicaremus, & clarius Petri sententiam instituto nostro de Paruulis valdè deseruientem. *Quasi modo geniti infantes, rationabiles*: Vel: *Rationabile, lac sine dolo concupiscite*, cuius idcirco etiam altera pars, quæ præcedenti immediate subijcitur, simili modo à nobis explicanda est: Finem enim continet, & rationem, ob quam lac ipsum Eucharisticum paruuli nostri etiam, tanquam modo geniti infantes concupiscere debent. *Vt in eo* (subdit Petrus) *crescatis in salutem.* 16

His

His enim verbis alludens Dionysius de Eccl. Hier. ait. *Tribuit Sacerdos Sacramentum infanti, vt in eo nutriatur, & crescat sacris augmentis.* Velle enim nutrit lac, & infantes præsertim, & crescere eos facit, & impinguat: & multò magis impinguat animam lac rationale, & Eucharisticum, quod etiam panis dicitur: De hoc.n.Innoc. Papa ait. *Panis iste si dignè mãducatur,impinguat: si dignè bibitur, inebriat,nõ corpus, sed cor,non ventrẽ,sed mentẽ.* De eodem enim cum Paulo ad paruulos specialiter dici potest 1. Cor. 9. *Panem ad manducandum præstabit, & multiplicabit semen vestrum, & augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ, vt in omnibus locupletati, abundetis in omnem simplicitatem.*

In hoc enim sacramentali pane, tanquam in suauissimo, ac diuino lacte ijdem paruuli veraciter crescunt in salutem, quia ipsa Eucharistia Sacramentum est salutis super omnia alia sacramenta, ipsam in se salutem continens, & ipsum pariter Saluatorem Iesum Christum Dominum nostrum. *Natus est enim Dominus noster Iesus Christus* (inquit Sanctus Augustinus in Psalm. 33.) *In corpore, & sanguine suo voluit esse salutem nostram.* Ideo, & Sanctus Petrus de eodem Christi corpore, & sanguine *Vt in eo crescatis in salutẽ.*

17 Idcirco idem Dominus, ad omnes quidem fideles, sed ad paruulos singulariter, & ad eosdẽ fideles, tanquam ad paruulos, ab antiquis diebus eandem repromittens Eucharistiam sub lactis nuncupatione, ait. Isaiæ 60. *Suges lac gentium, & mamilla regum lactaberis.* Sicut in alio sermone magis exponimus. Vnde subdit statim, *Et scies quia ego Dominus saluans te, & Redemptor tuus fortis Iacob.* Hinc practicè, ò homo, cognosces magis, quòd ego Dominus, qui in ipso lacte sum, & ipsum lac, & de me ipso sic te lactans, veram tibi salutem tribuo, te à malis omnibus redimens, tanquam Saluator, ac Redemptor tuus fortissimus, ac potentissimus. Quia in corpore, & sanguine meo volui esse salutem tuam.

18 De Dea Iunone, fabulantur Poetæ, quòd cùm Hercules aliquando vberibus eiusdem dormientis admotus clam fuisset, ex eius lacte sic fortis factus est adhuc infans (vt inter alia duos Serpentes occiderit, & Leonem, ac Idram, & ipsum quoque ferrum Diomedis: Illa verò indignata nimis, quòd homo diuinũ suum lac sugere ausus esset, quòd reliquum erat in mamillis, in cœlũ sparsit, ex quo via lactea facta est, per quam Deos in cœlum ambulare ijdem fingunt: At fabulæ sunt istæ, vt diximus, & merè figmenta Poetarum. Nos verè ex Christi, & Ecclesiæ sacramentalibus vberibus diuinum lac Eucharisticum cõtinuò sugimus, quasi modo geniti infantes, in eoque crescentes in salutem, fortes semper reddimur contra Leonem deuorantem, & Serpentem antiquum, qui est Diabolus nimis contra nos ferus, & contra aduersa omnia, ipsumque lac, cum Deus ipse sit nos lactans quasi Deos fecit, & quasi lacteam viam insuper ex eodem nobis constituit, per quam, vt Dij in cœlum ambulemus, in vitam æternam eiusdem lactantis verba sunt. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam*: Et hoc est verè crescere in salutem, scilicet, in salutem æternam, de qua, & Petrus. *Vt in eo crescatis in salutem.* Et hoc est etiam, quod apud Isaiam pollicitus est idẽ Dominus de lactatione sua, dicẽs. *Suges lac gentium, & mammilla Regum lactaberis, & scies, quia ego Dominus saluans te,* &c.

Hinc Paulus in prima ad Corinth. cap. 3. 19 *Lac vobis potum dedi, non escam: nondum enim poteratis, sed nec nunc quidẽ potestis:* Et ad Heb. c. 5. *Facti estis, quib. lacte opus sit, non solido cibo.* Solidus cibus diuinum Verbum erat ante Incarnationem, lac est ipsum Verbũ humanatũ, & sacramentatũ, vt sic dicamus. Cùm adhùc vt solidus cib. esset Verbũ æternum nulli passibilitati obnoxiũ, erat tantùm cib. Angelorum in cælo, quo illi à creatione sua semper enutriti sunt, & nondũ poterant paruuli homines ad hũc cibũ solidũ attingere, sed nec nũc quidem possunt, nequè illo egent in hac vita, sed Eucharistico lacte solùm. Post hanc verò vitam in cœlis peruenient cum Angelis Magnũ & ipsi effecti in viros, .f., perfectos in mensuram ætatis plenitudinis Christi: tuncq; cũ illis eodẽ solido reficientur cibo in æternũ, in gloria: Et discimus hæc oĩa ex August. in Psal. 33. Sic enim ille ibi de æterno ipso Verbo primũ. *Respice altitudinẽ illius. In principio erat Verbũ, & Verbũ erat apud Deũ, & Deus erat Verbum. Ecce cib. sẽpiternus, sed manducãt Angeli, mãducãt supernæ virtutes, mãducant cœlestes spiritus, & mãducant, & saginantur: & integrũ manet quod eos satiat. Quis aũt homo posset ad illũ cibum? Vnde tot tã idoneũ illi cibo? Oportebat ergo vt mensa illa lactesceret, & ad paruulos perueniret.* Sic primo Augustinus.

20 Etsi quæratur quomodo solidus cibus Angelorum factus sit lac paruulorum hominum, attendantur statim sequentia. *Vnde autem fit cibus lac? Vnde cibus in lac conuertitur, nisi per carnem traijciatur? Nam mater hoc facit, quod manducat mater, hoc manducat infans: Sed quia minus idoneus est infans, qui pane vescatur, ipsum panem mater incarnat, & per humilitatem mamillæ, & lactis succum de ipso pane pascit infantem. Quomodo ergo de ipso pane pauit nos sapientia Dei? Quia Verbū caro factū est, & habitauit in nobis. Videte ergo humilitatē, quia panem Angelorum manducauit homo, vt scriptū est: Panē cæli dedit eis: Panem Angelorum manducauit homo, id est, Verbum illud, quo pascuntur Angeli sempiternum, quod est æquale Patri, manducauit homo: quia cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo. Saginantur ergo illo Angeli, sed semetipsum exinaniuit, vt manducaret panē Angelorum homo formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus, vt homo, humilians se factus obēdiēs vsq; ad mortem, mortem autem crucis, vt iam de cruce commendaretur nobis, & caro, & sanguis Domini, nouum sacrificium.* Hæc omnia ibi Aug. quæ sic integra hoc loco transcribere volui, quia ad rem præsentem multum faciūt proculdubio, & eorumque modo ad paruulos ex scripturis prædicamus, cum eodē Christo Domino ad Eucharistiam vocantes illos, eisq; dicentes. *Si quis est paruulus,* &c. Et rursus. *Comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis.*

21 Fateor tā dē valdè prolixior fuit iste paruulorū sermo, quā statuerā, & q̄ etiā paruulis conueniat, varijs de causis: Verùmtamen quia pia valdè fuit ista, neq; iniucunda prorsus illa reputaui, & quia etiam paruulos naturaliter, non parum diligo, propter eorū simplicitatem, & innocentiam, & alia similiter eorū naturalia dona, quæ amabiles illos reddunt, maximè si pij sint, & boni, longiorem, quam par videretur, illum reddidi. Itaque eiusdem sermonis jam appropinquans ad finem, hoc vnum adhuc pro ipsius quasi sigillo adijciam.

22 *Cum essem paruulus loquebar vt paruulus, sapiebam vt paruulus, cogitabam vt paruulus* hoc speciale ad rem nostram cum alijs paruulis, nempe, quod in cęlo omnes manducabimus panem aureum, & quod panis aureus ibidem sēper ab oībus Angelis, & hominib. manducetur: hoc .n. paruuli aliquando inter se cogitant, sapiūt, & loquūtur, & ego cū eis similiter cū essē paruulus: estq; mihi de hoc recēs valdè, & tenax memoria. Quando aūt factus sum vir, non euacuaui omnimodè hæc, quæ erant paruuli, sed adhuc in me ipso, & cogito, & sapio, & loquor, & insuper et scribo, tanquā nō solum (iudicio meo saltem) puerilia, vel leuia, sed virilia et, & seriā: Ipsū .n. Lucæ Euangeliū c. 14. huic sententiæ paruulorū fauere videtur: Siquidē ibi scribitur. *Beatus qui mãducabit panem in regno Dei,* & præterea Christus Domin^o ore proprio dixit, Luc. 22. *Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus regnū, vt edatis, & bibatis super mensā meā in regno meo.* Cōstat verò, quod panis cęli est ipsemet Christus eiusdem similiter testimonio. *Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi,* qui, scilicet, cum esset panis Angelorum, & solidus cib. eorū (vt nunc dicebamus) factus est cibus viatorū, & lac paruulorū: Notum est præterea, quòd omnis viri caput Christus est, vt inquit Paulus 1. Cor. c. 11. De eodem autē viri capite Christo scripturā similiter testat. Cant. 5: *Caput eius aurū optimū:* Vel secundum Heb. transl. ex Vat. *Caput eius redimitum auro obrizo.* Si ergo Christus aurū est, vel aureus, & ipse est panis cęli: ergo aureus pariter dicendus est ipse panis cęli, quem in cęlo modo manducant Sancti, & Angeli, & quē postea nos etiā in cęlo manducabimus cum illis post generalē resurrectionē, ipso sēper fruentes: ergo à primo ad vltimū, vt logici loquuntur, verùm dicunt in hoc sensu saltē paruuli, quòd in cęlo panē aureum manducabimus, scilicet, omninò optimum, perfectissimum, pretiosissimum, ac sanctissimum.

Statuunt quidem Cæsareæ leges præsertim l. Sept. men. ff. de stat. hom. quòd *sapientum, & seniorum auctoritates reprobandæ non sunt.* Verū 23
nec auctoritates paruulorum naturaliter insipientium semper reprobandæ videntur: nam & ipsi aliquando seria valdè loquuntur: Sacra etiam pagina testante, quòd ex ore infantium, & lactentium Deus laudem perfecit: hęc igitur auctoritas paruulorum, non videtur reprobanda, quòd, nempe, aureum panem, & ipsi cum alijs manducabunt in cęlo, qui ad panem album secundùm externam apparentiā nunc vocantur in terra, & ab eodem Christo Domino, qui in cęlo panis aureus est: & in terra panis albus. *Si quis est paruulus declinet ad me. Venite comedite panem meum:* Si tamen Christi vocationi annuentes, ipsum in terra panē comedent, & dignè insuper quantùm possunt, quasi modo geniti infantes sine dolo, ac peccato, sed cū animæ præsertim puritate ac innocentia: sicut et illos D. Petrus monet: quia panem hunc aureum qui in cęlo sunt, æterna

vita

vita beati concedent, illam verò consequi non potest, qui hunc panem dignè non manducat in terra, eiusdem Christi firmo decreto. *Qui manducat hunc panem viuet in æternum.* Et rursus. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

24 Et comprobari possunt hæc omnia, quæ de pane aureo diximus in cęlo à nobis gustando ex Concil Trid. sess. 13. c. 7. *Hæc sacra mysteria corporis & sanguinis Christi* (inquit) *ea fidei constantia, & firmitate, ea animi deuotione, ea pietate, & cultu credant, & venerentur, vt panem illum supersubstantialem frequenter suscipere possint, & is verè eis sit animæ vita, et perpetua sanitas mentis, cuius vigore confortati ex huius miseræ peregrinationis itinere, ad cælestem patriam peruenire valeant, eundem panem Angelorum, quem modo sub sacris velaminib. edunt absque vllo velamine manducaturi.* *Quam bonus, & quam mirabilis panis* (exclamat S. Bern. ad sororem de modo beneuiu.) *de quo in cælo Angeli saturantur, & in terra homines reficiuntur, quem manducat Angelus plenè in sua patria, ipsum comedit peregrinus homo pro modulo suo ne lassetur in via. Christus panis viuus est, qui est refectio Angelorum, ipse est Redemptio, & medicina hominum.* Et hæc iam paruulis nostris diximus, ad eundem panem cum Christo vocantes eos, eisq; dicentes. *Si quis est paruulus, declinet ad me: Venite comedite panem meum.*

25 Adultis modò omnibus hæc pauca subijcio, & vobis præcipuè, ò Parochi, & Pastores, ò Magistri, & Doctores paruulorum, ò Parentes, & propinqui, & Cognati eorundem, & quicumq; deniq; estis, quibus cura paruulorū quocunq; titulo incūbit: nā ad vos quoq; conuertere sermonē istum necessariū est. Igitur ad vos oēs, & ad quemlibet vestrū singillatim sermonē meū conuertā, Dei verba loquens, apud Iolelem c. 2. exarata. *Cōgregate paruulos, & sugentes vbera.* Christus (vt iam sępius audistis) ad se paruulos congregare contendit ad panē suū Eucharisticū comedendū, dicēs eis. *Si quis est paruul⁹ &c.* Et vos ergo Christi cooperatores sitis, vt muneri vestro ēt, & obligationi satisfaciatis. *Congregate paruulos, &c.* illos, qui per sufficientem rationis vsum, & alia requisita vbera, Eucharistica sugere possunt, ad ipsa vbera congregate. Nam scribitur Iob 21. de illis. *Egrediuntur quasi greges paruuli eorum, & infantes eorū exultant lusibus:* Naturaliter .n. paruuli, & infantes huc, illucq; discurrunt libenter, & ludunt, ac saliunt, & saltitant, proinde etiam aliæ aliorum verborum translationes exprimunt. Vnde etiā Lyranus exponit. *Egrediuntur ad saltandum:* Propter hoc, dico, aliquo egent, qui eos colligat, & congreget ad Christum, ad Christum, vlz. in sacra Cōmunionē sumendum, simul cū eodem Christo: Ad hoc enim vos, Pastores, Parentes, & alij Paruulorum Rectores, stricto iure tenemini, & de hoc ipso iterum vos moneo, quia multi sunt in hoc tardi nimis, & desides, & alijs modis non parum culpabiles: & non solùm filios paruulos suæ curæ cōmissos nonnulli ad sanctam Communionē congregare negligunt, sed etiam iā adultos aliquando, in animarū suarum (sicut, etiam filiorum) graue nimis præiudicium: Etsi etiam multorum sententia sit, quòd maior annorum, maiusq; iudiciū consequenter requiratur in paruulis, pro Communione, quā pro cōfessione, multi tamen etiam oppositū sentiunt & sufficienter probant: Præterea, etsi etiam ante annos quatuordecim masculos, & ante duodecim fœminas ad communionem aliqui non obligent, multi tamen ex recentioribus præsertim, & tenent, & probant, tam masculos, quàm fœminas, statim ac sunt doli capaces, & sufficiens in eis rationis vsus deprehēditur, non minus ad cōmunionem quā ad cōfessionem obligari. Quia: *Vbi lex nō distinguit, nec nos distinguere debemus:* Lex autē Ecclesiæ in c. *Omnis vtriusq. de pæn & remiss.* statuit: *Vt omnes vtriusq; sexus postquā ad annos discretionis peruenerint & confiteantur, & communicent:* Et refert hæc omnia diffusè Ant. Diana Cler. Reg. par. 3. trac 6. pag. 262. referens pro hac sua sententia Sanctium, Castrum, Polaum, & alios multos.

Præterea statuit, sic de Eucharistia, Paulus 26
Quintus in suo Rituali Romano. *Iis ēt qui pp ætatis imbecillitatē nondū huius Sacramenti cognitionem, & gustum habent: administrari nō debet.* Si non debet secundū Ecclesiæ ordinationē Eucharistia ministrari ijs, qui ob ætatis defectū non habent eius cognitionē, & gustum: Ergo procul dubio ijs, qui, ętate non obstante, vtrumq; habent, administranda est: Exceptio .n. firmat regulā in cāsib. non exceptis, vt habet c. *Dominus* 32. q. 7. Non minus .n. istos, q̄ alios ætatis præscriptę ad se vocat Dñs, vt ipsū Eucharisticū panē suum manducent, dicens. *Si quis est paruul⁹ declinet ad me: Comedite panē meum.* Declinate ergo, ò Paruuli, ad comendendū hunc Christi panē: & declinent cū paruulis ēt magni nūā; *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum. Amen.*

Tt Ser-

SERMO QVADRAGESIMVS NONVS,

Pro Filiabus paruulis, Ante Eucharistiam expositam.

ARGVMENTVM.

Pro Eucharistia quatuor exponuntur, quae Puellae specialiter circa illam, quum exponitur, praestare debet. Audire scilicet, videre, inclinare aurem suam, & obliuisci populum suum, & domum Patris sui.

AUdistis, Dilectae in Christo Puellae, haec quatuor verba [illegible] quae ex psalmo adduximus: *Audi, filia*: hoc primum verbum est, quod nunc loquar vobis, [illegible] cum ante Eucharistiam constituitis. *Vide*: hoc erit secundum. *Inclina aurem tuam*: hoc tertium. *Obliuiscere populum tuum, & domum patris tui*: hoc quartum, & vltimum. Haec ad vos hodie per me, quasi per nuncium quemdam verba mittit Pater vester, Filius, Dominus, & Deus vester: & quod ad vos omnes a. simul dicit, ad vnam quamque vestrum singillatim: *Quoniam ipse est Dominus Deus tuus*, (subdit Psalmista) *& adorabunt eum*. Vel *Adorabis eum*, in Graecorum textu. Vel *Adora eum*, siue *Incurua te ei*, in textu Hebraeorum.

Itaque in primis, o Filia, quoniam hic, quem in sancto altari illo, sub parua illius hostiae forma coopertum vides, est Dominus Deus tuus, Iesus Christus Dei, & Virginis filius; adsit ideo, nunc & semper, in Ecclesiis, & vbique, ipsum videns, statim *incurua te ei & adora eum*, humiliter, reuerenter, ac deuote quantum potes. Et praeterea: *Audi, filia*, eumdem Patrem, ac Dominum, & Deum tuum ad te loquentem, & tibi dicentem: [illegible] *quia audit serua tua*, & filia tua, 1. Reg. [illegible]

3. [illegible] ipsum, audiendo [illegible] Dominum, [illegible] quemadmodum [illegible] audire debeas [illegible] ipsum [illegible] [illegible] Haec quidem verba [illegible] primario [illegible] dirigentur, qui in conuiuio [illegible] antiquioribus aliquando reperiuntur, [illegible] audiant [illegible] [illegible] & antiquiorum, qui sunt [illegible] iuniores, [illegible] vtrique honorem deferunt ac reuerentiam, nempe, tam musicis, & [illegible] quam senibus; & sapientiae, quam eloquuntur. Et praeterea caeteris etiam conuiuis, qui eosdem pariter auide auscultant. Quare eorum omnium gratiam sibi conciliant, & [illegible] modesti, humiles, [illegible] habentur, ac venerantur, [illegible] [illegible] Haec [illegible] principaliter: [illegible] (ni fallor) etiam pro Puellis nostris vsurpamus ea; nam Ecclesia [illegible] Eucharistici. O [illegible] [illegible] in hoc conuiuii loco, & [illegible]

cantus

[illegible] varij: præterea in eodem simul audio[illegible] senum, hoc est, præsbiterorum, concionatorum, & sacerdotum sapientia, sicut & modò, ex me omnium minimo auditis, & sapientiam insuper non terrenam, vel humanam, sed coelestem, ac diuinam prorsus & de ipso etiam, coelesti ac Diuino conuiuio, quam itidem, ex coelestibus [illegible] disc[illegible] oraculis psalmorum, dum ad [illegible] Dei Patris verba prædicamus: *Audi filia, & vide, &c.*

3 Ergo, Filia, audi primò quonam modo audire debeas, & musicam, & cantus alios, & alia diuina officia, sed præsertim Dei verbum, & sermones in Ecclesia, quæ est Eucharistici conuiuij locus. *Audi*, [illegible] attente, [illegible] [illegible] undique, pudorem, humilitatem, reuerentiam, ac deuotionem præferendo [illegible] [illegible], sicut Puellam maximè decet; & præcipuè in Ecclesijs, & ante sanctissimum, omnique reuerentia dignissimum sacramentum. Hoc enim modo audientes, & tacentes, & Christo Domino in Eucharistia existenti, cui sic reuerentiam exhibebis, gratæq; eris; & ab ijs etiam circumstantibus, quos ipsa taciturnitate, verbi Dei audiendi [illegible] deuotione [illegible] ædificabis [illegible] (inquit [illegible]) *& pro [illegible] [illegible] bona gratia.* [illegible]

4 Vel aliter [illegible] ipsa verba procedunt Puellis [illegible] Bona gratia est ipsa Eucharistia: [illegible] Eucharistia [illegible] [illegible] dictum est. Ergo ipsa bona gratia, ipsa Eucharistia accedet eisdem [illegible] corporibus, nempè, & animabus earum in sancta communione; & hoc principaliter pro interiori, ac exteriori [illegible] deuotione, qua se ipsas præparant ad ipsum Eucharistiæ conuiuium, [illegible] dum conuiuij, & musicam, [illegible] & prædicatam sapientiam tacendo, reuerenter audiunt, ac deuotè, prout easdem Diuinum edocet oraculum: *Audi tacens, & pro reuerentia accedet tibi bona gratia.* [illegible] primum verbum, Domini ad illas, ex quatuor, quæ proposuimus: *Audi filia.*

5 [illegible] secundum [illegible] Non satis est audire, sed videre [illegible] illum, quem [illegible] ab eisdem adorandum, [illegible] diximus, [illegible] (insuper altari adorant, ac reuerentur, eundem, [illegible] quam patrem, Deum, & Dominum suum, Iesum Christum. Et dupliciter quidem videre illum debetis, o Filiæ nimirum oculis mentis per veram fidem, firmiter omnino, ac indubitanter credendo, illum in sacramento ipso verè existere, sicut verè est in coelo; & secundò videre debetis, & aspicere eadem deuotione, ac reuerentia etiam corporeis oculis eundem panis accidentium coopertum. Non enim aliquod opertum, propter hoc quod opertum est, dicitur non videri. *Neque solum vides, sed etiam tangis, sed etiam comedis, & ab [illegible] domum reuerteris*, ait S. Chrisost. homil. [illegible] in 1. Cor. cap. 10. de Patre vestro in Eucharistia, o Filiæ, quem vos videre mente, & corpore modo cum Regio Psalte suadeo, dicens vnicuique vestrum: *Audi filia, & vide.*

6 Si autem fortassis ex vobis aliqua pueriliter sic mirabatur: Nos (sicut & omnes) eundem Patrem communiter sic oramus; *Pater noster, qui es in Cælis &c.* quia hoc modo illem nos orare docuit in Euangelio suo, dicens: *Cum oratis dicite: Pater noster, qui es in Cælis &c.* Luc. ij. Si ergo eum esse in cælis fatemur, ipsum orantes, quomodo in terra eum verè videmus, vel videre dicimus? Breuiter [illegible] vestræ, respondetur, quod de Deo in se verba illa Dominicæ orationis intelliguntur, qui etsi vbique sit (nam, *Cælum, & terram ego impleo, dicit Dominus*) nihilominus in Cælo, specialiter esse dicitur, quia in Coelo maiestatem, & gloriam suam demonstrat, præsertim Sanctos, & Angelos seipso beando, & hoc modo, solum erat in Coelo Deus quando sic orare nos docuit Dei Filius Christus Iesus in terra: Nam Eucharistiam nondum instituerat. Nunc autem, etsi in Coelo gloriosus, & immortalis idem Christus Dominus, idem tamen omninò est in Eucharistia, etsi sacramentalib. accidentibus (vt diximus) velatus, sicque, velatus verè videri dicitur, sicut etiam vere *tangitur, & manducatur à fidelibus, & minimè laceratur.* (Vt inquit doctor Angelicus) *Quinimmo diuiso sacramento, sub qualibet diuisionis particula, integer perseuerat.* Hinc rursus idem Chrisostomus hom. 60. ad pop. Ant. sic primò ait: *Quot nunc dicunt, vellem ipsius formam aspicere, figuram vestimenta, calceamenta?* Deinde his satisfaciens subdit immediatè: *Ecce eum vides, ipsum tangis, ipsum manducas: Et tu quidem, vestimenta cupis videre, ipse verò tibi concedit non tantum videre, verum & manducare, & tangere, & intra te suscipere:* Sic ille. Et [illegible] præterea [illegible]

præterea aliud etiam tradit idem doctor in præcitata epist. ad Cor. notatu dignum pro eiusdem dubij solutione, quòd, videlicet, eundem in cœlis videmus, dum in terris illum videmus in sacramento existentem: *Hic enim terram tibi cœlum facit, hoc misterium* (inquit ille de Eucharistia. Et postea subiicit) *Aperi ergo Cœli portas, & perspice, vel potius, non cœli, sed cœli cœlorum: & tunc videbis quod dictum est. Nam quod illic est omnium preciosissimum, & maximè honorandum, hoc ostendam tibi situm in terra: sicut enim in Regia id, quod est omnium magnificentissimum, non sunt parietes, non tectum aureum, sed corpus Regis sedens in solio: sed hoc tibi nunc licet videre in terra: Non enim Angelos, nec Archangelos, neque cœlos, & cœlos cœlorum, sed ipsum eorum ostendo Dominum. Vidisti, quemadmodum, quod est omnium præstantissimum, & maximè honorandum, vides in terra*. Sic Chrisost. de Christo Domino in Eucharistia: quem in terra videmus, in sacramento, quasi in Cœlo, quem extra sacramentum in cœlo vident Angeli, & sancti omnes: Ideò de hoc ipso & ego ad Filias nostras exortando pronuncio, *Audi filia: & vide*: & hoc secundum Domini ad easdem verbum est.

7 Tertium nunc audiant iam eisdem intimatum: *Inclina aurem tuam*: Quid est illas inclinare aurem suam? sapienter, ac humiliter auscultare, & obedire ijs quę audierint, & viderint, secundum Aug. & Hieronymi sententiam: *Inclina aurem tuam ad obediendum, opere implendo*, Sic verba hæc explicat etiam Nicolaus Lyranus noster. De hoc ipso est illud, psal. 17. *In auditu auris obedivit mihi*, Et illud etiam Eccl. 2. *Inclina aurem tuam, & suscipe verba intellectus*. Quæ nam sunt, verò quæ, Filiæ auditis, & in quibus aurem vestram inclinare debetis per veram obedientiam, & adimpletionem? Dei, ac sanctæ matris Ecclesię præcepta inprimis. Dicũtur enim Dei mandata præsertim verba intellectus, quia intellectum nostrum illuminant secundum illud Prou. 6. *Mandatum lucerna est, & lex lux*: Et illud psalmi etiã 118. *A mandatis tuis intellexi*. Sed hęc modo nõ versamus.

8 Verba attendamus, quæ in psalmo nostro subijciuntur & quæ postremo loco explicanda promisimus: *Obliviscere populum tuũ, & domum patris tui*: Hæc enim præstare debent Filiæ præsertim ad Ecclesiã convenientes, & ante Eucharistiam stantes: duo enim potissimum sunt, quæ illæ in mente habere solent, ex quorum memoria, & amore multum distrahuntur s. populus suus, & domus patris sui, ea nimirum; quæ in populo suo, & in domo sua sunt, vel fiũt: & quidẽ in populo sunt amasij, choreę, & alia multa vana, & noua &c. quæ accidunt, quæ grandiores præcipuè obliuisci debent: In domo propria verò sunt familiaria seruitia, ludi, pueriles, cibus, & potus, &c. quæ debent obliuisci filiæ minores præsertim, & tunc maximè quando ante Eucharistiam sunt: ibi enim, etsi in terra sint, tamen, quasi in Cœlo sunt, vt cum Chrisostomo dicebamus, vbi Christum Dominũ, quod est id, quod in Cœlo est omnium præstantissimum, & maximè honorandum, vident in terra: Neque solum vident, sed etiã tangunt, & comedunt, & eo accepto domum reuertuntur, vt idem ait.

9 Itaquè audiant etiam Filiæ, & maximè quæ communicat id, quod immediatè post prædicta subdit S. Chris. *Absterge, & munda animam, & prepara mentem ad horũ mysteriorũ susceptionem*. Vt autem sic se præparare possint filiæ ad sanctam communionem, inprimis necessarium est, vt obliuiscantur populum suum, & domum patris sui, vt exposuimus, quod pariter idem Chrisost. declarat egregia similitudine statim post prędicta de hac preparatione, sic subijciens. *Nam si Regis filius tũ mundo, & purpura, & diademate, tibi traderetur esset fouendus, quæcumquè sunt in terra abiecisses. Nunc autem, non hominis regis filium accipiens, sed ipsum vnigenitum Dei filiũ, dic, rogo, non extimescis, & eorumquæ ad hanc vitam pertinent, non omnem pellis amorem, & illo solo ornando gloriaris: sed adhuc terram amas videre, & pecunias, aurumque ac vniuersi inhias? Et quomodo assequeris veniam, quamnam defensionẽ, & excusationem? Nescis quod omnem ad hanc vitam pertinentem magnificentiam auersatur tuus Dominus Iesus Christus?* Et hoc est, quod cum psalmista modò Filiarum cuilibet suademus dicentes: *Obliuiscere populum tuum*, & *domum patris tui*, idest eorum, quæ ad hanc vitam pertinent, omnem pelle amorem, (vt inquit S. Chris.) Quia *omnem ad hanc vitã pertinentem magnificentiam auersatur tuus Dominus Iesus Christus*. Nam sic faciendo, *concupiscet Rex decorem tuũ*, (vt sequitur in psal. immediatè) *quoniam ipse est Dominus Deus tuus*.

Et meritò quidem Filia, concupiscet Rex Regum, & Dominus dominantiũ Iesus Christus pater tuus decorem tuũ, idest speciem, & pulchritudinem tuam spiritualem. Quia

quoniam

omne animal diligit simile sibi, & simile simili gaudet; ipse autem in hoc ipso psal. prius prædicatur *Speciosus forma præ filijs hominum*. Quæ verba exponens Genebrard. sic ait. *Pulcher es animo, & corpore rex Messia* (vt interponit Chald.) *præ reliquis hominibus*. Hinc, & Hebraica translatio ex Pagn. legit. *Pulcherrimi præ filijs hominum*: Hinc inferius subdit de eodē Christo Domino: *Specie tua, & pulchritudine tua: intende &c.* Et rursus animę eiusdē Christi pulchritudinem declarans, quia in sapientia, & in sanctitate eius consistit, subijcit statim de eodē: *Propter veritatem, & mansuetudinem, & iustitiam, & adducet te mirabiliter dextera tua*: Vt enim ait S. Aug. hunc ipsum psal. exponens: *Sūma, & vera pulchritudo iustitia est. Ibi illum non videbis pulchrum, vbi deprehendes iniustum. Sic vbique iustus vbiq. decorus*. Iustitia verò accipitur hoc loco nō pro iustitia speciali, quę vna statuitur inter quatuor morales virtutes; sed pro generali iustitia, quæ omnes in se virtutes claudit, vt ait Chrisostomus in Gen.

11 Iustitia, ergo quæ est vera species, pulchritudo, ac decor animæ, qua anima Christi præ filijs hominū, speciosa pulcra, ac decora fuit, ipsa est etiā ò filiæ quam ille in vobis concupiscit. *Et concupiscet rex decorē tuum. Si vbiq. iusta es* (inquit August.) *vbiq. decora*: Vbique hoc modo decoræ, ac decoratæ virtutū decore, & pulchritudine esse debēt puellæ; & illarū maximè virtutum, quæ puellarum propriæ sunt ac singulares, verecundiæ, scilicet, honestatis, humilitatis, mansuetudinis, puritatis, solitudinis taciturnitatis &c. Quia, & ipse Christus cuius pulchritudinē illę imitari debent (sicut ipse desiderat) vbiq. & semper pulcher fuit. Vnde idē S. August. vbi supra, sic de pulchritudine Christi loquitur. *Pulcher ergo in Cœlo, pulcher in terra, pulcher in vtero, pulcher in manibus parentum, pulcher in mirabilibus, pulcher in flagellis. pulcher inuitans ad vitam, pulcher non curans mortē, pulcher deponens animam, pulcher recipiens; pulcher in ligno, pulcher in sepulcro &c.* Verùm si vbiq. & semper ad Christi imitatationē hoc modo pulchræ eē debent puellæ omnes, animo, nimirum, etsi pulchrę nō sint corpore oēs, tunc magis sane quādo (vt in ipso psal. subditur) *afferuntur in lætitia, & exultatione, adducuntur in templū regis*, & non tantum in templum regis regum omniū Iesū Christi, sed ante ipsum regem in Eucharistiæ sacramento, super altari quasi in regali solio sedentem: Et præterea cum etiā ad eiusdē Christi conuiuium, in quo ille sumitur, sunt adducēdæ illę saltē, quibus per ætatem, & alia id conuenit, sicut in præsentiarū cernimus: tunc enim maximè (vt docuimus) attentionē primò præseferre debent, diuina audiendo: *Audi filia*: secundò reuerentiam, Eucharistiā videndo: *Et vide* tertiò obedientia, præcepta seruando: *Inclina aurem tuam*. Et deniq. xtā obliuionem, mundana omnia obliuiscendo. *Obliuiscere populū tuum, & domum patris tui*. Hic enim decor est, de quo statim subijcitur: *Et concupiscet rex decorē tuū*: animæ scilicet, decorē, ac pulcritudinem, quē sola sanctitas, & iustitia facit, & quem magis Rex Christus concupiscit in Puellis, quando eidem magis appropinquare volunt, ipsum in Euchar. stia sumpturæ.

Quod etiā adumbratum videtur in Iudith 12 cap. 12. libri sui: Ad conuiuiū enim Holofernis per Eunuchū eius Vagao illa inuitata est his verbis. *Non vereatur, bona puella introire ad Dominū meum, vt honorificetur ante faciē eius, vt manducet cū eo*: Bonæ ergo esse debēt Puellę quę ad Christi conuiuiū vocantur, bonas verò solæ virtutes faciunt, & in his etiam earū vera pulchritudo cōsistit, quā idē Christus tunc potissimum concupiscit: *Et concupiscet Rex decorem tuū*, vt iam sœpe replicauimus: Ideo vbi vulgata nostra æditio habet: *Bona puella*, 70. transferūt. *Pulcra puella*, sic: *Nō cunctetur, quæso, puella pulchra hæc veniēs ad Dominū meum, glorificari ante faciem eius*.

Iam ergo, o filiæ, o Puellæ, quæ vsq. modò, 13 & Dominū vestrū in hoc templo eius vidistis, & verba eius per me audistis, inclinate aures vestras, vt hoc specialiter, quod modo audiebatis, opere compleatis, vt omnes, videlicet, pulchræ esse curetis mente (etsi nō corpore oēs pulchræ esse possitis) pulchritudine; inquā, ac bonitate virtutū: Hic est enim decor vester, quem Deus Dominus, & pater vester concupiscit: Ad hoc verò necessarium est inprimis, vt obliuiscamini populū vestrū, & domū patris vestri, nimirū; mundialia omnia, ac vana, vt sœpe explicauimus: sic enim verè pulcræ, vereq. bonę puellę eritis, quod, & vos & esse, & vocari vehemēter cupitis. Tuncq. vnicuiq. vestrum illud repetere potero, qđ ad verè pulchrā, ac bonā puellam Iudith primò dictū est. *Non vereatur: Ne cunctetur bona, ac pulchra puella introire ad Dominū meum* Iesū Christū, nempè, in templo eius, *vt manducet cum eo*, Eucharistiā deuotè sumendo. sic enim non in terra solum, sed in cœlo etiā ante faciē eius honorificabitur, & glorificabitur. Aū

SERMO


SERMO QVINQVAGESIMVS, Et Vltimus.

In Oratione Quadraginta Horarum. Ante Eucharistiam expositam, pro eiusdem repositione.

Venerunt autem ad eum omnes fratres sui, & vniuersæ sorores suæ, & cuncti, qui nouerãt eum prius; & comederunt cum eo panem in domo eius, &c. Iob. vlt.

ARGVMENTVM.

Quod propinqui Iob cum eo fecerunt post tribulationem eius, hoc nos cum Christo nunc in Eucharistia mystice facere debemus, vt ille similiter id præstet nobis, quòd cum ipso Iob præstitisse narratur.



1 INSVLARES hominum status, gradus, conditiones, & ætates, ad horam orationis pariter singulare, (in Ecclesia hac ante Eucharistiam conuenientes, in hoc orationis Quadraginta Horarum tempore) singulari et sermone, per singularia itidem sãctarum scripturarum themata, aspirãte Domino iam hortati sumus. Cùm verò modò, hi omnes, vel ex omnibus saltẽ, multi simul communiter conuenerint ad horam hanc orationis, similiter cõmunem, communitem sermone, & communi etiam eiusdem paginæ sacro oraculo, quod iam audiunt eosdem monebo, vt etiam communiter cum Eucharistia, & cũ Christo in eadem existenti omnes mysticè id præstare velint, quòd cum Iob præstitum legimus à parentibus, & notis eius, vt nobiscum pariter Dominus in ipsa Eucharistia id faciat, quòd eundem cũ Iob fecisse ipsa scriptura testatur.

Tria verò sunt, quæ circa Eucharistiã, nos hic facere docemur, & circa eundem Christũ, in ea, vt idem pariter, tria nobiscum operetur, quæ omnia in eodẽ Iob vltimo capite recensentur, sicut & nos etiam pro vltimo sermone nostro illa iterum recensemus. 1

Venerunt ad eum omnes fratres sui, & vniuersæ sorores suæ, & cuncti, qui nouerant eum prius, & comederunt cum eo panem: Sic primò scriptura; & postea enumerat tria illa priora, vt statim audiemus. Postquam Dei filius incarnatus est de Spiritusancto, ex Maria Virgine, & homo factus est, non confunditur nos omnes homines vocare fratres, vt scripsit ad Hebr. Apostolus c. 2. *Frater, & caro nostra est*, Gen. 37. sumus et noti eius, quia per fidem eũ nouimus: & nunc idcirco ad eũ in Euchã venimus. *Venerunt* (inquit) *ad eum omnes fratres sui, & vniuersæ sorores suæ, & cuncti, qui nouerant eum prius*: Et sequitur statim: *Et comederunt cum eo panẽ in domo eius*: & nos in ipsa Christi domo, quæ est in Eccl'a, sacramentalẽ panem comedimus, panem, nempe, illum, viuũ qui de cœlo descendit: Et docet vtrumq; S. Hieron. hæc ipsa verba interpretando. *Veneruntque ad eũ omnes fratres sui*, &c. Ait, inde Christo loquẽs, quem Iob manifestè adumbrat. *Nunc in domo eius Ecclesia panem sacramentorum eius comedũt* [illegible] *omnes*,

[illegible] per fidem venientes ad eum. Et pergit insuper idem Doctor hoc ipsum magis explicans hoc modo. *Cum ipso edit panem, id est comedebat dicentur, quia ipse dixit:* *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi. Sive quia ipsa carnis [illegible] mysterium est consecratum [illegible] & ipsum benedicentem [illegible] consecrantem [illegible], quia ipse dixit: Ego sum panis vivus, qui de caelo descendi.* Sic S. Hieronymus.

3 Hic quasi praelibatis nunc tria illa, quae proposuimus, explicemus. Parentes, & noti Iob [illegible], quod etiam ille faciebat, comedentes, nempe, panem simul cum illo, tria specialia erga illum praestiterunt, quae immediate narrantur. *Et mouerunt super eum caput.* Ecce hoc primum. Alterum: *Et consolati sunt eum super omni malo, quod intulerat Dominus super eum.* Hoc est secundum. *Et dederunt ei unusquisque ovem unam, & inaurem auream unam.* Hoc est tertium. Et nos ergo Eucharistiam sumentes (quam etiam Christus cum Discipulis sumpsit, quando illam instituit) & praesertim, quando ex pio Ecclesiae usu, pro oratione exponitur, sicut modo, tria similiter praestare circa eandem debemus, & circa Christum in ipsa existentem. Primum autem horum, est summouere caput. *Et mouerunt (inquit) super eum caput.* Mouere caput super aliquem in scripturis aliquando idem significat, quod irridere, siue despicere illum, aliquando idem, quod salutare illum, illi quasi caput inclinare, in signum honoris, ac reverentiae, aliquando compati, aliquando congratulari illi, aliquando aliud etiam. Propinqui & amici Iob *mouerunt super eum caput,* vel *commoti sunt super eum,* ut Hebraei legunt, de salute [illegible] se eidem, ac hilariter salutantes eum, eique congratulantes de tanta [illegible] de sanitatis recuperatione, ac de duplicata oppulentia, multiplicique prosperitate eidem a Domino superaddita. Nos vero super Eucharistiam primo caput mouere debemus, & totum corpus simul, deuote, & humiliter [illegible] inclinantes, venerantesque, & adorantes eam, & [illegible] Dominum [illegible] ut Haeretici, & alii Ecclesiae hostes mouent super eandem caput, [illegible] irridentes, ac despicientes eam. [illegible] Item mouere caput super Eucharistiam nos debemus, congaudentes, & congratulantes, gratiasque agentes, & Christo [illegible] de ipsa Eucharistia, & de hac tam pia reuerentia, & cultu, qui nunc & semper a nobis, & a fidelibus [illegible]. Et

tandem secundum eundem Hieronymum, caput super eam mouere debemus, *exultantes [illegible] spiritualiter: & sacris Christi communionis [illegible] participes, sicut Dominus ait in Psalmo: [illegible] Edent pauperes, & saturabuntur, & laudabunt Dominum, qui requirunt eum.* [illegible]

Non solum autem mouerunt caput super Iob fratres, sorores, & cuncti, qui nouerant eum prius, sed *& consolati sunt eum super omni malo, quod intulerat Dominus super eum.* S. Hieronymus sic pro nobis haec verba declarat: *Et consolati sunt eum, &c. Saluatorem N. mediocriter consolantur, qui passionem eius, quam pro redemptione mundi suscepit, cum gaudio recolit, ac fideliter oculis fidei contuetur: Ipsi ac tali consolatione [illegible] quotiens viderit turbam credentium, exultauit in spiritu, sicut S. Evangelista scribente didicimus. Intulisse autem filio suo Dominum Patrem malum passionis, & mortis, ita dicimus secundum Apostolum: Qui proprio filio suo non pepercit: sed pro nobis omnibus tradidit eum. Super quod magnam sumamus consolationem, quia pro nobis [illegible] qui mala nostra suscepit.* Haec omnia S. Hieronymus. Ex quibus edocemur, quomodo Christum in Eucharistia consolamur, & nos ipsos pariter ipsius Christi Domini passionem pro nobis toleratam deuote memorando, cum ad Eucharistiam venimus, & maxime, cum illam conficimus, vel sumimus, secundum eiusdem mandatum: *Haec quotiescumque feceritis in mei memoriam facietis.*

Adhuc tertium restat, quod nunc etiam praestare debemus parentum, & amicorum Iob exemplo incitati. *Illi enim dederunt ei unusquisque ouem unam, & inaurem auream unam. Magis ad congaudendum, quam ad restaurandum* (ait Lyranus hoc loco) *quia diuina benignitas ad hoc parum fecissent.* S. vero Gregor. de hoc sic scribit: *Quid per ouem, nisi innocentia, quid per inaurem, nisi obedientia designatur? Per ouem quippe simplex animus, per inaurem vero ornatus humilitatis gratiam aditus exprimitur.* Recto ordine, ut mihi videtur, post passionis memoriam, qua Christum, & nos consolari debemus ad Eucharistiam accedentes, demus quae innocentiam, & deinde, quae obedientiam designat, secundum Gregorium, sit mentio, quia sicut Christi passionem ante Eucharistiam attente, ac deuote meditari debemus, sic innocentiam eius, etiam & obedientiam, ut utramque pariter cum ipsa [illegible]. Consideremus enim [illegible] praecipue, quod ille innocentissime [illegible]

dis nostris mortuus est, iustus pro iniustis: inquit Petrus 1.c 3. Itē q innocentissimus, cū esset, propter solā obedientiā Patris, pro peccatis ipsis nostris mortuus est: *Christus humilians se-semetipsū, factus obediens vsq; ad mortē, mortem autē crucis*, ait Paulus. Phil.2: Hinc de eodē Domino propter innocētiā, & obedientiā simul, quę in morte sua specialiter eluxerunt, sic prophetauit Isa.c.53. *Sicut ouis ad occisionē ducetur: & quasi agnus corā tondente se, obmutescet, & non aperiet os suū.* Ad Eucharistiā ergo accedentes, & mortē Christi, quā illa expræsè repræsentat, meditantes, & simul ēt illius innocentiā, in qua mortuus est, & eiusdē pariter obedientiā, propterquam itidē mortuus est, oues & nos esse debemus, hoc est innocētes à peccato, Christo obedientes, cunctaq; pro illo æquaminiter tolerantes. *Sic itaq; ad Christum venientes* (inquit Hier. in eodē loco) *efficiantur oues dominica, oues sancta, oues illa rationabiles, ascendentes de lauacro, geminos fœtus habentes, cum per obedientiā mandatorū Dei renata, in Christo innocentes, & simplices operarij fuctūs, & fideles.* Hæc S. Hieronimus.

6 Quæ sequuntur verò S. Gregor. ibidē non non minus ad rē præsentē. *Notandū verò, q̄d hoc loco cū inaures ouis, cū oue inauris offertur. quia, vdz. innocentis mentib. ornamentū semper obedientia iungitur, Domino attestāte, qui ait. Oues mea vocē meā audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me. Beato igitur Iob nemo inaurem sine oue, nemo ouē sine inaure obtulit: quia profectò Redēptori suo non obedit, qui innocens non est: & innocens esse non potest, qui obedire contemnit.* Hæc oīa S. Gregorius loco cit. quæ hoc loco ommitti non debuerunt, vt mihi videtur, sicut & illa ēt, quæ immediatè sequuntur, nā pro accedentib. ad Eucham, de quo potissimū loquimur, mirè deseruiunt. *Quia verò* (inquit ille) *obedientia non seruili metu, sed charitatis affectu seruanda est, non terrore pœnæ, sed amore iustitiæ, simul ij, qui ad conuiuiū veniunt, aureā in aurē obtulisse perhibentur, vt, vdz. in ea qua exhib. ī obedientia, charitas fulgeat, qua virtutes oēs, quasi auri more, cætera metalla transcendat.* Tria ergo audiuimus, quæ cum Iob propinqui, & amici eius præstiterunt, quæ a nobis etiā cū Christo in Euchā spiritualiter præstanda docuimus.

7 Verùm, quia sicut Iob Christū significauit, sic & nos ēt significare potest, alia tamen, & aliā ratione, sicut tradunt sacrarū scripturarū interpretes, idcirco per tria alia, quæ cum Iob Dominus fecit, discemus tria alia, similiter, q̄ nobiscū idem Dominus facit per Eucharistiā, & in ipsa Euchā: si nos tamē tria supradicta cū Eucharistia, & cū illo ēt, vt declarauimus, faciamus. Illa aūt sunt, quæ statim subijcio. & breuiter explano. *Dñus quoq; conuersus ē ad pœnitentiā Iob cū oraret ille pro amicis suis.* Hoc ē primū. Tres hi dies expositionis Euchæ, tempus nobis pœnitentiæ fuerunt peccatorū nostrorū in hac Ecclā, in quib. ante ipsū Dominū in Eucharistia continuò orauimus. Conuertetur porrò idē Dominus ad pęnitentiā nostrā, nam grata erit illi ipsa nostra pęnitentia, parcetq; nobis pęnitentib: & miserebitur nostri ille, *Cui propriū est misereri semper, & parcere*, si tū verè pęniteamus, sicut & de Iob legit, etsi leuissimè ille deliquerit: & ideorea exaudiet orationes nostras, & reconciliabitur nobis, si præsertim ēt pro inuicem, & deuotè orauerimus, sicut & Iob pro amicis suis orauit. *Quia etiā pro semetipso pœnitēs tātò citius exaudiri meruit, quātò deuotè pro alijs intercessit*, ait S. Greg. hæc verba exponens. *Dñus quoq; &c.* Et hoc primū est, q nobiscū modò Christū agere dicimus.

Sequitur secundum immediatè. *Et addidit Dominus oīa quæcumque fuerant Iob duplicia.* Quòd, slz. scriptura inferius explicat, in duplicatione ouiū, camellorū, bouū, & asinarum, q̄ de se clara sunt. *Per hoc aūt*, inquit idem Lyranus in sua morali, *quòd Dominus post flagellationē Iob eius bona duplicauit, significatur, quòd propter patientiā in aduersis augentur bona spiritualia, & aliquando etiam corporalia ipsis passis.* Vel secundum eundem Greg. *Quia per pietatem benigni iudicis, tentationis nostra dispendium vincunt suffragia consolationum.* Vel deniq; quia idē Dominus in nobis auget multū compunctionē, deuotionē, ac feruorē in hoc tempore orationis quadraginta horarum, sicut multi saltem experiuntur.

Tādem quid adhuc expectamus post nostræ orationis finem? Benedictionem vtique Domini, ex Eucharistia per sacerdotem: *Et Dominus autem benedixit nouissimis Iob magis quam principio eius*: benedixit, idest, secundum Lyranum, *multiplicando bona eius temporalia, & spiritualia.* Eadem benedictione, in hac nouissima nostræ orationis hora, & in hoc ipso nouissimo pariter sermone nostro, benedicat nobis omnibus idem Dominus Deus Pater, Filius, & Spiritus Sanctus: & benedictio eius maneat super nos semper. Amen.

Laus Deo, B. V., ac B. Francisco P.N.



MENSAE
MYSTICÆ
FRAGMENTA TERCENTVM QVINQVAGINTA

Ab eodem Authore
COLLECTA.





MEDIOLANI,
Sumptibus, & instan. Francisci Mognaghæ, 1639.
Typis Io: Petri Ramellati.
SVPERIORVM PERMISSV.

SANCTVS LVCAS Cap. 9. Manducauerunt omnes, & saturati sunt: Et sublatum est quod superfuit illis, fragmentorum cophini duodecim.

SANCTVS AVGVSTINVS Tract. 24. in Ioan. Quæ sunt autem illa fragmenta, nisi quæ populus non potuit manducare? Intelligantur ergo quædam secretiora intelligentiæ, quæ multitudo non potest capere. Quid ergo restat, nisi vt secretiora intelligentiæ, quæ non potest capere multitudo, illis credantur, qui idonei sunt & alios docere, sicut erant Apostoli, vnde duodecim cophini impleti sunt.

SANCTVS AMBROSIVS LVCÆ Cap. 9. Nec otiosè quę turbę supersunt, à Discipulis colliguntur, quia ea quę Diuina sunt, apud electos faciliùs possis, quàm apud populos reperire. Vtinam mihi contingat audire, Collige quæ supersunt: Si audiero, & fecero, habebo multa, quæ turbę, habebo multa, quæ pueri, & mulieres edere nequiuerunt. Beatus ille, qui potest colligere, quæ etiam doctis supersint.

INDEX SECVNDVS

Generalium titulorum omnium fragmentorum.

DVM STRVERETVR MENSA, NONNVLLA SVPERAVERVNT FRAGMENTA, QVÆ COLLECTA SVNT, NE PEREANT, ET APPOSITA.

Eucharistia vt Mensa consideratur.

Mensa Eucharistia dignissima est, & sanctissima.

Fragmentum primum.

EST *Eucharistia mensa dignissima, & sanctissima, primò quia est mensa Domini, in qua Dominus noster Iesus Christus, qui est sanctus sanctorum, conuiuatur nobiscum: Vnde Paulus 1. Corinth. de illa ait.* Non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ Demoniorum. *Secundò quia est mensa Regalis, & Angelica. Sic enim Chrisostomus homil. 61. ad Popu. Antioch. de eadem scribit.* Considera, quæso, mẽsa Regalis est apposita: Angeli mẽsæ ministrãtes, ipse Rex adest &c. *Item Sanctus Augustinus sermone 2. de tempore.* Inuitati sumus ad mensam, vbi non inuenitur cibus hominum, sed panis ponitur Angelorum.

Eucharistia nobilissima mensa est potissimum propter Christum, qui in ea ministrat, & ministratur.

S*Anctus Ambrosius libro de Abel, & Cain c. 5.* Quid Christo nobilius, qui in conuiuio Ecclesiæ, & ministrat, & ministratur. Istius Conuiuæ recumbentis annecte te lateri, ac te Deo coniunge: nec fastidias mensam, quàm Christus elegit, dicẽs, introiui in hortum meũ, soror mea sponsa: vindemiaui myrram meã cum aromatibus meis: Manducaui panem meum cum melle meo, & bibi vinum cum lacte meo: Et infra. Ibi manducabis panem, qui confirmat cor hominis, mel gustabis, quo iuarũ dulcescat meatus faucium: Vinum bibes cum lacte, hoc est cum decore, & syncecitate, siue quòd pura simplicitas sit, siue quòd immaculata gratia, quæ in remissionem sumitur peccatorum, siue quòd paruulos consolationis suæ lactet vberibus, vt ablactati in delicijs, in plenitudinem perfectæ ætatis adolescant.

Mensa Eucharistica semper plena est.

ROmani Mensam non sinebant sustolli vnquam, sed semper in ea aliquid super esse, forte seruorum causa. Neque enim ita quod capiant, vt quod participes sint, delectat, seruos consortes quodam modo arbitrãtes esse mensæ Dominorum. Sic Plutarcus in quæst. & Theat. v.h. vol 1. li 3. *De Eucharistica mensa secundùm quorundam Patrum sententiam accipi possunt illa Iob verba. 36.* Requies autem Mensæ tuæ erit plena pinguedine. Mensa tua referta pinguedine, ex Hebreo Vatablus. *Sic enim plena est Eucharistia pinguedine gratiæ, vt etiam bona gratia interpretetur, ipsum namque omnis gratiæ authorem, ac fontem in se continet Iesum Christum Dominum nostrum, qui Mensæ suæ participes, & consessores facit fideles omnes seruos suos. In hac præterea, etsi hi omnes quotidie sumant; tamen non solùm, nec minimum quidem vnquam euacuatur, vel minuitur, sed insuper eodem modo semper plena perseuerat, & perseuerabit omnibus diebus vsque ad consumationem sæculi.* 3

Quanta sit potentia & virtus huius Mensæ.

T*Imotheus Presbyter, vt quidam refert, sic de hac mensa ait.* Vacemus Diuinæ, & mysticæ Mensæ, per quam & mundus stabilitus est, & orbis terrarum consistit, & regnum custoditur, & Ecclesia multiplicatur. 4

Hanc Mensam Christus omnibus fidelib. participat sine vllo discrimine.

PErsarum Regis Mensæ præter matrem eius, & coniugem, nemo consors erat, quarum, hæc infra, mater supra eũ recumbebat. At Artoxerses Mnemon fratribus etiam suis Mensam participauit; Ostano, & Oxobi ætate minoribus. 5

minoribus. Sic Plut. in Artaxerxe. *Rex cælorum & terræ Christus Dominus fidelibus omnib. prorsus, de quibus dixit Matth. 12.* Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater, soror, & Mater est, *Mensam suam Eucharistiam semper participat.*

Mensa ista non recipit inimicitias inter se habentes.

6 S*Anctus Ioannes Chrisostomus hom. 16. in Matth. ad illa verba cap. 5.* Si ergo offers munus tuum ad Altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante Altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniés, offeres munus tuum. *Sic scribit.* Cum enim dicitur, relinque munus tuum, non ibi restitit, sed intulit, ante Altare, rursus ab ipso etiam loco horrorem iniiciens; Et, vade; nec tantùm dicit, vade, sed adiunxit, prius, & tunc veniens, offeres munus tuum, per omnia significãs, quia per aliquas inter se inimicitias discidentes nequaquam mẽsa illa suscipiat. Audiant hi; qui sacris certe initiãtur mysterijs, & cũ inimicitijs ad communionem Altaris accedunt.

Mensa Eucharistica, sicut amicitiam veram supponit, sic etiam eandem auget, vnde verorum amicorum Parens, & Procreatrix dicenda est.

7 P*Lutarchus in Catone ait.* Mensam M. Cato maxime amicorum parentem, atque procreatricem existimauit. *Item.* Ille Mensam inprimis putabat amicitiæ conciliandæ aptã. *Si corporalem Mensam mundialis amicitiæ parentem, atq; procreatricem Cato existimauit, & ad amicitiam conciliandam aptam, quanto magis sanctam Christi Mensam veri verorum amicorum parentem, atq; procreatricem nos pro certo existimare debemus, & ad verum amicitiam, quæ scilicet, ex charitate procedit, conciliandam aptissimam?*

Eucharistia Mensa est aduersus omnes, qui tribulant nos.

8 S*Anctus Chrisostomus in Psalmum 22. ad hæc verba.* Parasti in conspectu meo mẽsam, aduersus eos, qui tribulant me, *sic ait.* Qui sunt isti, qui nos tribulant? Sugestiones inimici, exagitationes, cupiditates, delectationes corporis, honores, isti tribulant, quia huiusmodi, qui ita viuunt, tribulationes carnis habent: sed veniunt ad mensam potentis, considerantes ea, quæ apponuntur eis, accipere cũ timore, & tremore, & tribulationes efficiuntur consolationes: auferuntur ea, quæ sunt carnis, infunduntur ea, quæ sunt spiritus, & ex mensa præparata proficiunt contra eos, qui tribulant eos. *Sic Chrisostomus. Hinc & pro gratiarum actione mensa huius cantat Ecclesia.* Paratur nobis mensa Domini aduersus omnes, qui tribulant nos.

Eucharistia est Mensa hominum, non Canum.

M*Ensa Regum Persarum mensa etiam canum aliquo modo dici poterat, quia aliquam ex ea portionem non solùm amicis, Ducib., & Satellitibus, sed etiam ipsis canibus mittebãt. Non sic Mensa Christi, nam enim panis, panis est filiorum, non mittendus canibus, idest peccatorib. & indignis. Immo huiusmodi canes longe ab eadẽ arcentur illis Apocalypsis vocibus.* Foris canes. *Porrò de mensa Regum Persarum hæc narrat Plutarchus, libro septimo Conu. quæst. sicut refert Theat. vol 14. lib. 2.* Persarum Reges non solùm amicis, Ducibus, & Satellitibus ex mẽsa suæ semper portiones mittebant, verùm et & Canum quotidiè cœnam in illorum mensam apponebant, quo facerent, quatenus possent, omnes, quibus vtebantur, mensæ suæ, & vestæ consortes. 9

Hanc Mensam despectam dicunt illi, qui ad illam indignè accedunt.

S*Anctus Hieronymus ad illa verba Mal. 1. ca.* 10
Offertis super Altare meum panem pollutum, & dicitis, in quo polluimus te? in eo q; dicitis mensa Domini despecta est, *inter alia hæc scribit.* Polluimus panem, idest, corpus Christi, quando indigne accedimus ad Altare, & sordidi mundum sanguinem bibimus, & dicimus, Mensa Domini despecta est: non quòd hoc aliquis audeat dicere, & quòd impie cogitat, scelerata voce proferre: sed opera peccatorum despiciunt Mensam Dei.

Eucha-

O Sacrum Conuiuium, in quo Christus sumitur &c.

11 O Prætiosum conuiuium, o Sacrosanctum mysterium omni admiratione dignissimum, in quo verus Deus, & homo continetur, Christus, manducatur, & bibitur. Manducatur inquam, nec laceratur; bibitur, & minime mutatur, sed ipse perseuerat, vt est. Nullum diuinitatis, seu humanitatis, suæ patitur detrimentum, cùm dentibus præmitur, attrectatur manibus, loco circumscribitur, mortali copulatur corpori, diuersisque in Ecclesijs consecratur. Est enim idem numero ipse in gloria, non mutatus in essentia, non minoratus in forma, non multiplicatus in specie, neque passibilitati, dùm percipitur, est subitus in carne; totum, quòd in eo est, Diuinũ est, quoniam creata cuncta transcendit. Illud corporis non capit sensus, ratio non cõcludit humana, neque mortalium penetrat intellectus. Operatur in eo Verbum, non per Angelorum, sed per ministerium Sacerdotũ, mediante fide Ecclesiæ, seruata forma in panis, vinique substantia, cum sacramentalium prolatione verborum. *Hæc Sanctus Laurent. Iustinianus in sermone de Eucharistia.*

Conuiuium Eucharisticum est alijs omnibus incomparabiliter sumptuosius, & sanctius.

12 N*Arrant Sabellicus, & alij, Iulium Cæsarẽ Pompeio superato, cùm Romam triumphãs ingressus esset, Romanis exibuisse conuiuiũ, in quo viginti mille dapum electarum erant, & magni valoris: Verùm Christi conuiuium Eucharisticum longè dignius, ac præstantius illo est, absque comparatione vlla: quia hoc non est præfixum vllo quantumcunq; magno numero dapum,* q3 oẽ delectamentum in se habet, & omnẽ saporis suauitatem, *vt Sapientiæ lib. testatur 16. cap.* Quia est omni voluptate pollens, omniq; accommodatum gustui, *secundùm Hebraicam translationem eorundem verborum ex Vatablo; Et quia,* ad omnem voluptatem valet, & ad omnem congruum gustum, *secundùm Grecam ex septuaginta interpretibus: Præterea dapes cõuiuij Cæsaris materiales erant, & ab hominibus parata, & sumpta statim esse desinebant. Verùm conuiuium Christi* cœlestibus est refertum dapibus, *vt inquit Sanctus Iustin. & ab ipso Deo illa nobis parata sunt, & præterea semper pro nobis est paratum hoc conuiuium,* omnibus diebus vsque ad consumationem sæculi.

In hoc Conuiuio Deus discumbit cum hominibus.

H*Inc idem S. Iust. ad hoc Conuiuium omnes inuitat his verbis.* Currite ad hoc singulare conuiuium, in quo discumbit Deus cum hominibus, cum piscatoribus Verbum, & Sapientia cum simplicibus, & imperitis. Discũbit autem, non vt sibi ministretur, sed vt ipse ministret, frangat panem, calicem porrigat, distribuat Agnum, & postremò sacramentaliter præbeat semetipsum, In isto, nempe, cõuiuio, vbi Diuina recumbit in carne Maiestas, non seruorum numerositas sericis ornata indumentis, non lautiorum abundantia ciborum, non Regius conspicitur apparatus, sed legales cibi, atque mensa pauperrima pannosis hominibus circumsepta. 13

Cur hoc Conuiuium nostrum dicitur, & nos conuiuæ eius.

S*Anctus Paschas. de corp. & sang. Dñi cap. 21.* Hinc ergo conuiuium nostrum dicitur, quia Pascha nostrum immolatus est Christus, conuiuæ verò, quòd cum illo æpulamur transformati in nouitatem. 14

In hoc Conuiuio Christus est Conuiuium, & conuiua simul, & in eo est quicquid boni, & pulchri ipse habet.

I*Dem rursus ibidem sic.* Magnum igitur bonũ, & summæ benedictionis arcanum in hoc mysticè Christi Ecclesiæ præparatur, vbi & Christus est conuiua deliciarum, & conuiuiũ. De hoc quippe bono Zachariæ olim repromisso admirans, ait. Et q d bonũ eius est? Et q d pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans Virgines? 15

Eucharisticum Conuiuium parauit Christus propter semetipsum, & propter nos.

N*Arrat de Lucullo Plut. in Lucullo similiter* Lucullus in conuiuio prodigentissimus dicitur Grecos aliquos, qui Romam commeauerant, per multos dies inuitasse, qui vt germani Greci rubore adducti abnuerint venire, quòd tantùm eorum nomine sumptus fieret quotidiè, cœterùm Lucullus his arridens, dixisse. Ali- 16

Aliqui d horum, Greci, vestri causa fit, pleraq; fiunt ta men causa Luculli. *Omnia, quæ in Eucharistico Cõuiuio fiunt, verè nostri causa à Christo fiunt: facit illa tamen propter se potissimum, hoc est propter gloriam suam, præsertim, & vt in illo ostendat tam mirabiliter immensam potẽtiã, sapientiam, bonitatem, & charitatem suam erga homines: etenim,* Vniuersa propter semetipsũ operatus est Dominus, Prou. 16.

Lautissimum, ac splendidissimum est Eucharistiæ Conuiuium, quia Dei Conuiuium est, in quo nobiscum cõuiuatur, & præsertim in eiusdem festiuitatibus.

17 CVm quidam Aristipo Philosopho probro daret, quòd laute nimis, splendideque viueret: id, inquit, si vitium esset, in Deorum celebritatibus minimè fieret: in his enim magnificè vestiri, & lautissimè epulari solent. *Sic Laertius cum alijs.*

Omnes ad hoc Conuiuium inuitamur, ob eius splendorem, & quia omnia quæ desiderari possunt, in eo sunt.

18 S*Anctus Ambros. de Abel, & Cain lib. 1. cap. 5.* Vis manducare? vis bibere? *(inquit)* veni ad Conuiuium Sapientiæ, quæ inuitat omnes cum magna prædicatione dicens. Venite, & edite panes meos, & bibite vinũ, quòd miscui vobis. Delectant cantica, quæ epulantem demulceant? Audi hortantem, audi cantantem Ecclesiam non solùm in Canticis, sed et in Canticis canticorum: manducate proximi mei, & bibite, & inebriamini, fratres mei. Sed hæc ebrietas sobrios facit, hæc ebrietas gratiæ, non temulentiæ est: lætitiam generat, non titubantiam: Nec verearis ne in Conuiuio Ecclesiæ, aut grati odores tibi, aut diuerso potus, aut conuiuæ nobiles desint, aut decentes ministri. Quid Christo nobilius, qui in cõuiuio Ecclesiæ, & ministrat & ministratur *Hæc S. Ambrosius. Et rursus infra sic.* Succede ergo in hoc conuiuium. An metuis, ne angustior domus, aut breuis conuiuij locus te comprimat? O Israel, quàm magna est domus Dei, & ingens locus possessionis eius. Magnus est, & non habet finem altus, & immensus. Ibi fuerunt Gigantes illi, qui ab initio fuerunt statura magna, scientes prælium Non hos elegit Deus, & meritò non elegit; quia prælium, non pacem sciebant: & ideo tu pacem disce, vt eligaris à Deo. Sed ne fortè incomptam domus magnitudinem putes, & diuersoria te columnata delectent. Sapientia ędificauit sibi domũ, & sculpsit colũnas septẽ. Ipse etiam Dominus Iesus multas mansiones apud Patrem suum esse commemorat. In hac ergo domo epulaberis animæ cibos, potuſquè mentis, vt postea non esurias, neque sitias vnquam: Qui enim manducat, manducat vsque ad satietatem, & qui bibit, vsq; ad ebrietatem bibit. Sed hæc ebrietas pudicitiæ custos est. Illa vini ebrietas fomes libidinis, quo per carnes va: orantur interna viscera, animus ignescit, anima exuritur.

Ad idem.

In illo Cõuiuio, *inquit Iust., de Agone Christi cap. 2.* Omnia redolent, omnia sapiunt reficiunt vniuersa, reliquiarum pars nulla deperit, nullus minuitur cibus: Conuiuij huius authorVerbũ est, sodalis cõuiuantiũ, & minister.

Eucharistia conuiuium est hospitum, & Peregrinorum.

TArtari dum in Conuiuio versantur, aduenienti quemque hospitem facilè tolerant in mensa. *Bonfinius lib. 8. decadis 2. Christus in conuiuio suo Eucharistico fideles omnes excipit, qui cum Paulo fatentur Hebræos 13.* 19 Non enim habemus hic Ciuitatem permanẽtem, sed futuram inquirimus, confitentes, quia peregrini, & hospites sunt super terrã Heb. 11. *Vnde in eorum figuram Hebrei manna conuiuio à Domino excepti sunt in Deserto, dum ad terram promissionis tenderent. Hinc non incongruè dici potest Eucharistia xenium, hoc est munus hospitib. dari solitum: nam nobis dari solet, qui (vt di illi est) confitemur, quòd Peregrini, & hospites sumus super terram, et tanquam summum donum.*

Magnum, ac solemne est Eucharistiæ Conuiuium, quia in eo Dominus lauit pedes Discipulorum.

IN *solemnioribus conuiuijs (vt nonnulli referunt) consueuerat conuiuij Dominus, conuiuis suis pedes lauare. Vnde Dominus ad Simonẽ, à quo ad conuiuium inuitatus fuerat, quasi conquerendo, dixit.* Aquam pedibus meis non dedisti. *Solemnissimum ergo habendum est Eucharistia conuiuium, quia in eo Dominus pedes Discipulorum lauit, maximè verò, vt tacitè indicaret,* 20

anima

effectus abluendos esse, cum in hoc accumbere stabimus: Mouetur enim anima non pedibus, sed affectibus, *vt inquit Augustinus.*

In Eucharistico Conuiuio est bonorum omnium abundantia, & vera fœlicitas.

21 S*Cribunt nonnulli, veteres in conuiuijs corporis vsos fuisse ad significandam & augurandam annonæ fœlicitatẽ, rerumq; copiã, & abundantiam. Etiam Sacerdotes Christiani, qui coronam gerunt in Eucharistico conuiuio bona cœlestia præsertim, & æternam fœlicitatem sibi ipsis, & alijs conuiuantibus augurantur, Deo dicentes.* Quotquot ex hac Altaris participatione sacrosanctum filij tui corpus, & sanguinem sũpserimus, omni benedictione cœlesti, & gratia repleamur.

Conuiuium Eucharistiæ Christianorum valde præstantius est, quàm Conuiuium Charistia Ethnicorum.

22 V*Alerius Maximus li. 2. verbo* Charistia *allegans Ouid. Fast. 2. sic ait:* Conuiuium etiam solemne maiores instituerunt, idque Charistia appellauerũt, cui præter cognatos & affines, nemo interponebatur, vt si qua inter cognatos quærela esset orta, apud sacra mensæ, & inter hilaritatem animorum, fautoribus concordiæ adhibitis tolleretur. *Conuiuio nostro, quòd Eucharistia dicitur, non cognati tantùm, & affines interponuntur, & pro eorum solùm tollendis quærelis, sed omnes omnino homines, & ad tollendas pariter quascumq; querelas, & per ipsum solum conuiuium, nullo alio prorsus adhibito concordiæ fautore, quia ipsum est* vnitatis signum, vinculum charitatis, & concordiæ Symbolum, *vt inquit Tridentinum Concilium.*

Boni tantùm; & humiles, qui pauperes vocantur, in Eucharistico conuiuio saturantur, non mali, & superbi, qui dicuntur diuites.

23 A*Vgustinus Epist. ad Honoratum cap. 24. allegans illud Psalmi 21.* Vota mea Domino reddam coram timentibus eum: edent pauperes, & saturabuntur, & laudabunt Dominum, qui requirunt eum. Ipsi sunt pauperes (inquit) de quibus dixit. Et reuelasti ea paruulis: timentes enim, & pauperes, idest humiles, qui non alta sapiunt, sed timent timore illo casto, non quo pœna formidatur, sed quo gratia commendatur. Vota verò sua sacrificium vult intelligi corporis sui, quòd est fidelium Sacramentum: Ideo cum dixisset. Vota mea Domino reddam coram timentibus eum, continuò subiunxit. Edent pauperes & saturabuntur, & laudabunt Dominũ, qui requirunt eum: Ipsi enim saturabuntur pane, qui de cœlo descendit, qui ei coherentes, & eius pacem dilectionemque seruantes, imitantur eius humilitatem.

Ad idem.

Idem Augustinus, ibidem cap. 27. citans eiusdem Psalmi illa verba: Manducauerunt, & adorauerunt omnes pingues terræ: Diuites terræ *(ait)* superbos intelligere debemus, si rectè superius pauperes intelligebamus: *Et infra:* Contra ergo, diuites terræ hoc loco superbi intelligendi sunt. Neque enim frustra ita distincti sunt, vt de pauperibus ita diceretur: Edent pauperes, & saturabunt: Hic verò: Manducauerunt, & adorauerunt omnes pingues terræ. Et ipsi quippe adducti sunt ad mensam Christi, & accipiunt de corpore, & sanguine eius, sed adorant tantùm, non etiam saturantur; quoniam non imitantur. Manducantes enim pauperem, dedignantur esse pauperes, quia Christus pro nobis passus est, relinquens nobis exemplum, vt sequamini vestigia eius.

Caro, & sanguis Christi in Eucharistia est nuptiale conuiuium lautissimum, quòd Pater Aeternus eidem filio suo fecit

DEmades Atheniensis ditissimus accusatus est, quòd in filij sui nuptijs Regum magis, quàm honesto Ciue dignum splendorem adhibuerit: Decet enim inprimis sui esse memorem. *Hæc narrat Pont. cap. 16. de magnif. Æternus Pater fecit nuptiale conuiuium, scilicet Eucharisticum filio eius Iesu Christo Domino nostro, & nobis omnibus, verè regium, ac sumptuosissimum: De hoc non taxandus, sed summè laudandus & regratiandus est ab omnibus, quia in his potissimum recordatus est misericordiæ suæ, potentiæ, & sapientiæ.*

Ante

Ante Eucharistiæ conuiuium lacrymandum.

25 **E**Vcharistia dicitur panis lacrymarum, *s.* quo cibâtur lacrymantes, *&* potus datus eis in lacrymis in mensura, nempe, in calice. *Sanctus Laurentius Iust. de agone Christi cap. 4.*

Prius tamen, quam te cœtui misceas recūbentium, in secretum cubiculum tui cordis ingredere, ibique cum ingenti gemitu, & compunctione, effuso (si vales) lacrymarum imbre, ora genitorem tuum cœlestem, vt suo te gratificet filio, illumque tibi præstet placatum, teque minimè patiatur à tam sanctissimo repelli conuiuio, & repudiari velut indignus. Hæc autem cum deuotè perfeceris, & cor tuum ex concepta fiducia roborari cognoueris, tunc exauditas tuas orationes intellige, atque à Domino te inuitari non dubites.

Ad hoc conuiuium cor, & corpus mūdandum. Idem.

AD istas ergo tam sanctas nuptias, & ad conuiuiū Patris, & Filij, & Spiritus sancti intraturi, videte qualibus indumentis debeamus ornari: & ideo mundemus, quantùm possumus cum Dei adiutorio corda simul, & corpora nostra, vt cœlestis ille inuitator nihil in vobis sordidum, nihil fœdum, nihil obscœnum, nihil oculis suis depræhendat indignum.

Accedentium ad Christi conuiuium, quidam sunt ei nimis familiares, alij verò iniuriosi.

26 **A**Vgustus Cæsar cum nulli ferè ad conuiuium inuitanti suum denegaret officium, exceptus a quodam cœna perparua ac penè quotidiana, cum à conuitatore dimitteretur, hoc illi tantum insusurauit. Non putabam, me tibi tā familiarē penè esse. Alius tàm ieiunum apparatum contumeliam fuisset interpretatus: ille ciuiliter etiam pudori consuluit inuitatoris, familiaritati tribuens, idq; in aure, ne cęteri putarent ex probratā parsimoniam. Plutarc. in Romanorum Apophtegmatum.

Parum parati ad conuiuium Christi accedentes, illum nimis sibi familiarem faciunt: qui verò indignè, etiam contumelia eundem afficiunt; & vtrumque ab ipso nobis exprobatur in scripturis, & ab Ecclesia.

In hoc conuiuio mutandæ sunt vestes vitiorum in vestes virtutum.

IN quodam conuiuio Petri Biarij Salonensis Cardinalis Architriclini, & ministri omnes amictum pro ferculorū genere mutabāt: Fulg. lib. 4.

Vestimenta vitiorum deponant virtutum ornamēta assumentes, qui ad Eucharisticum conuiuium accedūt, expoliates (*ut inquit ad Col. 3. Paulus*) veterem hominem cum actibus suis. Cum omnibus moribus eius, *Syriacè*: & induentes nouum &c.

Ad hoc conuiuium accedere debemus, quasi tunc morituri, & in æternum victuri.

AGrigentinorum tantus fuit in omni re luxus, vt Plato diceret, eos ædificare, ac si perpetuo victuri, ita conuiuari, velut cras morituri. *Sic Ælianus, & alij: De Eucharistia, (vt alias fusè probamus) sic scriptura ad communicantes.* Quando sederis, vt comedas cum Principe, &c. Statue cultrum in gutture tuo, Prou. 23. *Idest mente firmiter cogita, tunc esse cultrum, vel gladium in gutture tuo; scilicet, vt illud abscindat, & moriaris statim: ideò eo modo in anima per dispositionem te ædificabis, quo in morte reperiri velles. & hoc est nos conuiuari, quasi cras morituri vt Plato de Agrigentinis dicebat; cogitantes verò cras nos morituros esse, dum communicamus, simul etiam pro certo habere debemus, quòd si tunc hoc modo nos ipsos ædificauerimus, in æternum cum Christo viuemus: de talibus enim ait,* Qui manducat hunc panem, viuet in æternum. 28

Dæmonem prius occidat, qui ad Eucharisticum Conuiuium accedit.

TEstatur Egeslander in more positum fuisse apud Macedones, vt nullus discumberet inter conuiuas, qui extra retia Aprum non interfecisset, tunc enim accumbere inter conuiuantes licebat. *Sic habet Athenæus lib. 1. cap. 11. De Diabolo respectu animæ nostræ scribitur.* Exterminauit eam Aper de sylua, & singularis ferus depastus est eam Psal. 79. *Scilicet prauis suis suggestionibus, & tentationibus. Hunc vero per pœnitentiam prius vincere debemus, vt ad Eucharisticum Conuiuium dignè accedere* 29

possimus, quòd nobis etiam precatur Paulus, Rom 16. dicens: Deus autem pacis conterat Satanam sub pedibus vestris velociter. *Ioannes etiam 1. cap. 2. ait.* Verbum Dei manet in vobis, & vicistis malignum: *Vt Verbum Dei incarnatum, & Sacramentatum dignè in nobis maneat, primùm necesse est, vt Diabolum malignum vincamus.*

Ad Idem.

Quidam populi conuiuium interdicebant ei, qui hostem aliquem in bello prius non superasset. Cum sit nobis continua colluctatio aduersus aduersarium nostrum Diabolum, fortes in fide eidem resistentes, illiusq; sugestionibus, ac tentationibus, illum pariter superemus; antequam ad sacrum conuiuium accedamus: ita ut de nobis verè dicatur respectu eius id, quòd legitur 1. Mach. c. 13. Contritus est inimicus magnus ex Israel: *Eucharistia enim lignum vitæ a Patribus dicitur: de ligno vitæ autem ait Christus Apoc. c. 2.* Vincenti dabo edere de ligno vitæ: *Et hoc cantat Ecclesia de Eucharestia: Abraham etiam prius cum suis quattuor Reges superauerat, antequam Melchisedech Dei altissimi Sacerdotem reperisset, qui, in figuram Eucharistiæ panem, & vinum obtulit, eidemq; Abrahæ benedicit, ut legimus Genesis quartodecimo.*

EVCHARISTIA VT NVPTIÆ.

Multi sunt Angeli vbi est Eucharistia & in tempore Missæ potissimum, gratulantes fidelibus, quòd eis Christos tanquam sponsus sponsis suis se exibeat in Eucharisticis nuptijs.

30 PRO *hoc sic primò ait Diuus Lau. Inst. in Ser. De Eucharistia.* Quanta autem circa Altare, maxime tempore, quo sacrificium memoratum conspectui præsentatur Altissimi, sit Angelorum frequentia, mortalium nemo valet edicere. *Sic illa. Hinc obiter annotari potest, quòd in solemnioribus festiuitatibus, & processionibus eiusdem Eucharistiæ introducuntur ex antiquo, & pio pariter fidelium more, pueri, qui sicut de se naturali puritate, & simplicitate sua Angelos representant, sic Angelico insuper amictu, & alarum præsertim velo, Eucharistiam comitantes, eosdem Angelos ipsi Eucharistiæ summa reuerentia assistentes, nobis quasi ante oculos ponunt, & ij maximè, qui speciosiores forma sunt, ornatiores, ac deuotiores. Subdit nunc idem Iustinianus de eisdem Angelis ad rem nostrã*

31 Congratulantur, inquam, ibidem Sponsæ, Sponsi thalamum introgressæ foris absque inuidentia vlla persistunt, & Domini sui præstolantur discessum: Venerantur sacrum illud spirituale connubium, dignationemq; mirantur Sponsi, & pro collata sponsæ exultant gratia: quoniam eidem perfectæ dilectionis vinculis colligati, illius proprias arbitrantur fore delicias. Nullum equidem liuorem in se valent admittere, quantumcunq; delectabiliter se hominibus communicet Christus, quippe, cum nihil detrimenti de percepta gloria patiantur, sed absque intermissione beatifica visione fruuntur.

Christus sponsus nos sponsas suas ad Eucharistiã inuitat sub nomine amicorum, & charissimorum. Et qui nam sint hi amici, & charissimi.

IDE *Iust. ibid. de eodẽ Christo sponso loquens, ad dit.* Quamobrem in Canticorum canticis ad saluberrimam Eucharistiæ sumptionem sponsus fideles suos inuitans, ait: Comedite amici mei, & inebriamini, charissimi Amici illi nuncupantur, qui Diuini timoris lege constricti, conditoris sui conantur obtemperare mandatis: Aliena non ambiunt, sobriè vtuntur concessis, miserentur cum hilaritate, atque cœlestibus terrena postponunt: Charissimi verò sunt dicti, qui spreto sæculo, calcatis carnis illecebris, toto mentis annixu perfectionis itinera gradientes, cœlestis sponsi castis fruuntur amplexibus. Hi internis delicijs abundantibus locupletati, quam primi; charitatis dulcedine frequentissime inebriantur, dum Sacramentali copula sponso sunt iuncti. 32

Non omnes communicantes sponsæ Christi dicuntur, sed ij tantum, qui dignè communicant.

AVg. *ser. 2. de tempore.* Inuitati sumus ad nuptias, vbi nos ipsi, si bene agimus, sponsæ erimus. 33

Quia

Quia in Communione Sponsæ Christi facti sumus, ad illam nos dignè preparare debemus, & nos ipsos semper immaculatos custodire.

33 S. *Ephrē de extremo iudicio, & de compunctione.* Est enim anima nostra Sponsa facta immortalis Sponsi. Nuptiarum autem copulæ sunt Sacramenta diuina, per quæ anima iungitur sponso, dum cum timore, atque tremore dignè sumuntur. Attende igitur tibiipsi frater, thalamumq; tuum iugiter immaculatum custodire, & cœlestem Sponsum Christum, Regem in eo suscipere contende,

Cogitemus ad quales nuptias inuitati sumus, & quomodo nos ornare, & mundare debemus.

IDem ibidem. Cogitemus ad quales nuptias, 34
ad qualem Sponsum, & ad quale conuiuiu inuitati sumus. Inuitati enim sumus ad mensam, vbi non inuenitur cibus hominum, sed Panis ponitur Angelorum. *Item.* Ad illas ergò tam Sanctas nuptias inuitati, & ad conuiuium Patris, & Filij, & Spiritus Sancti intraturi, videte qualibus indumentis debeamus ornari. Et ideo mundemus quantum possumus cum Dei adiutorio corda simul, & corpora nostra, vt Cœlestis ille inuitator, nihil in nobis sordidum, nihil fœdum, nihil obscurum, nihil oculis suis deprehendat indignum.

EVCHARISTIÆ INSTITVTIO.

Eucharistiæ institutio per Christum, & nonnullæ eius circonstantiæ.

35 D*Iuus Laurentius Iustinianus de triumphali Christi Agone capite quarto.* Nihil hoc Sacramento verius, nihil certius credi potest, cuius institutionis Deus auctor est. Nempè cùm Dei filius in assumpta humanitate summi, & æterni Sacerdotij fungeretur honore, iuxtà Vaticinium Dauid dicentis, tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedeh, officij dignitatem sacrificijq; libamen ad similitudinem perfecit senioris Melchisedech. Quamuis illo nobilior esset dignitate, genere, & oblatione. Nam Sacerdotij sui dignitatem non ab hominibus, sed à Deo, neque temporaliter, sed æternaliter sortitus est, sicut dicitur, tu es Sacerdos in æternum: Generationem verò eius quis enarrabit? Natus est enim in terris de Matre sine Patre, & in Cœlis de Patre sinè Matre, Deus, de Deo, de æterno coeternus, ità vt illius, de quo genitus est, sit imago inuisibilis, absque vlla gloriæ, & Diuinitatis dissimilitudine. Oblatio quoquè illius plusquam dici potest, supereminet, & excedit. Nam Melchisedech oblatio figura fuit, illa autem Domi Iesu veritas figurata: illius sacrificium terrenum erat, huius verò celeste: illud corrumpendum, hoc immortale. Secundùm Sacerdotij qualitatem, ità eorum oblatio. Mortales erant veteris legis Sacerdotes, ideo moriturorum, atque irrationabilium animalium victimas immolabant. Et quoniam morte interueniente diù permanere prohibebantur, propterea plures fiebant in lege, ne Sacerdotalis dignitas deperiret. Dominus autem Iesus, eo quòd maneat in æternum, sempiternum habet Sacerdotium: ideo per semetipsum accessit, non in sanguine alieno, neque victimas immolaturus iumentorum, sed sui corporis hostiam immaculatam pro totius mundi satisfactione delicti. &c.

Cur Christus per semetipsum immediatè, & non per Angelum, neque per hominem, Eucharistiam instituere voluerit.

Idem Iustinianus in sermone de Eucharistia.

COEterum ad roborandum credulitatem 36
fidelium, nullum præter se huius institutorem voluit fieri Sacramenti, non Prophetam, non Patriarcham, non Iustum, non Angelum quempiam, siuè de inferioribus, siuè de medijs, siuè de superioribus: ipse planè illud instituit, qui semetipsum tradidit, cuius eloquia verissima sunt, cuius sapientia falli nullatenus potest, cuiusue sententia mutari nequit ipso perhibente, qui ait: Cœlum, &

terra transibunt, verba autem mea non transibunt.

Ad idem.

Idem super cap. 4. de Azone.

POtuisset planè mentis acies infidelitatis obtenebrari caligine, atq; ab illuminatæ fidei resilire splendore, si creaturarum quælibet tanti mysterij fieret institutor, Abegit itaq; omnem dubietatis opinionem, omnisq; argumentum erroris, quando per se ipsum id voluit consumari.

Cur non in mane, sed ad vesperam Eucharistiam instituit.

S. Isidorus de off. Eccl. lib. 1. c. 18. de sacrificio.

37 HOC itaq; fit a nobis, quòd pro nobis ipse Dominus fecit, quòd non mane, sed postea, namq in vesperum obtulit; sic enim Christum oportebat adimplere circa vesperam diei, vt Dominus hora ipsa sacrificij ostenderet vesperam mundi.

Cur cum adhuc passibilis esset.

Idem Iustinianus in citato sermone de Euch.

38 NE igitur errares in fide, & à veritatis semita deuiares, maleq; de Christo in hoc Sacramento sentires, se dedit in cibum, quum adhuc esset passibilis, quum videretur, quum tangeretur, quum agnosceretur, quum præsens loquebatur: Non aliud, quam corpus meum (inquit) vobis trado, non in aliam mutatum speciem, neque immortale, aut impassibile effectum, sed de substantia vestra assumptum, quòd post paululum impiorum tradetur manibus ad ligandum, flagellãdum, conspuendum, occidendumque. Hoc vtique Corpus in hoc Sacramento percipitur.

Cur non ante, sed post cœnam Eucharistiam instituit, sicq; a non ieiunis primò sumpta est.

Idem S. Isidorus in præcitato loco.

39 PRoinde autem non communicauerunt ieiuni Apostoli, quia necesse erat vt Pascha illud typicum antea impleretur, & sic denuo ad verum Paschæ Sacramentum transirent: Hoc enim mysterium tunc factum est, quòd primum Discipuli Corpus, & sanguinem Domini nostri non acceperunt ieiuni: ab vniuersa autem Ecclesia nunc a ieiunis semper accipitur sic enim placuit Spiritui Sancto per Apostolos, vt in honorem tanti Sacramenti, ieiunum in os Christiani prius Dominicum Corpus intraret, quam cœteri cibi, & ideo per vniuersum orbem mos iste seruatur.

Ad idem.

Similia habet S. Augustinus ad Ianuarium 40
Epist. 118. Liquido apparet (inquit) quando primum acceperunt Discipuli corpus, & sanguinem Domini, non eos accepisse ieiunos: nunquid tamen propterea calumniandum vniuersæ Ecclesiæ, quòd a ieiunis semper accipiatur. Ex hoc enim placuit Spiritui Sancto, vt in honorem tanti Sacramenti in os Christiani prius corpus Dominicum intraret, quam cæteri cibi. Nam ideo per vniuersum orbem mos iste seruatur. Neque enim, quia post cibos dedit Dominus, propterea pransi, aut cœnati fratres ad illud sacramentum conuenire debent, aut sicut faciebant, quos Apostolus arguit, & emendat, mensis suis ista miscere: Namquè Saluator, quo vehementius commendaret mysterij illius altitudinem, vltimum hoc voluit infigere cordibus & memoriæ Discipulorum, à quibus ad passionem digressurus erat: & ideo non præcepit, quo deinceps ordine sumeretur, vt Apostolis, per quos Ecclesias dispositurus erat, seruaret hunc locum: Nam si hoc ille monuisset, vt post cibos alios semper acciperetur, credo, quòd eum morem nemo variasset.

Cur in duplici materia nempè panis, & vini.

S. *Innocentius Papa 3. de myst. Missæ cap. 21.* 41
sic rationem assignat; Simili modo, licet sub alterutra specie sumatur vtrunq; id est Corpus, & Sanguis, vtraq; tamen species consecratur, & neutra superfluit, vt ostendatur, quòd Christus humanam naturam totam assumpsit, vt totam redimeret: panis enim refertur ad carnem, & vinum ad animam, quia vinum sanguinem operatur, in quo sedes est animæ: Moyses, quippè testatur, quòd caro pro corpore, sanguis autem offertur pro anima, vnde legitur in leuitico anima carnis in sanguine. Quo circa panis, & vinum in sacrificio offeruntur, quòd valet ad tuitionem carnis, & animæ, ne si sub alterutra specie tantum sumeretur, ad alterius tantum putaretur pertinere salutem: Et quãuis sub specie panis

panis ſanguis ſumatur cum corpore, & ſub ſpecie vini corpus ſumatur cum ſanguine, tamen nec ſanguis ſub ſpecie panis, nec corpus ſub ſpecie vini bibitur, aut comeditur, quia ſicut nec ſanguis comeditur, nec corpus bibitur, ita neutrum ſub ſpecie panis bibitur, aut ſub ſpecie vini comeditur. Et ſi conceſſibile videatur, quòd corpus bibendo, aut ſanguis comedendo, ſumatur: Eſt. Ergo modus ſumendi carnem, & ſanguinem, quo neutrum manducatur, aut bibitur.

Chriſtus Euchariſtiam inſtituit in pane & vino, vt imbecillitati & conſuetudini noſtræ ſe accomodaret.

42 S. *Ioannes Damaſcenus orat. fid. 4. cap. 14.* Panis porrò, & vinum ob eam cauſam adhibentur, quia Deo nota, & explorata eſt humana imbecillitas, quippe, quæ vt plurimum, ea, quæ caſu, & conſuetudine minimè trita ſunt, grauiter ferat, & auerſetur: quo fit, vt illa pro ea, qua vti ſolet erga nos indulgentia, per ea, quæ naturæ vſitata, ac familiaria ſunt, ea, quæ ſunt ſupra naturam, efficiat.

Euchariſtia cur vocetur panis.

43 S. *Vincentius Ferrerius Ord. Præd. de corpore Chriſti ſermone* 4. Hoſtia conſecrata (*inquit*) eſt panis, & cibus ſpiritualis animæ; in hoc autem, quod appellatur panis, rectè eius conditio ſpiritualis importatur: nam corpus Chriſti aſſimilatur pani quantùm ad perfectionem, & quantùm ad effectum. Quatuor ad compoſitionem panis requiruntur: quia ſicut panis componitur ex farina, & aqua, & ex illis formatur in vaſe quodam panis, qui ſic formatus in furno ponitur, & ibi virtute ignis decoquitur, & ſic efficitur cibus corporalis, ſic ſpiritualiter Chriſtus fuit compoſitus ex aqua, & farina, id eſt, ex anima & carne, & formatus fuit in vaſe, id eſt, in Vtero Virginis Mariæ, & demum poſitus fuit in furno crucis, & ibi decoctus fuit per mortem virtute ignis, id eſt, virtute amoris Spiritus ſancti, quem ad genus humanum habuit, qui ſignificatur per ignem, quia ſicut ignis habet calefacere corpora, ita amor Spiritus ſancti calefacit, & incendit corda: in cuius ſignum Spiritus ſanctus deſcendit in Diſcipulos in forma ignis: Secundò corpus Chriſti aſſimilatur pani quantùm ad effectum, nam panis habet ſatiare corpus (vnde nullus cibus eſt, qui tantùm ſatiet hominem, & qui tantùm appetatur ab homine famleſcente, ſicut panis) ita corpus Chriſti habet ſatiare ſpiritualiter animas. Hæc omnia S. Vincentius.

Euchariſtia dicitur panis albus, & panis deliciarum.

Album panem in delicijs fuiſſe locis aliquo teſtatur Lucianus nominatim in libello 44
de mercede ſeruientibus. Ne per ſomnum quidem albo vnquam pane ſaturatur. Eraſmus in Adagijs. Sic Theatrum vitæ humanæ volum. 2. lib. 4.

Euchariſtia primò albus panis dici poteſt, quia in pane albo conſecratur, & talis apparet: præterea eſt panis deliciarum hic panis albus, nam de ipſa cantamus: Pinguis eſt panis Chriſti, & præbebit delicias Regibus. *Hoc pane albo & delicioſo verò ſaturamur omnes, nam de illo pariter ait Pſalmiſta ad vnumquemque fidelium.* Adipe frumenti ſatiat te.

Chriſtus in Euchariſtia eſt nobis tanquam Infantibus omnia.

Clemens *Alexandrinus lib. 1. Pedagogica. 6.* 45
Verbum eſt omnia infanti, & Pater, & Mater, & Pedagogus, & Altor: Comedite (inquit) meam carnem: & bibite meum ſanguinem. Hæc appoſita & conuenientia nobis alimenta ſuppeditat Dominus, & carnem præbet, & effundit ſanguinem, & ad incrementum nihil deeſt infantibus: O admirabile myſterium.

Euchariſtiam ſumentes Chriſti mores imitentur.

Lactentes ex lactantibus cum lacte etiam 46
mores ſugunt: Nos quaſi ſugimus in Euchariſtia Chriſtum, ergo & ſanctiſſimos eiuſdē mores ſimul ſugamus.

EVCHARISTIA COENA MAGNA.

Homo quidam fecit cœnam magnam. Luc. 14.

Eucharistia est cœna magna, & probatur hoc decem rationibus.

47 PRima ratio quia est cœna Dei. Olim mos fuit, quoties in cœna dabatur merum vinum omnibus, vt diceretur, boni Dei: cum post cœnam aqua temperatum, acclamabatur Iouis seruatoris. Sic Diod. lib. 4. & Theatrum v. h. illum adducens. *Nos in cœna Eucharistica merum vinum nobis a ministris datum aqua temperamus, & consecramus: bonique Dei ipsum esse acclamamus illis verbis:* Hic est Calix sanguinis mei, & *non Iouis salutis falso seruatoris, sed Iesu verè seruatoris ac Saluatoris simul, eiusdemque Dei filij, qui ob immensam bonitatem suam, & amorem erga nos, quando ipsum sanguinem etiam pro nobis in passione fudit, talem nobis cœnam fecit, in qua eiusdem sanguis verè est potus; sicut etiam caro eius verè est cibus. Vnde de eo, quia etiam homo est, & de hac cœna sua simul ita dicitur.* Homo quidam fecit cœnam magnam.

Secunda ratio, quia est perfecta hæc cœna.

48 M*Agna quædam cœna apud Persarum Reges erat, quam illi lingua sua Tictas appellabant, hoc est perfectam: sed re vera talis non erat, sed æstimatione sua tantum superficiosa; Eucharistica cœna solum verè perfecta dicenda est: nam perfecit illam filius Dei, cuius perfecta sunt opera, qui etiam de eodem æterno Patre subdixit, Ioan. 4.* Misit me, vt perficiam opus eius, *& in ipso eucharistico opere, idem perfectus qui in se perfectissimus realiter continetur.*

Tertia ratio, quia est absoluta.

49 N*Arrat etiam Lucianus, Celius, & alij, apud nonnullos quandam fuisse cœnam, quam illi absolutam dicebant, & eandem fortasse cum priori, quam perfectam alij vocabant. Ideo absolutam fortè dicebant illi cœnam illam, quia scilicet, in ea (vt ijdem scriptores tradunt) auis vna singulis apponebatur, suilla caro, necnon leporina, & piscis coctus in sartagine: Si hi absolutam ideo dicebant cœnam illam, solummodò, quia tria genera animalium in ea apponebantur, nempe cælestium siue aereorum, terrestrium, & aquatilium; multò magis absque comparatione vlla cœna Eucharistica absoluta verè dicenda est; quia illum totum in illa Christus sumitur, cum quo est Pater, & Spiritus Sanctus, cum quibus, vt Deus est, eandem habet essentiam, & naturam.*

Quarta ratio, quia est recta.

R*Ecta cœna, vel recta absolutè in moribus dicebantur, quam dignioribus, & amicioribus, & recto ordine lautè Principes dabant: sic Calepinus, & adducit pro hoc Sue. de Aug. dicentem,* Continuabatur assiduè, nec vnquam nisi recta, & *tandem in Domit.* Reuocata cœnarum rectarum consuetudine. *Item Mart. lib. 8.* Promissa est nobis sportula, recta data est, [illegible] diuites, ciuibus [illegible] suis [illegible] exhibebant, quæ recta cœna vocabatur. *Hæc ille.* 50
Dulcis, & rectus Dominus, *vt inquit Psalmista, nempe Dominus noster Iesus Christus, & & Princeps Regum terræ, bonis, & rectis eandem Discipulis conuiuatoribus suis, non quidem dormientibus sed credentibus Eucharisticam cœnam dedit, & eandem dat continuò omnibus etiam fidelibus.* 51

Quinta ratio, quia verè cœna est, hoc est communis.

C*OEna à verbo græco dicitur, quod idem significat, quòd communis, quia multi in communi cœnare consueuerant, vt tradit Festus, & alij.*

Cœna Eucharistica communis est omnino omnibus fidelibus, ideoque proprijssimè super omnes alias cœnas, cœna dicenda est, & hac eadem ratione etiam magna cœna est vocanda. Iudit. 6. legitur, quod Ozias fecit Achior cœnam magnam, verùm hæc cœna magna fuit tantùm communis eidem Achior, & omnibus Presbyteris Betuliæ, quos Ozias cum Achior ad eandem vocauit. Legitur pariter Esdræ 3. ca. 3. quòd Rex Darius *fecit cœnam magnam: nihilominus hæc etiam cœna magna fuit communis solùm* omnibus vernaculis suis, & omnibus Magistratibus Mediæ, & Persidis, & omnibus purpuratis. & Prætoribus, & Consulibus, & Præfectis sub illo ab India vsque Ethiopiam, centum

viginti

viginti septem Prouinciis, *vt ibidem legitur. Cœna Eucharistica communissima est omnibus omninò hominibus omnium totius mundi prouinciarum: nam illis omnibus illam fecit Christus de illius cibo dicens omnibus.* Manducate ex hoc omnes: Hoc est enim corpus meum. *& de eius potu similiter.* Bibite ex hoc omnes; Hic est enim sanguis meus.

Sexta ratio, quia omnes fideles cum Christo in illa cœnant, & splendidissimè.

52 REx Persarum cum quindecim millibus cenabat quadraginta talenta insumens, quæ in illos diuisa, singulos circiter centum sexaginta numos Italicos adsumpsisse continget. *Sic refert Athenæus lib. 4. c. 6. & Theatrum vitæ humanæ volum. 10. lib. 5.*

Christus Dominus Rex Cœli & Terræ Eucharistiam primò instituens, non solùm cum Discipulis tunc præsentibus, sed etiam cum omnibus omninò hominibus cœnasse dicendus est; insumens semper tantùm in omnibus simul, quantùm in singulis, & etiam singillatim nempe, seipsum, sine tamen consumptione vlla: nam id ipsum, quod ille tunc sumpsit, nimirum, carnem suam, quæ vidt eius esse vere est cibus, *& sanguinem suum, qui ve*re est potus, *semper sumit* vnus, sumunt mille, tantùm isti, quantùm ille, nec sumptus consumitur. *Sicut cantat Ecclesia in ipsa cœna.*

Septima ratio, quia in illa cum Deo cœnamus.

53 P*Lutarchus in Lucullo de eodem Lucullo narrat, cum in cœnis splendidissimum fuisse, & triclinium quoddam inter alia habuisse, cui nomen erat Apollo, qui Deus quidem apud antiquos habitus est, per quem nomen illi solebant intelligebant: Hinc cœnas Lucullus in hoc triclinio, in Apolline cœnare dicebatur, quia ipsum triclinium Apollo appellabatur: De quo sic scribit ipse Plut.* Cicero & Pompeius eidem (nempe Lucullo) aliquando dixerunt. Nos hodie constituimus apud te cœnare, verùm cœna solita tua: hic recusare Lucullo simulante, atque in diem posterum eos reijciente, negauerunt se concessuros, neque alloquendi potestatem ei fecerunt seruos, ne quid parari quotidiano præciperet amplius: Id modo largiti sunt petenti, palam vt vni seruo diceret, hodie ipsum in Apolline cœnaturū: Id vni ex splēdidis triclinijs nomen erat, quòd eius cōmentum fefellit eos. Nam singulis, scilicet, triclinijs certa summa erat in cœnam taxata, peculiaresque impensas, & apparatum habebant, vt audito serui, vbi cœnare vellet, scirent quantum impendendum, quo esset cena ordine, & digestione instruenda: cœnare in Apolline quinquaginta millibus denariorum solenne habebatur. Ea tunc insumpta cena obstupefecit Pompeium in sumptus immensitate celeritas apparat. *Hæc omnia ibi Plut. Ecclesiam figurasse videtur, aliquo modo triclinium illud Luculli, in quo, qui cœnabant, in Apolline cœnare dicebantur: sicut enim in Eucharistica eius cœna non falsus, sed verus Deus, & Dei filius Iesus Christus Dominus noster continetur, qui etiam Apollo Diuinus, idest Sol Iustitiæ verè dicitur; sic qui in illa cum ipso Christo in eadem cœna cœnant, in Deo, vel cum Deo vero verè cœnant, qui cœna illius Apollinis & aliarum omnium omnes sumptus longè superat, & semper, & ab omnibus sumptus, nunquam tamen consumitur, Apollo dictus est etiam pastor, quòd, videlicet, virtute temperata solis res omnes nutrit: Christus verè Pastor, qui nos oues pascua sua seipso in cœna sua pascit. Apollo vocatus est etiam Deus cœli, terræ, & Inferni, vt per hoc ostenderetur illum in eisdem tribus locis potestatem habere: sed hæc nimis fabulosa sunt. Christus Iesus verè Deus est, & Dominus cœli & terræ, & Inferni, ideoque* in nomine eius omne genu flectitur, cœlestium, terrestrium, & infernorum. *Quid autem præterea Populi Dei Apollinis præsentiam, lactis copia, & affluentia senserunt. In sermonibus latè & nos probamus, Eucharistiā lac Eccl. dictum ad fideles B. Petrus 1. capite 2.* Quasi modo geniti infantes, lac cōcupiscite. *In hoc lacte est verus Apollo Christus &c.*

Octaua ratio, quia est famosissima.

54 FAmosissima super cœteras fuit cœna Vitellio Imperatori a fratre data, in qua duo millia lectissimorum piscium, septem auiū apposita traduntur. *Sic scribit Suet. Christi* 55 *cœna vero super omnes mundi cœnas famosissima est, & in vniuerso mundo; nam in omnem terram exiuit sonus eius, & in fines orbis terræ verba eius, & ideo vbique non pisces vel aues, sed qui pisces, & aues, & omnia pariter creauit, apponitur, scilicet Christus.*

Nona ratio, ob magnam durationem.

55 *Q V adam cœna à prima hora noctis vsque ad Solis ortum extenta est, vt narrat Sab. & alij. Nero Cæsar etiam a medio die in mediam noctem cœnas protrahebant, alij similiter longissimas habuerunt cœnas, hæ omnes ob magnam durationem magnæ vocatæ sunt: cœna Eucharistica iam supra annos mille, & sexcentos perdurauit, & durabit insuper vsque ad consumationem sæculi: ideircò iure valdè potiori, quam illæ omnes, magna dicetur.*

Decima, & vltima ratio: Quia hæc cœna etiam institutori suo, & in ea contento Christo Domino communis est, sicut etiam christianis omnibus,

56 L Vcullo soli cœnanti dum vna mensa, & cœna parata modica esset, accitum seruum, qui super his erat, obiurgauit. Volus causatus est, nemine vocato, non rectum se requirere ab eo splendorem aliquem. Quid ais, (inquit) nesciebas hodie, apud Lucullum cœnaturum Lucullum? *Plutarchus in Lucullo.*

Christus in Eucharistica cœna institutione, apud semetipsum quasi cœnasse dicendus est, ideoque lautissimam, ac splendidissimam illam esse voluit.

nitiorem cibum eius statuens corpus suum, potum verò suum sanguinem, &c.

Quales esse debent, qui ad hanc cœnam vocantur.

57 C Laudius Cœsar adhibebat omni cœnæ liberos suos cum pueris, puellisq; nobilibus. *Suetonius.*

Christus Eucharisticæ cœnæ Christianos omnes, quibus dedit potestatem filios Dei fieri, adhibet, dum tamen verè nobiles sint, nobilitate nempè virtutis, & si non sanguinis, scriptum est enim prouerb. vlt. Nobilis in portis Vir eius. Quis hoc modo nobilis esse debet, quicunque est in portis Ecclesiæ, vt Eucharistiæ cœnæ accumbat, quæ in ipsa Ecclesia fit.

Munda debet esse conscientia ad hanc cœnam recumbentis.

A *Ristophanes in Pl. ... translatus à Theatro vitæ humanæ Vol. 17. lib. 2. narrat de Antiquis quibusdam, post cœnam a Iouis* manibus inferri solere calicem Iouis seruatoris. 58

Non manus, sed animam lauare debet, qui calicem, non Iouis falsò seruatoris, sed Iesu verè seruatoris, & Saluatoris in cœna Eucharistica intrare; nam ad hoc idem signandum pedes lauit idem Saluator Discipulorum suorum, quibus in cœna ipsa eundem calicem primò intulit.

EVCHARISTIA PRIVILEGIVM CHRISTIANOR.

Magnum est Christianorum priuilegium, quòd Deus in Eucharistia contentus habitet in templo eorum, qui tamen non habitauit in templo Iudæorum.

59 A *Edificauit Salomon Deo Templum omninò quidem sumptuosissimum, magnificentissimum, dignissimum, ac celeberrimum, & ferè supra quam credi potest. De hoc enim sic scribit Cornelius à Lapide Societatis Iesu agens de mensuris, & ponderibus Hebræorum, Græcorum, Romanorum, & Hispanorum, post finem commentariorum suorum in Pentateucho.* David 1. Paral. 22. 14. reliquit Salomoni pro templo centum millia talentorum auri, hoc est duodecim cum dimidio milliones librarum auri: puta mille, & ducentos milliones aureorum francicorum, tantundem reliquit ei in Argento. Vniuersim ergo reliquit ei bis mille, & quadringentos milliones aureorum, quantū auri vix est in tota Europa. *Hæc Cornelius, & infra rursus sic.* Habuit Salomon in construendo Templo octoginta millia Ægiptiorum, & octoginta millia Phenicum, & quando eos dimisit, dedit singulis decem siclos auri, idest quadraginta coronatos francicos. Summa ergo omnium, quæ eis dedit, fuit mille millia, & insuper sexcenta millia siclorum. Præterea in hoc opere habuit centum quinquaginta millia Gabaonitarum, siue Nathineorum, & triginta millia Hebræorum, quibus, verisimile est eum tantundem dedisse, cum

cum pares fuerint in labore. Vnde in vniuersum omnibus computatis, dedit centies, & triginties centena millia aureorum, & insuper sexcenta millia, hoc est tredecim milliones, & sexcenta millia aureorum. *Hæc omnia ad litteram idem Cornel. quæ hic apponere volui, quia, sicut valde digna notatu sunt maxime ad rem nostram, sic etiam grata erunt valde (vt puto) lectoribus.*

Et si verò tale fuerit illud Iudæorum templũ, nihilominus Salomon eiusdemque Templi ædificator de illo dixit. 3. Reg. cap. 8. Ergò ne putandum est, quod verè Deus habitet super terram? Si enim Cælum, & Cœli Cœlorum te capere non possunt, quantò magis domus hæc quam ædificaui? *Hinc de Germanis narrat alius Cornelius, scilicet Cornelius tacitus, & alii cũ eo, statuas Deorum, quos colebant, minimè habuisse, neque templa, quòd, hoc malum esse arbitrarentur, & ipsis quoque Dijs indecorosum, velle, videlicet, inter muros Deos claudere, & sub minus quantũ Templi spatia eosdem coarctare, sicut etiam ad paruulam humani corporis formam restringere: vnde videntur hæc omnia confirmari ex ijs, quæ sapientes Chaldæi dixerunt Regi Nabuchodonosor de quibusdam Dijs loquentes Dan. 2. nempe, quod* Deorũ nõ est cum hominibus cõuersatio, *vel secundum Hebræorum Textum apud Vatablum:* Dij minimè versantur inter mortales: *Verum non sic Deus noster nobiscum, non sic: Ipse enim Dei filius Iesus Christus Dominus noster, postquam intra vterum Virginis humanam; & paruulam formam ex suis Sanguinibus sibi efformans, & vniens, in illo etiã nouem mensium spatio se clausit, non solum deinde nascens exterius primo visus est, & cum hominibus conuersatus est: Sed præterea pro eisdẽ hominibus Eucharistiam instituens in Cœnaculo primum montis Sion, quod fuit primum Christianorum templũ, ibi Sacramentaliter habitauit, & deinde in omnibus alijs etiã eorundẽ Templis, siue Ecclesijs totius in toto terrarũ orbe cõtinuò habitauit, & habitabit sẽper* omnibus diebus vsq; ad cõsummationẽ sæculi. *Et (quod plus est) non solum etiam in qualibet paruo templo nostro hoc modo Eucharistico habitare dignatur, sed etiam in paruo quocumque altari, & in paruulo etiam vase, quod maximum profectò est Christianorum Priuilegium, ac beneficium prorsus singulare. Hæc omnia verò ad hoc solum potissimum, vt in nobis ipsis, hoc est in corporibus, & in animabus nostris, quasi in nobilioribus, sibique gratioribus templis, semper pariter habitaret:* Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos, *inquit Paulus 1. Cor. 3. Hinc & Theodoretus ab ordinaria glossa allegatus ad prædicta Salomonis verba de Templo suo:* Ergo ne putandũ est &c. *sic ait de illo:* Non verè in illo habitabat, sed typicè: Typus enim erat, & symbolum præclari templi hominum, qui est solum augustissimum Dei habitaculum.

Quia Deus templum suum nos effecit in Eucharistia, aliud nos eidem in nobis ipsis spirituale templum construere debemus.

D*Ocet hoc S. Laurentius Iustinianus, & modum quoque his verbis.* Quoniam in medio tui habitare desiderat, spirituale ei construe Templum, non de sectis marmoribus, nec quadratis lapidibus, neq; de parietibus pictis, sed de viuis, & fulgentibus gemmis, aureisque laminis, quas rubigo non tangat, nec denigret puluis, sed charitatis purget ignis, morum disciplina detergat, & virtutũ decoret varietas: Te ipsam denique exibe pudicam, & castam, in tribulationibus probatam, stabilem in fide, eruditam in scientia, in longanimitate constantem, diligentem bonum, pacem sectantem, custodientem vnitatem, compatientem ex corde, ambulantem in spiritu, spernentem sæculum, ad cœlestia anhelantem. 60

Multum æstimare debemus quòd Christus semper in Eucharistia nobiscũ sit.

I*Dololatræ multũ æstimabant non solum Deos suos secum habere, sed etiam eorũ imagines, siue simulacra aurea argẽtea lignea, ac lapidea: & idcircò Lacedemonij ligatum Martis simulacrum asseruabant, secundum Pausaniam, & Alexandrũ ab Alexãdro, & Herculis statuã quoque aureis funibus alligabant. Et idem tradit Plutarchus de statua Apollinis. Hinc in Scripturis etiam legimus nempe Gen. 13. quòd Laban se grauiter conquestus est cum Iacob genero suo ab eo cum vxoribus fugiente.* Vt quid furatus es Deos meos? *quos tamen non ipse furatus fuerat, sed Rachel secunda vxor eius. Hinc eosdem Deos suos, scilicet, Idola diligenter quæsiuit in tabernaculo eiusdem Iacob, & in tabernaculis etiam Rachel, & Lia sororis eius, & eiusdem Iacob pri-* 61

ob primi vxoris, & in tabernaculis quoque vtriusque famulæ.

Item Iudic.c. 18. similiter habetur de ijs, qui tulerant Deos Micha quòd cum eidem Micha eos sequenti dixissent. Quid tibi vis? Cur clamas? *Ille respondit,* Deos meos, quos mihi feci, tulistis: *&c.* & dicitis, quid tibi est?

Multò magis procul dubio, & absque comparatione vlla æstimare debent veri Dei cultores, nempè fideles omnes, quòd eorum verus Deus Christus Dominus secum maneat, & mansurus sit omnibus diebus vsque ad cõsummationem sæculi *in Eucharistia, non alijs funibus ligatus, quam funibus charitatis suæ, qui solum eundem in Eucharistia cum hominibus ligarunt, & non solum, vt maneret semper cum eis, sed vt eadem etiam ipsi vescerentur in Sacramento: sicut idem testatur Osee 11. Cap.* In funiculis Adam traham eos in vinculis charitatis. *Post hæc enim verba sic ibidem subiungit.* Declinaui ad eum vt vesceretur; *idest, dedi eis esum* Corporis mei, *vt S. Hieronimus verba transfert: Vinculis enim suæ erga nos charitatis solum seipsum in Eucharistia ligauit, & eisdem pariter homines ad se traxit, nempè ad se ipsum in eadem colendum, comedendum, & bibendum. Quare nos iure verit ate cantamus:* Non est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest nobis.

EVCHARISTIA AD MARIAM RELATA.

Sanctissimæ Virgini Mariæ Eucharistia adscribenda est, tanquam ab illa etiam nobis data.

62 **A***D Mariam dicitur in Canticis Cap. 7. de Eucharistia.* Vmbilicus tuus crater tornatilis nunquam indigens poculis: Venter tuus sicut aceruus tritici vallatus lilijs. Verè autẽ *(inquit S. Ambrosius de instit. Virg.)* altus ille Mariæ crater tornatilis, in quo erat sapientia, quæ miscuit in cratere vinum suum, indeficientem cognitionis piæ gratiam diuinitatis suæ plenitudine subministrans: In quo Virginis vtero simul aceruus tritici, & lilij floris gratia germinabat, quoniam & granum tritici generabat, & lilium. Granum tritici secũdum quod scriptum est. Amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. Sed quia de vno grano tritici aceruus est factus, cõplêtum est illud propheticum. Et conualles abundabunt frumento; quia granum illud mortuum plurimum fructum attulit: Hoc itaque granum omnes homines cælestium munerum esca saturauit. Consumatum est prophetici oris eloquium, dicente eodem Dauid: Cibauit eos ex adipe frumenti, & de petra melle saturauit eos. *Sic ad litteram ibi S. Ambr.*

Ad idem.

63 *Facit pro hoc interpretatio 70. verborum illorum vulgata lectionis Prou. 9.* Miscuit vinum, & proposuit Mensam suam, *quæ de Eucharistia communiter intelliguntur: sic enim illi legũt,* Miscuit in cratere vinum suum. Quibus verbis non obscure significatur, de vtero Beatæ Virginis prodijsse, tanquam ex cratere, Christi sanguinem, qui sub speciebus vini in Eucharistia propinandus nobis exhibetur, *inquit Carthagena noster lib. 15. Hom. 11. in festo S. Mariæ ad Niues, vbi adducit etiam Cyprianum lib. 2. Epist. 3. qui eodem modo hæc verba legit, de eadem Eucharistia explicans: Et addit insuper, assimilari ventrem Virginis conuenienter crateri, quia crater vas est capacissimũ, quo in lybationibus, & solemnioribus epulis veteres vtebantur:* fuit autem Virgineus Beatæ Mariæ venter (inquit Doctor) cœlesti hoc sanguine Christi plenus, adeò, vt, quantumcunque ex eo hauriatur, ex hauriri nequeat: quia quoties Sacerdos vinum consecrat, ea est verborum eius efficacia, vt toties sanguis Christi in Incarnatione ex Beatæ Mariæ visceribus acceptus credatur, quoties sub speciebus vini aduenit. *Sic Carthagena. Et confirmantur hæc per ea, quæ scribit S. Bonauentura.* Omnes dicunt *(ait ille)* ea, quę in prima generatione accipiuntur, siuè labantur, & fluant, siuè non, integrè reparari in resurrectione. *Sic Bonauentura. Certum est verò, nunc esse in Eucharistia Christi sanguinem, sicut & ipsum Christum gloriosum ac immortalem, quomodò resurrexit, & nunc est in Cœlo.*

Ad Idem.

Hinc S. Germanus craterem sanguinis Christi 64 *interr-*

interpretabatur mammas Deiparæ.

Ad idem.

Hinc S. Basilius, & alij referunt, consueuisse Christianos olim in Columba argentea Eucharistiam consecrare, vt illam adorantes in Columba, recordarentur pariter, ac venerarentur Mariam, cui canitur. Veni Columba mea, formosa mea: ex illa enim Eucharistiam habuerant, sicut tunc ex argentea columba, in qua conseruabatur, eandem sumebant.

Ad idem.

Propter hoc Mariæ tribuuntur etiam illa verba Prou. 9. Venite, comedite panem meum & bibite vinum, quod miscui vobis, *quia scilicet, ab illa habemus modo exposito Eucharistiam. & quia etiam ipsa Virgo huius panis Vinique cælestis sumendi desiderium fidelibus immittit, vocando, & excitando, hoc est precibus suis gratiã hominibus impetrando, qua vocentur, & excitentur quicunque dignè ad Eucharistiam accedunt; & hoc docet Salazar societatis Iesu in suis commẽtarijs Prouerbiorum.* Ita enim decebat (*inquit*) vt quemadmodum Eua prior ad vetiti mortalis fructum esum virum permouit, ita etiam posterior ad panem vitæ edendum impelleret. *Et statim adducit pro hoc verba Damiani ex Sermone 2. de Natiuitate Virginis ex veteri codice ad rem magis, quam quæ in recentioribus leguntur, hæc, nimirum:* Cibum Eua tradidit, per quam nos æterni conuiuij fame mulctauit Cibum: Maria dedit, quo nobis cælestis conuiuij aditum patefecit.

Ad idem.

66 His cõsona sunt, quæ tradit Ambr. in Psal. 2. Maria *velut cælitus veniens cunctis Ecclesiarũ populis cibum dulciorem melle defluxit, quem qui edere, aut manducare neglexerit, vitam in semet ipso habere non poterit, sicut Dominus ait.* Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.

Ad idem.

Ad hoc idem Carthagena post alios de Virgine explicat illa Prou. 31. verba: Facta est quasi nauis institoris de longe portans panem suũ *Hæc est illa mulier, quæ Prou. 31. facta est quasi nauis institoris de longè, idest, Angelis per vitæ huius pelagus portans panem suum. Illud enim, de longè, distantiam inter Verbum Dei & humanam naturam, quam sibi hipostatice in vtero huius benedictæ mulieris vniuit, apprimè significat. Rectè verò huius vocat panem suum, quia sola absque viri opera illum concepit, quem apud Betlehem, quæ domus panis interpretatur, per partum suum Virgineum, tanquam ex naui in omniũ vtilitatẽ exposuit, quo in Sãctiss. Eucharistia pascimur &c.*

Ad idem.

Methodius similiter Mariam vocat altare animatum panis vitæ *idest Eucharistiæ.*

Ad idem.

Gregor. Nicomed. oratione de oblatione Virgi- 67
nis vocat illam mensam, quæ portat vitam, in qua vitæ nostræ panis propositus, ambrosia pauit eos, qui illius fuerunt participes.

Ad idem.

Damascenus Orat. 1. de dormit. Beata Maria eandem pariter vocat mensam; ex qua ille panis vitæ, ac cœlestis nullis agricolæ manibus excultus, fructus corporeo modo pullulauit *Et paulò inferius sic illam alloquitur.* Nam tabernaculum quidem Abrahæ te apertissimè iudicabat; Etenim verbo Domino in ventre tuo tanquã in tabernaculo habitãti humana natura subcinericiũ panem, hoc est sui primitias expuris tuis sanguinibus obtulit a Diuino igne quodammodo coctas, panemque effectas &c.

Ad idem.

S. Epiphanius in Sermone de laudibus 68
eiusdem Virginis, de illa sic scribit. Est Clibanus intellectualis qui ignem, & panẽ vitę calidũ mundo in esũ attulit, de quo Saluator mũdi Christ' ait. Accipite: comedite: hoc est Corpus meũ, quod pro vobis frangitur in remissionẽ peccatorũ. Locuples est, charissimi, virtutib' plena mẽsa Virginea, optimis quibuscũque cibis abundans, quibus terra fruatur.

Ad idem.

Rursus idem ipsam Virginem pro Eucharistia

B 2 *sub*

[illegible] plena, quia eo Dominus [illegible] ha cælesti. Aue gratia plena, quæ [illegible] perennis fontis dulcedine [illegible].

Mariæ Eucharistia sic tribuitur, quia Christus, qui in Eucharistia est, idem est cum Maria.

69 *Alia ratio principalis, cur Eucharistia Mariæ tribuitur, hæc est, quia, nimirum, Christus, qui solum in illa est, tanquam filius eius, & ex purissimis eius sanguinibus efformatus, vnum & idem cum ipsa est. Docet enim Aristoteles [illegible] filium partem esse, & membrum parentis, & idem cum ipso.*

Præterea de Christo, & Maria sic scribit signanter Beatus Petrus Damianus cum alijs 1. Serm. de Nat. Virginis. Deus inest vni creaturæ identitate, videlicet Mariæ Virgini, quia idē est cum ea. *Sic ille, & ratio est, quia Dei filius, etiam verus filius est eiusdem Virginis. Talia cogitasse videtur Imperator quidam, qui ad mortem infirmatus, cum Eucharistiam habere non posset, eiusdem Virginis Mariæ imaginem, quam in sinu gestabat, cum lachrymis vice Eucharistiæ sumpsit. Sic enim de eo scribit Theatrum vitæ [illegible] Græcorum libro 9.* [illegible] Imperator [illegible] cum spiritum deficere sentiret, & propter intempestam noctem, neminem reperiret, qui sibi Diuina mysteria impertiret, surrexit, & gratias egit Deo, & pro salute animæ suæ cum multis lachrymis, deprecatus Sacratam Dei genitricis imaginem, quam in sinu gestabat, loco Diuinorum mysteriorum in os inseruit, cumque in lecto consedisset, statim priusquam diluxisset, est defunctus.

Item quia voluntas Mariæ cum voluntate Christi conspirauit in institutione Eucharistiæ.

70 *Alia adhuc ratio propter quam dicitur Mariā Eucharistiam nobis dedisse, cum tamen à Christo, [illegible] institutam de fide nouerimus, hoc modo assignatur ab eodem Salazar loco citato.* Cū voluntas Virginis ad confectionem Eucharistiæ cum filij sui voluntate conspirauerit, & filio suo ad eum modum in cibum, potumque donandi, & offerendi assenserit (quod ita euenisse certum est) satis profecto id esse debet, vt ab illa panem cælestem nobis donatum, & pro nobis oblatum omnino [illegible], & asseueremus. Quia hostiam & donum, quod sub speciebus panis, & vini nobis conferetur, idest Domini Corpus, & Sanguis, vere illius esse, & ad illam pertinere fatemur. Quapropter cum accesserit voluntas spontanea, & libera donationi, & oblationi eius, quod suum erat, nihil sane de est, vt perfectissimè donasse, & obtulisse dicatur. *Sic ille, & statim pro hac eadem ratione affert prædictum Epiphanium in prædicto Sermone sic scribentem.* Virginem appello, velut Sacerdotem pariter, & altare, quæ quidem mensam ferens, dedit nobis cælestem panē Christum in remissionem peccatorum. *Hæc Epiphanius. Postque immediate subdit prædictus Doctor, Virginem in donatione, & oblatione cælestis panis, velut Sacerdotem fuisse, quod non alia ratione verum est, nisi quia cum filio pariter donauit, atque obtulit Sacramentum simul, sacrificiumque confecit.*

Item quia eo modo sub speciebus Sacramentalibus constituitur, quo in Virginis vtero factus est homo.

71 *Idem Doctor paucis quibusdam interiectis, aliam rationem sic assignat, ob quam hoc sacrosanctum Sacramentum Virgini debemus: quia [illegible]* Patres modum tradentes, quo Sanguis, & Corpus Christi sub speciebus Panis, & Vini constituitur, ad eum modum fieri dicunt, quo idem Christus Spiritus Sancti obumbratione, in Virginis vtero, ac purissimis visceribus genitus est. *Sic ille. Postea allegat Ambros. lib. 4. de Sacra. [illegible] sic [illegible]* Quia voluit Dominus, qui hoc elegit Sacramentum, De Spiritu Sancto, & Virgine natus est Christus. *[illegible] Angelicum Doctorem in opusc. de [illegible] allegantem.* Quomodò fiet istud (ait Virgo) quoniam virum nō cognosco? Respondit autem Angelus. Spiritus Sāctus superueniet in te &c. & tu quæris, quomodo panis fiat Corpus Christi: & [illegible] Spiritus Sanctus superueniet, [illegible] hæc, quæ super naturam sunt, [illegible].

Ad

Ad idem.

Ante Damasc. Clemente docuit hoc ipsum. *Damasc. de fide Orthod. lib. 4. cap. 14. his verbis.* Sane Corpus diuinitati verè vnitum est, Corpus, quod ex Sancta Virgine ortum est: non quod assumptum illud Corpus è Cœlo descenderit, sed quia panis ipse, & vinum in Corpus, & Sanguinem Dei immutantur. Quod si quo pacto id fiat, requiris, sat tibi sit audire, quod per Sanctum Spiritum id fiat, quemadmodum ex Sancta Dei Matre per Spiritum Sanctum Dominus sibi ipsi, & in se ipso carnem condidit: Nec quidquam amplius nobis perspectum, & exploratum est, quam quod verbum Dei verum est, & efficax, atque omnipotens, nam modus huiusmodi ist est, vt nulla ratione indagari queat. *Sic Damascenus.*

Ad idem.

Hinc ipsa Virgo hac de causa Ecclesiastici Cap. 24. transite ad me (*inquit*) omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis implemini. *Ipsius enim Virginis verba sunt de Eucharistia ad fideles, & valde mysteriosa, ac notabilia:* Inuitantur enim ad Eucharistiam (*inquit Carthagena ad hæc verba, vbi supra*) à Beata Virgine illi, qui eam concupiscunt, qui scilicet peculiari reuerentia, & affectu eam prosequuntur. Et à generationibus meis implemini, idest, à filio meo; quem genui, explete vestrum desiderium in Sanctissima Eucharistia: per quam tot bona in Ecclesia communicantur. *Sic ille verba exponit.*

Accedere ad Eucharistiam, est accedere ad Mariam, quia ambo quasi vnum, & idem sunt.

72 *Hebraica lectio horum verborum hæc est apud Vatablum,* Accedite ad me omnes cupidi mei, & facite, vt fructibus meis impleamini, *Ad Eucharistiam vocans nos Virgo, ad se vocat, & primò:* Accedite ad me, *ait, postea,* A generationibus, *vel à* fructibus meis implemini, *quia Christus fructus Ventris sui, & ab ea genitus, tanquam verus filius eius (Sicut & filius Dei) est vnum, & idem cum ipsa Matre, vt iam diximus, & ideò ad filium accedere, est accedere ad Matrem: sumere ipsum est quodammodo sumere Matrem. Vnde post hæc verba Virgo subiunxit de se ipsa, & de Eucharistia:* Qui edunt me, adhuc esurient, & qui bibunt me, adhuc sitient. *Quia comedit illam aliquomodò, & bibit, qui filij sui corpus, & sanguinem sumit, & idem cum ipsa comedit, ac bibit: & etiam, quia quò magis quis dignè vtrumque sumit, eò amplius sumere desiderat, propter admirabilem suauitatem, & fructum, quem ex ipso Sacramento percipit.*

Solum deuotos suos Virgo Maria ad Eucharistiam vocat.

Rursus est notandum, videlicet: Non omnes à Maria ad Eucharistiam inuitari, sed solum illos, qui eam concupiscunt modo exposito, scilicet, qui ei peculiari reuerentia, & deuotione adhærent: Hi enim soli Eucharistia digni sunt; nec filium eius filium verè diligere, ac venerari, qui & Matrem simul non diligit, & veneratur; Ideò ad se prius vocat, quos ad Eucharistiam inuitat: prius accedere ad illam debemus deuotionis affectu, quam ad ipsam Eucharistiam accedamus, vt sic Eucharistia eadem, & fructu eius nos adimpleamus. Vnde in hebraica translatione, cupidos suos vocat, quos accedere ad Eucharistiam desiderat. Accedite ad me omnes cupidi mei, *idest, amantes mei, amatores mei, deuoti mei: Quia verò tales esse non possunt, qui in peccatis commorantur, ideò transire iubet, quos accedere suadet ad se ipsam, & ad filium eius in Eucharistia:* Transite ad me omnes: Accedite ad me omnes. Transite ad me (*inquit Vigo Cardin. hæc de ipsa Virgine explicans*) omnia quæ mundi sunt transiliendo, sicut Ceruus ad fontem properans; *Eucharistia enim, & Sancta Virgo fontes Spirituales dicuntur, vt notum est: ideò qui ad illos accedit, mundana transilire debet, secundum Vigonis sententiam.*

Maria ad se vocat communicaturos, vt per illam dignè, ac fructuosè communicent.

Vel alio modo adhuc ista moralizari possunt. 73
Ad se vocat Virgo communicaturos, quia ipsius merita, & preces valde conferunt ad dignam communionem, & ad abundantiorem fructum, & vtilitatem ex illa obtinendam: Vnde in liturgijs, siue missis S. Iacobi, & in alijs multæ fiunt Orationes ad ipsam Virginem pro digna oblatione, & communione, vt videre est in Biblio-

in Bibliotheca veterum Patrum, qualis etiam est illa in liturgia S. Ioannis Chrisostomi, quam loco prænominato sic recenset Carthagena. Intercessione Immaculatę Dominę nostrę Deiparæ, & semper Virginis Mariæ, dignum me fac, vt sine condemnatione accipiam immaculatum tuum donum in remissionem peccatorum, in vitam æternam.

Maria super Eucharistiam quasi principatum habet, & in eadem à Christo singularissimè honorata est.

75 *Tandem, non immeritò vel leuiter dixerimus, Beatam Virginem ad Eucharistiam liberè vocare omnes deuotos suos, & ad se ipsam prius, nam super eandem Eucharistiam quasi principatum quendā habet, & supremā authoritatem: ideoq; ad se ipsam primò accedere præcipit eos, qui ad Eucharistiam accedere statuunt, quasi pro licentia, ac benedictione. Et si enim ex tribus, quæ cum Christo in Eucharistia sūt, nempè, eius Diuinitas, anima, & corpus, Diuinitas secundum se verè, ac realiter primum locum teneat, & secundum anima, tertium verò ipsum corpus, tanquam vtroque valdè inferius, nihilominus, inquantum hæc tria sunt in ipso Sacramento sub panis, ac vini speciebus, primum locum habet ipsum Corpus Christi, Diuinitas verò, & anima eiusdem, secundum, tanquam concomitantia ipsum, vt notum est: Hoc est dictu, ex vi verborum consecrationis non est in Eucharistia nec Diuinitas, nec anima Christi, sed solum corpus sub specie panis, & Sanguis sub specie Vini. Diuinitas verò, & anima sub vtroque, sunt concomitantia solum, vt dictum est: sicut, & Sanguis sub panis specie, & corpus sub specie vini Poterat absque dubio Christus, has consecrationis verba statuere: Hoc est corpus Diuinum, vel, Deificatum: & tunc verò ipsa Diuinitas sicut verò est principalis super animam, & super corpus, ita principalis fuisset in ea, nempè ex vi verborum Similiter si dixisset: Hoc est corpus animatum, anima tunc, non corpus, neque Diuinitas, vt principalis, & ex vi verborum in Eucharistia fuisset.*

Quare, cum corpus solum ex Maria sumpserit, non animam, neque Diuinitatem, vt illam propter hoc magis, ac magis honoraret, voluit, vt ipsum corpus prout in Eucharistia est, tam anima, quam etiam Diuinitate sua esset quasi principalius, ac dignius, & in eo ipsa Virgo tanquam in re sua, & vno etiam, & eodem cum seipsa (vt probatum est) quasi Dominium haberet, ac principatum.

Alia specialis ratio, ob quam Sanctissima Virgo Eucharistiam suā vocat, & tanquam ad suam nos inuitat.

Iure meritò Sanctissima Virgo Eucharistiam 76
suam vocat, & tanquam ad suam nos inuitat illis vocibus Prou. 9. Comedite panem meum, & bibite vi..m, ..od miscui vobis, *& illis pariter Ecclesiastici iam relatis*: Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis implemini. Adumbratur enim per fœminam illam Euangelicam (inquit loco citato Carthagena alios adducens) quæ acceptum fermentum, abscondit in farinæ satis tribus: Habetque fundamentum hæc comparatio in eo, quod Christus Dei filius in vna persona Verbi triplicem habuit substantiam, nempè naturam Diuinam, animam rationalem, & corpus, quorum fermentatio, siue vnio admirabilis absque naturarum confusione in eius vtero est celebrata: Ibi enim Deus homo factus est, id, quod fuit, permansit, & quod nō erat, assumpsit, nō commixtionem passus, neque diuisionem.

Simile est Regnum Cælorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus &c. Hæc sunt Euangelica illa sata farinæ (*inquit Bernardus*) quæ pariter fermentantur, vt fit panis Angelorum, quem manducat homo, panis cor hominis confirmās, fœlix mulier, benedicta in mulieribus, in cuius castis visceribus, superueniente igne Sancti Spiritus coctus est Panis iste: fœlix, inquam, mulier, quę in hæc tria sata immisit fidei suæ fermentum: Siquidem fide concepit, fide peperit, & (vt ait Elisabeth.) beata, quæ credidit, quoniam perfecta sunt in ea, quæ dicta sunt ei à Domino. Nec mireris quod fide eius mediante, vnitum dixerim Verbum carni, quandoquidem, & carnem ipsam de eius carne suscepit: Sanè nec hoc quidem præsenti expositioni obuiare potest, quod de Cœlestis Regni similitudine dicitur, neque enim indignum videtur, si Cœlorum Regnum fidei Marię comparatur. *Hæc Sanctus Bernardus ad rem nostram.*

Quia ergo Virgo in vtero suo, & ex purissimo sanguine suo pariter, Christum, qui ipsa Eucharistia est, concepit, & postea peperit, idcircò suam in scripturis vocat Eucharistiam, & tanquam ad rem suam, ad illam inuitat fideles omnes, dicens

illis;

uini: Comedite Panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis. *Item*. A generationibus meis implemini.

Eucharistia Mariæ est, quia Christum in ea contentum lactauit.

77 *Augustinus in Serm. 1. in festo Natiu. Domini & alibi etiam sic Mariam alloquitur*. Lacta mater cibum nostrum, lacta panem de Cœlo venientem. *Hinc, & B. Petrus Damianus in Serm. 2. Natiuit. eiusdem Virginis hoc modo de eadem exclamat*. O beata Vbera, quæ dum tenue lac puerilibus labris inpendunt, Angelorum cibum, & hominum pascunt.

Item Aloysius Nouarinus in sua vmbra Virginea, excursu 45. hæc de illa tradidit inter alia ad rem præsentem. Gaudio summo perfundebatur Virgo filium lactans, gaudiumq; augebat, considerans lac, quòd præbebat, in Sanguinem vertendum, quæ in generis humani salutem esset suo tempore filius effusurus: Gaudium augebat, quia sciebat Virgo, illud lac, quod filius sugebat, purarum animarum delicias futurũ: Nam in filij corpore in Carnem sanguinemq; erat vertendum, qui in Eucharistiæ sacramento, animarum cibus, potusq; fieri deberet.

Ergo quicunq; Christi Sanguinem bibit, & carnem comedit, debet etiam Virgini gratias agere, quæ hęc eidem exibuit: Quòd si Virginis vbera extulit mulier illa in Euãgelio, quæ adhuc nec Christi Sanguinem biberat, nec carnem comederat, quam par est a nobis ea vbera beatificari, benedici, celebrari, ac coli, qui Eucharisticæ mensæ assidemus, in qua Caro, & sanguis nobis porrigitur ad vitam ad delicias *Sic ille, & pergit confirmare, quæ tradit ex ricardo a S. Laurentio; qui verba prædicta mulieris*. Beatus venter, qui te portauit, & beata vbera, quæ suxisti, *sic expendit*. Quod si beatificat eam illa mulier, quæ adhuc Carni, & Sanguini eius cõmunicare non meruit, longè magis a nobis beatificanda est, qui de eius Carne, & sanguinè refic mur altari. *Et postea sic infert prædictus Nouarinus*. Igitur post Deum Virgineo hacti debemus, quòd Sanguinem Christi bibimus, & carnem eius comedimus in augustissimo Eucharistiæ Sacramento. Quis igitur Virgini ob istud beneficium non sit gratus? Vere beata vbera, quæ Dei filius suxit, sed & nos beati, ac verè fælices, quibus ille in cibum, & potum offertur, quem Virginea vbera lactauerunt.

Quia Eucharistiam à Maria recognoscimus, in honorem eiusdem potissimum illam Deo offerimus.

Quidam (*referente Alexandro lib. 4. cap. 14.*) 78
bonæ Deæ nocturno tempore sacra faciebant, carnesq; immolabant, maledictis, & probris Deam incessentes: *Dea quidem verè non est Beata Virgo, sed est tamen Dei Mater alma, & præterea Dea etiam vocatur hac ratione præsertim à Francisco Petrarca, & ab alijs, quia cum ex sententia Petri Damiani, & aliorum, Dei filius in ea fuerit identitate, & identitatem ea (vt sæpe dictum est) Dea & ipsa vocari potest, quantum Deitas pura Creaturæ potest conuenire: & bona quidem Dea, hoc sensu est, immò, & optima, nam, optimam partem elegit sibi Maria. Nos Sacra facimus, & carnem eiusdem filij sui immolamus, & nocturno, & diurno tempore, cum Eucharistiam offerimus, in qua, & caro & sanguis est eiusdem filij sui, & non quidem eidem Virgini, sed Sanctæ Trinitati, veruntamen ob memoriam eiusdem filij sui, & in honorem ipsius Virginis; & omnium Sanctorum in ipsa immolatione dicimus*. Suscipe Sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offerimus, ob memoriam passionis, resurrectionis, & ascensionis Iesu Christi filij tui Domini nostri; & in honorem Beatæ Mariæ semper Virginis, & omnium Sanctorum &c.

Quidam placentas falsæ Reginæ Cæli sacrificabant, alij in nomine Mariæ similiter sacrificia offerebant.

Non solum ad honorem veræ Cæli Reginæ Ma- 79
riæ Eucharistiam Deo immolamus: Hieremiæ 7. legitur. Filij colligunt ligna, & patres succendunt ignem, & mulieres conspergunt adipem, vt faciant placentas Reginæ Cœli. *Sanctus item Epiphanius contra hæreses lib. 3. Tom. 2. hæresi 78. Hæc scribit*. Quædam mulieres illic in Arabia à partibus Thraces, hic vanitatem inuexerunt, vt in nomine semper Virginis collyridem quandam sacrificent, & simul congregentur; & in nomine Sanctæ Virginis vltra modum quid tentent aggredi, nephario, ac blasphemo negotio: & in no-

nune

quiæ ipsius sacra celebrent per mulieres, quod totum impium est, ac nepharium, & alienum à prædicatione Spiritus Sancti. *Idem idem hæresi 79.* Quædam enim mulieres currum quendam siue sellam quadratam ornantes expanso super ipsum linteo, in die quadam illustri anni, per aliquot dies panes proponunt, & offerunt in nomine Mariæ. *Sic Epiphanius. Sunt quidem hæc omnia, quæ ille recenset, impia, ac nepharia, sicut id etiam, quod ex Hieremia retulimus de placenta illa: Verumtamen, quæ narrat Epiphanius, originem habuerunt ex indiscreta mulierum illarum ad veram cœli Reginam Mariam deuotione, & hac ratione fortasse, quia nimirum, & ipsæ ab eadem Virgine recognoscendam cognouerunt Eucharistiam, cum ex eadem ortus sit Christus Dominus in illa contentus; Placentæ item, quas recenset Hieremias à mulieribus superstitiosa Reginæ Cœli sacrificatas, vmbram quandam habuisse videntur Eucharisticarum placentarum, quas non mulieres, sed viri soli nempè, Sacerdotes Deo solum offerunt, in honorem tamen Mariæ veræ Reginæ Cœli, & terræ.*

Concluduntur omnia prædicta de Eucharistia, & Maria per orationem ad ipsam Virginem.

Concludamus tandem ea, quæ hoc loco de Eucharistia, & Maria adduximus, ad ipsam Virginem pro ipsa Eucharistia orantes hoc modo, quo etiam prædictus Aloysius vmbram suam Virgineam concludit.

Post Deum, & tibi, Dei Mater, debemus, 80
quod celesti hoc pane nutrimur, Eucharisticis beamur delicijs. Tu vera arca es, quæ manna verum ita continuisti; vt nobis quoque curares exhiberi. Debentur tibi pro hoc munere gratiæ. Optine, ò beata, vt assidere huic mensæ possimus; Eucharisticum hunc panem, qui in tuo vtero præparatus est, ad vitam eligere, vt illius esu, sanctiores quotidie facti, purioresque; cœlo tandem donemur æterna tecum gloria ibi potituri. Amen.

AMOR CHRISTI IN EVCHARISTIA.

Amor Christi in Eucharistia eundem viuum comestibilem, & potabilem fecit.

81 DEum, qui valdè bonus, humanus, benignus, ac liberalis est, dicere solemus, quòd se viuum comedere faceret: talis erat Iob, ideo de illo dixerunt viri tabernaculi sui, cap. 31. Quis det de carnibus eius vt saturemur? *Hoc autem in figuram illius, qui de se ipso ad Patrem in veritate dixit.* Zelus domus tuæ comedit me *Psal. 68. in Eucharistia, nimirum: Id est, secundum S. Bernardinum nostrum Serm. 54. in cœna Domini, art. 1. cap. 1.* Immensus animarum zelus, & zelans amor, me comestibilem fecit, *sic ille. Amor ergo Christi immensus ad homines eum in Eucharistia comestibilem fecit, & non solum comestibilem, sed etiam potabilem & utroque modo viuum: & hoc in tempore acerbissimæ, & ignominiosissimæ simul passionis suæ, quando* opprobria exprobrantium Deo, vel, vituperia improborum, *vt habet Hebrea lectio,* ceciderunt super eum: *quando homines sic contra eum fuerunt inhumani, & crudeles, vt post innumera tormenta, & ludibria, ipsum etiam crucifigerent: tunc (dico) ob immensum erga eosdem amorem, & salutis eorum zelum, se ab eisdem viuum comestibilem fecit, quod vehementer nimis eundem amorem, & zelum exagerat. Ideoq ait ad Patrem:* Zelus domus tuæ comedit me, *vel* exedit me *Hebraicè, vel* consumpsit me *Chaldaicè. Idem addit statim:* & opprobria &c. Zelo quippe tui captus est *(inquit Iustinianus Ecclesiasten allequens)* & abs te se absentare nō patitur. *Hinc S. Ioannes cap. 13.* Cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. *Hoc est, secundum eundem Bernardinum ibidem; & alios,* maiora signa dilectionis ostendit eis more, scilicet, veri amantis & amici cordialis: Nam quæ in fine mutuorum recessuum inter Amicos in signum perpetuæ amicitiæ, ac memoriæ celebrantur, fortius, ac firmius memoriæ imprimuntur, & charioria retentur, atque seruantur: *& infra:* In illo feruoris excessu, quando paratus erat, pro nobis in morte tradere vitam suam, ex excessu amoris maius opus agere coactus est, quam vnquam operatus fuit ab origine mundi, dare nobis corpus in cibum, & sanguinem suum in potum *Idem S. Bernardinus ibi cap. 2.* Quasi non suffecerit amoroso Iesu ad inebriari sui amoris ostensionem, quod semel sanguinem suum sacrum pro nobis

realiter

realiter effudit in ligno, nisi in nobis quotidie effundatur sub Sacramento, & iterum quodammodo moriatur: *Hinc S.Chris. hom. 24. 1.Cor.1. prædictum Iob locum allegans,sic de Eucharistia scribit:* Hoc corpus nobis dedit, & tenendum,quòd fuit intensæ dilectionis: Nam quos amamus, etiam mordemus sæpius: Quamobrem Iob quoque seruorum suorum amorem in ipsum indicās, dicebat, quòd sæpe illi ipsum valde amantes, dicebant: Quis dederit nobis impleri eius carnibus? Sic etiam Christus nobis dedit, vt impleremur eius carnibus, ad maiorem nos attrahens amicitiam.

Ad idem.

82 Nec verò cum Saluator noster Deo Patri se ipsum in ara crucis oblaturus esset, vllam suæ erga nos immensæ charitatis illustriorē significationem dare potuit, quam cum nobis visibile sacrificium reliquit, quo cruentum illud semel in Cruce paulò post immolandum instauraretur, eiusq; memoria vsq; in finem sæculi quotidie summa cum vtilitate ab Ecclesia per vniuersum orbem diffusa coleretur. Sic S.Ecclesia in Cath.& rursus ibidē: Fideles hoc Sacramēto Christi Saluatoris nostri perfectissimam charitatem experiuntur, eius enim bonitatem maximè decuit,naturam,quam à nobis sumpserat, à nobis nunquam subtrahere, sed quantum fieri posset, esse,versarique nobiscum velle, vt illud omni tempore verè & propriè dictū videretur. Deliciæ meæ, esse cum filijs hominum.

Ad idem.

83 Quodam tamen præcipuum idem mediator suæ volens conferre Ecclesiæ, quod nunquam noscitur fuisse collatum, corpus illud visibile, palpabile, & mortale, quod susceperat Verbum,communicauit in cibū. Tale siquidem munus, taleque dilectionis pignus suæ,iturus ad Patrem,Ecclesiæ dereliquit: Hoc autem illi solatium præstitit, hoc ardentissimæ charitatis indicium demonstrauit, quatenus visibilis humana eius absentia illi fieret tollerabilis. *Sic Iustin.lib. de triumphali Christi Agone cap.2.*

Et rursus in sermone de Eucharistia.

Quod autem susceperat propter nos, in peregrinationis solatium, in dilectionis signum,in mysterium credulitatis,in testimonium miserationis, in pignus fœderis, in fraternitatis vinculum, & in pretium nostræ redemptionis exhibuit: se namq; visibilem, se in altaris mensam manducabilem fecit. *Hæc ille.*

Maximo feruore desiderauit Christus conuiuium Eucharisticum exhibere nobis.

Ioseph in Egypto fratribus conuiuium exibuit, sed in meridie. Quoniam mecum sunt comesturi meridie. *Gen. 43. dixit de illis: Ad quid in meridie? Mysticè ad præsignandum Eucharisticum conuiuium ex multorum Patrum sententia: feruet sol in meridie, & Christus in feruore charitatis (vt quidam ait) nos,quos fratres vocauit,ad suum conuiuium inuitauit. Vnde Iustinianus loco citato de Anima eiusdem Christi,& ratione huius cōuiuij.* Tota feruore ebria, charitate feruida, iucunda exultatione in lætissimæ iubilationis voce prorupit, & ait, desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar. 84

Hinc S.Augustinus cum alijs illud psalmi 20. Desiderium cordis eius tribuisti ei, *de Eucharistiæ institutione explicans, quæ est pascha mysticam,vocat illam desiderium cordis Christi ob amorem,vt in proprio sermone diximus.* Desiderauit manducare Pascha *(inquit Augustinus)* & ponere cum vellet, atq; iterum cum vellet,sumere animam suam,& dedisti ei. 85

Hoc est omne desiderium Christi,de quo Psal. Ante te omne desiderium meum. Quodnam est Christi desiderium? *Inquit S. Chrisostomus hoc loco: & respondet statim.* Pascha pro nobis peragere, *& ideo dicebat Apostolis.* Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum antequam patiar. Non solummodo Pascha, sed hoc in quo cum præterisset figura, peracta erat veritas.

Aquæ tormentorum & passionis Christi non potuerunt extinguere charitatem eius pro Eucharistia, sed potius illam accenderunt magis.

86 *Cant.8.* Aquæ multæ *scilicet tormentorum, opprobriorum, & mortis Christi*, non potuerūt extinguere charitatē eius, *quæ ad Eucharistiæ institu-*

institutionem illam induxit. Non potuerunt extinguere, sed accendere potuerunt, & de facto accenderunt eam magis ac magis, sicut aquæ guttæ, quas in ignem suum fabriferarij proijciunt, eundem magis incendunt. Verè aquæ multæ sunt innumeræ ferè, quæ in sua passione pro nobis sustinuit, adeo vt, hæ aquæ intrasset vsq. ad animam eius dicantur, & ille in profundum maris venisse, & à tempestate absorptus. Veni in altitudinem maris, & tẽpestas demersit me: *Attamen hæ multæ maris aquæ, & tempestas eius, charitatem ipsius non solum non extinxerunt, vel paululum, sed multum potius accenderunt. Vnde illam instituens, Discipulis dicebat:* Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscũ: Discumbentibus .n. discipulis *(inquit S. Leo serm. 7. de pass. Domini)* ad edendum mysticã cœnam, cum in Caiphæ atrio tractaretur, quomodo Christus posset occidi, ille corporis, & sanguinis sui ordinãs Sacramentũ, docebat, qualis Deo hostia debet offerri, nec ab hoc quidem mysterio traditore submoto, vt ostenderetur nulla iniuria exasperatus, qui in voluntaria erat impietate persiturus.

Ad idem.

87 Mira res *(inquit S. Iustinianus lib. de agone Christi cap. 1.)* proximus erat passioni, nouerat quantas ferre debebat contumelias, & tamen ex hilaritate cordis se noluit continere, quin desideriorum suorum æstus exprimeret: Attendebat aliorum commoda, proprij immemor ludibrij: præter vsitatũ, & comunem naturæ ordinem est, vt homo morti vicinus exultet, & obliuiscatur sui: Hinc magnanimitas, hinc charitas, hinc Redemptoris declaratur diuinitas: pœnarum quippè intrepidus, & discipulorum profectus sollicitus, atq; amoris flamma succensus, qualis latebat intus, per oris apertionem manifestauit foris. Vt igitur ignem igne, desiderium desiderio, & amorem excitaret amore, inquit. Desiderio desideraui &c. *sic Iustinianus.*

Ad idem.

Tunc desiderio desiderauit Christus hominibus multis modis benefacere, vitam eis tribuens, & potum tradens, quando homines per oppositum multis modis eidem malefacere desiderio desiderabant, & mortem illi inferres, quando, Hieremia teste, cap. 11. illi cogitauerunt super eum consilia, dicentes, mittamus lignum in panẽ eius, & eradamus eum de terra viuentium, & nomen eius non memoretur amplius. Quia aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem eius, *quin potius succenderunt. Chaldaica enim paraphrasis horum verborum:* Aquæ multæ &c. *talis est.* Dixit dominator seculi Populo suo domus Israel quamuis congregentur omnes populi, qui comparati sunt aquis maris, quæ sunt multæ, non poterunt extinguere miserationes meas &c. *sic translatio illa: Miserationes verò hæ dominatoris seculi Christi Domini illæ sunt, de quibus Psalmista ait* Misericors, & miserator Dominus escam dedit timentibus se, *quas non potuerunt impedire omnes populi, quamuis aduersus ipsum in passione congregarentur, sed eas potius prouocarunt, & incitarunt. Vndè propter hoc idem Psalmista sic interrogat conquerendo:* Quare fremuerunt gentes, & Populi meditati sunt inania: Astiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius. *Quia scilicet,* aquæ multæ passionis, & mortis eius non potuerunt extinguere charitatem eius.

Ad idem.

Aqua in magna copia proiecta super sacrificium Eliæ impedire non potuit, quin cœlesti igne consumaretur. Elias Deus Dominus *interpretatur, ideo Christum Deum & Dominum figurauit, cuius passionis aquæ sacrificium Eucharisticum, quod de seipso fecit, impedire non potuerunt, quin amoris eius igne perficeretur.* 88

Ad idem.

In libr. 2. Mac. c. 1. legitur. Sacrificia, quæ imposita erãt, iussit Sacerdos Neemias aspergi ipsa aqua, & ligna, quæ erant superposita. Vtq. hoc factum est, & tempus affuit, quo sol refulsit, qui prius erat in nubilo, accensus est ignis magnus, ità vt omnes mirarentur: *Christus Dominus Sacerdos secundum ordinem Melchisedech voluntariè aquam passionis, ac mortis super se tulit: ex hac verò non extinctus, sed accensus est ignis magnus charitatis suæ pro Eucharistico sacrificio &c.* 89

[illegible] tertium [illegible]

Christus:

Christus in Eucharistia se verissimum, ac perfectissimum amicum nostrum demonstrat.

90 *Legitur Ecclesiastici.6.* Est enim amicus secudũ tẽpus suum, *vel* in tempore suo, *vt in Hebreo habetur, id est, quandiu tempus est ei opportunum, & commodum honori, & vtilitati ipsius: nõ durat verò, vel perseuerat in tempore aduersitatis, siuè paupertatis alterius amici. Non sic Christus Dominus; non sic; quia sic verus est amicus noster, sicque perfectè nos amat, vt etiam ipse amor dicatur. Nam:* Deus charitas est: *permansit enim in tempore non solum tribulationis, & aduersitatis nostræ communis, ac multiplicis, qua à nte aduentum eius premebamur, sed etiam in tempore summæ tribulationis, & aduersitatis suæ, hoc est, suæ passionis, ac mortis, & non solum permansit; sed talem tunc se magis exhibuit, Eucharistiam instituens pro nobis: cum enim dilexisset nos, in finem vitæ suæ, magis nos dilexit, maiora hæc amoris sui erga nos argumenta nobis exhibens, vt iam diximus.*

Ad idem.

91 Est amicus socius mensæ *(inquit ibidem scriptura)* & non permanebit in die necessitatis: Quales nẽpe sunt, parasiti, adulatores, & hi qui epulis delectantur: Hi non permanent in amicitia tempore necessitatis & tribulationis, *vt dicit Iansenius hæc verba explicans; Christus verus amicus est, quia non corporalis mensæ est amicus, sed est Mensæ Eucharisticæ amicus, in qua nobiscum permanet* omnibus diebus vsq; ad consumationem seculi, *quia omnibus diebus etiam vsq; ad consummationem seculi, illius magnam necessitatem habemus, siquè & multis impetimur semper tribulationibus.*

Omni tempore diligit, qui amicus est, *inquit, & Salomon Prou.17. Verus ergo amicus noster Christus est, qui cum dilexisset nos semper, in toto vitæ suæ tempore, in tempore mortis singularius nos dilexit, Eucharistiam pro nobis instituens, quod est summi amoris opus, & manifestũ signum. Dicebat enim & Cicero:* Nihil difficilius, quam amicitiam vsq; ad extremum diem permanere.

Ad idem.

92 *Hinc ergò manifestè colligitur, verum non esse amicum, sed solo nomine amicum vt inquit idem Ecclesiasticus, & similiter non verè amare eum, qui est amicus mensæ, quia non omni tempore diligit, sed tempore mensæ tantum, & non permanet in die necessitatis, vt scriptura subdit, nec similiter illum, qui est amicus secundum tempus suum, siuè in tempore suo, qui illo transacto non permanet in tempore tribulationis amici: quia verus amicus omni tempore diligit, & in tempore etiam tribulationis, & necessitatis illius: imò tunc eius vera amicitia & amor magis elucet, & cognoscitur ab omnibus: Vnde post prædicta Salomonis verba,* omni tempore diligit, qui Amicus est, *subditur immediatè,* & frater in angustijs comprobatur. *Vel Hebraicè.* Ad angustiã *vel,* In angustiam nascetur; *vel,* natus est, *siuè apud Pagninum.* Propter angustiam remouendam nascitur. *aut Chaldaicè* Ad tempus, angustiæ natus est. *Prout enim & hæc posteriora de amico intelliguntur, hunc sensum faciũt:* Frater in angustijs comprobatur, *amicus paternum animum erga amicum gerit, eiusque fides in angustijs, & calamitatibus exploratur. Vel sic. In omne tempus diligit, & qui, in angustijs, & calamitatibus persistat in gratia, omnino fratrem se esse prodit, quasi dicas, & in angustijs frater esse cõuincitur: Sic Salazar hoc loco, & adducit pro hoc statim Socratis dictum à maximo relatum:* Amicos ex vitæ calamitate, & periculorum participatione probato, aurum enim in igne probamus amicos autẽ in rebus aduersis dignoscimus: & *similiter illud Ouidij ab Isocrate sumptum,*

Scilicet vt fuluum spectatur in ignibus aurum.

Tempore sic duro est inspiciẽda fides,

Et alia, vt videre est apud illum. Id verò quod aliæ translationes habent, nempè, quod Amicus, frater non solum dicatur, sed frater etiam, qui nascetur, vel, natus est ad tempus angustiæ, vel, ad angustiam, siuè propter angustiam remouendam, significat, quòd amicum illum, qui in aduersis semper nobis adhæret, æstimare debemus, tanquã fratrem aliquem in angustia denuò nobis natum, nimirum, ad ipsam remouendam, vt idem Doctor cum alijs docet,

Apprimè cõueniunt hæc omnia Christo Domino, qui vocauit nos amicos, & fratres etiã ore proprio. Iam non dicam vos Seruos, sed amicos meos Nunciate fratribus meis. Narrabo nomẽ tuum fratribus meis: *Omni enim tẽpore nos diligens, talis comprobatus est in angustijs nostris, & presertim in salutis nostræ angustijs, pro*

salute ipsã Eucharistiam instituẽt, & (quod plus est) hoc ipsum contigit etiam in angustijs suis in tempore, inquam, summarum angustiarum suarũ pro nobis assumptarum, quando idem Discipulos suos sic contestatus est. Tristis est anima mea vsq; ad mortem: *tunc, dico, præsertim verissimũ amicum comprobauimus eum, & tanquam fratrẽ nobis natum in angustijs nostris omnibus, & ad ipsas angustias remouendas, &c.*

In Eucharistia Christus verissimè amat nos, & est amicus noster.

93 *Seneca epist. 35. ait.* Hęc inter se diuersa sunt, immo dissimilia. Qui amicus est amat: qui amat, non vtiq; amicus est. *Homines, vt plurimum amant quidem, non tamen amici sunt, quia amant secundum tempus suum solum, vt dictum est: solum Christus verus amicus est, & verè amat, quia omni tempore amat, & maximè in angustijs nostris, & in suis etiam, & in eis non amicus solum, sed etiam frater comprobatur.*

In Eucharistia Christus vt verus amicus communicat nobis omnia sua.

94 *Amicorum omnia esse communia scripsit idem Seneca cum alijs de beneficijs lib. 7. cap. 12. ideo in epistola Lucillum suum reprehendit, quòd, quendam, amicum dicebat, cui tamen non omnia communicandu existimabat.*

Homines nullum habebant bonum de se, quod Christo communicarent, sed tantummodo malũ, scilicet, peccata, & vitia sua quo ad eorum pœnã Omnes enim, *Psalmista teste*, declinauerunt, simul, & inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est vsq; ad vnum. Perditio tua ex te Israel, Oseæ 13. perditio tua est, ò Israel, *legit Pagninus. Hæc illi communicauerunt, quo ad eorum pœnam, quam pro nobis ille subijt.* Nam omnes nos, quasi oues errauimus: vnusquisq; in viam suam declinauit: & posuit Dominus in eo iniquitates omniũ nostrũ: *& ante hoc immediatè sic dicitur:* Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras: attritus est propter scelera nostra. Disciplina pacis nostræ super eum, & liuore eius sancti sumus: *Christus verò, quia infinitum bonum est, & solum bona habet, quæ communicet nobis, & nullum verum malum, ideo, vt verissimus, ac perfectissimus amicus noster, & amator, non solum ipsa bona sua omnia nobis communicauit, sed etiam se ipsum totum: & non* *non tantummodo, sed multis planè, ac mirabilibus: nam de illo cum Ecclesia cantamus:* se nascens dedit socium, conuescens in eduliũ, se moriens in pretium, se regnans dat in premium. *Dare verò se nobis in edulium, quando se etiam statim daturus erat in pretium, singularissimum fuit amoris sui ad nos argumentum, & indicium, maiorq; illustrior, & charior communicatio, quam de se ipso nobis facere potuit, tanquã amicorum amicissimus, & omnium charissimus, ac feruentissimus.* Sic quippè dilexit nos *(inquit S. Laur. Iust. in Sermone de Eucharistia)* vt tanti nos emeret, atq; de alienis amicos, & de aduersis faceret filios, suoq; corpore pasceret, ac proprio cruore potaret.

Eucharistia quia est cibus, & potus, magna est Christi amoris demonstratio.

Fuit olim inter homines singulare amoris opus, ac probatio, panem dare, & alia, quæ ad cibum, & potum pertinent, dilectis: vnde dicebat illa Osea cap. 2. Vadam post amatores meos, qui dant panes mihi, & aquas. *&c. vel secũdum Chaldaicam translationem.* Sequar populos amatores meos suppeditantes cibum meum, & potum meum. 95

Si opus amoris, ac demonstratio magna est in hominibus, cibum, & potum præbere, multò magis, absque dubio, tale erit in eo, qui homo, & Deus etiam est, nempè, in Christo Domino, quòd nimirum hominibus dederit non panem comunem, sed panem viuum, qui de Cœlo descendit, & non terrenam aquam, sed viuum pariter cœleste, corpus suum, scilicet, in panis specie, & suum sanguinem in specie vini: quare ad hoc ipsum indicandum in eodem scriptura loco, post prædicta verba de materiali pane, & aqua, quam amatores homines dant ijs, quos diligunt: Vadam post amatores meos, qui dant mihi panes, & aquas, *subdit verus hic amator de huiusmodi pane, & vino suo Eucharistico.* Ego dedi eis frumentum, & vinum. Benedixi eis frumento, & vino *Chaldaica paraphrasi: quando, videlicet,* accepit panem in sanctas, ac venerabiles manus suas, & benedixit &c. *& similiter calicem: Vnde hoc ipsum attendens dilecta illa, quæ prius dicebat, se ire velle post amatores communem solum panem, & aquam sibi dantes:* Vadã post amatores meos qui dant panes mihi & aquas *certè etiam sciens, panem & vinum hoc Christi illis valde esse melius ac præstantius absq; comparatione vlla, tanquam verioris etiam, ac dignioris*

dignioris aptaturis, paulo post in se reuersa, subdidit de eodem: Vadam, & reuertar ad virum meum priorem, quia benè mihi erat tunc magis, quam nunc. *Vatablus n. sic ista in scolijs exponit.* Reuertar ad uirum meum, Deum scilicet.

Eucharistia dicitur singulariter opus amoris Christi.

96 *Est procul dubio Eucharistia opus singulare potentia, & sapientia Christi etiam, quia vtraq; simul mirabiliter valdè, multisq; modis in ea relucet, vt notum est: veruntamen dicitur potissimũ opus amoris eius non potentia, neq; sapientia, quia singularius etiam, & euidentius idem amor in eadem coruscare videtur, Hinc de illa Ioannes cap. 13.* Cum dilexisset suos, qui erant in mũdo, in finem dilexit eos.

Hinc, & S. Laurentius Iustinianus de agone Christi cap. 4. de eadem Eucharistia sic vnumquemq; alloquitur: Singulare prorsus dilectionis accepisti pignus in huius participatione misterij, certáq; de sponso tuo præsentiam.

Tria n. (generaliter loquẽdo) in opere consideranda sunt, amor, qui vult, vel imperat opus, sapientia, qua illud docet, & dirigit, potentia, qua illud exequitur, ac perficit: inter hæc autem, clariũ est, amorem primum esse: Eucharistia institutionem Christi sapientia docuit, potentia perficit, amor autem mandauit: ideoq; amori tanquam principali assignat.

Hinc Psalmista misericordem vocat Dominũ, & miseratorem, dum auctorem Eucharistiæ recenset, non autem potentem, vel sapientem, quia, nempè, misericordia, & miseratio ab amore procedunt. Memoriam *(inquit)* fecit mirabilium suorum misericors, & miserator Dominus, escam dedit timentibus se. Clemens, & misericors. *legit Pagninus, & alij,* Beneficus, & misericors, *legit Vatablus.* Equidem donum istud *(inquit Iustinianus in suo Sermone de Eucharistia)* Propheta longe ante considerans modo consueto, cum admiratione dicebat. Memoriam fecit mirabilium suorum misericors, & miserator Dominus, escam dedit timentibus se: misericors vtiq; Dominus in se, & nostri miserator, corporis sui sacramẽtaliter escam præbens, suorum, quæ præcesserant, mirabilium, specialem nobis voluit exhibere memoriam: *sic ille: & ante hoc immediatè, in hunc modum exclamat:* O ineffabiles dignatio conditoris. O stupor indicibilis charitatis: Quis non contremiscat, quis non cum exultatione miretur, sub accidentibus modicis panis, & vini, fideles Deũ, & hominem manducare, & sumere. Sanè nunquam ausus fuisset homo talia petere, sed neque cogitare, quoniam hoc misericordiæ opus omnium mortalium supereminet dignitatem. *Hæc Iust. & rursus.* Talem profectò charitatis exhibitionem, huiusmodiq; exinanitionem Maiestatis ignorauit sęculũ, generationes præteritæ nescierunt, stupet cœlum, ipsa natura miratur, venerantur Angeli, honorant sancti, iusti adorant, Demones cõtremiscunt, quoniam, solum quod in ea est, sanctum est, inscrutabile, atque diuinum.

In Eucharistia Christus ob amorem non curauit amens reputari.

Quidam scripserunt, Amantes amentibus vt nomine, sic etiam re similes sunt. *Vlterius alij progressi sunt, dicentes.* Amare, & sapere vix Deo conceditur. *Modestius, ac verius istis locutus est de Deo Seneca in hunc modum,* Amare, & sapere soli Deo conceditur. *Christus Dominus, sicut incarnata sapientia dicitur, eandem infinitam habens cum Patre, & Spiritu Sancto sapientiam, sic etiam omnia procul dubio cum illis in sapientia fecit, omniaq; in mensura, numero, & pondere disposuit: nihilominus duo fecit præsertim amore ductus, quæ etsi sapientissimè fecerit, sicut, & reliqua omnia, tamen stulta reputata sunt, vel stultitia à multis. Vnum fuit eius mors in cruce, alterum Eucharistia: de primo n. scribit Paulus prima ad Cor. cap. 1.* Prædicamus Christum crucifixum Iudæis quidem scandalum, gentilibus autem stultitiam: *De hoc modo non agimus: Alterum, quod est Eucharistia, duplici ratione stultum, & stultitia similiter a gentibus reputatur: primò inquantum talis, & simpliciter, quia scilicet, est viua quædam repræsentatio, ac imago eiusdem mortis eius, quæ (vt diximus) à gentibus stultitia reputata est.* In illo .n. *(vt inquit S. Paschasius de corp. & Sang. Domini cap. 9.)* quotidie pro nobis Christus mysticè immolatur, & passio Christi in mysterio traditur. *Secundo ratione speciali etiam stultitia reputatur à nõnullis Eucharistia, nempè quòd, in illa Christus se ipsum comedere faciat, & (quod plus est) ab illis, nempè, fidelibus, qui tamen verum Deum etiam illum credunt, & confitentur, & vt Deum adorant, & tunc præsertim* 97

tim, quando eundem in illa manducant, & antequam manducent, secundum illud Aug. Nemo autem illam carnem mãducat, nisi prius adorauerit: *Et habemus de hoc notabile exemplum in gentili quodam, nempè Auerroe, qui (vt quidam scribunt) dixit aliquando:* Multa mihi placent in lege Christianorum, sed quia Deum, quem adorant, dentorant, moriatur anima mea cum animabus Philosophorum. *At non curauit infinita sapientia Christus stultus reputari, & similiter opera sua, quale est Eucharistia potissimum stulta, siue stultitia, ob amorem eius ad homines, qui solum eum comedit, hoc est, comestibilem fecit, eiusdem testimonio iam relato.* Zelus domus tuæ comedit me: comestibilem fecit me: *quia,* amantes amentibus vt re, sic etiam nomine similes sunt: *quia,* amare, & sapere vix Deo conceditur, *secundum aliquos: quia & si soli Deo amare, & sapere verè, & absolutè concedatur: nihilominus, nec ipsi Dei filio concessit amor suus ad homines, quòd illos amans, & in ipso amore, sapere etiam iudicaretur, sed desipere potius, & insanire, etsi & in ipso amore, sicut & in reliquis omnibus, sapientissimus semper fuerit, sicut, & ipsa Patris sapientia est, & nominatur, vt dictum est.*

Omnia Dei beneficia & amoris eius significationes in Eucharistia includuntur, & exprimuntur.

98 *Pater Franciscus de Mendoza Societatis Iesu hac in suo viridario scribit de Eucharistia, libro 6. orat.* 10. Quæ multa beneficia in homines à Deo emanarunt, ea omnia in hoc vnò beneficio mihi videntur mirabiliter inclusa, & quas amoris significationes singula beneficia prodiderunt, eas omnes hoc vnum beneficium significantius expressit: *Sic ille: & probat ibi hæc difusè ex alijs principalioribus eiusdem Dei operibus, vt videre est apud illum.*

In Eucharistia nos dilexit Christus, quantum diligere potuit.

99 *Hinc alij illud Ioannis* 13. Cum dilexisset suos, qui erãt in mundo, in finem dilexit eos, *sic explicant,* in finem, scilicet, dilectionis, dilexit eos, hoc est, vsq; ad finem dilectionis peruenit eos diligens: *quia dilexit, quantum diligere potuit, dum se ipsum in cibum & potum eis tradidit, & secum omnia bona pariter.*

Summus Christi amor in Eucharistiæ institutione fuit, quia in summis passionis suæ angustijs illam instituit, & summa cum lætitia.

Magnum profectò est amoris argumentum alicuius ad alterum, si in summis etiam angustijs constitutus, insigne aliquod ei beneficium conferat, & multò magis, si ex hoc ipse simul singularem ostendat voluntatem, ac lætitiam: Instante Christi passione, ob cuius summam angustiam de illo legimus, quòd cœpit pauere, tædere, & mœstus esse, & quo insuper *dixit etiam:* Tristis est anima mea vsq; ad mortem, *Eucharistiam instituit: De ipsa tamen Eucharistia tantũ concepit oblectamentum & gaudium, vt pro illa Patri gratias referret cantans. Quod enim de illo scribitur in nostra lectione.* Hymno dicto exierunt in montem Oliuarum. *Hebraicè legitur:* Cum hymnũ cecinissent: &c. *Et Glossa pariter ad eadem verba, ait:* Cantabat Patri gratias agens: *Immo (quod plus est) ipsum institutionis Eucharistiæ diem ex Theodoreti sententia appellauit idem Dominus diem desponsationis suæ, & diem lætitiæ cordis sui, quando (scilicet) in canticis canticorum, & ipse de illa sic cantauit cap.* 3. Egredimini & videte filiæ Siõ Regem Salomonem in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis sui. 100

Verba Theodoreti loco citato hæc sunt: Quamobrem desponsationis diem illum vocauit, & diem lætitiæ cordis eius: tunc enim nuptiarum communio facta est, nam post cœnam, inquit, accipiens panem, & gratias agens, fregit, dedítq; discipulis suis dicens: accipite, & comedite ex hoc omnes: hoc est enim corpus meum, quod pro vobis frangitur in remissionem peccatorum. Hoc facite in meam commemorationem: edentes igitur sponsi membra, & bibentes eius sanguinem, nuptialem ipsius communionem assequuntur. *Hæc ibi Theodoretus.*

Quantum nobis profuerit Christi amor in Eucharistia.

De hoc S. Bernardus in Sermone tertio in Dominica in ramis palmarum sic scribit. Cæterũ ante passionem affectuosius Paterfamilias refectionem suis curauit domesticis exhibere: & in hoc quoq; apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris, cum enim dilexisset 101

suos,

suos, in finem dilexit eos, & dicebat: Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum antequam patiar. Oportebat enim: experierat eos Satanas, vt cribraret sicut triticum: opus erat præuenire refectionem. Denique qui refecti paulo minus defecerũt, quid ieiuni fecissent: Hinc fuit, quòd non modo corpora, sed etiam corda refecit, & ea quam maximè. *Hæc Bernardus. Hinc & Theophilatus.* Desideraui hoc Pascha manducare vobiscum, eo quòd magna mysteria in hac cœna sim traditurus, nempè, ea, quæ sunt noui Testamenti.

Ad idem.

102 *De hoc ipso sic S. Laurentius Iustinianus ad Ecclesiam.* Sigulare prorsus dilectionis accepisti pignus in huiusmodi participatione mysterij certáq; de sponso tuo præsentiam, cui optimè tui amoris æstus aperire, vota persoluere, fundere orationes, gratias agere, hymnos decantare, ingeminare preces, exhibere laudes, atque suauissima vales piæ deuotionis depromere carmina. Equidem ex quo tanto adhæsisti sponso, corpusq; tuũ corpori eius associatum est, effecta es speciosa, & suauis in delicijs, decora, & ornata in vestibus, venusta, & grata in moribus, ignita & Sancta in desiderijs, prudens, & sẽsificata in cogitationibus, iucunda, & locuples in filijs, sic dilecta, vt Dei filius affectus de te canticorum illud clamet, & dicat: Tota pulcra es amica mea, & macula non est in te: &c. *Et infra sic iterum.* Hinc merito exultationis tuæ exurgit causa, quòd tam egregijs, tamq; potẽtis & immortalis Regis amore facta sis digna: &c.

Ad idem.

103 *Idem Iustinianus de eodem Christi amore in Eucharistia sic eundem affatur, in lib. de disc. & perf. mon. conu.* Talia nempè sunt munera tua, o Domine Iesu, taliaq; amoris encænia, quæ amoris tui deuotis & dilectis, per hoc sacrosanctum mysterium conferre dignaris, vt omnem transeuntis vitæ superent delectationem: Per illud namq; venerabile mysterium tradis te ipsum fidelibus tuis, quaremus discant ex ipsius suauitate, amare te, cognoscere te, laudare te.

Exemplum de eodẽ & quantum placeat Christo communio existentium sine mortali, quantumq; eidem displiceant, qui hos ab illa retrahunt.

Ludouicus, Blosius in, suo monili cap. 6. hæc scribit. Orante rursum S. Gertrude pro quadam Virgine Congregationis suæ, quæ zelo iustitię mota, alias pias sorores verbis suis reddebat pusillanimes, atq; à frequẽtiori Sacræ Eucharistiæ perceptione deterrebãt, respondit Dominus, Quũ deliciæ meæ sint, esse eum filijs hominum, & ego hoc Sacramentum ex summa charitate in meam commemorationem fidelibus suscipiendum reliquerim, atq; etiam per illud cũ eis vsq; ad consumationem sęculi remanere velim: quicũque aliquos à mortali peccato immunes, verbis, vel suasionibus ab eius perceptione retrahit, is quodammodo impedit, & interrumpit delicias meas, quas cum illis habere possẽ. Similis enim est seueriori quopiam pedagogo, qui à filio Regis ignobiles ac pauperes coętaneas eius (quorum cõsortio ipse Regis filius multum delectatur) durius repellit, iudicans magis congruere adolescentulo, vt regali fruatur honore, quã vt pilla cum illis ludat in platea: Veruntamẽ si quis proponeret huiusmodi seueritatem de cętero deponere, ac vitare, ego non solũ illi ignoscerem, verùm etiam tam gratum hoc haberem, quam haberet gratum filius Regis, si Pedagogus serenum, blandumq; vultum præferens, reduceret ad ipsum dilectos coætaneos eius ad ludendũ cũ eo. 104

Christus summè bonus summam in Eucharistia liberalitatem ostendit.

Angelicus Doctor in suo opusc. de Eucharistia cap. 5. hæc tradit de Christo scribens. Cum.n. sũme sit bonus, summa eũ decet liberalitas: sed nulla hac maior esse potest: Probatur autẽ eius liberalitas in hoc facto quãtum ad tria. Primò, quantũ ad magnificentiã, doni, secundò quantũ ad nobilitatem dantis, tertio quantum ad vtilitatem accipientis. Primò quantum ad magnificentiam, doni, quia largitor omnium bonorum in hoc sacramẽto dat se ipsum, & hoc largissimè, quia dat. propriũ corpus in cibum, secundum quod dicit, accipite, & comedite: Hoc est enim 105

mus

mus gradus diuinæ largitatis quantum ad donum: &c.

Deinde probat secundum principale inferius sic subdens: Secundò probatur excellens liberalitas Dei in hoc facto quantum ad nobilitatem dantis, quæ tam excellens est in hoc Sacramento, vt corpus suum largiatur largè, & diffusè: quia non solam dat illud dignis,& amicis,sed non subtrhait indignis, malignis,& inimicis. Psalm. 26. Appropriat super me nocentes, vt edant carnes meas: &c. Qui .n. se permisit manibus malignorum semel crucifigi, permittit se sceleratorum manibus tractari,& inimicorum,& immundorum dentibus in Sacramento lacerari. Hinc hosti, & traditori suo Iudæ in cœna cum alijs dicitur corpus suum dedisse. Veritatem .n. præsentiæ suæ ad instar solis, oriri facit super bonos, & malos, exhibens, se in hoc Sacramento dignis, & indignis, licet non ab omnibus effectus suscipiatur equalis: Nam dignus effectus bonitatis Dei suscipit,indignus seueritatis: Exemplum de sole & oculo ęgro & sano. Nota,quod,magnum est dare magna dona proximis, & amicis,maius,dare seruis, & ancillis, maximum,ignotis,& peregrinis,sed nimis,inimicis. Vnde arguuntur de magna ingratitudine Iob.19. Quare me persequimini me sicut Deus,& carnibus meis saturamini?

Tertiò probat Sanctus Doctor tertium principale sic. Tertio probatur quantum ad vtilitatem suscipientis, quia, in hoc sacramento dignè suscipiens efficitur Deiformis, idest per gratiam bonitatis, siuè per imaginationem imitationis Deo quodammodo similis.

Feruida excitatio ad considerationem amoris Christi erga nos in Eucharistia, ex S. Laur. Iust. de triumphali Christi agone cap. 4.

Expergiscere nunc anima mea, expergiscimini, & vos amatores veri, & inconcussi boni,atq; tota cordis intentione, considerate,quam dulciter,quam humiliter,quantoq; dilectionis affectu Dominus Iesus adhuc passibilis,impassibilitet, se ipsum tribuit in sacramentum, & efficitur cibus hominum Dominus,ac conditor Angelorum.

Item ex S. Bonauentura in Opusc. de inst. Sacerdotis ad se præparandum ad celebrandam Missam.

Eius dilectionem *(inquit)* circa nos consideret Sacerdos, & ruminet illius magnificentiam Sacramenti, & hoc quantum potest: quia vix potest aliquam inuestigare scintillam tam immensi amoris Domini in hoc magnifico Sacramento.

Christus in Eucharistia immensam bonitatem suam, miramq; amoris eius ad homines dulcedinem, ac suauitatem ostendit.

De Eucharistia scribitur Sap. cap. 16. primò sub mana figura sic Angelorum esca nutriuisti populum tuum, & paratum panem de Cælo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suauitatem: *Quæ verba in sermonibus ipsis sæpius de Eucharistia explicamus. Post hæc statim causam subdit potissimam institutionis eiusdem Eucharistiæ, nempè amorem eius dulcissimum ad homines: statim .n. additur:* Substantia .n. tua dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebat. *Optatus Mileuitanus hoc loco ab Ordinaria citatus per substantiam Christum intelligit Eucharistiæ institutorem.* Patris ergo substantiam *(inquit)* filium esse propheticis iam olim est dessignatum oraculis, dicente Salamone: substantiam .n. tuam, & dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebas, quam figuram, & imaginem panis cęlestis populo Israel apparet proluxisse, quod ipse Dominus in Euangelio exposuit, dicens: Non Moyses dedit vobis panem de Cęlo, sed pater meus dat vobis panem de Cęlo, se vtique panem esse designans,cum dicit: Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi, de quo etiam Propheta Dauid: Panem Angelorum manducauit homo. *sic ibi Glossa.* 105

Ad idem.

Fauet his omnibus primum Greca translatio prædictorum verborum, quæ talis est. Etenim Hypostasis tua tuam in filios ostendebat dulcedinem. *Hypostasis .n. verbum grecum idem significat quod latinè personam, siuè suppositum. Christus verò est suppositum, siuè persona Di-* 107

na Diuina, cui natura humana vnita est, qui & substantia Patris nuncupatur, humanam in se naturam sustentans vnione hypostatica, siuè personali sibi vnitam, vt theologi loquuntur: ipse suam in nobis, quasi in filios dulcedinem ostēdit, dulcissimum, nempe, ac suauissimum suum erga nos amorem in Eucharistia. Substantia .n. illa tua *(inquit Hebraica lectio apud Vatablum)* tuam erga liberos ostendebat suauitatem. *Verè dulcissimus, suauissimus, tenerrimus, simulq; ardentissimus amor, nam se ipsum totum, & omnia bona sua in ipsa Eucharistia nobis dedit, quod innuere videtur vulgata lectio nostra*. Substantiam .n. tuam, & dulcedinem tuam, quam in filios habes ostendebas: *ostendendo .n. substantiam suam, hoc est se ipsum in Eucharistia, etiam amoris sui dulcedinem nobis ostendit: Substantia, siue essentia, vel natura eius fundamentum est amoris eius dulcissimi, ideoq; ipsa ostensa nobis in Sacramento, ipsam etiam amoris sui erga nos dulcedinem ostendit*: Substantiam .n. & dulcedinem tuam quam in filios habes, ostendebas, *inquit*.

Ad idem.

108 *Hinc Angelicus Doctor in officio deuotissimo corporis Christi, quod ipse de mandato summi Pontificis Vrbani 4. Solemnitatis eiusdem Christi institutoris, composuit, prædictis verbis alludens, sic in primis Vesperis pro antiphona ad Magnificat, ad Christum exclamat:* O quam suauis est Domine spiritus tuus, qui vt dulcedinem tuam in filios demonstrares, pane suauissimo de Cælo præstito, esurientes reples bonis, fastidiosos diuites dimittens inanes: *Et rursus in lectionibus ad matutinum:* O Pretiosum, & admirandum conuiuium, salutiferum, & omni suauitate repletum. *Et Iterum:* Suauitatem denique huius Sacramenti nullus dignè exprimere sufficit, per quod spiritualis dulcedo in suo fonte gustatur.

Ad idem.

109 *Hinc Ioannes de Gerson in sermone suo de Eucharistia, de eodem amore similiter sic scribit.* Pulcra Anima Christiana, pulcher ò deuote populo Christiane, quod est cor, quod cogitare posset? Quæ, est lingua, quę recitare sciret dulcissimam, & inestimabilem D.N. bonitatē, veri nostri Patris, veri Creatoris? Nihil eramus, ipse nos fecit: Vnanimiter cibo indigebamus, & esca, non solum quo ad corpus, sed multò plus quoad animam: Ministrauit nobis, & dimisit pretiosum corpus suum in escam, & sanguinem suum in potum, non quidem in propria figura visibiliter, quoniam nihil hoc pro fecisset; caro .n. non prodest quicquam, sed inuisibiliter, ac spiritualiter: sicut anima inuisibilis est & immortalis, sic debet esse esca sua spiritualis: Quæ esca? amor, dilectio, fides, spes, & aliæ virtutes. Quis dat hanc escam? Dominus noster per dignum sui Sacramenti mysterium.

Quia Christus sic in Eucharistia nos dilexit, & nos debemus vice versa ipsū semper summopere diligere, & laudare, venerari, & ei quocunq; aduerso non obstante, seruire.

S. Laurentius Iustinianus quamplura, quæ de eodem Christi amore in Eucharistia prius dixerat, sic concludit. Quamobrem, & tu reciproco amore illius transfixa medullitus, toto corde, tota mente, totisq; viribus ipsum dilige, venerare, & lauda: Illi omni tempore incolatus tui famulare fideliter, atq; in cunctis, quæ agis, placere concupisce: Nullus te debiliter labor, nulla te frangat aduersitas tentatio nulla supplantet, vt ab illius te subducas imperio. 11

De hoc Christi amore exemplum aliud.

Ludouicus Blosius in suo monili cap. 6. narrat, Christum Dominum Sanctæ Gertrudi oranti hæc de Eucharistia inter alia dixisse. Incomprehensibilis charitas mea vobis prouidit hunc cibum salutiferum. *Et rursus sic.* Meritò cor hominis scindi, dissoluiq; deberet, considerando inter beneficia à me exhibita, eximium beneficium sacræ, ac venerabilis Eucharistiæ. 11

Veritas Eucharistiæ, id est, realis præsentia Christi in illa probatur.

112 *De hoc sic scribit S. Laurentius Iustinianus in sermone de Eucharistia.* Quonam modo esse valet, vt falsum loquatur veritas, derideat sapientia, immutetur Deus, qui per Prophetam ait, ego sum Deus, qui nō immutor? Hoc est corpus meum, inquit Deus sapientia, & veritas. Nulla igitur humanis mentibus inesse debet infidelitatis ambiguitas, quādo Deus solus istud perficit mysterium: Nempè, qui verbo suo potuit vniuersa creare ex nihilo, valet corpus suum absq; sui detrimento præbere in cibum, quatenus in ipso insinuaret potentiam, dilectionis affluentiam, sapientiæ suæ thesauros, misericordiæ viscera, delectabileq; humanitatis suę præsentiam: Tale profectò munus decebat, vt tribueretur Ecclesiæ, quæ summæ nititur veritati, ardenter diligit, sperat promissa, inuisibilibus pascitur, futura credit, quærit cœlestia, & quæ sempiterno Dei verbo fidei assensum præbet, quemadmodum de ea per Prophetam Dominus inquit. Populus, quē non cognoui, seruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi. In solo quippe auditu auris verbo obedit Sancta Ecclesia de gentibus congregata, quum hoc Sacramentum simpliciter credit: Non enim ex visu, gustu, odoratu, vel tactu percipitur fides, sed ex auditu tantum, auditus autem per verbum Christi perhibentis. Hoc est corpus meum. Habet itaq; in Sacramento hoc fundamentum stabile authoritatem diuinam, virtutem verbi, oracula Prophetarum, figurasq; legales, in quibus credulitatis suæ spiritualem super-ædificat domum. Quamobrem ambigere nequaquam fas est, vbi tantorum testium commendatur assertio. Cæterum si in ore duorum, vel trium testium mortalium, qui valent ficta, aut falsa proferre, stat omne verbum, iuxta diuinæ legis eloquia, quantò magis in asseueratione cælestium testium, qui nequaquam mentiri possunt?

Ad idem.

113 *Idem S. Iust. de Agone Christi cap. 4.* Illud igitur Eucaristiæ Sacramētum, quod in hac cæna instituit Dominus, irrefragabiliter tenendum est, credendum, confitendumq; tenendum quidem memoriter, veraciter credendum, & liberè confitendum: Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Vt igitur iustificeris per fidē, & per confessionem laudis pertingas ad salutem, propius accede verbo cum duodeno Discipulorum numero discumbente, & fortè gustabis, & tu de hoc Sacramento, cui, quid, & qualiter credere debeas. Accede, inquam, non corpore, sed mente, sed cogitatione, sed affectu in simplicitate, & virtute, in deuotione, & fide, & si nedum perfecta, & adulta, tamen ex familiari meditatione verbi formanda, atq; perficienda: omnem depone formidinem, & altum sapere reice, vt diuinæ gratiæ receptaculum fias, non vt videas speciositatem aliquā, nec per dulcedinem ori delectabilem inuiseris, vt gustes: sed, vt per fidem, quæ ex auditu, est, erudiaris de verbo.

Ad idem.

Idem Iustin. Nempè comedunt Apostoli, atq; de Verbi manibus suscipiunt non vitulorum, aut hircorum carnes, sed azimos panes, prout accidentia illā protēdebant oculis, naribus insinuabant, ac manibus palpanda suadebant: Sed re vera corpus Christi verum, quod de Maria Virgine per spiritum Sanctum conceptum fuit, & natum, quod loquebatur, videbatur, tangebatur, edebatur, quod, nimirum, in cruce pepēdit, expirauit: non deniq; similitudinem eius, neq; aliud, sed ipsum verissimum, idem in quantitate, in substantia, in identitate, ex anima, & carne constitutum, vnitum verbo, humanisq; membris compositum; atq; perfectum, sub diuersis quidem opertum speciebus, sed nullum ex illis patiens diuinitatis, seu humanitatis detrimentum, neque diuisum ex multarum numero hostiarum, aut in maiori maius, siuè in minori minus, sed vnum, idemq; in singulis locis, & hostijs, nō prorsus angelico ministerio, sed diuina consecratum virtute. 114

Ad idem.

Pro his omnibus illa Ioannis de Gerson verba in Sermone de Eucharistia visa sunt notatu digna: Re vera paruus nimirum, & impotens foret De' noster, si nihil aliud facere posset, prēter illa, quæ tu assuetus es videre bestiarum. 115

rum more: aut si sapientia taliter esset numerata, vt nihil facere posset, nisi quod ingenium tuum stultum, & obscurum comprehendere posset.

Contra Iudeos, Gentiles, Hereticos, & alios omnes veritatem Eucharistiæ negantes, ex eodem Gersone Ibidem.

116 Si miraris, quo pacto panis transubstantietur in verum Iesu Christi corpus: Considera, quomodo panis materialis, & vinum conuertuntur in stomaco tuo, partim in carné, partim in sanguinem, & partim in ossa, partim in neruos, partim in medullam, partim in crines, partim in vngues: Quod petræ durissimæ conuertuntur etiam in ventre Columbarum, & ferrum in animali quodá, & cinis mutatur in vitrum, ouum in pauonem, parua glans in tam magnam quercum: Mille, & mille tales sunt mutationes, de quibus non scitur alia ratio, nisi quòd videntur ad oculum. Quare ergo Dominus noster facere non potest aliqua, quæ non possumus nos percipere? Sed etiam Iudei credunt, & confitentur mutationes valdè mirabiles factas fuisse per Prophetarum antiquorum verba, vt de virga Moysis in Serpentem, aquę in sanguinem, pulueris in Muscas, virgarum prorsus siccarum in virides; mulieris Loth in petrá, aut statuam salis. Mille modis etiam concedunt mutationem primi cursus naturæ, quemadmodum, Mare se diuisisse, Iordanem se conuertisse, mortuos fuisse resuscitatos, solem stetisse. Pagani etiá credunt iuxta fabulam Diomedis, socios in aues fuisse conuersos. Socij verò Vlissis diuersæ factæ sunt bestiæ, per mulierem quandam Incantatricem Circe dictam. Et Philosophus quidam Apuleius dictus de se ipso affirmat, se in asinum fuisse conuersum. Et fecit librum quendam de mirabilibus, quę tu cognoscere non potes. Sic in omnibus scientijs sunt excellentes Magistri. *Hæc omnia Gerson ibi: Quibus addi possent pro instituto metamorphoses, hoc est trāsmutationes quamplures Poetarum, quas idem Apuleius, Ouidius, & alij multi difusè recensent, & illa præsertim, quæ ex amore processisse finguntur.*

EVCHARISTIA DELITIA.

Eucharistia Christi, nostræq; delicia.

Christus in Eucharistia est delicia hominum, & idem homines vice versa delicia sunt Christi, eandem Eucharistiam dignè colentes, ac sumētes.

117 *Titus Imperator, ob singularem eius erga homines humanitatem, liberalitatem, ac beneficentiam, omnibus sic carus fuit, vt delicia generis humani etiam diceretur. Christus in Eucharistia præsertim humanissimum, ac munificentissimum cum hominibus se ostendit, innumeras eisdem conferendo gratias, ac beneficia, si ad hæc rectè se disponant, & hoc ipsum insuper suas vocat illę delicias: Hinc de Eucharistia cantamus:* Pinguis est panis Christi, & præbebit delicias regibus, *& Ecclesia in missa* Cœlestibus pasti delicijs &c.

Ad idem.

118 *Legendus de hoc Laur. Iust. Serm. de Euch. sic in illa:* Exhibuit se Christus vt tuæ fit peregrinationis comes, ignorantiæ tuæ lux, infirmitatis tuæ remedium, tecum habitet, de te lætetur, suis tecū delicijs perfruatur, quemadmodum in sapientiæ volumine testatur, dicens. Et deliciæ meæ esse cum filijs hominum: Non quidem vt suas á filijs hominum captet delicias, sed vt cum filijs hominum communicet proprias: Nequaquā inprudenter, arbitrandum est, quòd Deus vllam ab Angelis, seu hominibus lętitię percipiat causam, quum eosdem spiritualibus, & æternis faciat exuberare delicijs; Ipse.n. sibi ipsi gaudium est, beatitudo perennis, sempiternæ, essentialesq; deliciæ verum ob præcipuum, quem ad homines gerit dilectionis affectum, illis impertiendo proprias eorum, suas asseuerat esse delicias. Nonne merito suas apud homines esse dicit delicias, propter quorum salutem de regalibus sedibus paternæ gloriæ veniens, eorum naturam in vnitate personæ sibi copulare dignatus est?

Insignis Isaiæ prophetia de Eucharisticis delicijs.

Est apud Isaiam cap. 65. notabilis prophetia de Eucharisticis delicijs, quibus fruuntur illam dignè sumentes. Hæc dicit Dominus: ecce serui mei comedent, & vos esurietis: ecce serui mei bibent, & vos sitietis: ecce serui mei lætabuntur, & vos confundemini: &c. 119

Non solum .n. Interl. & Lyr. Cypr. Ambr. & alij de Eucharistia hæc interpretantur, sed Cyrillus Alexandrinus præterea de huiusmodi delitijs hæc specialibus hoc loco tradit. Nam qui natura, & verè Deum agnouerunt, & à falsò nuncupatis Dijs resilierunt, veriq; cultus pulcritudinem admirati sunt, deliciabuntur verè, superis benedictionibus saginantes corda, accedentes ad viuificā mēsam seruatoris Christi, panem vitæ edentes, & diuinum potum bibentes, vnde fiant superæ voluptatis participes: Purgat .n. à peccatis, ac dolorem eximit, supplicijq; metum non finit animas nostras obruere.

Ad idem.

Hinc, quia solum dignè Eucharistiam sumentes has gustant delicias, non autem qui indignè, vel nunquam, aut nimis rarò, idcirco Chaldaica paraphrasis sic eadem verba transfert, Ecce serui mei iusti comedent & vos impij esurietis, ecce serui mei iusti bibent, & vos impij sitietis, ecce serui mei iusti lætabuntur, & vos impij confundemini: &c.

Ad idem.

120 O quantæ ibi deliciæ *(exclamat idem Iust. lib. de disc. & perf. mon. conu. cap. 19.)* quantus odor, qualia verba, quam vehæmens amor, quam casti amplexus gustantur: quis propalare valeat? Nihil tunc ibi, nisi dulcissona interioris hominis cantica, clamores desideriorum, gratiarum actiones, laudum præconia, affectionum gemitus ressonant in laude dilecti. Pia etenim mens tanti sponsi lætificata præsentia, venerando hoc mediante Sacramento, repletur gaudio, exultatione perfunditur, humilitate deijcitur, lumine irradiatur, pace satiatur, roboratur fide, deuotione saginatur, atq; indissolubili amoris vinculo Redemptori interius copulatur: Ex quo feruentior in dilectione, fortior in labore, promptior in opere, in tentatione prudentior, solicitior in virtute, in administratione alacrior, nec non & in ipsius frequentatione efficitur ardentior.

Ad idem.

S. Paschasius de corpore, & sanguine Domini cap. 9. allegans pro Eucharistia illa psalmi verba. Adipe frumenti satiat te. Notandum *(ait)* quod hoc frumentum, Corpus videlicet Christi adipem habeat & non solum adipem, sed & omnes delicias ità & potus sanguinis: Vnde, quod de Petra typicè manauit, nunc mel, nunc oleum, nunc aqua, nunc quoq; potus dicitur, quia quicquid pregustare spiritualiter potueris, hoc totum ibidem inueniens. 121

Ad idem.

Christus ore proprio Sanctæ Gertrudi oranti dixit de Eucharistia, Deliciæ meæ sunt esse cū filijs hominum. *Item, quòd quicunq; aliquos à mortali peccato immunes verbis vel suasionibus ab Eucharistiæ perceptione retrahit, is quodammodo impedit, & interrumpit suas delicias, vt alias dictum est.* 122

EVCHARISTIA ECCLESIÆ aurum, & carbunculus.

123 *Quidam Doctor de Eucharistia scribens, sic primò ait.* Auri & gemmarum prætium non est verbis demōstrare: nihil prætiosius apud homines, quam aurum, quam gēmæ inueniuntur: si quid est auro illusū, gēmi stellatū, absint licet reliqua, præciosū iudicatur. *Postea hæc quæ dixerat, Eucharistiæ applicans, nonnullis interiectis, sic de ea subdit.* Hoc prætium quantum illud est, totū in hoc diuino ferculo reperitur. Aurum est, & margaritū. Quid prætiosius? sic .n. diuin⁹ ille Salomon diuinæ & humanæ litteraturæ antistes hoc cœleste conuiuium appellauit gemulam carbunculi in ornamento aureo: *Sic ille. Post hæc pergit etiam explicare, quomodo Eucharistica gemma præciosior sit quam illa, quam Barbara Regina Cleopatra in scypho dilutam ad ostentationem sui luxus Antonio propinauit.*

Ad idem.

Eucharistia aurum dici potest, quo Ecclesia ornatur, Ideò ad illam Ezech. 16. de ipsa Eucharistia dicitur: Ornata es auro, *& de eadem similiter sub nomine Ierusalem cantatur in diuinis officijs:* Vidi Ierusalem descendentem de Cœlo, ornatam auro mundo. *Scribitur & in Canticis Cap. 5 de Christo Domino, qui caput est eiusdem* 124

eiusdem Ecclesiæ. Caput eius aurum optimum: *Quia, nimirum, hoc capite suo Ecclesia, ut auro optimo in Eucharistia ornatur.*

Hinc, quia habet Sācta Ecclesia Eucharisticum hoc aurum, & mundum, & optimum, etsi & ipsi Principes eius, nempe Discipuli Domini; sic omninò pauperes essent, ut non solum eorum caput fateretur: Argentum & aurum non est mihi, *sed insuper, de se etiā & de alijs omnibus Domino diceret:* Ecce reliquimus omnia, *nihilominus verè multum diues & opulenta dicitur, talemq; & præuidit, & prænunciauit ab antiquis diebus Isaias cap. 33. sic fidelem quemlibet de ipsa alloquens sub Hierusalem appellatione.* Oculi tui videbunt Ierusalem habitationem opulentam: *Hinc enim & septuaginta interpretes eandem Ecclesiam diuitem eisdem verbis appellant, simul explicantes, quænam sint hæ suæ diuitiæ, scilicet, Christus Dominus, sic enim ipsi transferunt ipsa verba,* Ecce Sion Ciuitas diues: *Etsi enim secundum se Christus & extra Eucharistiam etiam vera diuitia, & opulentia Ecclesiæ sit, tamen talis specialiter dicitur prout est in eadem Eucharistia: Vnde idem Isaias cum dixerit, candē Ecclesiā diuitē & opulentam, paulo inferius hoc explicans, causam ipsius diuitiæ & opulentiæ assignat, dicens:* Quia solummodo ibi magnificus est Dominus noster.

Nam etsi idem Dominus noster semper & vbique re vera magnificus sit, tamen ibi, scilicet, in Ecclesia per Eucharistiam, & in ipsa Eucharistia signanter se magnificum verè, & splendidissimū, ac liberalissimum ostendit, quia ibi se totum in cibum, & potum communicat, & secum omnia bona sua pariter, & omnibus hominibus, & omnibus diebus vsq; ad consumationem sæculi.

Ad idem.

125 *Hinc Psalmista ipsam Eucharistiam vocat magnificentiam, & laudem, dum etiam opus Dei quasi antonomasticè nominat.* Confessio *(inquit)* & magnificentia opus eius: *Opus namq; sic magnificum, & laude dignum est, ut ipsa etiā magnificentia & laus absolutè dici possit:* Quando .n. *(inquit Lyranus ad hæc verba)* aliqua proprietas conuenit alicui per excellentiā, non solū dicitur talis in concreto, sed etiam in abstracto, sicut ille, cui largitas conuenit, non solum dicitur largus, sed etiam ipsa largitas: *Sic Lyranus. Subditur verò statim in psalmo, quænam sit hæc tanta Christi largitas & magnificentia, ob quam Christus ipsa etiam largitas & magnificētia in abstracto (ut inquit Lyr.) appellatur:* Memoriam fecit mirabilium suorum misericors, & miserator Dominus, escam dedit timentibus se, *quæ de Eucharistia apertissimè intelliguntur.*

Propter hanc ergò summam Christi magnificentiam erga Ecclesiam suam, ex qua sic diues ac opulenta effecta est, eius Principes (ut diximus) Sancti Domini Discipuli, & si propter Magistri amorem, & sequelam, non solum non haberent argentum, nec aurum, sed omnia etiam pariter reliquissent, nihil habentes se iactant tamen, & omnia possidentes, nempè propter solam Eucharistiam, in qua ipsum Christum habentes omnia cum illo se habere certo sciunt.

Ad idem.

Alio modo possunt prædicta Prouerbiorum verba de Eucharistia exponi, si dicamus scilicet, quòd carbunculus Ecclesiæ est ipsa Eucharistia, aurū verò, siuè aliquod aureum, velut annulus, vel aliud simile, in quo carbunculus insertus est, anima cuiuslibet fidelis in charitate existens, quæ Eucharistia, ut annulus aureus carbunculo pretiosissimo tam singulariter ornatur, & decoratur: Charitas n. mysticè aurum dicitur, aurum illud, videlicet, quod ipsa emere suadetur à Domino, Apoc cap. 3. scilicet, pænitentia, & virtutum operibus: Suadeo tibi sumere à me aurum ignitum, probatum ut locuples fias: &c. *Hoc cælesti auro aurea effecta ipsa anima Eucharistiam suscipiens, est velut annulus, vel quid simile aureum carbunculo ornatum, & ipsa Eucharistia in illa dicitur à Salamone* gemmula carbunculi Vel, signaculum, *siuè* insigne carbūculi in ornamēto, *siuè* ornatu *(ut alij legunt)* aureo: *Sicut n. carbunculus præ omnibus gemmis pretiosissimus est, (nam carbunculus, qui ponderat vnam drachmam, sexaginta millibus aureorū æstimat. idest plurimū, quam adamantes quatuor eiusdem ponderis, ut inquit, Cornelius à Lapide ad Isaiæ verba mox citanda) sic Eucharistia est omnium, quæ in mundo sunt, quid pretiosissimum, excellentissimum, dignissimum, ac sanctissimum, quo super omnia anima nostra adornatur, pulcraq; ac decora redditur.* 126

Ad idem.

Carbo ille est, siuè calculus, de quo Isaias fidelem quemq; iustum, ac pium præfigurans, sic testatus est cap. 6. Volauit ad me vnus de Sera- 127

[illegible]

phi n,& in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari, & tetigit os meum, & dixit: ecce tetigit hoc labia tua,& auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur. *Multi n. ex Patribus vocant Eucharistiam carbonem,siuè carbunculum, & calculum, & hoc loco signanter, præsertim S. Iustinus, & Damascenus mox citandus: In hac Isaia de Eucharistia prophetia pro verbo* calculus *in Hebreo textu (vt refert idem Cornelius) est verbum* ritspa, *quod secundum diuersos potest significare carbonem, vel prunam ignitam, qua calculò candente, idest,carbunculo, seu pyropo est similis, & potest etiam significare, secundum Hieronymum,Aquilam,Symmacum, & alios, lapillum, siuè gemmam: & idem Hieronymus, in Epistola 143. ad Damasum interpretatur, carbunculum. Itaq; secundum vtramq; acceptionem,Eucharistia carbunculus est (vt diximus) ob excellentiam, & pruna Dei amoris igne candescens:* Vnde moraliter hic monetur Sacerdos, qui purus, & feruens debet esse, vt Seraphim, *(ait Cornelius hoc loco)* vt corpus Christi in Eucharistia ab altari capiat forcipe, quæ biceps est, idest fide,& charitate: vel gemina legis perfectione,puta dilectione Dei, & proximi, illudq; tradere debet Isaiæ, idest, peccatori confesso, plangēti, & venerabundo: *Sic ibi Cornelius,& postea allegat ad hoc ipsum S. Cyrillum lib. de Incarnat. Vnigenit. cap. 8. & post eum Damascenum lib. 4. de fide Orth. cap. 14. in hæc verba.* Accedamus desiderio ardenti,manus in crucis modum formantes, crucifixi corpus suscipiamus, & apponentes oculos, & labia, & frontem, diuinū carbonem concipiamus, vt ignis in nobis insiti desiderij, assumpta ea, quæ ex carbone oritur inflāmatione, comburat peccata nostra, & illuminet corda nostra, & participatione Diuini ignis inardescamus,& Deificemur. Carbonem vidit Isaias, carbo autem non simplex lignum est, sed vnitum igni,sic panis communionis non panis simplex est, sed vnitus Diuinitati.

Ad idem.

Calculus ille, quo vnus de Seraphim labia Isaiæ adurens,tetigit, purgauit eum solum à peccato,quod commiserat,non reprahendens Oziam, qui prunas, & thymiama altaris inuaserat: at Eucharistia tangens os, purgare potest omnes à quibuscunq; peccatis,quacunq; de causa commissis, etsi non per se, sed per accidens, vt scolastici loquuntur,de quo alios. 128

EVCHARISTIA ECCLESIÆ MONILIA.

129 *S. Laurentius Iustinianus in libro de Triumphali Christi Agone cap. 2. de Christo, & Ecclesia explicans illud,* Relinquet homo Patrem, & Matrem,& adhærebit Vxori suæ,& erunt duo in carne vna: *sic ait primò.*

Dominus Iesus Dei, & hominum mediator ipse est, qui ob amorem sponsæ, immaculatæ Ecclesiæ reliquit in cœlo patrem suum, quando formam serui accipiens, semetipsum exinaniuit: Reliquit,& matrem, dum finagogam, de qua carnis trahit originem, propter infidelitatis detrimentum repudiando contempsit, suæq; adhesit vxori, cum in cruce pendens, dato sanguinis præcio, atq; aquæ lauacro, sibi eam inseparabiliter copulauit,cui etiam pro amoris pignore,proque fœdere maritali, corpus, & sanguinis sui Sacramenta concessit, vt non solum in spiritu, verū etiam essent duo in carne vna, *sic ille primò: postea, ad eandem Ecclesiam se conuertens, ait illi:* Te immensis monilibus decorauit. *Et rursus in Sermone de Eucharistia, de ea ipsam Ecclesiam sic alloquitur,* Immensis,te ornauit monilibus,cruoreque suo interiores tuas rubicundas genas effecit.

Ad idem.

Hinc ipsa Ecclesia de eisdem monilibus similiter gloriatur,cantans in officio, Immensis monilibus ornauit me. *Verè immensa sunt hæc Eucharistica monilia, quia immensum cōtinent, nempè,Dei filium, cuius magnitudinis non est finis, qui etiam non solum tale ornamentum est Ecclesiæ sponsæ suæ,sed est etiam simul ornator eius, se ipso in Sacramento eandem ornans,ac honestans: vnde ob amoris eius immensitatem ad eādem, sicut illam hoc modo ornare desiderauit, quando etiam dixit.* Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum antequā patiar, *sic etiam ipsam* ornatam monilibus suis filiam Ierusalem Dominus concupiuit.

Ad idem.

Hinc Isaias etiam cap. 61. eandem Ecclesiam præuidit, quasi sponsam ornatam monilibus suis. *Ioannes verò Apoc. 21. explicat qua sint, ista monilia, quibus illa sic mirabiliter ornatur, nempè. ipse sponsus eius Christus in eadem Eucharistia contentus. Dicit .n. se vidisse eam à* Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo.

EVCHARISTIA ECCLESIÆ GEMMA.

Eucharistia gemma Ecclesia dici potest, & quidem pretiosa, vernans, & corruscans primò quia Christus, qui solum in ea est sub accidentibus, gemma vocatur à nonnullis præsertim à Diuo Eph. in Sermone de laudibus Sanctissima Vir-
130 *ginis, dum dicit, eam peperisse gemmam: sic .n. ad Virginem.* Aue gratia plena, mare spirituale habens gemmam cœlestem Christum. *Præterea ratione speciali gemma dicitur Eucharistia Christum gemmam continens, quia, scilicet, sicut gemma est quid paruum; quod in annulis, vel in pectore defertur ad ornatum: sic Eucharistia sub paruis est accidentibus; & est ad ornamentum; & decus singularissimum, Ecclesia, & Christianorum omnium, & eorum maximè, qui non solum in corpore illam suscipiunt, & portant, sed in anima præsertim per veram deuotionem, & reuerentiam erga illam. Vnde iure merito de ipsa glariatur verbis illis:* Christus circundedit me vernantibus, atq; coruscantibus gemmis prætiosis; *Gemmas, nimirum, appellando eam in plurali, vernantes corruscantes, ac pratiosas, propter eiusdem Christi corpus, & sanguinem in ea contentum sub duplici panis, & vini specie.*

Eucharistia est Ecclesia gemma gratissima.

131 *Hinc non incongrue fortassis de eadem Eucharistia enuntiari potest id, quod Prouerb. 17. de munere Principi oblato tradit Salomon.* Gemma gratissima expectatio præstolantis &c. *Chaldaica .n. phorasis legit,* Lapis muneris gratia, & in oculis eius, qui tollit eum: *Munus .n. summi Principis, illius scilicet, qui prædicatur.* Rex Regum, & Dominus Dominantium, *est Eucharistia, non quidem ab aliquo sibi oblatum, sed omnibus ab eodem potius donatum illis vocibus.* Accipite, & manducate ex hoc omnes hoc est .n. corpus meum: Bibite ex hoc omnes, hic est enim sanguis meis: *& est insuper eisdem super omnia gratissimum. Et vocatur gratia hoc munus.* Lapis muneris. gratia est, *inquit, quia Eucharistia gratia interpretatur: Dicitur etiam lapis, quia idem Christus, qui in Eucharistia est, dicitur lapis angularis Eccl. Is.* 18. Ponam in fundamentis sion lapidem, lapidem angularem, *sicut etiam petra dicitur.* Petra autem erat Christus: *Et dicitur lapis muneris, quia in munus Ecclesia se dedit in Eucharistia:* Item lapis muneris, gratia est in oculis eius, qui tollit eum, *Secundum Chaldaicā lectionem, vel* merces gratiarum: *Secundum septuagintam interpretes, quia gratias multas confert ijs, qui digne illam suscipiunt: & proindè* gemma gratissima, *in vulgata lectione dicitur, & vt intelligamus etiā, non esse lapidem, vel gemmam materialem, sed cœlestem, ac diuinam.*

EVCHARISTIA ECCLESIÆ MARGARITA, ET INAVRIS.

132 *Eucharistia est Margarita totius mundi primò, quia sic vocatur à nōnullis Patribus, Sanctissima Virgo Mater Christi in Eucharistia contenti & præsertim à S. Cyrillo Episcopo Hierosolimitano, Hom. contra Nest: & legitur hoc in octaua Natiuitatis eiusdem Sanctissima Virginis.* Tu .n. *(inquit ad illam)* es prætiosa Margarita orbis terrarum: *Eucharistia, enim, nihil aliud est substantialiter, quam Christus Dominus sub illis accidentibus panis, & vini, qui, cum sit verus filius eiusdem Virginis, ex doctrina Aristotelis, & aliorum, vt filius eius, non solum est etiam pars, & membrum illius, sed etiam vnum, & idem corpus cum illa, maximè cum etiam Damianus cum alijs asserat, illum esse vnum & idem cum Virgine, vt sæpe dictum est. Si ergò illa Margarita est, etiam filius eius Margarita, siuè Margaritum dici potest. Et non solum ipse secundum se sic nominabitur, sed etiam prout est in Eucharistia, & ipsa similiter Eucharistia. Et Eucha-*

ristia

riſtia .n. multi illa Domini verba interpratantur, Nolite Sanctum dare canibus, neque mittatis Margaritas veſtras ante porcos, *ne, ſcilicet Euchariſtia miniſtretur indignis, ſicut fuſius probamus in Sermone de excellentia Euchariſtia.*

Ad idem.

133 *Hinc eodem nomine Margarita appellatur Euchariſtia in Martirologio Romano, ibi .n. in vigilia Aſſumptionis B. Mariæ, legitur de S. Tarſicio Martire cuius feſtum in ipſa die celebratur, quod,* Pagani cum inueniſſent eũ corporis Chriſti Sacramẽta portantem, cœperunt diſquirere, quid gereret, at ille indignum iudicans porcis tradere margaritas, tandiu ab illis mactatus eſt fuſtibus, & lapidibus, donec exalaret ſpiritum, & reuoluto eius corpore ſacrilegi diſcuſſores, nihil Sacramentorum Chriſti in manibus, aut in veſtibus inuenerunt. *Sic martirologium ad rem præſentem. Hinc abs re non erit, hoc loco nonnulla alia ſubijcere, quæ hoc loco ſimiliter notauit Baronius:* Nõ eſt quod mireris (*inquit*) cùm audis Acolytum Chriſti Sacramenta portantem, olim .n. ingruentibus in Chriſtianos perſecutionibus, Laicis etiam domum ferre Euchariſtiam certis diebus ſummendam (quòd nõ eſſet liberum, cum vellent, ad Eccleſiam cõuenire) ac Synaxim celebrare, permiſſum erat, *Sic Bar. & ſtatim citat pro hoc Tertul. Cyp. & Clem. Alex. & poſt hæc tradit hunc vſum permanſiſſe etiã reddita Eccleſia pace, ſub Chriſtianis, & Orthodoxis Imperatoribus tam in Orientali Eccleſia, quam in occidentali, & adducit in teſtes Naz. Hier. & alios, præſertim verò Auguſt. Sermone 252. de tempore ſic ſcribentem de Eccleſia occidentali:* Omnes viri quando communicare deſiderant, lauãt manus ſuas, & omnes mulieres nitida exhibent lintea-mina, vbi corpus Chriſti accipiant. *Addit præterea Bar. quòd ob eam cauſam maiores noſtri ipſum linteamen dicebant dominicalem, de quo in concilio Antiſiodorenſi cap. 42. hæc legitur* Vnaquæq; mulier quando communicat, dominicalem ſuum habet, *& can. 36.* Non liceat mulieri nuda manu Euchariſtiam ſummere, *Hæc Baronius.*

134 *Eſt Euchariſtia non ſolum Margarita, vt probauimus, ſed etiam inauris,* Inauris aurea, & Margaritum fulgens, *vt ſcribitur Prou. 25. de corpore .n. & ſanguine Domini in ea cantare Eccleſia poteſt cum Agnete.* Tradidit auribus meis ineſtimabiles Margaritas. *Dicitur Margarita fulgens ſuper omnia; quæ in mundo ſunt, quia illum continet, qui eſt,* candor lucis æternæ, & lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. *Dicitur etiam inauris, quia ſicut inauris auris ornamentum eſt, & ab illa pendet ſic Euchariſtia interiorem animæ aurem, hoc eſt fidem noſtram valde ornat, & ab illa quaſi dependet, vnde dicitur etiam* Myſterium fidei, *quoniam, vt habetur de celeb. miſſ. cap. cum Martha.* Aliud ibi creditur, quam cernatur, & aliud cernitur, quàm credatur, cernitur ſpecies panis, & vini, & creditur veritas carnis, & ſanguinis Chriſti, ac virtus vnitatis, & charitatis; *De fide .n. & Paulus ait,* Ergo fides ex auditu; *Hoc eſt autẽ verbum Chriſti ex cuius fide, quaſi inauris ab aure ipſa Euchariſtia dependet.* Hoc eſt .n. corpus meum; Hic eſt .n. ſanguis meus: *& hac ratione Euchariſtiam inaurem Eccleſia noncupamus: Aurea verò dicitur hæc inauris Euchariſtica propter ſummã eius excellentiam, & ſanctitatem. Præterea corpus, & ſanguis Chriſti, per inaures, quas Eliezer Rebeccæ tradidit, ſignificari videntur: Eliezer .n. vno modo:* Deus meus adiutor, *interpretatur, in Euchariſtia verò multis modis nos adiuuat Chriſtus per Rebeccam ſignificatos: nam Rebecca, quæ inaures ab Eliezer recepit, ſignificat* Multa accepit, *quia nos à Chriſto inaures Euchariſticas accipiendo, quando illam inſtituens, dixit, nobis:* accipite, & manducate; accipite, & bibite, *multa nimis ab eodem accepimus, eiuſdem nempe Chriſti corpus, & ſanguinem,* in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſcondit: *ita vt in veritate cum Agnete dicamus de vtroque.* Tradidit auribus meis ineſtimabiles Margaritas, *vt iam diximus.*

Ad idem.

Iob, vltimo, fratres Iob, & alij dederunt ei vnuſquiſq; ouem vnam, & in aurem auream 135
vnam: *Duo data fuerunt Iob diuerſa omninò inter ſe ouis, ſcilicet, & inauris: Chriſtus verò, quem Iob figurarauit (ſicut fratres Iob nos ſimiliter) inaurem auream dedit nobis in Euchariſtia, dum nobis dedit ouem, quia ſe ipſum in illa dedit, de quo prophetauit Iſaias.* Sicut ouis ad occiſionem ducetur *Quia enim occiſionis huius ouis Euchariſtia viua quædam eſt repræſentatio, & imago, idcirco, quaſi ouis pro nobis occiſa in ca-*

in eadem nobis etiam dari dicitur, sicut etiam ipsa Eucharistia ob fidem nostram de ea, à qua multum dependet, dicitur inauris, vt explicatum est.

Ad idem.

136 *Tandem Inauris est Eucharistia (siue inaures ob duplicem speciem,) sed singularissima, & vnica prorsus, quia e sicut est ornamentum auris siuè auditus, idest fidei nostra, sic est ornamentum etiam oris, ipsa scriptura teste: Nam id, quod de Eucharistia Dominus Ezech. 16. ad fidelem quemq; ait:* Dedi inaures auribus tuis. *secundum Hebraicam lectionem ex Pagnino, in nostra Vulgata sic legimus:* Dedi inaurē super os tuum, *quia, nimirum, Eucharistia in vos recipitur dum nobis à Sacerdote ministratur: Vnde insuper, vt indicetur, ista Ezechielis verba de In aure Eucharistica non inconuenienter accipi, illa sic transfert Chaldaica paraphrasis.* Dedi arcam federis mei inter vos. *Mysticè .n. ipsa Eucharistia dicitur* arca federis, *siue* testamenti *sicut latè probamus in proprio Sermone.*

EVCHARISTIA ECCLESIÆ THESAVRVS.

137 Thesaurus sine defectione Sanctitatis Ecclesiastic. 30. *dici potest Eucharistia, quia Christum continet omnis sanctitatis indefficientem fontem, & authorem, & quia semper sanctificat dignè sumentes.* Thesaurus cœlestium diuitiarum *vocatur ab Ecclesia in Chathechismo:* Infinitus enim thesaurus est hominibus, quo qui vsi sunt participes facti sunt amicitiæ Dei, Sap. c. 7. *Sicut .n. infinitum continet, sic infinitus est thesaurus; siue* indeficiens, *vt Greca habent, quo si bene vtuntur homines; dignè illam conscientes, & sumentes. & alias pertrahunt; Dei amicitia participes fiunt.* Participes facti sunt amicitiæ Dei, *inquit Vulgata,* Ad Deum sæposuerunt amicitiam, *inquit Greca.* Amicitiam cum Deo iunxerunt, *inquit Habrea.*

Ad idem.

138 *Hinc rursus Prouerb. 21. sic de eadem Eucharistia scribitur.* Thesaurus desiderabilis & oleū in habitaculo iusti, & imprudēs homo dissipabit illud. *De Eucharistia enim hæc nonnulli exponunt. Dicitur verò Eucharistia etiam* oleū siuè pinguedo, *vt alij legunt, quia, pinguis est panis Christi, nam spiritualiter vngit, & impinguat, si recipiatur in habitaculo iusti, idest, in ore iusti: Vnde 70. transferunt:* Requiescit super os sapientis: *sicut per oppositum,* Vir imprudens dissipabit illud, *hoc est, hæreticus, vel quilibet alius infidelis illam negat, & euertere conatur. Vel secundum Habraicam lectionem:* Stultus deglutiet illud. i. *Peccator sine consideratione sumet, se ipsum prius non probans, secundum Apostoli præceptum:* Probet autem: &c. *nec attendens, quod* habemus thesaurum istū *Eucharisticum* in vasis fictilibus *corporum nostrorum. Hinc Diuus Chrisostomus Homil. 24. 1. cor. cap. 10.* Dicendo Eucharistiam, omnem benignitatis Dei thesaurum aperio.

Ad idem.

Non solum vnus Thesaurus Eucharistia dici potest, vel duplex respectu corporis, & sanguinis Christi in duabus speciebus panis, & vini, sed in ea insuper sunt omnes Thesauri sapientiæ, & scientiæ, absconditi Col. 2. absconditi, *nempe sub ipsis speciebus: propter quod etiam dicitur* manna absconditum, *& Christus in eadem* verè Deus, absconditus *Isa. 45. absconditus à se ipso sub panis, & vini accidentibus: Vnde Habraicus textus apud Pagninum.* Verè tu es Deus abscondens te. 139

IN EVCHARISTIA SVNT MVLTI THESAVRI, ET ALIA ETIAM QVAMPLVRA.

140 In ipso autem Thesauri reperiuntur plurimi (*inquit S. Laurentius Iustinianus Sermone de Eucharistia*) Munera copiosa, spirituales deliciæ Mirabilia maxima, Sacra Mysteria, Dei, hominisq; persona.

EVCHARISTIA THESAVRVS EST, ET GLORIA SIMVL CHRISTIANORVM.

141 *Pater Philippus Diez Lusitanus Seraphicæ nostræ Religionis in sua fuaorna prædicationum, sic de Eucharistia scribit.* Obseruandum est, principalem thesaurũ, & gloriam filiorum noui testamenti esse Sacrosanctum Altaris Sacramentum, nam gloria vnius regni est, suum nobilissimum, & dilectissimum Regem præsentem habere, gloria vnius Magnæ Ecclesiæ est, habere præsentem suum Sanctũ Pontificem, gloria vnius nobilis sponsæ est, secum habere præsentiam sui nobilissimi; & amantissimi spõsi, sic gloria præcipua populi Christiani est altissimum altaris Sacramẽtũ: quia in eo habemus præsentiã nostri gloriosissimi, amantissimi regis, Põtificis, & sponsi, qui est Christus filius Dei, qui antequã cœlum ascenderet, suam præsentiam nobis promisit vsq; ad finem mundi dicens: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsq; ad consumationem seculi.

Ad idem.

142 *Rursus S. Paschasius cap. 2. de corp. & sanguine Domini loquens de Isaac Patriarca in morte filios benedicente, post allata ab eo verba benedictionis:* Det tibi Deus de rore cæli &c. *sic ait:* Habes, quam à longè tantus Patriarca sensit in filio fragantiam huius mysterij: ait .n. Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Quia profectò in isto agro corporis Christi Thesaurus absconditus vernat floribus immarcescibilibus, & redolet suauitate odoris: Quem, qui inuenit homo, vadit, & vendit omnia quæ habet, & emit agrum istum, vbi thesauri omnes sapientiæ, atq; scientiæ contemplantur, de quo sanè agro panis vitæ, idest, carnis, & potus sanguinis credentibus quotidie exuberat, & à fidelibus messuitur.

Ad idem.

Iterum S. Christ. hom. 27. 1. cor. in fine vocat Eucharistiam thesaurum, his verbis illum alloquens, qui eã suscepit. Vidisti spirituales nuptias, mensa regia exceptus es, duxisti choros cum Seraphim, fuisti socius supernarum potestatum: ne abijcias tantam lætitiam, ne effundas thesaurum.

EVCHARISTIA MEDICINA SPIRITVALIS.

143 *S. Ambrosius pr. cor. cap. 9. ad verba illa* Ego .n. accepi à Domine &c. *de Eucharistia ait.* Medicina .n. spiritualis, est, quæ cum reuerentia degustata, purificat sibi deuotum: Memoria .n. redemptionis nostræ est, vt redemptionis memores, maiora ab eo consequi mereamur.

Ecclesia etiam in missa sæpe rogat, vt ipsa Eucharistia sit nobis ad medicinam, ad salutem, ad tutamentum, ad incolumitatem, &c. mentis, & corpis. S. Iohannes Damascenus de fide orthodoxa lib. 4. cap. 14. de sanctis, & immaculatis Christi mysterijs. Corpus, ac sanguis Christi est, (*inquit de Eucharistia*) ad Animæ, & corporis nostri incolumitatem tendens.

EVCHARISTIA FONS SALVTARIS.

144 In Traciæ Vrbe, quæ Anchiale dicitur calidæ aquæ sunt ab imo sui fontis ignem scaturientes, quæ tam salubres esse creduntur, vt vix in vniuerso orbe æque salutares pro reparandis hominum membris inueniantur. *Hoc reffert Ioannes Magnus libro 6. cap. 14. Eucharistia amore Christi erga nos feruet, à quo processit, & in nobis pariter amorem erga eundem potissimum producit. Nihilque est hoc fonte salubrius, non corporibus hominum solum, sed & animabus præsertim. Nisse Theod. ad illa 1. cant. verba,* Meliora sunt hubera tua vino, *sic ait.* Quod si hubera mysticè etiam vis intelligere, per hubera illa admiranda, & vino præstantiora, cogita ineffabiles illos altaris fontes, ex quibus omnes nos pietatis alumni nutrimur.

Ad idem.

Narrat Sozomenus circa Emaus fontem quendam 145

dam esse; in quo Dominus cum Discipulis aliquãdo pedes lauit, cuius aqua medicina est omnis generis morborum, non solum in hominibus, sed etiam animantibus. In Emaus item, secundum Nunniellos, idem Dominus cum eisdem discipulis Eucharistiam consecrauit veram animarum medicinam.

Ad idem.

In Arcadia fons quidam est, cuius aquam qui gustat, vsq; adeo à vino abhorret, vt nec odorem ferat. Sic Stephanns de nominibus vrbium. *Vinum temporalia oblectamenta huius mundi significat, quæ sic abhorret, vt nec corã videri ferat, qui Eucharisticum fontem dignè gustat; Christo dicens:* Meliora sunt hubera tua vino, *hubera, nempè, Eucharistica, quæ sunt corpus, & sanguis eius in ea, vt nunc cum Theodoretto dicebamus, & alias etiam fusius demonstrauimus in Sermonibus.*

EVCHARISTIA FLOS CAMPI ETC.

Ego flos campi, & liliũ conuallium cantic. 2.

Flos appellanda videtur Eucharistia, primò propter id, quod verè in se est, secundo propter id, quod apparet, tertiò propter vtrumque simul. Primò flos est Eucharistia propter id, quod in se est, nempè propter Christum, qui se florem campi, hoc est, Ecclesiã nominat, dicens: Ego flos campi; *& de eodem cum Ecclesia nos pariter cantamus.* Virga Iesse floruit: Virgo Deum, & hominem genuit. *Est flos secundò Eucharistia ob id, quod apparet, scilicet ob triticum, siuè triticeum panem, quia, & ipsum triticum, antequam in campo maturescat, floret. Tertiò flos est Eucharistia propter Christum, & propter panem apparentem, hoc est panis species, in quibus est: Hoc ipsum indicasse videtur idem Christus nouo quodam miraculo, cum, scilicet, Eucharistia in terra lapsa de manu Sacerdotis ad infirmum illam deferentis, ibidem statim flos pulcherrimus ortus est, & in flore ipsa Eucharistia apparuit, quasi in illa cantaret idem Christus:* Ego flos campi, *campi, nimirum, Ecclesiastici.*

Eucharistia est lilium.

148 *Dicitur verò lilium hic flos, quia lilium flos regius, & flos Iunonis dictus est, & de lacte eius progenitus, quia in Eucharistia est Christus Rex Regum, de sanguine Sanctissimæ Virginis ortus, qui idem est cum lacte, colore mutato, vt Phisici tradunt, & de ipso lacte etiam verè nutritus: Vnde dicit ad illam Augustinus respectu Eucharistiæ:* Lacta mater cibum nostrum, lacta panem de cælo venientem, & in præsepe positum. *In Serm. 1. Natiuit. Domini.*

Ad idem.

Præterea, secundum Pierium Valerianum in suis Ieroglificis, de lilio: Meritò lilium flos regium appellatur, non à Iunone Regina tantum denominatione sumpta; sed à regia, qua præstat celsitudine, quòd tanta proceritate super flores alios attollitur, vt ad tria interdum cubita surrigatur. *Sic ille. Eucharistia ergo lilium est, quia inter alia Sacramenta multum eminet, & hoc præsertim, quia illum continet, qui solus est* altissimus super omnem terram.

Eucharistia est lilium candidum.

Porrò dicitur Eucharistia lilium candidum, quod aliorum omnium est dignissimum, propter Christi in ea contenti candorem, & puritatem, & propter etiam candorem specierum panis, ob quas lilio candido aliquo modò assimilatur. 149

Eucharistia est lilium conuallium.

Tandem hoc lilium Eucharisticum, lilium conualium, siuè vallium dicitur, hoc est humilium. De hoc, & Psalmista ait: Valles abundabunt frumento. *In Sermone 24. manifestè probauimus, Eucharisticum frumentum esse Vallium. i. humilium, non montium, idest superborũ:* Longè .n. abest à superbia, *inquit Ecclesiasticus c. 15.* Quia, Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam, *nempè Eucharisticam præsertim, vt testatur S. Iacobus cap. 4.* 150

Eucharistia est lilium Ecclesiæ Christo donatum.

Multum æstimare solet sponsa florem aliquem sibi à sponso donatum de hoc multum gloriatur, & summa cum exultatione eodem se ornat, statuens illum sibi in pectore, vel in capite: Flos est Eucharistia, nempè lilium conuallium, *vt dictum est, quem Christus Ecclesiæ sponsæ suæ largi-* 151

tus est: hoc illa multum adoratur, in ore simul, & in corde illud suscipiens, tanquam inter hubera florem, per deuotam communionem: tuncque præsertim de hoc ipso in canticis canticorum cantans: Fasciculus mirrhę dilectus meus mihi inter vbera mea commorabitur: *dilectum enim suum in Eucharistia fasciculum mirrhe dicit, (qui lilium, est candidum) ob amaritudinem passionis, & mortis eius, quæ in ipsa Eucharistia recolitur, secundum eiusdem dilecti sponsi sui præceptum.* Hoc facite in meam commemorationem.

EVCHARISTIA VT SACRIFICIVM.

Eucharistia est sacrificium laudis Deo gratissimum, & nobis vtilissimum.

152 *S. Laur. Iustinianus in Sermone de Eucharistia.* Sane nullo alio sacrificio honorificentius laudatur Deus, quam per altaris immaculatam hostiam, quam præcipuè ob Diuinæ laudis exhibitionem complendam, Ecclesiæ suæ Christus offerrendam instituit: Ipsius namque passionis, & humanæ redemptionis in ea mysticè celebrantur mysteria, hoc ipsum Domino propalante, qui ait: Hęc quotiescunque feceritis in mei memoriam facietis: Memoria .n. in oblatione hac agitur illius, quam in sua passione Dei filius excellentissimæ nobis charitatis notam fecit, qua nulla maior, nulla vtiliorę, nulla amabilior, nullaque oculis Diuinæ Maiestatis gratior, dum honorem Deo, Angelis contubernium, exulibus Coelum, religioni cultū, iustitiæ debitum, normam sanctitati, obedientiam legi, gētibus fidem, lætitiam mundo, credentibus gaudium, vnitatem populis, Sacramentis legalibus finem, initium gratiæ, virtuti robur, hominibus pacem, lucem mentibus, spem laborantibus, peregrinantibus viam, & peruenientibus tribuit speciem, nempè dolores, mediatoris nostri, irrogata conuicia, except, flagella, aceti ac felis pocula, clauorum, & lanceæ vulnera ex rediuiua sacrificij huius celebratione memorantur: offertur etiam Patri nati assumpta humanitas, quatenus agnoscat ipse, quem genuit, quemque pro hominum salute misit in terras, vt interuentione ipsius, delinquentibus veniam, lapsis manum, & iustificatis prærogetvitam.

Ad idem.

153 *S. Greg. hom. 37. in Euang.* Singulariter namque ad absolutionem nostram oblata cum lacrymis, & benignitate mentis sacri altaris hostia suffragatur; quia is, qui in se resurgens à mortuis, iam non moritur, adhuc per hanc in suo mysterio pro nobis iterum patitur. Nam quoties ei hostiam suæ passionis offerrimus, toties nobis, ad absolutionem nostram passionem illius rep aramus.

Eucharistici sacrificij dignitas, & sanctitas.

Hæc potissimum dignoscitur ex re, qua sacrificatur, & ex principali sacrificante etiam, qui vnis & idem est cum ipso sacrificio, nempe Dei filius Iesus Christus Dominus noster. Vnde de hoc S. Aug. in Psalm. 132. de Christo loquens ait. Quis est Sacerdos iste, nisi ille, qui fuit, & victima? & quis est Sacerdos, nisi ille, qui cū in mundo non inueniret mundum, quod offerret, se ipsum obtulit? 154

Eucharistia per antiqua sacrificia figurabatur.

Hinc sancta ecclesia sic de Eucharistia. Hæc hostia tam antè, quam post latam legem, varijs sacrificiorum generibus prenūtiata est; etenim, bona omnia, quæ in ijs sacrificijs significabantur, hęc vna victima, tamquam omnium perfectio, & absolutio, complexa est. *Hac Cathec.* 155

Hæc hostia alijs omnibus Sacramentis virtutem dedit.

His valdè affinia habet Ricardus de Sancto Victore tomo 3 lib. 2. p. 8. de excellentia Eucharistia cap. 1. Hæc enim hostia (*inquit*) semel pro mundi salute oblata omnibus præcedentibus, & subsequentibus Sacramentis virtutem dedit, vt ex illa sanctificarent per illam liberandos omnes. 156

In hoc

In hoc sacrificio iterum Christus pro salute nostra immolatur.

157 Hæc namque singulariter victima (*inquit S. Pasch. in epistola ad Frudegardum*) ab æterno interitu animam saluat, quæ illam nobis mortem vnigeniti per mysterium reparat. Qui licet surgens à mortuis, iam non moritur, & mors illi vltra non dominabitur, tamen in se ipso immortaliter, atque incorruptibiliter viuens, pro nobis iterum in hoc mysterio sacræ oblationis immolatur: eius quippe ibi corpus sumitur, cuius caro in populi salutem impartitur: cuius sanguis non iam in manus infidelium, sed in ora fideliũ funditur: Hinc ergo pensemus, quale sit pro nobis sacrificium, quod pro absolutione nostra passionem Vnigeniti filij semper imitatur.

In hoc sacrificio Diuinitatem, animam, & corpus Christi esse, per figuram declaratur.

158 *De sacrificio Mincha, quod verum, ac propriè dictum sacrificium erat, Dominus Leuit. 2. præcipiebat, vt* Sacerdos tolleret pugillum plenum similæ, & olei, & totum thus, & poneret memoriale super altare in odorem suauissimũ Domino. *Hoc manifestè Eucharistiam præfigurabat, quæ super altare offertur in memoriam passionis Christi, estque ei gratissimum, sicut est etiam excellentissimum. Hinc S. Bonauentura noster Serm. 44. in cœna Domini hoc ipsum de Eucharistia explicans, ait.* Nota quòd in Christo tres sunt substantiæ .s. corpus, anima, & Deitas: per similam enim caro Christi significatur: Quemadmodum simila, caruit vitio, furfure, scilicet. In simila ergo corporis Christi munditia: In oleo autem animę eius gratia: In thure vero Diuinitatis latria, siue honor significatur. *Idẽ Doctor paulo inferius sic: Vnde anima Christiana dicitur.* Ezech. 16. similam, & mel, & oleum comedisti, & facta es decora vehementer nimis, & profecisti in regnum: *Et postea citat Bernardum dicentem,* Eucharistiæ planè Sacramentum potens est peccata consumere, debellare aereas potestates, inferre cœlis recedens de terra.

Quomodo Eucharisticum sacrificium offerendum sit, & eidem assistendum.

Apud Romanos moris fuit, vt qui rem diuinam facturus erat, ad suam leuandam culpam. Se imprimus reum dicere debeat, & noxę pœnitere, ac fateri admissum, vultum que submittere, & ad omnem modestiam fingere: Deinde aut publicus præco præcedens Sacra, hoc age, clamitet, silentiumque indicat, sacris fauere, & intentos esse iubeat: namque in Deorum sacrificijs taciturnitate imprimis, & intensis animis opus erat: Grecis autem ad sacrificia accessuris hoc præfatur primum: Quis hic? Qui verò intersunt, respodent, multi, & boni. Alex. lib. 41. c. 7. 159

His similia docet Sacerdotes nostros S. Laur. Iust. in fine Sermonis de Eucharistia dicens. Vt ergo ministri altaris conscientia libera, atque syncero corde assistant altissimo, ardẽti desiderio in spiritualibus die, noctuq; insudent profectibus, orationi vacent, delectentur in Domino, Deo libentius famulentur, quam sæculo, spiritui potius intendant, quam carni: quatenus officijs sui, ac ecclesiastici gradus sortientes effectum, sacri altaris participatione sint digni.

Indignè offerentes, quam grauiter peccent, & puniendi sint.

S. Greg. 1. Reg. cap. 6. ad illa verba: Et ad quem ascendet a nobis &c. *hoc scribit:* Merito igitur qui percussos aspiciunt, dicunt: Quis poterit stare in conspectu Domini Dei Sancti huius? Nam si hi, qui indigni sunt, videndo moriuntur, contrectantes quomodo viuunt? Bethsamitæ quidem in sancta Ecclesia sunt mortui Sacerdotes, & ministri sacri altaris reprobi: quia de domo quidem solis iustitiæ sunt dignitate ministerij, non virtute, & gratia sanctitatis: Bethsamitę quidem sunt, quia per sacrę oblationis officium conuersantur in domo Dei, sed tanto sunt acriori damnatione puniendi, quantum non solum videre audent sacra mysteria, sed cõtrectare: quanto non iam veteris testamenti arcam respiciunt, sed (quod omnia superat), indignè se corpori, & sanguini ingerunt Redemptoris: Quos percussos insinuat Paulus dicens: Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi mãducat & bibit: Veri etenim fideles 160

fideles dicunt (Quis poterit stare in conspectu Domini Dei sancti huius?) Altitudinem quippe tantæ administrationis considerant, & tanti Sacramenti dignitatem formidant. Sed dum tantę rei subire officium metuunt, qui id exhibere valeant, digniores quærunt. Vnde & sequitur: Et ad quem ascendet à nobis? Quasi ergo sacra mysteria humiliter fugientes, dicant: Quia nos infirma conuersatione percutimur, ministri ex altiori vita quærendi sunt, quos dum in altissimam virtutum sanctificationem conuersatio sublimis erigit, assistere Deo per officium tantæ oblationis possint.

Ad idem.

161 *S. Cyprianus de lapsis, contra indignè ad Eucharistiam accedentes adducit primò illud Leuit. 22.* Omnis mundus manducabit carnem, & anima quęcunque mãducauerit ex carne sacrificij salutaris, quod est Domini, & immunditia ipsius super ipsum est, peribit anima illa de populo suo. *Item illud 1. Cor. 10.* Non potestis calicem Domini bibere, & calicem Demoniorum: Non potestis mensæ Domini communicare, & mensæ Demoniorum. *Item illud ibidem* cap. 2. Quicunque ederit panem, aut biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & sanguinis Domini: *post hæc omnia verò subdit immediatè hoc modo*: Spretis his omnibus, atque contemptis, vis infertur corpori eius, & sanguini: & plus modo in Dominum manibus, atque ore delinquunt, quam, cum Dominũ negauerunt: Ante expiata delicta, exomologesim factam criminis, ante purgatam cõscientiam sacrificio, & manu Sacerdotis, ante offensam placatam indignitatis Domini, & minantis, pacem putant esse, quam quidem verbis fallacibus venditant. *Hæc S. Cypr.*

Indignè offerentes Eucharistiam, eam pollucre, ac despicere dicuntur.

162 *S. Hier. ad illa verba*, Mal. 1. cap. Offertis super altare meum panem pollutum, & dicitis: in quo polluimus te? In eo, quod dicitis mensa Domini despecta est. *Sic ait*: Offertis (inquit) super altare meum panem pollutum. Polluimus panem, idest corpus Christi: quando indigne accedimus ad altare, & sordidi mundum sanguinem bibimus, & dicimus: Mensa Domini despecta est. Non quod hoc aliquis audeat dicere, & quod impiè cogitat, scelerata voce proferre, sed opera peccatorum despiciunt mensam Dei.

Nos Christiani signanter Christi carnem, & sanguinem Deo offerimus, & vtrũque etiam summimus.

Erasmus in adagijs ait primò: Phisetæ ossa Dijs sacrificant, ipsi verò vescuntur carnibus; *Postea subdit de eisdem* Atque ij profectò plurimum sapiunt, mea quidem sententia. *Sapientiores valdè Thisetis sunt Christiani: hi enim à Christo edocti, non Dijs falsis, sed verò Deo offerunt & carnem, & sanguinem filij Dei in altari, & vtrumque etiam sumunt.* 163

Eucharistia ritè sacrificium propitiatorium vocatur.

Traces (*inquit Alexander lib. 6. c. 26.*) Zamolxim quem maximũ Deum putant, non aliter fieri propitium existimarunt, *quam si ad* aram facili lancearum ictu homo concideret, eam optimam, & Dijs gratissimam victimam opinati. *Nos in altari Deo vero, & quem maximum verè credimus, Christum filium eius offerimus, qui eidem patri suo in ara crucis pro nobis se obtulit, in qua est* vulneratus insuper mucrone diro lanceæ: *Neque aliter (Diuino supposito decreto) nobis idẽ maximus Deus propitius fieri poterat: sicut & nos etiã per ipsum sacrificium, eũdem propter noua peccata de nouo nobis iratum, propicium semper nobis ipsis reddimus: fuitque semper, & erit idem sacrificium & optimum & eidem gratissimum, sicut in sermone proprio latius demonstramus.* 164

In hoc sacrificio Deus anima pura contentus est.

Narrat idẽ Alex. lib. 4. cap. 14. quòd Persæ ex immolata victima nihil Dijs adolent, solâ anima Deos contentos esse rati. 165

Deus bonorum nostrorum non indigens, anima nostra à peccatis pura, & virtutibus ornata verè contentus est, & tunc maximè, quãdo Eucharistiam victimam eidem immolamus. Ad hominum vnumquẽque enim ait in Prouerbijs cap. 23. Præbe fili mi cor tuum mihi, & oculi tui vias

vias meas custodiant. *& rursus Gen. 14.* Da mihi animas, cætera tolle tibi; *vel secundum Hebraicam & Chaldaicam litteram*, Da mihi animas, & substantiam tolle tibi. *Hinc Psalmista etiam*: Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum, Deus non despicies.

EVCHARISTIA IN ORDINE AD SACERDOTEM.

Magna Sacerdotum dignitas ratione Eucharistiæ: Et quomodo propter hoc circa illos nos habere debeamus.

166 *S. Laur. Iust. in Sermone de Eucharistia ad Sacerdotes.* Nullam prorsus maiorem valetis acquirere dignitatem, quam Corporis, & Sanguinis Domini tractare Sacramenta: Hoc vobis satis sit, etiam si honoris gradu, atque transeuntis gloriæ culmen appetitis, quod reliquis præeminet dignitatibus. *Hinc Sanctus Pater Franciscus aiebat*: Sacerdotes omnes volo timere amare, & honorare, sicut Dominos meos: & nolo in ipsis considerare peccatum, quia filium Dei discerno in eis, & domini mei sunt: & propter hoc facio, quia nihil videtur corporaliter in hoc sæculo de ipso altissimo filio Dei, nisi sacratissimũ corpus eius, & sanctissimum sanguinem suũ, quem ipsi conficiunt, & ipsi soli alijs administrant.

Quales esse, & qualiter celebrare debeant Sacerdotes.

167 *Hoc idem Pater in Epist. 12. ad Sacerdotes totius ordinis ostendit, dicens.* Deprecor itaq; omnes fratres cum osculo pedum; & cum charitate, qua possum, vt omnem reuerentiam, & omnem honorem quantumcunq; poteritis exhibeatis Corpori, & sanguini Domini nostri Iesu Christi, in quo, quæ in Cælis, & quæ in terris, sunt pacificata, & reconciliata omnipotenti Deo. Rogo etiam in Domino omnes fratres meos Sacerdotes, qui sunt, & erunt, & esse cupiunt Altissimi; quòd quandocunque voluerint Missam celebrare, puri, & purè faciant cum reuerentia verum Sacrificium sanctissimi Corporis, & Sanguinis Domini nostri Iesu Christi, sãcta intentione, & munda: non pro vlla terrena re, neque timore, vel amore alicuius hominis, quasi placentes hominibus: Sed omnis voluntas, quantũm adiuuat gratia Omnipotentis, ad eum dirigatur, & solum ipsi Deo summo tantum placere desiderent: quia ipse solus operatur ibi, sicut sibi placet. Quoniam, sicut ipse Dominus dicit: Hoc facite in meam commemorationem: si quis aliter fecerit, Iudas traditor efficitur. Recordamini, fratres Sacerdotes, quoniam scriptũ est in lege Moysi, quòd transgredientes in corporalibus, sinè vlla miseratione per sententiam Domini moriebantur. Quanto maiora, & peiora meretur pati supplicia, qui filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & Spiritui sancto contumeliam fecerit? Despicit enim homo pollutus & conculcat Agnum Dei: quoniam sicut dicit Apostolus, non dijudicans, & discernens sanctum panem Christum ab alijs cibarijs, vel operibus, indignis, indignus manducat, cùm Dominus per Prophetam dicat. Maledictus homo, qui opus Dei facit negligenter, vel fraudulenter. Et propter Sacerdotes, qui nolunt ponere super id cor in veritate, condemnat nos dicens: Maledicam benedictionibus vestris. *Hæc S. Franciscus, & infra sic*: Moneo præterea, & exhortor in Domino, vt in locis in quibus morantur fratres, vna tantum celebretur Missa in die, secundam formam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Si verò in loco plures fuerit Sacerdotes, sic sit per amorem caritatis alter contentus audita celebratione Sacerdotis alterius: quia absentes, & præsentes replet, qui eo digni sũt, Dominus noster Iesus Christus, Qui licet in pluribus locis reperiatur, tamen indiuisibilis manet, & aliqua detrimenta non nouit: sed vnus verus, sicut ei placet, operatur cum Domino Deo Patre, & Spiritu sancto Paracleto in sæcula sæculorum. Amen.

Sacerdotum Christianorum temperantia, & sobrietas Sacerdotum Ægyptiorum, & Prophetarum Leuis exemplo asseritur.

Alex. ab Alex lib. 4. c. 17. relatus cum alijs in Theatro vitæ humanæ vol. 9 lib. 2. sic de Ægyptiorum Sacerdotibus scribit: Ægyptiorum Sacerdotes 168

sacerdotes

cerdotes cum cœperint Diuino cultui deseruire, à carnibus & à vino semper abstinuerunt: lac etiam in cibis & oua fugiebāt, quorum alterum, carnes liquidas, alterum, sanguinem esse dicebant, colore mutato: carnis autem & vini saturitatem, libidinis esse seminarium.

Idem Teatrum, ibidem subdit: In Creta, vt euripides tradit, Iouis Prophetæ non solum Carnibus vescebantur, sed ne coctis quidem cibis.

Quid faciat Sacerdos antequam celebret.

169 *Sacerdos in mortali existens prius per pœnitentiam Diabolum occidat, quam Eucharistiam offerat. nam apud Scithas etiam*, qui hostem nullum interfecisset in acie, in solemnibus libare non poterat, *sicut scribit Gyraldus lib. 7. Deorum gentilium.*

Qualis esse debeat Sacerdos, eo quod est minister Altaris.

Explicat hoc diserte S. Laur. Iust. Serm. de Eucharistia sic Hinc etiam Dominici altaris qualis debeat esse minister, claret perspicue. Nequaquā iuxta fragilitatis humanæ mensuram, loco debet esse dissimilis. Sit itaque pudicus corpore, omni tempore secundum Prophetę admonitionem vestimenta impolluta custodiens: Sit corde humilis, vt super eum, tanquam in proprio habitaculo spiritus Domini requiescat: Per vatem namque suum pollicetur: Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem, & quietum, & trementem sermones meos: Sit conuersatione sanctus, dicente Domino: Sancti estote, quoniam ego sanctus sum: Sit temporalium contemptor facultatum, & a terrenorum solicitudine liber, quatenus Deo valeat vacare: Sit deuotione assiduus, secū habitare desiderans. Tumultus hominum, & maximè sceleratorum euitet, ne eorum conuersatione fœdata mens, puritatis decorem amittat, & phantasmatum colluuione depressa, solo corpore Deo assistendo ministret. Improbū etenim est, atque indignum altaris ministrum ea, videlicet, hora, qua sacramētorū cœlestium immolationi incumbi, passim per vitiorum, ac cogitationum inutilium vagari campos, qui tota animi intentione debuit in Deum esse suspensus. Spiritualis est ista iactura, per quam pietatis dissipantur sparsa iam semina, virtutum arbusta siccatur, & sancti spiritus dona paulatim decrescunt. Sic enim legitur: Spiritus sanctus disciplinę effugiet fictum, & aufert se à cogitationibus, quę sunt sine intellectu:

Qualis esse debeat Sacerdos quando celebraturus est.

Docet hoc ibidem immediate idem Sanctus his verbis. Totus igitur sacerdos, quum ministraturus est sancta, se reducat in se, omnemque cordis habetudinem, rumorem animi, ac mentis fluctuationem, deuotionis pro posse censura compescat, quatenus in spiritu Deo spiritualiter inhęrendo, deseruiat. At verò hoc nunquam perficere poterit, nisi assuescat ambulare in spiritu, passionum impulsus, ac exteriorum cohibere fragores. Talia profectò esse debent sacerdotum studia, vt ex eorum exercitatione eleuentur ab imis, cœlesti charitate flammescant, sapientię pinguescant gustu, scientiæ magisterio polleant, atque interioris vnitatis iura custodiant. Hęc quauis sint ardua, ministrantibus tamen Christo omninò conueniunt: Illis propterea iuxta patrum decreta inhibetur aduersus hostes visibiles arma arripere, secularibus se implicare negotijs, lucrisque insudare terrenis, vt liberius diuinarum eis liceat studijs intendere scripturarum, vacareque per contemplationis ocium, & videre, quam suauis sit Dominus, nec non per spiritualem disciplinam, cunctam interioris suæ domus familiam in obsequium reformare virtutum. Hinc Domino iubente mandatur in lege, quatenus sacerdotibus templique ministris, quorum Deus est portio, decimę frugum, ac ceterarum rerum, quæ ad vsus hominum sunt, tribuantur, atque primitię, vt à temporalium curis absoluti, sacri altaris, & verbi Dei, vel animarum regiminis fructuosius ministerio occupentur.

Mali sacerdotes Christianorum magis impij sunt, quam mali sacerdotes Iudeorum.

S. Basilius de Baptismate lib. 2. quæst. 2. allegat inter alia primò hæc verba Domini ad Moysen. Dic ad Aaron: Homo ex genere tuo in fa- 171

in familia veſtra, qui habet in ſeipſo maculam, non accedet ad offerendum dona Deo ſuo: nam omnis homo, in quo eſt macula, non accedet: *& Poſtea hæc ſubdit*. At vero Dominus dicens: Plus templo hic eſt, erudit nos, quòd tantò magis impius eſt, qui audet tractare Corpus Domini, qui dedit ſeipſum pro nobis oblationem, & hoſtiam in odorem ſuauitatis, quantum corpus vnigeniti filij Dei excedit arietes & tauros, non in comparationis ratione, incomparabilis enim eſt excellentia.

Qualem mereantur pœnam ſacerdotes Euchariſtiam indignè pertractantes.

172 *Tertul. lib. de Idolatria c. 7. de Euchariſtia & Sacerdotibus ait*. Parum ſit, ſi ab alijs manibus accipiant quod contaminant, ſed etiã ipſe tradunt alijs, quod contaminauerunt. Adleguntur in ordinem eccleſiaſticũm artifices Idolorum: Prò ſcelus, ſemel Iudei Chriſto manus intulerunt, iſti quotidie corpus eius laceſcunt: O manus præſcidendæ: Viderint iam, an per ſimilitudinem dictum ſit: Si te manus tua ſcandalizat, amputa eam: Quæ magis amputandæ, quã, in quibus Domini corpus ſcandalizatur?

Non ſolum manus mali ſacerdotes præſcindi merentur, ſed etiam & oculus effodi à Coruis torrentis & ab Aquilis comedi.

173 *Prou. 30. legitur*. Oculum, qui ſubſanat patrem, & qui deſpicit partum matris ſuæ, ſuffodiant eum corui de torrentibus, & comedant eum filij aquilę. *Lectio Hebraica ex Vatablo habet*. Qui matris doctrinam ſpernit. *ex Pagnino verò* Qui contempſerit obedientiam matris. *Modò, ſi qui ſubſanat carnalem patrem, & ſpernit doctrinam, vel obedientiam carnalis matris, meretur, vt oculus ſibi effodiatur, ſiue eruatur (vt Vatablus legit) a coruis torrentis, & a filijs aquila comedatur, quantò magis hoc ipſum meretur malus ſacerdos: etenim indignè Euchariſtiam offerens, ſumens, & alias pertractans, ſubſanat verè cœleſtem patrem, ac deſpicit partum Virginis ſantiſſimæ, Chriſtum, nempe, filium eius in ipſa Euchariſtia exiſtentem & præterea ſpernit doctrinam, contemnitq; obedientiam ſanctæ matris Eccleſiæ, quæ docet, ac præcipit eiſdem Sacerdotibus, vt dignè quantum poſſunt, eandem Euchariſtiam ſemper tractent.*

Totus ipſe malus ſacerdos deuorari meretur à Leonibus.

Non ſolum oc[u]lus mali ſacerdotis a Coruis effodi, & ab aquilis comedi meretur, verum etiam ipſe totus meretur deuorari à leonibus, & hoc exemplo ſcripturarum, nempe 3. Reg. cap. 13. vbi legitur de quodam Propheta, quòd inuenit eum Leo in via, & occidit. *Et propter quod occidit eum? quia nempe contra præceptum Domini comederat panem, & aquam biberat in domo alterius Prophetæ etſi hoc fecerat inuitus, & ab eo multum rogatus. Vnde inſuper pro excuſatione ſua, ne. ſ. hoc facere ab illo quaſi cogeretur, etiam prohibitionem Domini illi retulit, dicens*. Sic enim mandatum eſt mihi in ſermone Domini: Ne comedas panẽ, neque bibas aquã, *Si propheta iſte occiſus eſt a leone, ſolummodo quia contra præceptum Domini materialem panem comedit, & aquam bibit, quantò magis morte dignus eſt ſacerdos, qui panem comedit, qui de cœlo deſcendit & ſanguinem noui teſtamenti bibit, & inſuper offert etiam contra eiuſdem Domini præceptum per Paulum relatum*. Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat & de calice bibat? 174

Ad idem.

Confirmantur hæc omnia autoritate Diui Ambroſij. Ipſe enim ad illud Lucæ cap. 13. de Galilæis, quorum ſanguinem Pilatus miſcuit cum ſacrificijs eorum, quia, nimirum, ab eodem ſunt occiſi, dum actu ſacrificarent, quòd malè ſacrificarent, ſic ait: figura quædam videtur eos tangens, qui coactu diabolico non purè offerunt ſacrificium, quorum oratio in peccatum, ſicut de Iuda ſcriptum eſt proditore, qui proditionem ſanguinis Domini inter ſacrificia poſitus cogitabat. 175

Ad idem.

Catechiſ. Romanus de ſacramento Euchariſtiæ. Nulla grauior alicuius ſceleris animaduerſio a Deo metuenda eſt, quam ſi res omnis ſanctitati plena, vel *potius, qua ipſum ſanctitatis auctorem, & fontem continet, neque ſanctè, neque religioſe à fidelibus tractetur*. 176

Huius sacramenti excellentia, dignitas, sanctitas, & virtus.

Angelicus Doctor de hoc Sacramẽto in eius officio ait. Nullum sacramentũ est isto salubrius, quo purgantur peccata, virtutes augentur, & mens omnium spiritalium charismatum abundantia impinguatur.

176 *S. Laurentius Iust. de disc. & perfect. mon. conu. cap. 19.* Quis autem huius excellentissimi sacramenti dignitatem sufficienter fari potest? Humanam, & Angelicam transcendit gloriam. Quidquid in illo est, Diuinum est: Sub illis namque accidentibus totus Christus est Deus verus, & homo verus, integer permanens in diuisione sacramenti, totus sub vnaqueque particula. A singulis sumitur totus, a quibusdam dignè, a quibusdam indignè.

Ad idem.

177 *Idem in sermone Eucharistiæ.* Tantæ siquidem dignitatis, tanteq; excellentiæ esse probatur, vt in eo ipsa etiam Angelica natura miretur, veneretur sub accidentibus Christum, Diuinam in sacramento maiestatem, colat, gaudeatque vehementer esse cum hominibus Deum. Ecce (inquiunt inter se) tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis: & ipsi populus eius erunt, & ipse cum eis erit eorum Deus. Est planè nobiscũ Deus, remotus tamen per speciem, propinquus verò per fidem, & præsens per sacramentorum sui corporis, & sanguinis veritatem.

Ad idem.

178 *Catech. Romanus.* Ex omnibus sacris mysterijs, quę nobis tamquam diuinę gratię certissima instrumenta Dominus Saluator noster commendauit, nullum est, quod cum Santissimo Eucharistiæ sacramento comparari queat.

Ad idem.

Idem Catech. Huius admirabilis sacramenti dignitatem, atque excellentiam cum sacri scriptores fieri nullo modo posse intelligerent, vt vno vocabulo demonstrarent, pluribus eam nobis exprimere conati sunt.

Et Sequitur plura has nomina recensere, & explanare. Eucharistia, communio viaticum, cœna, sacramentum pacis & charitatis &c.

Ad idem.

Idem Iust. de triumphali Christi agone. Maximum namque, & inscrutabile est sacramentũ, opertum fide, Diuinitate præditum, verboque contentum.

Hoc Sacramentum est cellarium aromatum.

Idem Iust. de disci. & perf. &c. Si quis verò inedia tabescit, vel fatigatus in prælio, reparare vires concupiscit, Sacrosancta corporis Christi fideliter sumat mysteria, & statim conualescit in melius, pristina restaurata virtute: est namque sacramentum hoc tamquam cellarium quoddam omnium aromatum, in se continens praciositatem, & virtutem: In ipsum qui ingrediũtur, refocillantur ab omni fatigatione, nec deficiunt, donec præsentis vitæ terminus finiatur. 179

Hoc sacramentum bonum & pulchrum Dei dicitur, bonos & pulchros valde nos faciens.

S. Pasch. de corp., & Sang. Domini cap. 21. allegans pro Eucharistia verba illa. Zacharia. 9. 180
Et Quid bonum eius est, & quid pulchrum, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines? Vbi notandum est (*inquit*) quòd non nisi electorum est cibus, ex quo bonum salutis Ecclesiæ, & pulchritudo decoris præstatur: quia etsi quotidie sordescit, exinde reparatur, vt sponsa Christi sine macula, & ruga talibus inueniatur respersa muneribus: Alioquin dum quotidie peccamus (licet in minimis) quomodo sine macula esse possumus? Non est ergo immaculata, quam neui obscenitas dedecorat: sed quia per hæc purgatur iugiter: Pulchrum eius est hoc corpus, ex quo iam speciosa per lauacrum,

erum amplius pulchrescit, vt candore lilij & rubore Sanguinis in hoc mysterio decoretur: Bonum quippe, vt ad vitam æternam proficiamus. Pulchrum verò, dum immortalitatis gloria vestimur, vt & interius fruamur vitæ dulcedine, & exterius fulgeamus nitidius de tanti beneficij gratia. *Hæc ibi S. Pasch. & infra rursus sic.*

Habes, charissime, sanctorum vitę bonum, quod nullum est aliud. Habes pulchrum venustatis, quo tuas infantiæ abluas sordes.

Quid sit hoc Christi Corporis Sacramētū.

181 *Sanctus Antonius de Padua ordinis minorum in sermone de cœna Domini sic verba Christi de Eucharistia explicat.* Accipite (tanquam donum magnificum & comedite) tanquam cibum saluificum (hoc est corpus meum) Hoc est, inquam, corpus virtute Spiritus sancti conceptum, hoc est corpus in instanti formatum, hoc est corpus de Virgine natum, hoc est corpus vinculis ligatum, hoc est corpus durè flagellatum, hoc est corpus in cruce leuatum, hoc est corpus felle potatum, hoc est corpus lancea sauciatum.

EVCHARISTIÆ ALTARE.

Altare Eucharistiæ est Ara Ignoto Deo Act. 17.

182 *Altare in quo Eucharistia colitur, dici potest Ara ignoto Deo, de qua Paulus Act. 17. ad Athenienses.* Viri Athenienses, per omnia quasi superstitiosiores vos video, præteriens enim, & videns simulacra vestram, inueni & Aram, in qua scriptum erat: Ignoto Deo: *Duas n. affert causas Oecumenius (sicut testatur Sixtus Senensis in sua Bibliotheca sancta lib. 2.) huius modi inscriptionis: Ignoto Deo.* alteram quòd cum Athenienses nuntios misissent ad Lacedemonios oratum, vt venirent ipsis auxilio aduersus exercitum Persarum Greciam inuadentem, spectrum panis iuxta Parthenium nuncijs apparuit, acusans Athenienses, quòd, se neglecto, alios Deos colerent, & se pro sua erga eos beneuolentia, auxilio futurum promisit: Cum itaq; victoria potiti essent Athenienses, Templum illi erexerunt, Aramq; ædificarunt, & tanquam obseruantes, ne idem sanè, vel aliud simile ipsis accideret, si quempiam ignotum sibi Deum prætermimitterent, Aram illam ei erexerunt, inscribentes, Ignoto Deo, ac si dicerent, si quis adhuc alius Deus est nobis ignotus, in eius honorem hanc Aram erigimus, vt nobis propitius sit, licet cum ignoretur, non colatur. Alteram verò causam affert talem. Laborabant quadam grauissima peste Athenienses, & cum Deorum omnium, quos ipsi colerent, opem multis votis, præcibus, ac sacrificijs implorassent, nihil adiumenti senserunt: intelligentes igitur, quendam fortassis esse Deum, quem ipsi absq; honore reliquissent, qui iratus, pestem immitteret, nouam extruxerunt Aram, eàq; inscripserunt Ignoto Deo, quo facto statim pestis cessauit.

Verè dici posse videtur altare nostrum Eucharisticum, Altare, siuè Ara Ignoto Deo, *scilicet, dicata & consecrata, & in aqua ignotus Deus colitur: quià Dei filius Iesus Christus Dominus noster in Eucharistia existens, quem super ipsum Altare colimus, & veneramur, vt sic, est nobis ignotus, scilicet, specie, & si non fide, corpori, non anima, sensui, non Intellectui. Praterea aliquo modo potest dici Deus Pan (vt alias fusius pertractamus) quo nomine vocabatur ignotus ille Deus, cui Athenienses Aram struxerant: nam ipse ait: Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi: Ab eo enim pro sua erga nos beneuolentiam, non solū auxilium & victoriam cōtra quoscumq; inimicos nostros, & præsertim inuisibiles, nempe demones, & contra mala omnia remedium obtinemus, sed etiam bona, quaque & præsertim spiritualia, & æterna.*

Magna altaris dignitas & Sanctitas.

S. Laur. Iust. in serm. de Eucharistia. Æque in altaris sede, quemadmodum in cælo colitur Deus, quamuis aliter: hinc Altaris sacri quanta sit dignitas, optimè comprobatur, in quod præsentialiter descendit Deus, & in quo sacramenta cœlestia consecrantur. Illius quippè excellentiam olim Patriarca Iacob præuidit in spiritu. Cum enim Me- 183

G 2 sopo-

sopotamiam pergeret, lapideque capiti supposito obdormisset in via, vidit in somnis erectam scalam tangentem cælos, atq; Angelos ascendentes per eam, ac descendentes, Dominumq; scalæ super innixum: Quamobrem expergefactus, & præ magnitudine Sacramenti admiratione comprehensus, ait: Verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebam, pauensq; quam terribilis est (inquit) locus iste: Non est hic aliud, nisi Domus Dei, & porta cæli. Vides ne quam lunge ante sacri Altaris Patriarchę huic sint reuelata mysteria? equidem (vt iste ait) terribilis est Altaris locus, in quo Angelorum, Arcangelorumque millia Domino descendente assistunt, quemadmodum mysticè Propheta declarat, dicens: Currus Dei decē millibus multiplex, millia lętantium, Dominus in eis, in Sina sancto. Assistunt planè fruitione beata lætantes, & per scalam, quæ in Christi humanitate signatur, nunc in verâ contemplatione ascendunt, nunc in ipsius assumpti hominis iucunda consideratione descendunt: Nullus verò præter Dominum, eidem scalæ innixus esse perhibetur, quatenus intelligas mediatoris personā in felicissimo trinitatis solio triumphaliter residere: Quamuis enim secundum naturā assumptæ mortalitatis, Patri ipse sit minor, est tamen Verbum, quod caro factum est, æqualis gloriæ cum Patre, eiusdem naturæ, parisq; potentiæ, ità vt non sit posterior tempore, nec virtute inferior, sed per omnia similis, sicut idem ait: Ego & Pater vnum sumus: & iterum: qui videt me, videt & Patrē. Meritò igitur in altaris sacri loco, quando diuina tractantur mysteria, Dominus est, non figuraliter, sed verè essentialiterq;. Hinc loci huius euidentissime percipitur quanta sit dignitas, quantumuè colendus, vbi Domus est Dei, Porta cæli, Dominus vniuersorum, innumerabiliumq; Angelorum honorabilis frequentia. Deliciarum spiritualium affluentiam loci istius Psaltes egregius contemplatus, aiebat: Quā dilecta tabernacula tua, Domine virtutum: concupiscit, & defficit Anima mea in atria Domini. Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum: Vnde exultauerat? Inquit: Altaria tua Domine virtutum, Rex meus, & Deus meus. Beati qui habitant in Domo tua, in sęcula sęculorū laudabūt te.

Altare Eucharistia Altare fidei dici potest:

In Monte Olympo Altare quoddam erat, vt quidam scribunt, quod Altare fidei dicebatur, & coronam habebat. Altarè Eucharistiæ Altare fidei dici potest, quia in eo Eucharistia conficitur, quæ mysterium fidei dicitur: quia in hoc maximè fides est necessaria: dicitur verò coronatum hoc altare, propter ipsam Eucharistiam, quæ in eo offertur, ac sumitur, quia est corona omniū sacramentorum, & sacrificiorum: & praterea, quia coronam gloria confert ipsam dignè sumentibus, secundum Domini Saluatoris promissum: Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. 184

EVCHARISTIA QVALE MYSTERIVM.

Eucharistia mysterium est alijs omnibus maius, & in omni tempore à Christianis celebratur.

185 *Habebant ex antiquis nonnulli maiora mysteria, & minora etiam, quæ in diuersis anni temporibus celebrabant, vt refert Theatrum vita humana ex alijs. Eucharistica mysteria habent Christiani, quæ sunt incomparabiliter maiora, & sanctiora omnibus alijs, & ea semper celebrant, & in omnibus anni temporibus.*

Mysterium Eucharisticum omnium maximum absolutè dicendum est.

Mysteria apud Eleusinem terræ Atticæ duorum germanorum celebrabantur magna, & parua: Cereri sacra erant magna Proserpinæ parua. Hæc dicebantur mysteria Eleusinia: Sic Celius lib. 16. c. 9. 186

Mysteria Eucharistica non magna solum, sed maxima omnium aliorum dicenda sunt, & celebrantur non in vna solum, sed in omni terra prorsus.

Hac Cereris quodamodo dici possunt, quia in frumento, quod primò Ceres adinuenit, à Christo adinuenta sunt, & instituta. Hinc, sicut Ceres pro-

pro ipso pane aliquando ponitur, sic & ipsa Eucharistia, in qua sub forma frumentacei panis Christus est, panis vocatur, qui de Cœlo descendit.

Mysteria Eucharistica valde secreta sunt, & ineffabilia.

187 Apud Eleusinos capitale erat quicquam ex mysterijs in vulgus efferre. Pariter apud Romanos in sacris bonæ Deæ hoc interpretationem Pitagorici nominantes, nihil respondebant de Diuinis rebus, quoquomodo interrogarentur. Sic Theatrum v. h. vol. 1. lib. 3. *Eucharistia etiam dicitur mysterium, hoc est sacrum arcanum, vel secretum. Mysteriũ enim à verbo greco deriuat, quod, claudere, vel silere significat. Eucharistia siquidem inter omnia alta mysteria Christianorum, secretius, & ineffabilius est. Hinc dicitur etiam* mysterium fidei, nam (*vt quidam ait*) fides habet suam ineffabilitatem. *Hæc enim duo verba*, mysterium fidei, *quæ in forma sunt consecrationis calicis, etsi in euangelio non reperiantur, Ecclesia tamen perpetua traditione à Christo prolata semper tenuit in eiusdem Eucharistiæ institutione: & proinde eisdem semper & ipsa vsa est: De celebratione enim missarum in cap.* Cum Marthę, *dicitur de forma consecrationis Eucharistiæ, & de his verbis speciatim:* Credimus igitur, quòd forma verborum, sicut in canone reperitur, & à Christo Apostoli, & ab ipsis eorum receperunt successores.

Mysterium hoc est quasi arbor, sub quo protegimur.

S. Laur. Iust. de disc. & perf. mon. conu. cap. 2. de Eucharistia loquens, ait. Est etiam mysterium hoc quasi ingens arbor virentibus referta folijs, sub qua quicunque fugiunt laborantes, & peregrinantes, proteguntur in ipsius vmbraculo ab diei æstu, à turbine quoque, & à pluuia. 188

Mysteria Eucharistica quia optima, & sanctissima sunt, ideo in publico fiunt: quare, nullus se excusare potest, quin ea veneretur.

Demonax Philos. se excusauit, quòd ad Eleusinia mysteria non accederet, dicens, ea sacra meritò sibi esse suspecta, quæ in occulto fierent: nam si bona essent (dicebat) ea manifestari oportere: si mala, debere refugi. Volat. lib. 15. Anthroph. *Eucharistica mysteria publice semper in Ecclesia celebrari solent: sunt enim optima, & sanctissima, nulloque modo suspecta: Idcirco nulla est vera excusationis ratio, propter quam illa refugiant, vel non venerentur mali fideles, hæretici, & alij omnes Ecclesiæ Sanctæ hostes.* 189

Ad idem.

S. Chrisost. Hom. 83. in Matt. de Eucharistia. Hoc enim mysterium non a rapina tantum, verũ & ab omni vel tenui inimicitia purum esse pœnitus iubet: est enim pacis mysterium.

EVCHARISTICVS SANGVIS.

Excellentissimus est calix Eucharisticus, quia Dei sanguis est.

190 Olim peracto conuiuio, sublataq; mensa meracum inferri consueuisse ostendit Zenodotus, & Aristophanes: is Calix boni genij appellabatur Theatrum vitę humanę. *Calix Eucharisticus non genij siuè Dij falsi & falsò boni Calix est, sed veri Dei, & verè optimi, & filij Dei, qui etiam homo est: Hic enim postquam in vltima cœna cum Discipulis suis cœnauit, vinum in sanguinem suum conuertit, & sibimet, & illis intulit, dum ex illo bibit, & eisdem pariter dedit, dicens illis:* bibite ex hoc omnes: hic est enim sanguis meus.

Calicis Eucharistici consecratio adumbrata videtur aliqua ex parte in superstitiosa quadam consecratione alterius vasis vini Vandalorum.

De Vandalis sic scribit Crantius lib. 3. Vand. c. 3. Vandali in conuiuijs & compotationibus suis pateram olim certis verbis consecrabant sub nominibus Deorum boni, & mali, omnes prosperam fortunam à bono Deo, aduersam à malo dirigi petentes. *Sacerdos* 191

cerdos certis verbis Christum solum Dei optimi filium nominans, calicem consecrat, de eo dicens, Accepit calicem in sanctas, ac venerabiles manus suas &c. *Idemq; petit ab eo, non prosperam fortunam tantum dirigi, sed omnia nostra pariter ad eiusdem gloriam, & ad nostram vtilitatem, & spiritualem præsertim.*

Potentia Dei in Eucharistico sanguine, sicut & in corpore etiam declaratur.

192 Olim apud nonnullos mos fuit, vt cibis appositis mox vinum indilutum infunderetur, quo nimirum declararent, quanta vis esset boni Dei, deinde cum suo quisque arbitrio diluisset, nomen Iouis seruatoris præfabantur, innuentes, ita temperatum vinum tutò, citraq; noxam bibi. Aristophanes in Pluto; *Vinum quidem indilutum, & nos ad altare portamus, sed diluimus ibidem ipsum consecrantes, & non Iouem falsò seruatorem, sed Iesum verè mundi Saluatorem, & seruatorem præfamur, ipsumq; postea bibimus, non solum tutò, citraque noxā corporis, sed & ad tutamentū mentis & corporis simul, & ad omnem vtilitatē nostram, totiusq; Ecclesiæ sanctæ: & in omnibus his declaratur, non solum quanta sit vis & potentia Dei optimi, sed etiam ipsius sapientia, bonitas, charitas, & misericordia.*

Calix Eucharisticus lumine, ac vita plenus est, & dignè potandus, vt sit in remissionem peccatorum, & non ad iudicium.

193 *S. Ephrem De iudicio extremo, & de compunctione, loquens de cæco, qui à Domino illuminatus est, & ad natatoria Siloe missus, sic ait, ipsum Christum alloquens:* Et licet procul à nobis sit Siloe, quo cæcus missus erat, calix tamen tremendi tui sanguinis lumine ac vita plenus nobis præstò est: hoc nobis calice intelligentiam, lumenq; largire, vt cum fide, ac desider o, ac sanctificatione, ad ipsum accedamus, sitq; nobis in remissionem peccatorum, & non ad iudicium: qui enim anima indigna ad diuina participanda mysteria accesserit, seipsum condemnat, non purificans se, vt te Regem ac Dominum in pectoris sui thalamum suscipiat.

Cur dicatur Calix noui Testamenti?

S. Anselmus illa verba 1. Cor. cap. 19. Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine, *sic explicat.* Potus huius calicis est sanguis meus, qui non vetera, sed noua, idest, non terrena, sed cælestia bona promittit: nam calix Moysis vetus testamentum fuit, quia terrenam hæreditatem promisit in sanguine vitulorum, & hircorum. *Hac Anselmus. Ex quibus etiam patet, cur in missa dicatur,* calix noui, & æterni testamenti, *quia s. in nouo testamento, post quod aliud non erit, ordinatum est, & quia nouam, & æternam nobis hæreditatē promittit:* Qui bibit meum sanguinem habet vitam æternam. 194

Calix Eucharisticus Calix est veri amoris, & amicitiæ.

Theatrum vitæ humanæ vol. 28. lib. 3. hæc narrat. Dicebatur Crater Philotesius Grecis, quem in conuiuijs porrigebāt alij alijs, ceu amicitiæ symbolum: Scithæ quoq; amicitias, quarum sunt pertinacissimi, Cratere conciliabant, vt testatur in Tox. Lucianus: Esichius indicat hunc solere adhiberi post cœnam, cum in signum amicitiæ, ex eodem poculo de eodem vino bibunt omnes: Germanis turpissimum est, post acceptum Philothesium poculum, veterum offensarum quamuis capitalium meminisse: ne iudices quidem admitterent actionem iniuriarum Erasmus in adagijs. *Calix Eucharisticus, quē Dominus Discipulis suis dedit, dicens.* Bibite ex hoc omnes hic est enim sanguis meus, *Crater Philotesius dici potest, & verius quā illa antiquorum, quia hic veram amicitiam verius & supponit & auget etiam, ac conseruat inter bibentes illum dignè.* 195

Vinum Eucharisticum æternam nobis vitam confert.

Olim vini potio fœminis corporalem mortem inferebat: vnde Egnatius mecenius vxorem occidit, quòd vinum bibisset: qui bibit Christi sanguinem in vino consecratum, habet vitā æternā. 196

Quando calicem Eucharisticum bibimus, meminerimus, nos Christi sanguinem bibere.

Andreas ad Alexandrum Magnum scribens, 197

bens, eiusq; intemperantiam cohibens, ait illi: Vinum potaturus Rex memento, te bibere, sanguinem terræ: *Sanguis Eucharisticus sanguis terra illius est, de qua cantatur,* Terra dedit fructum suum: *nempè Virginis sanctissima, ex qua Christus ortus est. Huius rei multò magis meminisse debemus, quando illum bibimus, cum vita temperantia & sanctitate illum bibentes.*

Ad idem.

Refert Plinius legem à Numa latam, qua statuebat, ex imputata vite Dijs libare nefas esse. Christus ait: Ego sum vitis vera: *qua, scilicet, in passione, flagellis, spinis, clauis, & tormentis, alijs multipliciter putata fuit: ex huius vitis vino nempè, sanguine, in ipsa passionis sua putatione in calice expresso, Deo in altari libamus, filium eius sic putatum mente putantes, & memorantes, secundum eiusdem præceptum:* Hoc facite in meam commemorationem.

Sanguis Eucharisticus nos roborat & armat contra Diabolum.

198 Elephantis ostenderunt sanguinem vuæ & mori, ad acuẽdos eos in prelium. 1. Mach. cap. 6.

Si sanguis materialis, & corruptibilis vua, & mori brutis animalibus ostensus, eos potuit acuere in prælium contra homines, quantò magis pretiosissimus, ac sanctissimus Iesu Christi sanguis, qui nobis quotidie in altari ostenditur, acuere nos debet, vel irritare *(vt Hebrei legunt apud Vatablum) in prælium contra Demones?* Quoniam non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus principes, & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarũ harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus: *sic scribit Paulus ad Eph. cap. 6. & postea immediatè subdit:* Propterea accipite armaturam Dei, vt possitis resistere in die malo, *Qua verba non inconuenienter de Christi sanguine videntur accipi posse: verè enim armatura Dei est, non solum quia ab ipso Dei filio vt talis nobis tradita est, sed, quia sanguis est eiusdem, & per hanc resistere possumus in die mala Diabolica tentationis. Traditq; hæc omnia luculenter S. Chrysost. hom. ad Neophytos dicens.* Aliam mihi Deus vltra tutelam donauit armorum Quid illud? mensam præparauit, cibum satietatis ostendit, vt post epularum refectionem, inimicum possim robustius superare: cum enim te egredientem post conuiuium dominicum viderit inimicus, post cœlestes epulas, tanquam ignem leonis ore flamantem, fugit, & deseris omni vento velocior, nec approximare contendit, & cum cruentam linguam tuam ille crudelis prospexerit, mihi crede, non stabit, & cum os tuum senserit rutilare, gressum suum retrò cum timore torquebit.

Ad idem.

Item Beatus Petrus Damianus ad Damianũ monacum ex sorore Nepotẽ, sic scribit. Videat occultus hostis labia tua Christi cruore rubentia, quæ territus perhorescat, & mox in tenebrarum suarum latibula, pauescendo, diffugiat.

Ad idem.

Idem ad Blancam ex comitissa monialẽ: Terretur enim aduersarius, cum Christiani labia Christi videt cruore rubentia: agnoscit enim præsto suæ perditionis indicium, & diuinæ iustitiæ, qua captiuatus est, & obtritus, non tolerat instrumentum.

Sanguis Eucharisticus dicitur sanguis vua meracissimus.

Idem Sanguis Christi Eucharisticus, qui nobis quotidie per Sacerdotes in altari ostenditur, sanguis vua dici potest, quia Christi sanguis est, qui ait: Ego sum vitis vera: *quia est sanguis ille, de quo dicitur:* Et sanguinem vuæ biberent meracissimum. Deut. cap. 32. Poeticè enim *(vt inquit hoc loco Cornelius a lapide)* succum ex vuis expressum, puta mustum & vinum vocat sanguinem, quia est coloris sanguinei siue rubei: *Et eodem modo pariter in præcitato loco Machabæorum, sanguis vua, quem illi ostenderunt Elephantis ad acuendos eos in prælium, pro ipso vino ex vua expresso accipitur, & in figuram sanguinis Christi, qui in vino verè ex vua expresso conficitur. Legamus Origenem hom. 16. in Num. sic n. ait primò prædicta verba Deut. referens:* sanguinem vuæ, bibent vinum, & hic ergo Sanguis, qui nominatur vuæ, illius vuæ est, quæ nascitur ex illâ vite, de qua saluator dicit: Ego sum vitis vera: Discipuli verò palmites: Pater autem agricola est, qui purgat eos, vt fructum plurimum afferant. Tu 199

ergo

ergo es verus populus Israel, qui scis sanguinem bibere, & nosti carnem Verbi Dei comedere, & sanguinem bibere, & verè sanguinem illius, qui est ex vera vite, & illis palmitibus, quos Pater purgat haurire.

Id facit Eucharisticum vinum in anima, quod vinum commune in corpore.

200 *S. Cyprianus in Epistola ad Cecilium.* Quia ebrietas dominici calicis & sanguinis non est talis, qualis ebrietas vini secularis, cum diceret Spiritus sanctus in psalmo: Calix tuus inebrians, addidit: Quam peroptimus, quod, scilicet, calix Dominicus sic bibentes inebriet, vt sobrios faciat, vt mentes ad spiritalem sapientiam redigat, vt a sapore isto sęculari ad intellectum Dei vnusquisq; resipiscat: & quemadmodum vino isto cõmuni mens soluitur, & anima relaxatur, & tristitia omnis exponitur, ità epoto sãguine Domini, & poculo salutari, exponatur memoria veteris hominis, & fiat obliuio conuersationis pristinæ secularis, & mœstum pectus ac triste, quod prius peccatis angentibus premèbatur, diuinæ indulgentiæ lætitia resoluatur, quod tunc demum potest lętificare in Ecclesia Domini bibentem, si quod bibitur, dominicam teneat veritatem.

Sanguis Eucharisticus iram, & alia vitia in nobis mortificat.

201 *S. Chrisostomus homil. 4. in Matth. de ira loquens, ait,* Quonam igitur modo ab hac tam noxia peste fugiemus? si illam vtique potionem bibamus, quæ omnes intra nos vermes, serpentesq; mortificet, & quodnam, inquies, istud est poculum, quod eam vim habeat? pretiosus, scilicet, Christi sanguis, si cum fiducia vtiq; sumatur, omnis .n. hoc remedio morbus extinguitur.

Non minus pro Eucharistico sanguine, quam pro redemptione Christo debemus.

Idem Chrisost. Non minus pro sanguinis poculo, quam pro redemptionis debes pretio: vtique tamen præcelsum est munus, Dei charitatis indicium, tuæq; salutis antidotum: semel pro te datum est pretium, sed poculum quotidie consecratur, tibiq; apponitur, vt bibas: bibas inquam, vt inebrieris non vino, in quo est luxuria, sed amore, sed exultatione, sed iubilo: Inebriat profectò calix iste sanguinis Domini, & toto corde diligentem alienat a se, & copulat Christo, quem sumit. Ipsum Dominũ audi per Prophetam dicentem: & calix meus inebrians, quam præclarus est: fœcundum namq; sapientia, fœcundum virtutibus, moribus redimitum, & sanctitate conspicuum reddit, cum dilectione bibentem. 202

Cur Calix Dominicus vino aquæ mixto offertur.

S. Isidorus de officijs ecclesiasticis lib. 1. c. 18. quod est de sacrificio. Proinde autem vt sanctissimus Cyprianus ait, calix dominicus 203
vino aquæ mixto offertur, quia videmus in aqua populum intelligi, in vino ostendi sanguinem Christi. Quando autem in calice vino aqua miscetur, Christo populus adunatur, & credentium plebs ei, in quem credidit, copulatur & iungitur, quæ copulatio, & coniunctio aquæ & vini, sic miscetur in Calice Domini, vt commixtio illa ab inuicẽ non possit separari, sicut Ecclesia non potest separari a Christo.

EVCHARISTIA GRATIA MORTVORVM.

Eucharistia est gratia etiam mortuorum, quam illi à viuis postulant.

204 *S. Gregorius Dial. lib. 4. cap. 55.* Si culpæ post mortem insolubiles non sunt, multum solet animas etiam post mortem sacra oblatio hostiæ salutaris adiuuare: itaut hanc nonnunquam ipsæ defunctorum animæ expetere videantur. Nam prædictus fœlix Episcopus à quodam vitæ venerabilis Presbytero, qui vsq; ante biennium vixit, & in diœcesi Centumcellensis Vrbis habitabat, atq; Ecclesiæ S. Ioannis, quæ in loco, qui Tauriona dicitur, sita est, prçerat, cognouisse se asserit, quòd idem Presbyter in eodem loco, in quo aquæ calidæ vapores nimios faciunt, quoties corporis necessitas exigebat, lauari consueuerat: vbi dum die quodam ingressus fuisset, inuenit quendam incognitum virum ad suum obsequium præparatum, qui sibi de pedibus calceamenta abstraheret vestimenta susciperet, & exeunti de caloribus

sub vna

sabana praeberet, atque omne ministerium cum magno famulatu peragere. Cumq; hoc saepius fieret, idem Presbyter die quodam ad balnea iturus, intra sometipsum cogitans, dixit, viro illi, qui mihi solet tam deuotissimè ad lauandum obsequi, ingratus apparere non debeo, sed aliquid me necesse est ei pro munere portare: Tunc duas oblationum coronas detulit: qui mox, vt peruenit ad locum, hominem inuenit, atq; ex more eius obsequio in omnibus vsus est: dauit itaq; & cum iam vestitus voluisset egredi, hoc, quod secum detulerat, obsequenti sibi viro pro benedictione obtulit, petens, vt benignè susciperet, quod ei charitatis gratia offeret. Cui ille moerens, afflictusq; respondit. Mihi ista quare das Pater? Iste panis sanctus est, ego hunc manducare non possum. Ego etenim, quem vides, huius loci dominus aliquando fui, sed pro culpis meis hic post mortem deputatus sum: Si autem mihi praestare vis, Omnipotenti Deo pro me offer hunc panem, vt pro peccatis meis interuenias. Et tunc exauditum te esse cognosce, cum huc ad lauandum veneris, & me minime reperceris. In quibus verbis disparuit: & is qui homo videbatur, euanescendo, innotuit, quia spiritus fuit. Idem verò Presbyter hebdomada continua se pro eo in lacrymis afflixit, salutarem hostiam quotidie obtulit, & reuersus post ad balneum, eum iam minimè inuenit: Qua ex re quantum prosit animabus immolatio sacrae oblationis ostenditur, quando hanc & ipsi mortuorum spiritus à viuentibus petunt & signa indicant, quibus per eam absoluti videatur. *Haec omnia ibi ad litteram S. Gregorius.*

Item cap. 58. ad idem. Hoc quoq; quod audiuimus, quendam apud hostes in capti-
205 nitate positum, & in vinculis religatum fuisse, pro quo sua coniux diebus certis offerrè sacrificium consueuerat, qui longo post tempore ad coniugem reuersus, quibus diebus eius vincula soluerentur, innotuit: cuiusq; coniux illos fuisse dies, in quibus pro eo sacrificium offerrebat, recognouit. *Sic ille. Hinc Conc. Trid. sess. 25. in decreto de Purgatorio, de hoc ipso sic statuit.* Curent autem Episcopi, vt fidelium viuorum suffragia, Missarum s. sacrificia, orationes, eleemosinae, aliaq; pietatis opera, quae a fidelibus pro alijs fidelibus defunctis fieri consueuerunt, secundum Ecclesiae instituta piè & deuotè fiant.

Aliud exemplum simile ex Ludouico Blosio in suo monili. Cap. 6.

Anima cuiusdam Defuncti cuidam Dei
amico in flamma ardoris immensi apparens, 206
dixit, se ea sola de causa tam diris cruciatibus torqueri, quòd circa Dominici Corporis perceptionem fuisset negligentior: addiditque, si vel semel venerabile Sacramentum deuotè pro ipso accipere dignaretur, se mox liberandam. Quod cum ille Dei amicus fecisset, sequenti die anima eidem sole fulgentior, atque micantior apparuit, vnica illa dignissimi Sacramenti huius perceptione ab intolerabilibus poenis liberata, atque ad Coelum & aeternam beatitudinem euecta. *Cum amicus Dei esset ille, etiam eiusdem animae amicus erat procul dubio: & ideo ad amici misericordiam, deficiente sibi misericordia consanguineorum, & propinquorum recurrit vocibus illis.* Misereremini mei, misereremini mei saltem vos amici mei, *quasi diceret, ex quo parêtes, & cognati mihi non miserentur, vt tenentur, saltem tu, amice, mihi miserearis, etsi non tantum, vt illi, ad hoc tenearis.*

EVCHARISTICVM PASCHA.

Eucharisticum Pascha est omnibus commune.

207 *Christus quantum in se est, cum omnibus sine vlla exceptione Pascha Eucharisticum facere desiderat ideò* ad quendam *scilicet, nominatum in Ciuitate pro Paschate illo celebrando discipulos misit, dicens illis:* Ite in Ciuitatem ad quendam. *Rab. a Diuo Thoma in Cath. hoc loco citatus.* Nomen praetermittit, vt omnibus verum Pascha celebrare volentibus, Christumque hospitio suae mentis suscipere, danda facultas designetur.

Cum omnibus Christus hoc Pascha facit, si tamen eius discipuli sint.

Cum omnibus quidem Pascha facit Christus, 208

si tamen omnes eius discipuli sint, eius disciplinam, minirum, studiosè apprehendentes, ait enim. Facio Pascha cum discipulis meis. *Vnde S. Pasch. de Corp. & Sang. Domini Cap.* 21. Desidia torpentes, & hic in sæculi actibus remorantes non dignè comedunt Pascha, videlicet, Carnes Agni: & ideò satis timendum talibus, ne cum Ægyptijs morte perimantur, dum sopore peccati premuntur.

Non in fermento veteri peccati hoc Pascha celebrandum est.

209 *Quia, vt docet S. Leo Papa Ser. 14. de pass. Domini.* Hocest quod Pascha Domini in azimis Synceritatis, & veritatis legitimæ celebratur, dum fermento veteris malitiæ abiecto, noua Creatura de ipso Domino inebriatur, & pascitur: Non enim aliud agit participatio Corporis, & Sanguinis Christi, quam vt in id, quod Sumimus, trascamus.

Qui hoc Pascha celebrant, Sciant Pascha transitum Significare, quem ipsi facere debent.

210 *S. Ambrosius in Sermone de Pascha Solemnitate.* Quia Santum Pascha celebratis, debetis scire, fratres quid sit Pascha: Pascha Verò transitus dicitur: ideò autem tali nomine vocata est ista festiuitas, quia in ipsa transierunt filij Israel ex Egypto, & ipse filius Dei trasiuit ex hoc mundo ad Patrem: *Sic primò ille: & post nonulla de ipsa festiuitate, hoc subijcit ad rem nostram:* O miseri Christiani, qui in Ægipto sunt, idest sub potestate Diaboli, & guadet in malis: Moneo; quapropter vos, fratres, vt Pascha ritè celebreris, idest transitum faciatis. *Et rursus infra:* Ita omnis Christianus, qui veri Agni, idest Christi carnem comedit, per omne tempus vitæ suæ, quod per septem voluitur dies, simpliciter, & innocenter debet conuersari: Videte fratres videte, ne fermentum vetus Sit apud vos, sicut monet Apostolus, dicens. Expurgate vetus fermentum, idest, veteris hominis conuersationem: tunc enim eritis veri Christiani, si omne malū declinaueritis quod designatur per vetus fermentum.

Synceritas, & simplicitas in hoc Paschate requiritur.

211 *S. Chrysostomus.* Cum Christi discipulis immolationē Agni Paschæ facere consueuistis, Syncera quæso, & plena charitatis pectora Diuinis exhibete mysterijs: Nulla sit in mente duplicitas, nec intotis libidine interior homo fuscetur: Agnus comesus Agni innocentiam proferat, nec immaculatæ ouis membra lupina transfundat in viscera.

Castitas etiā ad hoc Pascha necessaria est.

Habrei nos figurantes, & Paschate suo legali Pascha nostrū. Eucharisticum, renes accingebant ex legis præscripto, dum illud celebrabant: immolantes scilicet, & manducantes agnum, vt & nos Eucharistiam sumentes, lumbos præcingeremus, hoc est Carnis luxuriam per continentiam coarctaremus, sicut explicat S. Greg. Domini verba. Sint lumbi vestri præcincti. Vt ex Ægypto recederent *(inquit S. Ambr. de Habreis libro de Paradiso cap. 3.)* & succincti lumbos ederēt agnum, quod insigne est tēperantiæ: Castos enim, & sanctificatos oportet Domini Pascha celebrare. 212

Ante communionem continentius viuendum.

S. Isidorus de off. Eccles. lib. 1. cap. 18. eligendi sunt aliqui dies, quibus prius homo continentius viuat, quo ad tantum Sacramentum dignus accedere possit. 213

Aliquibus diebus coniugati ante Eucharistiæ sumptionem casti sint & orent.

Idem S. Isidorus ibidem. Coniugatis autem abstinendum est à coitu, plurimisque diebus orationi vacare debent, & sic deinde ad Corpus Christi accedere. 214

Per pœnitentiam, abstinentiam, misericordiam, & eleemosinam præsertim ad communionem nos præparemus.

S. Augustinus Serm. 2. de tempore. Inuitati enim sumus ad mensam, vbi non inuenitur cibus hominum, sed Panis ponitur Angelorum: & ideò videamus, ne fortè intus in anima, vbi deberemus bonorum operum margaritis ornari, ibi appareamus vitiorum pannis veteribus inuoluti: & quando eos, qui boni sunt in oculis Dei Castitas reddi- 215

candi-

candidos, tunc eos, qui mali sunt, reddat luxuria sordidatos. Et ideò quotiescunque, aut dies Natalis Domini, aut reliquæ festiuitates aduenuint, sicut frequenter admonui, ante plures dies, non solùm ab infelici concubinarum consortio, sed etiam a proprijs vxoribus abstinete, ab omni iracundia vos alienos efficite, peccata præterita per Eleemosinam, & pœnitentiam redimantur, contra nullum hominem odium in corde teneatur, quod solebat vanitas per gulam perdere, incipiat iustitia per misericordiam pauperibus erogare, quod luxuria, vel gula dissipauit in mūdo, pietas reponat in Cœlo.

Ad idem.

216 *Cyrillus Alex. in Ioan lib. 3. Cap. 35.* Variæ sunt Diaboli, multiplicesque ad decipiendum insidiæ: Nam primum ad viuendum turpiter inducit, deinde, cum malis onerati fuerint, tum abhorrere à Christi gloria, qua possent a turpitudine voluptatis, quasi ab ebrietate reuocari. Quare demus operam, oro, vt vinculis Diaboli abruptis, & iugo peccatorum excusso, in timore Domino seruiamus: Et carnis voluptate per continentiam superata, ad cœlestem gratiam accedamus, Corporisque Christi participes efficiamur: Sic enim, Sic inquam, & Diabolū fugabimus, & Diuinæ naturæ participes ad vitā, & ad incorruptibilitatē ascendemus.

Ad idem.

S. Augustinus sermone 224. de tempore. 217
Quoties ad Ecclesiam in qualibet Solennitate venitis, & Sacramenta Christi percipere volueritis, ante dies plures Castitatem Seruate, vt cum secura conscientia ad Altare Dei possitis accedere & Infra. Qui enim bonus Christianus est, non solum ante dies plures quā communicet, castitatem seruat, sed & vxorem suā, excepto desiderio filiorū, non agnoscit quia vxor non propter libidinē sed propter filiorum procreationem accipitur.

EVCHARISTICA COMMVNIO.

Eucharistia quare Communio dicatur.

218 *Dicitur Eucharistia Communio à Patribus, & ab Ecclesia: quia verè & realiter vnit fideles omnes corpori Christi, ita vt in eo, & cum eo vnū sint. Communio idest communis vnio fidelium omnium, qui edendo idem Corpus Christi verum in Eucharistia, vnum Corpus Christi mysticum etiam, idest, vna Ecclesia efficiuntur: Hinc & Conc. Trid. sess. 13. cap. 8. vocat hoc Sacramentū* signum vnitatis. *Hinc & Paulus. 1. Cor. 10.* Vnum Corpus multi sumus, qui de vno pane participamus: *quia, nimirum, singulari modo significat, & perficit veritatem corporis Christi, scilicet, fidelium Ecclesia: Hinc olim etiam infantibus post Baptismum dabatur Eucharistia, vt perfectè incorporarentur Christo, nam ait Christus,* Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, in me manet, & ego in eo. *Hinc Dionisius Areop. & alij Eucharistiam* Synaxim *vocarunt, idest, congregationem, quòd solerent fideles in Ecclesia congregari ad Eucharistiam sumendum. Vndè & Paulus:* Conuenientibus vobis in vnum, iam non est Dominicam Cœnam manducare 1. Cor. c. 9.

Ad idem.

S. Damasc. Orthodoxæ fidei c. 4. de Sanctis & immaculatis Christi mysterijs. Cōmunio optimo iure appellatur Eucharistia, quia per illud cum Christo commercium habemus, ac carnem ipsius, & Diuinitatem percipimus, atq; adeò nos inter nos communicamus, atq; copulamur: quoniam ex vno pane participamus omnes, vnum Christi Corpus, & vnus Sanguis, & alij aliorum membra efficimur, Christiq; concorporei existimus.

Christus in sancta communione piam animam amplectitur, & osculatur, eidem blandiens & est hæc vnio suauissima, ac purissima.

S. Ludouicus Blosius in suo monili Cap. 6. hæc scribit de Christo, & de Sancta Gertrude. Christus Iesus ait ad Sanctā Gertrudem. Quando me tibi communico in Sacramento altaris, blādior tibi per amplexus, & oscula, atq; hæc delectatio incomparabiliter maior est, quam sint omnes delectationes, quas vnquā aliquis poterit experiri in amplexibus, & osculis humanis: Nam delectatio amplexuum, & osculorum humanorum vilis est, atq; cum tempore transit, suauitas verò 219

vnionis illius, qua mihi vniris in Sacramento altaris, nobilissima, atque purissima est, nec vnquam deficit, aut tepescit, sed quantò sæpius renouatur, tantò efficacius viget in æternum.

IN EVCHARISTIA OMNIA BONA.

220 *Olim humanum genus Deo dicebat, Exod. 33.* Ostende mihi faciem tuam. *Item*: Ostende mihi gloriam tuam. *Verum quia*, Deum nemo vidit vnquam, *Ioannis cap. 1.* Non .n. *(inquit idem Deus eodem Exodi loco)* videbit me homo, & viuet.

Nihilominus eidem satisfacere volens Deus etiam in hac vita, quantum homini possibile esset, non solum ostendit ei filium suum incarnatum, cum quo etiam est gloria sua, sed per ipsum etiam Eucharistiam eidem demonstrauit, in qua idem est, & cum eo omnia bona. Sicut per illam etiam, eandem gloriam suam habebimus in cælo; Nam, Qui manducat hunc panem, viuet in æternum. Quare illam hominibus promittens ibidem, *ait* Ostendam tibi omne bonum, *sicut, & qui eam dignè susceperunt, fatentur Sap. 7.* Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illâ: Secundum illud etiam de eadem propheta*tum* Hier. 31. Confluent ad bona Domini super frumento, & vino, & oleo. *Ecclesia .n. in Cath. de Eucharistia loquens, ait*. Quoniam immensæ eius vtilitates, & fructus nulla oratione explicari possunt, Vnus aut alter locus à pastoribus tractandus erit, vt ostendant, quanta in sacrosanctis illis mysterijs bonorum omnium copia, & affluentia inclusa sit.

Ad idem.

221 Apud Egyptios institutum erat, vt Sacerdotes ad Aram hostijs adductis, astante Rege, magna voce, audiente populo valetudinem prosperam, omniaq; bona obtarent: *Diodorus, et Gregorius Nissenus similiter homilia 8. in Ecclesiaste similia tradit dicens*, Caro .n. Verbi, & sanguis, qui est in hac carne, non vnam habet gratiã, sed est suauis ijs, qui gustant, & appetendus ijs qui desiderant, & ijs qui diligunt, amabilis.

Panis, & vinum in quibus Eucharistia consistitur, significant Deum bona fortis, & omnia bona in illa esse.

222 *In ipsis panis, & vini speciebus, in quibus Eucharistiam Christus constituit, hanc gratiarum, & bonorum abundantiam, quæ in illa est, significare voluit, quia non solum panis & vinum abundantia semper symbolum fuit, sed præterea, cum Ægyptij bonorum abundantiam manifestè repræsentare volebant, iuuenem pingebant in vna manu spicas tenentem, in altera verò vas vini: Eadem figura Praxiteles Deum bonæ fortis, siue bona ventura (vt vulgariter dicitur) demonstrabat, vt refert Alexander ab Alexandro.*

Quia Eucharistia, in pane, & vino conficitur, & cum illa etiam vtriusq; accidentia remanent, indicatur, omnia nobis bona per illam prouenire, tanquam quæ Deum veræ fortis, verè contineant: vnde à Tertulliano etiam ipsa Eucharistia fors vocatur, quia dignè sumentibus sic omnia bona proueniunt, vt nullum aliud verum bonum exquirendum remaneat illis, quia tali forte dignati sunt.

Non est homini verum bonum extra Eucharistiam.

Hinc Ecclesiastes c. 8. testatur, nõ esse homini bonũ sub sole, idest, in sęculo hoc *secundum Chaldaicam translationem, siuè* in hoc tempore, *secundum Interlinealem glossam, nisi quod comederet, & biberet, nempè* panem, qui de cœlo descendit, & vinum, quod lætificat cor hominis. *secundum eandem Interlinealem.* 223

Hæc Eucharistia bona in benedictione, quam Isaac dedit Iacob filio suo, figurata sunt.

Figulariter siue prophetice Isaac de Esau, quam tamen Iacob esse putabat, dixit: Frumento, & vino stabiliui eum *Gen. 27.* In quo nimirum misterio *(inquit cum alijs S. Paschasius de corp. & Sang. Domini cap. 21.)* benedixit Isaac Iacob filium suum quasi nulla esset alia benedictio, quam frumenti, & vini, scilicet, in pane carnis Christi, & in poculo sanguinis, quæ de agro corporis nobis quotidie per officium sacerdotis maturescunt. & comedimus. Hinc quoq; idem ait. Det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine, 224

terræ

terræ abundantiam frumenti, & olei. In rore quidem cæli, quia, hæc mysteria diuinitatis ope conficiuntur: in pinguedine verò terræ, quia caro Christi de Virgine orta creditur, vbi proculdubio Christianorum plenissima præstatur abundantia panis, & vini, in quibus sine dubio vita fruitur Angelorum. *Sic S. Paschasius ibi, & inferius verba prædicta:* Frumento, & vino stabiliui eum, adiucens, quod est apertè dicere (*inquit*) firmaui eum pane corpore Christi & vino sanguinis, in quibus illi æterna maneat abundancia.

Hunc idem S. Paschasius ante iam relata verba de eodem Iacob (quem in prædictis verbis benedicere intendebat Isaac Pater eius) & de Eucharistia ait. Hunc itaque cibum Iacob Patriarcha esuriebat, dicens: Si fuerit Dominus mecum, & dederit mihi panē ad edendum, & vestimentum ad induendum: Quotquot ergo in Christo baptizantur, Christum induunt, & panem Angelorum comedunt.

Quia in Eucharistia omnia bona sunt, ideo illa solum nos replet, & satiat.

225 *Quia ergo omnia in se bona Eucharistia habet, ideo vera etiam satietas per illam repromissa fuit fidelibus: horum enim omnium vicem gerens David in psalmo cecinit.* Replebimur in bonis Domus tuæ: sanctum est templum tuum: *Ecclesia n. Domus & templum Dei dicitur sanctum: & potissimum, quia Eucharistiam habet, quæ sanctum sanctorum est, cuius bonis replentur fideles eam dignè sumentes. Idcirco, sic eam sumentes, læti Domino canunt.* Replebimur in bonis Domus tuæ, sanctum est templum tuum, *vel, Hebraicè cum Vatablo:* Satiabimur bonis Domus tuæ, & sacris templi tui. *Quia* satiauit *nempe Christus in Eucharistia existens* animam inanem, & animam esurientem satiauit bonis, *animam, nimirum, quæ esurit, & sitit iustitiam, quia, vt inquit Augustinus:* Esuriem quærit iste cibus.

Ad idem.

226 *Vnde ad Dei laudes, & gratiarum actiones de tantis bonis, quibus in Eucharistia satiamur, nos adhortans idem Psalmista, ait.* Lauda Hierusalem Dominum, lauda Deum tuū Syon. *Et postea causam subdit:* Adipe frumēti satiat te. *Adeps frumenti est medulla frumenti, Non dicit,* frumento satiat te, *sed* adipe frumenti *idest* bonitate frumentorum, *vt Caldeus legit, vel* frumento optimo, *vt interpretatur Vatablus, quia, inquit Ordinaria glossa Augustinum referens:* Adipe frumenti satiat te: Pane, qui de cælo descendit in mundo carne clausus est, sola fide cognitus: *Item quia secundum alios, Christus in Eucharistia est sub accidentibus panis frumentacei, quemadmodum adeps siue medulla frumenti sub cortice delitescit, & illo; ac donis eius verè satiamur. Eucharistiam dignè sumentes.*

Eucharistia adipem habere dicitur quo saginamur & omnes delicias.

Item, quia secundum S. Paschasium 9. de corp. & sang. Domini ad prædicta verba. Hoc frumentum, corpus videlicet Christi adipem habet, & non solum adipem, sed & omnes delicias, ita & potus sanguinis vnde quod de petra typicè manauit, nunc mel, nunc oleum, nunc aqua, nunc quoq; potus dicitur: quia, quidquid prægustare spiritaliter potueris, hoc totum ibidem inuenies: *Sic ille. Hinc Ecclesia in Missa ait.* Iesu Christi Domini nostri corpore, & sanguine saginandi &c. 227

Eucharistia gloria Dei vocatur, cuius apparitione satiamur.

S. Ignatius in Epistola quadam vocat Eucharistiam gloriam, vt alias diximus, Date operā, *(inquit de illa)* vt sæpius congregemini ad gloriam Dei: *Illam verò vocat gloriam Dei, quia in illam & per illam valdè glorificatur à nobis Deus, Vel, quia hæc gloria Dei est etiam summa gloria nostra qua in terra satiamur, & totius Ecclesiæ, vel quam, quia sicut in illa est Deus in quo est gloria nostra, sic per illam, ad ipsam gloriam peruenimus in cælo, vbi est æterna satietas secundum eiusdem testimonium:* Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æterna: *Cum ergo Eucharistia gloria Dei dicatur, de illa non immeritò accipiemus id, quod in psalmo dicitur.* Satiabor, cum apparuerit gloria, tua *in vtroque sensu.* 228

In Beth-

In Bethleem Christus natus est et in præsepio collocatus, quia nos seipso pane in Eucharistia satiare volebat.

129 *In Bethleem, quæ domus panis interpretatur, Christus nasci voluit;* quia *(inquit Interlin. glossa hoc explicans,)* ibi natus est, qui suos reficit æterno pane: quia *(inquit S. Gregorius)* futurum erat, vt in carne appareret, qui electorum mentes interna satietate reficeret. Qui panis est Angelorum in præsepio reclinatur, vt nos quasi sancta animalia carnis suæ frumento reficiat, *ait Beda, ipsa Euangelij verba;* Declinauit eũ in præsepio, *mysticè explicans. Quasi ex tunc tacitè diceret: In hoc mundi magno præsepio non est panis, qui hominem ob peccatum iumentum factum satiare possit, idcirco in eodem me panem faciam, vt me ipso homines facti iumenta satiati. Quare de hoc ipso idem homo gloriabatur, illud prædicans; Christóque gratias agens:* Vt iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum: *Quasi eisdem clarius diceret: Quòd iumentum factus sim, fateor; sed glorior, & lætor valdè, quòd vt iumentum factus sim apud te; quia tu venisti apud me in eodem magno mundi huius præsepio, sicut in Betlem nascens apud Bouem, & Asinum venisti pariter in eorum præsepio, quando natus es,* cognouit Bos possessorem suũ & Asinus præsepe Domini sui: *Et (quod plus est) ego semper tecum in eodem mundi præsepio, quia tu semper mecum in eodem sacramento: Vnde ex te semper etiam me satiare potero.*

PER EVCHARISTIAM DEI BENEDICTIO.

130 *De illa scribitur Eccl. 14.* Quò introibit, benedicet Deus; *secundum Vatablum.* Quocumque introierit, accedet ſanos Domini, *S. Chrisost. homil. 24. 1. Cor. c. 10. ipsam Eucharistiã benedictionẽ vocat:* Cũ benedictionẽ dico, Eucharistiam dico, *ait ille. Benedictio Domini est propriè benefactio Domini, vt sic loquamur: tunc benedicit Deus, cum benefacit, secundum illud Prouer.* 10. Benedictio Domini diuites facit. *Vel,* Benedictio Dei diuites facit, *secundum Chaldeum.* Benedictio Domini ditabit hominẽm *secundum Pagninum.* Benedictio Domini ipsa locupletat, *secundum Vatablum. Item secundum illud Ecclesiastes.* 2. Benedictio Dei in mercedem iusti festinat. *Verum obseruandum est, quòd non dicit scriptura, Vbi inferetur Eucharistia, vel, vbi ponetur, aut vbi erit, benedicet, id est benefaciet Dominus, vel Deus; qui in ipsa Eucharistiã est; sed;* Quò introibit *(inquit)* benedicet Deus *Quò non verò intrat Eucharistia; & Christus in ea existens? docet hoc ipsa scriptura Sap. c. 1.* In maleuolam animam *(inquit)* non introibit sapientia, neque habitabit in corde subdito peccatis. In maleficã Animam, *inquit Græca lectio,* In malitiosam, *inquit Hebræa sed,* Intrauit in animam serui Dei, *inquit idem Sapientia liber cap. 10. Eucharistia verò nihil est aliud, quam ipsa sapientia æterni Patris incarnata, & sacramentatas ideo, etsi ipsa Sapientia in corpore cuiuscumq; recipiatur, dũ in ore eius Eucharistia recipitur, tamen verè nõ intrat* in animam maleuolam, maleficam, *siue* malitiosam: *ideo nec etiam huiusmodi anima benedicit, vel benefacit: Anima serui Dei solum verè benedicit, & benefacit, quia in hanc solam intrat, cum in eius corporibus intrat per communionem. Docet hoc manifestè Cyrillus Alex. in Isaia;* Cœlestibus benedictionibus verè perfruentur *(inquit)* qui corda sua opima reddiderunt, accumbentes mensæ mysticæ Domini, & Saluatoris nostri Iesu Christi, & panem vitæ comedentes, ac diuinum potum potantes: *Introire enim in locum aliquem, consensum, & voluntatem indicat introeuntis, inferri autem, vel poni ibidem non, sed vim potius vel passionem aliquã eiusdem; Voluntas verò Christi in Eucharistia existentis non est, vt ponatur, in anima vel recipiatur ab anima maleuola, malefica, siue malitiosa, nec etiam in talis animæ corpore, & si hoc permittat.* In maleuolam animam *(inquit)* non introibit Sapientia, neque habitabit in corpore subdito peccatis: *quod si nihilominus in talis animæ corpore ponatur, vel recipiatur, hoc est tamen contra eiusdem Christi voluntatem & in hoc, dico, fit quasi vis quadam, & iniuria maxima eidem Sacramento: & tradit hoc ipsũ manifestè S. Cyprianus de lapsis. Ibi enim agens de huiusmodi indignis, sic ait:* Vis infertur corpori eius, & sanguini, & plus modo in Dominum manibus, atq; ore delinquunt, quam cum Dominum crucifixerunt: *Sic Cyprianus, quia, nimirum, sicut voluntate solum intrauit in animam serui Dei, vt scriptura testatur, sic voluntate, sua pariter solum intrat in eiusdem serui Dei corpus.*

Ad

Ad idem.

231 *Hinc Iſaia cap. 65. de eiſdem ſeruis ſuis ait idem Deus reſpectu Corporis Chriſti in Euchariſtia:* Serui mei comedent. *De maleuolis verò animabus ſtatim ſubijcit:* Vos autem eſurietis: *Et iterum de Chriſti Sanguine ad eoſdem ſeruos ſuos:* Serui mei bibent. *Et ſtatim ad eaſdem ſimiliter maleuolas Animas,* Vos autem ſitietis. *Hinc rurſus in eadem ſcriptura, eoſdem Seruos ſuos ſolum Chriſtus ſub nomine amicorum, & cariſſimorum ad ipſum corpus & Sanguinem ſuum ſumendum inuitat in Canticis, dicens eis:* Comedite amici, & inebriamini chariſſimi. *Sicut verò ſolis amicis, chariſſimis, & ſeruis ſuis Chriſtus Euchariſtiam concedit, & ad illorum ſolũ corpora & animas verè introire dicitur ipſa Euchariſtia, ſic his ſolis benedicit, & benefacit idem Deus.* Quo introierit *(inquit ſcriptura)* benedicet Deus. *Alijs autem, quibus eandem prohibet; & in quorum animas maleuolas, vel maleficas, ſiue malitioſas non verè intrat, (& ſi contra voluntatem ſuam in ſua corpora illam ponant, vel recipiant) maledicet idem dominus, & malefaciet, cum maledicendo eos ad infernum mittet, dicens eis:* Itẽ maledicti in ignem æternum. Qui .n. manducat & bibit indignè, iudiciũ ſibi manducat, & bibit.

Ad idem.

232 *Et confirmari poſſunt hæc omnia ex ijs, quæ tradit Rup. Abbas in Apoc. cap. 2. explicans .n. verba illa Apoc. 2.* Vincenti dabo edere de ligno vitæ &c. *per hoc lignum vitæ primò Euchariſtiam intelligit cum alijs dicens:* Chriſtus namque lignum vitæ eſt, cuius & in cœleſti paradiſo viſione & in præſenti Eccleſia corpore ſanctæ reficiuntur Animæ. *Et poſtea aliquantulum inferius ſubdit de indignè Euchariſtiã ſuſcipientibus, quòd non dat illam Deus huiuſmodi indignis, quia non,* Vincenti dabo: *ſed potius illi illã rapiunt. Vnde conſequenter, nec eius benedictionem conſequuntur, quæ ſolum ijs, ad quos intrat, repromittitur, & non illis, à quibus rapitur, vt dicebamus. Attendamus verba Doctoris:* Sæpè autem is, qui nec dum vincit, ideſt, qui pœnitentiam non egit, edit de hoc ligno vitæ, quod eſt in paradiſo Dei, manducat corpus, & ſanguinem Domini: Non illi dat Chriſtus, ſed ipſe rapit, & ideo iudicium ſibi manducat, & bibit. *Hæc Rup. Non benedictio ergò, ſed maledictio cum Euchariſtia venit in indignis, quia ad illos propriè non intrat, ſed illi potius eam rapiunt: Dicit enim ſcriptura,* Quo introibit, benedicet Deus: *In dignis verò, in quos ſolum intrare dicitur, non vna tantum benedictio cum ipſa venit, ſed omnis benedictio profluit; & (quod plus eſt) omnis benedictio cœleſtis ſicut Sancta Eccleſia in Miſſa Deum rogat, dicens:* Vt quotquot ex hac altaris participatione, ſacroſanctum filij tui corpus & ſanguinem ſumpſerimus, omni benedictione cœleſti & gratia repleamur. *Quod etiam Eccleſiaſtici liber cap. 40. non obſcurè indicare videtur; cum ait* Gratia ſicut paradiſus in benedictionibus. *Vel,* cum benedictionibus, *vt alij legunt: Euchariſtia .n. bona gratia interpretatur, cuius benedictiones tam excelſæ ſunt, vt paradiſus benedictionum dici poſſit ob earum multitudinem, & præſtantiam: ſunt enim benedictiones paradiſi, nimirũ cæleſtes, omninò ac diuinæ; & ipſum nobis tanquam à Chriſto benedictis conferentes cœlũ, & Paradiſum.*

Ad idem.

233 *Etiam Diuus Cyrillus Alexandrinus in Ioan. lib. 3. cap. 37. per Euchariſtiam benedictionem dari manifeſtè docet cum ſcriptura:* Quo introibit benedicet Deus: *eius verba ſunt iſta:* Qui verò ad me venit, nunquam eſuriet, & qui in me credit, nunquam ſitiet. Quid igitur Chriſtus pollicetur, quid credentibus affert? Corruptibile certè nullum; ſed benedictionem, quam communicatione Corporis, & Sanguinis Chriſti aſſequimur; vnde ad eam incorruptionem integrè reducemur, vt cibo, & potu corporali non indigeamus viuificat .n. corpus Chriſti, & ad incorruptionem ſua participatione reducit, non enim alterius cuiuſdam, ſed ipſius vitæ corpus eſt, virtutem incarnati verbi retinens, & plenum poteſtate illius, quo vniuerſa & viuunt, & ſunt.

EVCHARISTIÆ EFFECTVS ET FRVCTVS.

Eucharistia nobiscum communicat bona sua.

234 *Quilibet fidelis de Eucharistia verba illa lib. Sap. 8. enunciat.* Proposui hanc adducere mihi ad conuiuendum; sciens quoniam mecum communicabit de bonis: & erit allocutio cogitationes, & tædij mei *Primum enim de Eucharistia illa explicat nonnullis: deinde pro hac ipsa facere videtur translatio S. Hier. Complut. & aliorum:* Ad conuiuandum: *Est enim sacrum conuiuium in quo Christus sumitur, & per quod eidem cum ipso coniungimur:* Qui mãducat me, & ipse viuet propter me, *ait Christus:* Viuo autem ego, iam non ego; viuit verò in me Christus, *inquit qui dignè communicat. Item, in Psalmo 72.* Mihi autem adhærere Deo bonum est: *Item de eodem Paulus 1. Cor. 6.* Qui adheret Domino, vnus spiritus est: *Communicat autem Eucharistia nobiscum præsertim tria bona, quæ in illa sunt, nempè, corpus, animam, & Diuinitatem Christi, & totum ipsum Christum, qui illa est.* Participes enim Christi effecti sumus *Heb. 3. c. in Eucharistia: De Eucharistia n. dici potest id, quod de Verbi incarnatione scribitur ibidem 2. cap.* Pueri communicauerunt carni, & sanguini, & ipse similiter participauit eisdem. *Christus siquidem Eucharistiã instituens, carni, & sangui suo in illa contentis participauit, illam sumendo, sicut & Apostoli eodem modo eidem carni & sanguini communicauerunt, qui (Iuda excepto) pueri ob humilitatem, & puritatem dicuntur, eiusdem Christi tunc allato testimonio.* Vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis. *Hinc eosdem laudans Isaias 8. ait:* Ecce ego, & pueri mei, quos dedit mihi Dominus in signũ, & portentum Israel à Domino exercituum, qui habitant in monte Sion. *In monte Sion enim cum discipulis eisdem tunc dupliciter habitauit Christus, scilicet, modo illo communi, quo & illi habitauerunt secum in cæna, & præterea etiam sacramentaliter.*

Ad idem.

235 Sciens, quoniam mecum communicabit de bonis, *inquit dignè ad Eucharistiam accedens de illa. Bonum enim ex sui natura est communicabile, ac sui diffusiuum, & eo magis, quo maior est bonum: summum bonum verò est in Eucharistia: summè ergo se communicabit, ac diffundet, & bona sua similiter his qui illam ad coniungendum, siue ad conuiuandum dignè adducentes, huiusmodi communicatione digni erũt.* Pia etenim mens tanti sponsi lætificata præsentia (*inquit Iust. de disc. & perf. mon. conu. c. 19.*) venerando hoc mediante Sacramento, repletur gaudio, exultatione perfunditur, humilitate deijcitur, lumine irradiatur, pacem sequitur, roboratur fide, deuotione saginatur, atque indissolubili amoris vinculo redemptori interim copulatur, frequentatione efficitur ardentior.

Præclari alij Eucharistiæ effectus.

Idem Doctor in serm. de Eucharistia sic de illa scribit. Ex huius sumptione deuota, cessant odia, contentiones sopiuntur, dirimuntur lites, vitia displicent, diligitur pudicitia, terrena vilescunt, efficiturque homo alius, non per naturam, sed per gratiam, mutaturque totus in melius: compescit linguam, amat silentium, orationi vacat, fraternitatis custodit vnitatem, cordis sectatur munditiam, & quidquid Deo placere cognoscit. 236

Ob varios effectus in Ecclesia frequentatur.

Idem ibidem rursus. Frequentatur autem in Ecclesia, vt iustis gratiam, debilibus robur, lætitiam mœstis, diligẽtibus exultationem, nutantibus spem, credentibus pacẽ, victoriam certantibus, captiuis libertatem, atque defunctis conferat requiem. 237

Eucharistia nos conseruat, mundat, defendit, & noxia a nobis pellit.

S. Paschasius de corp. & sang. Christi cap. 9. Corpus, & sanguis Christi ad nostram substantiam, & incolumitatem tendit, atque omne incõmodum propulsat, eamque vim habet, vt spurcitiem omnem abstergat: eadem ait: Sit fortitudo fragilium: sit contra omnia mundi pericula firmamentum. 238

Contra

Contra tentationes roborat, illuminat, inflammat, &c.

239 *Ioannes Gerſon in ſermone de Euchariſtia.* Anima mea ſi contra tentationes es debilis, ita veni huc ad fontem omnis potentiæ. Figura de Helia: Si ſtulta es, & inualida ad inimici tentationes euadendas, accede ad ſapientiæ lumen. Figura de Ionatha in geguſtatione mellis: Si dura es, & ad benefaciendum frigida, immite te in fornacem totius amoris, & beneuolentiæ: Quia hic propriè, & veraciter eſt, qui ſcit omnia, & poteſt omnia, inflammat omnia, & conburit omnia amoris igne.

Euchariſtia dicitur panis fructus terræ, pinguis, huberrimus, abundans, nutriens, & bonus.

240 *Videtur de Euchariſtia, & fructibus eius figura, verba illa Iſaia cap.* 30. Panis fructus terræ erit huberrimus, & pinguis. Erit abũdans, & pinguis. *Legunt ſeptuaginta. Chaldaica verum paraphraſis ſic transfert:* Frumẽti fructus multiplicabitur in terra, & erit nutriens, & bonus: & nutrientur iuſti: *&c. Sanctiſſima Virgo terra eſt, de qua Pſalm. ait,* Terra dedit fructum ſuum, *Ieſum enim benedictum fructum ventris ſui decantamus: Euchariſtia eſt panis fructus terræ huius, quia ab eodem Chriſto Domino inſtituta eſt ſub panis ſpecie: eſt huberrimus, & abundans in ſe hic panis, quia per totum orbem in omnibus Eccleſiis inter fideles abũdat, & ſecundo eſt etiam huberrimus, & abundans bonorum, & gratiarum, quas confert ipſum ſanctè ſumentibus: Idcircò in Chaldaica lectione dicitur:* Erit nutriens & bonus. Nutriens, *quia*, caro mea verè eſt cibus, *inquit idem dominus:* Bonus: *Quid enim bonum eius, niſi frumentum electorum: inquit de eodem Zacharias: & idcirco ibidem lectio Chaldaica dicit de eo:* Et nutrientur iuſti *ſicut etiam frumentum ſpeciatim nuncupatur.* Frumentum fructus multiplicabitur in terra *inquit Chaldeus: tunc enim hoc frumẽtum multiplicatur in terra, quando frumentaceus panis, per conſecrationis verba in corpus Chriſti tranſubſtantiatur: ſicque hic panis viuus de cælo deſcendens in terra ſit huberrimus, & abundans in ſe, & in donis ſuis inter omnes fideles vbique terrarum: & præterea, ſicut eſt abundans panis. ſic etiam pinguis, ſicut ijdem fideles vibique pariter cantant.* Pinguis eſt panis Chriſti Panis *(inquit Iſaias de Euchariſtia ſacramento) frugum, ſiue* fructus terræ erit huberrimus, ſiue abundans, & pinguis, nutriens, & bonus. *Et addit inſuper ſcriptura ſtatim exponere, & manifeſtare magis, quid nam ſit iſte panis:* Paſcetur *(inquit)* in poſſeſſione tua in die *illo* agnus ſpacioſè? *Agnus Dei, qui tollit peccata mundi, eſt iſte panis huberrimus, & abundãs, qui in poſſeſſione, noſtra, ſcilicet, in Eccleſia in diebus noſtris paſcitur, actiuè, & paſſiuè, nimirum, dum nos ipſo paſcimur ipſum ſuſcipientes, & ipſe etiam vice verſa nobis paſcitur, hoc eſt ſummè delectatur, & quaſi reficitur deuota noſtra communione, & hoc* ſpacioſè: Paſcuum amplum, & latum, *vt habet Hebrea lectio vel,* locum ſpacioſũ *vt habet Greca. Quia ampla nimis, & ſpatioſa eſt Eccleſia per totum orbem lõgè latèque diffuſa, & quam plurimi ſunt vbique fideles, qui hoc agno paſcuntur, & ſimiliter paſcunt eum, ſicut explicauimus.*

Animam lætificat purgat peccata metum comprimit, tædium lenit, triſtitiam alleuiat, & curas moderatur.

Additur in ſententia ſapientia ab initio propoſita de Euchariſtia effectibus: Erit allocutio cogitationis, & tædij mei: Curarum, triſtitiæ que lenimento fore cognoſcerem Vat. Alij: Erit moderatio cogitationis, & tædij mei. *Alij:* alleuatio *alij*, admonitio, *quæ omnia rectè Euchariſtiæ conueniunt, vt manifeſtum eſt; Vnde doctor quidam ſecundum iſta ſic de eadem Euchariſtia ſcribit.* Potus cœleſtis lætitiæ participes efficere poteſt: purgat enim peccata extrahit quod merore afficit, neque patitur, vt metus ſuplicij animas noſtras perterreat. 241

Ad idem.

Pro hoc ipſo facit ipſa ſcriptura ſic ibidem ſubdens. Intrans in domum meam, conquieſcam cum illa: non enim habet amaritudinem conuerſatio illius, nec tædium conuictus illius, ſed lætitiam, & gaudium. Nihil enim habet amaritudinis eius commertium, nec quicquam doloris conuictus eius. *Legit Vat.* 242

I *Exem-*

Exemplo Sanctæ Catharinæ Senensis mirabiles Eucharistiæ fructus, & beneficia demonstrantur.

243 *Lipomanus in eius vita.* Ex ipsa vero sacrosancta Eucharistia tãta cœlestium consolationum copia in eius mentem dimanabat, vt alimento corporeo stomachus eius non modo non indigeret, sed neque sine corporis tormento illud posset percipere; quòd si sibi vim facere vellet, cibum ingerendo stomaco recusanti, patiebatur dirissimè: nec tamen sequebatur concoctiò, sed rursus per os violenter cibus omnis reijciebatur: Item Quoties autem illud summum sacramentum vel vidisset, vel sumpsisset, nouum, idemque ineffabile gaudium in eius anima existebat, ita vt non rarò in eius pectore cor exiliret, idque cum tanto sono, vt sociæ circumstantes clarissimè audirent: nec erat sonus ille vsitatus, sed valdè singularis, & præter naturæ morem.

Ad idem.

244 *Tradunt alij de eadem Catharina quòd in die, qua Eucharistiã vel sumebat, vel videbat, vel etiam saltem iã sacerdotẽ, qui ipsa die celebrasset, corporalem cibum summere non poterat, & quod in ipsa communione sic admirabiles reuelationes, & cœlestium cognitiones (vltra prophetiæ donum) recipiebat, ut ferè incredibiles videantur.*

Item quòd ipse Christus etiam Eucharistiam proprijs manibus eidem aliquando ministrabat: Videbat eum frequenter *(inquit Lip.)* in manibus sacerdotis infantem, interdum puerum grandiusculum, quandoque fornacem ardentem, sæpe etiam inestimabilis suauitatis odores sentiebat &c.

Tandem pro Eucharistiæ effectuum, ac beneficiorum omnium quasi compendio, dicemus & non inconuenienter, nec leuiter (ut æstimo) ipsam solem nuncupari posse. De illa enim scribitur. In sole posuit tabernaculum suum. *De hoc sole verò dicemus nunc scriptum esse ad rem nostram Mal. c. 4.* Orietur vobis timentibus nomen meum sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius: *Solem mundi appellamus Eucharistiam, quia est* lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: *Dicitur enim in Psalmis,* Calix quam præclarus. Præclarus vtique *(inquit S. Pasch. de corpore, & sang. Domini cap. 9.)* quia omni veritate, & fulgore clarius resplendet, & luce S. Spiritus illustrat. *Dicitur porrò Eucharistia sol iustitiæ, quia illum continet, & ille verè est, qui est sol iustitiæ Christus Deus noster: Vnde de eodem Christo hæc ipsa Malachiæ verba communiter interpretantur. Dicetur etiã Eucharistia sol iustitiæ (sicut & Christus in ea contentus) secundum Vatablum hoc loco,* quia per ipsam iustificamur, *vt sæpe diximus: sicut enim sol materialis oriens mundo, ipsum lætificat, sic Eucharistia gaudium de se, ac lætitiam confert, vt alias probauimus. Verùm non omnibus sic oriri dicitur Eucharisticus sol, (etsi visibiliter illum Deus oriri faciat super bonos, & malos) sed solum nomen Dei timentibus:* Orietur vobis timentibus nomen meum sol iustitiæ, ait Dominus: Vobis, qui nomen meum timetis, *secundum Hebraicam & Græcam lectionem vel* qui reueremini nomẽ meum *secundum Chaldaicam. Bonis n. solum sua beneficia præstat Eucharistia, & dignè eam venerantibus, ac sumentibus, nequaquam verò indignis, qui etsi verò illam suscipiant, illius tamen spiritualem fructum minimè consequuntur: Et quia illis in cõmunione hic non confertur, Sap. 5. fatentur.* Sol intelligentiæ non est ortus nobis. *Vnde de hoc ipse etiam rationem statim subdunt ibidem.* Lassati sumus in via iniquitatis. *Quia, nimirum, sicut in via iniquitatis lassantur, sic nomen Dei non timent, nec reuerentur, solis autem ipsum timentibus, ac reuerentibus Eucharistia vt sol diuinus oriri dicitur, nẽpe, ad eorum vtilitatem, ac beneficium:* orietur vobis timẽtibus nomen meũ sol iustitiæ *inquit scriptura, & subdit insuper de solis huius Eucharistici vtilissimis effectibus in bonis:* Et sanitas in pẽnis eius: sanitas erit in alis suis, *legit Pagninus cũ Chaldeo. Vatablus verò.* sanans radijs suis. *Radij n. solis metaphoricè vocantur pennæ & alæ eius, quòd illis sol omnia adeat & lustret. Vnde & Virgil. 4. Æneid.*

Sol, qui terrarum flammis opera omnia lustras.

In pennis verò solis, hoc est, in radijs eius sanitas esse dicitur: quia quocunq; radios extenderit, variè prodest: est sanitas etiam in radijs Eucharistici solis, quia virtute, & operatione sua mirifica omnibus vbiq; eã dignè venerantibus innumera præstat beneficia, & vtilitates, de quibus iam diximus: Hinc fortè, vt ostendatur, Eucharistiam solem esse, etiam in vasi, seù instrumento materiali soli simili conseruari, & per vias in processionibus deferri solet multis in locis.

Eucha-

Eucharistia peccata remittit dupliciter.

245 *Hoc declarat doctor Angelicus 3. p. q. 79. art. 3. Hoc modo. Potest tamen hoc sacramentum operari remissionem peccati dupliciter. Vno modo non perceptũ actu, sed voto, sicut cum quis prius iustificatur à peccato: Alio modo etiã perceptũ ab eo, qui est in peccato mortali, cuius conscientiam & affectum non habet, fortè enim primò non fuit sufficienter contritus, sed deuotè, & reuerenter accedens, consequetur per hoc sacramentum gratiam charitatis, quæ contritionem perficiet, & remissionem peccati. Hinc in Minorũ cronicis lib. 8. cap. 4. legitur, quòd B. Ioannes de Aluernia celebrans, & in extasim raptus, a Deo certior factus est, se per missam illam omnium, quos ille commendauerat, dimisisse peccata.*

Ex carentia Eucharistiæ in Ecclesia multa damna prouenirent.

246 *Rupertus Abb. lib. 2. de Diu. off. cap. 10. hæc de Eucharistia scribit.* Aufer a cœtu Ecclesiæ quotidianas saluatoris nostri huiusmodi exequias, & vide, quam meritò dicat ipse saluator: Quæ vtilitas in sanguine meo? Refrigescente enim ea, quæ hoc modo nunc vbique calet, eius memoria, refrigescet vniuersa charitas, muta erit fides, claudicabit spes, conticescet magnus ille clamor sanguinis iusti Abel, qui per traditum tanti sacrificij ritum quotidie laxat os bibentis, & vociferantis terræ, scilicet, Ecclesiæ, maledictum coarguens Cain, & maturam indignè fusi sanguinis vindictam reposcens. Calente ergo memoria tam celebri, charitas Christi concalescit, perstat super fundamentum suum ædificium fidei, spes quotidiana peccatorum remissione reuiuiscit. *Hæc Ruper. de Eucharistiæ fructibus.*

Eucharistiæ fructus, quibus fideles multiplicantur, immensi sunt, & inenarrabiles.

247 *Tandem hoc solum ex Psalmo cantemus pro Eucharistiæ fructibus, secundum aliquorum lectionem, cum Ecclesia.* A fructu frumenti, & vini multiplicati sunt fideles. *Quantum verò spiritualiter multiplicentur fideles à fructu frumenti, & vini Eucharistici, nemo est, qui edisserat, quia & ipse fructus inenarrabilis est, sicut est etiam immensus. Et testatur hoc ipsa Ecclesia in suo Catechismo, inquiens de ea.* Immensæ eius vtilitates, & fructus nulla ratione explicari possunt.

Ad idem.

248 *Hinc S. Laur. Iustin. De triumphali Christi agone cap. 2. de eisdem Eucharistiæ fructibus sic ait, postquam multos explicauit.* Hos ergo, aliosque plurimos in verbo Christi anima videns per istiusmodi institutionem sacramenti futuros esse Ecclesiæ suæ profectus, cum in eodem, in quo memoratum initiandum fuerat sacramentum, se conspiceret, reddere conuiuio, totâ feruore ebria, feruida charitate, iucunda exultatione, in lætissimæ iubilationis voce prorupit, & ait: Desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar.

Pro varietate dispositionis recipientium Eucharistiam, varius est etiam illius effectus in eisdem.

249 *Pro* summentium dispositione *(inquit idem Laur. Iust. de agone Christi cap. 4.)* cibus iste dispares etiam operatur effectus. Quem enim reperit mundum & iustum, amplius mundat, atque sanctificat: quem autem sordescentem inuenit, & immundum, deteriorē facit: quoniam sancta, & immaculata iniquitatibus pollutus præsumpsit sumere sacramenta. Suis namque demeritis, non Dei voluntate, malus malè sumens, efficitur peior: In remedium quippe humanæ infirmitatis, fidei meritum, solatium amantium, & charitatis augmentum hoc suum Verbi clementia instituit sacramentum.

Ad idem.

250 *Declarat hæc omnia Rom. cath. exẽplo etiam arcæ veteris & duplici similitudine, dicens.* Fideles intelligant, quemadmodum si optimè affecto, & præparato animo Eucharistiam aliquis sumat, amplissimis cœlestis gratiæ muneribus ornatur, ita contra, si imparatus accipiat, non solùm nihil commodi, sed maxima etiam incommoda, & detrimēta eum accipere: Optimis enim rebus, & maximè salutaribus hoc proprium est, vt si in tempore iis vtamur, vehementer

I 2 pro-

profint, ſin alieno tempore adhibeantur, perniciem, & exitium afferant: *Sic pro Cath. & nonnullis interpoſitis, ſubdit de arca fœderis: Id verò arca Domini exemplo comprobatur, arca enim fœderis, qua nihil præſtantius Iſraeliticus populus habuit, cui etiam per illam maxima, & innumerabilia beneficia Dominus tribuerat, à Philiſteis ablata, ſummam illis peſtem, & calamitatem cum æterno dedecore coniunctam importauit: Sic etiam cibi, qui ore accepti in ſtomacum bene affectum illabuntur corpora alunt, & ſuſtentant: qui verò in ſtomacum vitioſis humoribus plenum infundi ſolent, graues morbos efficiunt.*

Quantum valeat Euchariſtia etiam contra viſibiles hoſtes, & quanta pariter ſit vis orationis ante ipſam facta, exemplo Sanctæ Claræ abſtruitur.

251 *De Sancta Clara hæc ſcribit Lipomanus in eius vita.* Cumque in Aſſiſium peculiarem Domini ciuitatē hoſtilis ſemel furor irrueret, & iam ipſis portus exercitus appropinquaret, Saraceni gens peſſima, qui ſanguinem ſitiunt Chriſtianum, & omne nefas impudentius audent, apud Sanctum Damianum, intra loci terminos, immo intra clauſtrum virginum confluxerunt: Liqueſcunt dominarum corda timoribus, tremunt formidine verba, & ad matrem referunt fletus ſuos. Quæ impauida corde ſeſe infirmam ad oſtiū duci iubet, & ante hoſtes poni præcedente eam capſa argentea intra ebur incluſa, in qua Sancta Sãctorum deuotiſſimè ſeruabantur, ſacratiſſimum, ſcilicet, corpus Chriſti. Cumque ſe totam in oratione coram Domino proſtrauiſſet, Chriſto ſuo cum lacrymis ait. Placet, mi Domine, inermes ancillas tuas, quas tuis amoribus innutriui, manibus, ecce, tradere paganorum? Cuſtodi, Domine, precor has famulas tuas, quas ipſa in pręſenti articulo cuſtodire non poſſum. Mox de nouæ gratiæ propitiatorio vox quaſi pueruli ad ei' aures inſonuit: Ego vos ſemper cuſtodiam. Mi Domine, ait, & hanc ſi placet protege ciuitatem, quia nos pro tuo amore ſuſtentant, & Dominus ad eā: Grauamina ſuſtinebit, ſed meo munere defendetur. Tunc Virgo lacrymoſam erigens faciem flentes confortat dicens: Fidei iubeo vobis, filiolæ, quòd nihil patiemini mali, tantum in Chriſto confidite. Nec mora: ſtatim canum illorum repreſſa paueſcit audatia, & per muros, quos aſcenderant, celeriter exeuntes, orantis virtute deturbati ſunt.

EVCHARISTIÆ FREQVENTIA.

Conuenienter quidam frequentius, quidam rarius communicant.

252 Non .n. ab omnibus vniformiter comunicandum eſt: ſed à quibuſdam ſæpius, à quibuſdam rarius, propt vnius cuiuſq; affectus trahitur, & virtus meretur, potiſſimum tamen ab ijs, qui Deo dicati ſunt ſumi debet Sacramentum: Hoc S. Laur. Iuſt. de diſc. & perf. mon. conu. cap. 9.

S. Aug. ep. 118. ad Ianuariū tom. 2. loquens de duobus, quorum vnus quotidiè ſētit Euchariſtiā eſſe ſumendum, alius verò rarius: hæc ſcribit. Faciat autem vnuſquiſquè quod ſecundū fidē ſuam piè credit eſſe faciendum, vterq; .n. eorum honorat corpus, & ſanguinem Domini, ſi ſaluberrimum Sacramētum certatim honorare contendant: neque .n. litigauerunt inter ſe, aut quiſquam eorum ſe alteri præpoſuit, Zacheus, & ille Centurio, cum alter eorum gaudēs in domū ſuam ſuſcepit Dñm, alter dixit, non ſum dignus, vt intres ſub tectū meū: ambo ſaluatorem honorificantes diuerſo, & quaſi contrario modo, ambo peccatis miſeri, ambo miſericordiam conſequuti. Valet etiam ad hanc ſimilitudinem, quod in primo populo vnicuiq; manna ſecundum propriam voluntatem in ore ſapiebat, ſic in ore cuiuſq; Chriſtiani ſacramentum illud quomodò ſumatur aſtimandum: Nam & ille honorando non audet quotidie ſumere, & ille honorando non audet vllo die prætermittere: contemptum ſolum non vult cibus ille, ſicut manna faſtidium. *Omnia hæc S. Auguſtinus.*

Ad idem.

Petrus Damianus Epiſt. 19. ad Blancam ex Comitiſſa Monialem: Chriſti corpus & ſanguinem in ore cordis crebrius ſuſcipe, vt hanc eius vocem poſſis audire: Fauus diſtillans

lans labia tua, ſponſa, mel, & lac ſub lingua tua &c.

Item Vt pulcra permaneas, ò anima, carnem eius quotidie manducabis, vt vitam æternam habeas, ſanguinem eius potabis: vide ne deſeras hanc menſam.

Ad idem.

254 *S. Ignatius Martir*. Date operam vt ſæpius congregamini ad gloriam Dei: quando .n. ſæpius in idem loci conuenitis, labefactantur vires Satanæ, & ignita illius ad peccata iacula irrita reſiliunt: noſtra .n. cōcordia, & conſenſus fidei, exitium illius, & ſatellitum eius ſuplicium eſt.

Ad idem.

Sanctus Baſilius in quadam epiſt. Communicare per ſingulos dies, & participare de ſacro corpore, & ſanguine Chriſti, pulcrum eſt, & valde vtile, ipſo manifeſtè dicente: Qui manducat meam carnem, & bibit meū ſanguinem, habet vitam æternam. Quis enim ambigit, quin frequens vitæ participatio, nihil a[illegible] id ſit, quam plurimis modis viuere? *Hæc S. Baſilius.*

Ad idem.

255 *Ad rem ipſam noſtram faciunt, quæ ſcribit Pater Philippus Diez in ſua ſumma, verbo, Euchariſtia.* Dicam autem vnum in magnam Chriſtianorum huius temporis, huiuſq; regionis confuſionem. De illo magno Imperatore Ætiopiæ, qui vocatur Præſteioan, ſcribitur, cum ſub ſe pluſquam ſexaginta regna habeat, quæ fermè omnia ſunt Chriſtiana, tanta eſt fides, & deuotio Chriſtianorum in illis regnis habitantium, quòd omnes viri mulieres, & pueri habētes vſum rationis, omni die dominico ad Eccleſias currunt, ad ſumendum Sacroſanctum Euchariſtię Sacramentum, ſicut oues ad ſalem currere ſolent: & ſunt multi, qui in hæbdomada ter illud recipiunt: vnde dicūt, quòd propter deuotionem, & frequentationem huius Sacramenti eorum patria nunquam infecta fuit aliquo errore, neque hæreſi: ſed ſemper manſerunt firmi, & ſtabiles in illa fide, & doctrina, quæ ab Apoſtolis Thoma, & Matheo eis tradita fuit; & quòd illud magnum regnum maneat in ſua antiqua gloria, & potentia: & quòd de hoſtibus habeant ſemper victoriam, attribuunt, deuotioni, & frequentationi huius ineffabilis Sacramenti.

Ad idem.

Beatus Petrus Dam. lib. 6. Ep. ad Dam. Monachum. Satage te pater iam quotidie Dominici corporis, & Sanguinis perceptione munire: videat oculus hoſtis labia tua Chriſti cruore rubentia, quæ territus perhorreſcat, & mox in tenebrarum ſuarum latibula paueſcendo diffugiat. Quod .n. tu per viſibilem panis ac vini ſpeciem ſuſcipis, ille velit, nolit, dominici corporis ac ſanguinis intelligit veritatem. 256

S. Aug. Serm. 28. de verbis Domini. Accipe quotidie, quod quotidie tibi proſit: ſic viue, vt quotidie merearis accipere, qui non meretur quotidie accipere, non meretur poſt annum accipere. Quomodo Sanctus Iob quotidie pro filijs offerrebat ſacrificiū, ne forte aliquid vel in corde, vel in ſermone peccaſſent: ergò tu audis, quòd quotieſcunq; offertur ſacrificium, mors Domini, reſſurrectio Domini, eleuatio Domini ſignificetur, & remiſſio peccatorum, & panē iſtum vitæ noſtræ quotidianum non aſſumis. Qui vulnus habet, medicinam requirit. Vulnus eſt, quia ſub peccato ſumus, medicina eſt cœleſte ac venerabile Sacramentum: Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie, quotidie ſi recipis, quotidie tibi hodie eſt.

Ad idem.

Dicunt aliqui niſi aliquo interueniente peccato Euchariſtiam quotidie accipiendam: hunc .n. panem dari iubente Domino quotidie nobis poſtulamus, dicētes: Panem noſtrum quotidianū da nobis hodie: Quod quidem bene dicunt, ſi hoc cum religione, & deuotione, & humilitate ſuſcipiunt: ne fidendo de iuſtitia, ſuperba præſumptione id faciant: cæt[e]rum ſi talia ſuut peccata, quæ quaſi remoueant ab altari, prius agenda pænitentia eſt, ac ſic deinde hoc ſalutiferum medicamentum ſuſcipiendum *S. Iſidorus de offic. eccl. lib. 1. cap. 18.* 257

Eucharistia quotidianus Panis dicitur, quia quotidie illa indigemus, & quia etiam quotidie, si non Sacramentaliter, spiritualiter saltem sumere debemus.

258 *S. Laurentius Iustinianus in Sermone de Eucharistia.* Panem nostrum quotidianum da nobis hodie: Signanter dictum est, hodie, quatenus suas, te quotidiano illius indigere suffragio: Non enim sufficit, vt illum semel accipias. Nam quemadmodum quotidie in altari pro delictis tuis mysticè immolatur, quotidieq; delinquis, ità & tu, non Sacramentaliter, tamen spiritualiter quotidie manducare non dubites, dumtaxat peccandi in te minime dominetur affectus: Namque si ipsum spiritualiter credis, si absque mortali peccato viuis, illumq; super omnia diligis, spiritualiter comedis, membrum effectus es mystici corporis ipsius, & in corpore copulatus es capiti, nutririsq; de eodem spiritu, quo corpus, & pertines ad caput, atq; honoraris in capite, quàdiu perseueras in corpore.

Ad idem.

259 *S. Thomas 3. p. q. 80. art. 10.* Circa vsum huius Sacramenti duo possunt considerari, vnum ex parte ipsius Sacramenti, cuius virtus est hominibus salutaris: Et ideo vtile est quotidie ipsum sumere, vt homo quotidie eius fructum percipiat &c.

Alio modo potest cõsiderari ex parte sumentis, in quo requiritur, vt cum magna denotione, & reuerentia ad hoc Sacramentũ accedatur, & ideo, si aliquis se quotidie ad hoc paratum inueniat, laudabile est, quòd quotidie sumat: sed quia multoties in pluribus hominum multa impedimenta huius deuotionis occurrunt, propter corporis indispositionem, vel animæ, non est vtile omnibus hominibus quotidie ad hoc Sacramẽtum accedere, sed quotiescunq; se ad illud homo inuenerit præparatum.

Ad idem.

260 *S. Bonauentura noster in 4. d. 12. p. 2. q. 2.* Si ergo quæritur, vtrum expediat alicui frequentare Eucharistiam, dicendum, quòd si videat se esse in statu Ecclesiæ primitiuæ, laudandum est quotidie communicare, si autem in statu Ecclesię finalis, vtpote frigidum, & tardum, laudandum est, quod rarò, si autem medio modo, medio modo se debet habere, & aliquando debet cessare, vt addiscat reuereri, aliquando accedere, vt inflametur amore: quia tali hospiti debetur honor, debetur, & amor: Et tunc secundum illam partem, secundum quam videris se melius proficere, ad illam magis inclinet, quod homo solum experientia discit.

Ad idem.

Cassianus Collat. 23. quæ est tertia Abbatis Theonæ, cap. 21. Nec ex eo debemus nos à Dominica comunione suspẽdere, quia nos agnoscimus peccatores: sed ad eã magis ac magis est, & propter animæ medicinam, & purificationem spiritus, auidè festinandũ: Veruntamen ea humilitate mentis, ac fide, vt indignos nos perceptione tantæ gratiæ iudicantes, remedia potius nostris vulneribus expetamus. Alioquin nec anniuersaria quidem dignè est præsumenda communio. 261

Ad idem.

S. Chrisost. de communione hom. 61. ad Pop. Ant. ait. In alijs quidem temporibus, cũ puri frequenter sitis, non acceditis: in Pascha verò licet sit aliquid à vobis patratũ, acceditis: O consuetudinem, ò præsumptionem: sacrificium frustra quotidianum. 262

Ad idem.

Alexander de Ales Doctor irrefragabilis nostri ordinis minorum 4. p. q. 9. art. 4. Casus, siue quæstio hæc de frequentia accedẽdi ad Eucharistiam, determinata est habita consideratione ad fidem, & deuotionem accedentis: si .n. ex continua deuotione, & desiderio continuo, & confidentia de assequendo effectus huius Sacramenti, aliquis singulis diebus accederet, æstimo quòd valeret sibi frequentia, si quis ex reuerentia tanti Sacramenti, & ex timore suæ indignitati frequẽter desisteret, existimo, quòd illa reuerentia, & timore proficeret. Vnde dico, quòd determinatio huius casus relinquenda est piæ credulitati accedentis. 263

Ad

Ad idem.

264 *Sanctus Bernardinus Senen. ex eadem nostra Religione tom. 2. ser. 57. art. 2. cap. 3. q. 2.* Cum Sacramenti perceptio debitam requirat purgationem peccatorum, & mẽtalem eleuationem, seu reuerentiam, atq; deuotionem: si quis qualibet die paratus sit prædictis modis, & aliud impedimentum non habeat, vtile est ei hoc Sacramentum frequentare.

Ad idem.

265 *Tandem ad consolationem, religiosorum præcipuè, & etiam secularium omnium, libuit hic annectere ea, quæ de frequentatione Eucharistiæ tradit Ludouicus Blosius in suo monili, cap. 6. de S. Gertrude scribens in hanc modum.*

Eadem virgo Gertrudis intellexit à Domino, quod illi non irreuerenter, nec indignè sumunt Sacram Eucharistiam, qui eam piè sumunt ex desiderio honoris, laudis, atq; gloriæ Dei, quæ sanè gloria diuina in hoc præcipuè elucescit, quòd summa illa Maiestas tam indignis hominibus se communicare non dedignetur. Igitur pij quique Sacerdotes, & etiam Monache, ac Moniales bonæ voluntatis, qui absq; fictione Deum, propriamq; salutem quærunt, & suum ordinem, sanctaq; congregationis suæ statuta seruare student, ac humiles, spiritualesq; esse conantur, & tempus vtiliter traducũt, & quando sese negligunt, vel in aliquo delinquunt, Sacerdoti suo purè cõfitentur quicquid conscientia testatur esse peccatum, hi Deo satis confidere debent, sicq; super eius misericordia, & benignitate, Sacramẽtum Eucharistiæ accipere, quoties ex ordine datur, vel ex bona consuetudine illud recipere solent. Similiter quotquot viri, vel feminę seculares viuunt in aliquo statu, qui à Deo, & Ecclesia non discordet, siuè sint in matrimonio, siuè extra matrimonium, siuè vendant, siuè emanat, seu quauis alia licita ratione victum sibi parent, si bona voluntate præditi, ex Dei gratia perseuerant in bono, & à grauibus culpis se se continent, vitamq; suam secundum Dei præcepta ac Sanctæ Ecclesiæ decreta dirigere volunt, peccataquè sua humili corde Sacerdoti cõfitentur, hi omnes de Dei misericordia cõfisi, venerandum Eucharistię Sacramentum in solennitatibus, vel diebus à spirituali Patre ipsorum statutis, accipere possunt. Licet .n. rebus externis multipliciter occupati sint, & in leuiores culpas sæpius cadãt, pro viribus tamen sunt iusti in omnibus, ob idq; Deo placent. Inueniuntur autem non nunquam etiam inter eos, qui habitum secularem gestant, aliqui, tam puri, & feruẽtes, vel sancti, vt quotidiè sacram communionem percipere possint.

EVCHARISTIÆ DEVOTIO.

Sancti Thomæ de Aquino eximia erga Eucharistiam deuotio.

266 *Quanta fuerit in primis Doctoris Angelici erga Angelorum Panem deuotio explicat cum Lipomano frater Laurentius Surius Carthusianus his verbis.* Pręcipua autem deuotione afficiebatur erga illud præstantissimum Eucharistiæ Sacramentum, solebatque quotidie Missæ offerre sacrificium, nisi adue sa valetudine esset impeditus: nec hoc contentus, etiam alterius fratris Missam auscultabat, cui etiam (vt plurimum) ipse inseruiebat: Sub ipso autem sacrificio tanti Sacramenti amore ebrius non rarò in Deum rapiebatur totus lachrymis infusus. *Sic Surius.*

Et rursus de eodem iam morti propinquo.

Cum autem sentiret paulatim se viribus destitui, cum multa deuotione petijt sibi Sacrosanctam Eucharistiam exhiberi: Id verò ab Abbate, & fratribus ad modum reuerenter præstitum est: Vt autem allata fuit Eucharistia, tametsi fractis esset viribus, humi se prostrauit, cum lacrymis, & admirabili pietate orans Dominum: Interrogatus autem, vt habet consuetudo Ecclesiastica, num crederet in Sacra illa hostia verum esse Dei filium, qui nostrę causa salutis, ex Virgine natus, & in Cruce mortuus est, & resurrexit, libera voce, & cum multa deuotione lacrymans, dixit. Ego planè credo, immò pro certò noui, hunc esse verum Deum, & hominem Iesum Christum æterni Patris, & Virginis matris filiũ: & quod puro corde credo, etiã labijs syncere cõfiteor Deinde illud viuificũ accepit Sacramentũ.

Deuotio-

Deuotionis eiusdem S. Thomæ ad Eucharistiam viuum testimonium, & continuam memoria in Ecclesia.

267 *Habet praeterea Ecclesia Dei singularis S. Thomæ deuotionis ad Eucharistiam viuum quoddã testimonium, continuamque memoriam, officium, nempè, de festo eiusdem Corporis Christi deuotissimum ab eodem compositũ, de mandato summi Pontificis Vrbani IV. quod ipsa continuo recitat, & est Opusculum eiusdem Doctoris in ordine quinquagesimum sextum, vt videre est: in cuius principio hoc narratur (inter alia ex Chronica, quæ appellatur supplementum Chronicarũ desumpta) in hunc modum.* Hoc etiam probatum fuit in Apostolico Concilio in præsentia Domini Papę Vrbani V. dum de translatione Corporis eiusdem Doctoris S. Thomæ tractaretur, quod fuit anno Domini 1379. & tunc eius Corpus Sanctissimum ad Conuentum Tolosanum Ordinis Prædicatorum translatum fuit. Nam ab eius obitu fœlici, vsque ad illud tempus in Monasterio fossæ nonæ sub deposito iacuerat: *Sic ibidem.*

Hæc S. Thomæ ad Eucharistiam deuotio ab ipso Christo commendata fuit, & ab eodem etiam præmiata, & ab eius vicario.

268 *Cum composuisset Angelicus Doctor officium Corporis Christi, quo Romana Ecclesia in eius festo vtitur, dum in Ciuitate Oruieti ante Crucifixum affectuosissimè oraret oculis, & corde in eumdem fixis, dixit ei idem Crucifixus.* Bene scripsisti de me, Thoma: *idemque omnino illi contigit, dum Crucifixum similiter rogaret pro veritate quæstionis cuiusdam, quam scripserat de eiusdem Eucharistia accidentibus: Sicut verò ab ipso Domino laudata fuit hæc singularis eius deuotio erga Eucharistiam, sic pariter etiam præmiata, & non ab ipso solum in anima, dum, nimirum, post mortem ipsum Christum statim in mercedem recepit, sicut ab eodem iam sciscitatus, responderat, sed in Corpore etiam à Christi Vicario Vrbano V.: Ipse enim Pontifex eiusdem S. Corpus, quod multis annis, inuitis Dominicanis apud Cistercienses fuerat, apud quos extremum clauserat diem, eidem Dominicanæ, suæ Religioni adiudicauit, quòd tam deuotum officium Corporis Christi idem S. composuisset: Vnde prædicatorum quilibet, de hoc tunc lætior factus, illud S. Agnetis vsurpare poterat iure meritò:* Iam Corpus eius, *nempè S. Thomæ* (Corpori meo) *scilicet Religioni meæ* associatũ est.

Sancta Catharina Senensis ad eandem Eucharistiam deuotio.

Surius cum Lipomano sic de ea scribit: Languebat amore Christi Sponsi sui, nec is languor capiebat remedium, nisi ex lachrymis mentis, & Corporis: inuitabatur ad crebro percipiendam Sacrosanctam Eucharistiam: sed hoc quoq; vt maioris amoris, ita quoq; amplioris languoris fomentum fuit: tanto autem Sacrę communionis ardebat desiderio, vt nisi ea frueretur, corpus propè deficeret, dureque pateretur. 269

Deuotio S. Claræ ad eandem.

Idem Surius in vita S. Claræ sic de ea scribit Cap. 18. ex Chronicis minorum. Quantus Beatæ Claræ ad Altaris Sacramentum fuerit deuotionis affectus, effectus ostendit. In illa graui infirmitate, quæ eam grabato ad scripserat, faciebat se erigi, & fulcimentis appositis sustentari, & sedens filabat delicatissimos pannos, de quibus vltra quinquaginta paria Corporalium faciens, & ea sericis, vel purpureis thecis includens, per plana, & montana Assisij varijs Ecclesijs destinabat. Corpus verò Domini suscepturа, calidis primò lacrymis irrigabatur, & accedens cum tremore, non minus formidabat in Sacramento latentem, quam Cœlum terramque regentem. 270

Singularis deuotio S. Luciani Martiris ad eandem.

Niceph. Calixtus in Hist. Eccl. lib. 8. Cap. 31. De Luciano martire (*inquit*) illud est decantatum, moriturum eum, cum vis tyrannica, neque Templi, neque sacrarij copiam faceret, & vincula quoque, atque plagæ motum prorsus denegarent, in suo ipsius pectore discumbentem, horrendo illo operatum esse mysterio, ad eumq; modum, & ipsum participasse de immaculato sacrificio, & alijs vt itidem communicarent, suasorem 271

forem, fuisse: Sacrum idq; in carcere perficiebatur, & Ecclesiæ specimen facer ille Chorus, qui eum iam morientem stipabat, repræsentabat: Aliam quoq; ob causam ita sacris operabantur, vt, scilicet, quæ à pijs peragebātur, ab ijs, qui alterius essent opinionis, non conspicerentur.

Deuotio S. Carpi erga eamdem Eucharistiam.

272 *S. Dyonisius Areopagita in epistola ad Demophilum hæc de S. Carpo scribit.* Cum aliquando in Cretam venissem, me Carpus hospitio accepit, vir (si quis alius) propter magnam mentis puritatem, ad cernendum Deum aptissimus: Neque enim sacros mysteriorum ritus aggrediebatur, nisi prius ipsi in ijs precibus, quæ antea perfici solent, sacra, & læta apparuisset visio.

Henrici Regis Anglorum, & suorum militū excessiua ad Eucharistiam deuotio, & singularis etiā fructus eius.

273 Henricus Anglorum Rex circumuentus ab exercitu Gallorum Regis, quæ cumque obtinuisset in Gallia dimittere voluit, si cū suis incolumis abire permitteretur: negantibus Gallis, nocte subsecuta, vocatis Centurionibus, neque fugere (inquit) commillitones, neque ab hostibus incolumitatem consequi possumus, quamuis cedere Regno Galliæ voluerimus: Sola nos arma tueri possunt. Non est, cur numerosum Exercitum formidetis: Iustam causam iustus Deus adiuuabit. Ite, & alter alteri peccata vestra confitemini, pauxillum terræ, ob memoriam Sacramenti Eucharistiæ Saluatoris, alter alteri porrigite. Crastina die liberabit nos Dominus de manibus inimicorum nostrorum: Sic dimissa concione, peractis, quæ iusserat, curare milites corpora præcipit: sequenti die, vt primum lux orta est, commisso prælio (incredibile dictu) octo millia Anglorum sexaginta millia hostium fudere: Cæsa ingens turba, nobilitas Galliæ prope omnis capta, paucos fuga seruauit, eaque potissimum dies Gallorum opes fregit. *Sic Æneas sylvius lib. 3. Comm. in Pan. & Theatrum vitæ hu. vol. 27. lib. 3. Simile quid de alijs etiam narratur ab eodem Theatro.*

Hinc quasi pro corollario inferre possumus quòd sicut prædictorum deuotio erga Eucharistiam (etsi, singularis, & insolita) fuit illis tam vtilis, sic per oppositum multorum indeuotio circa eandē, illis pariter est valde damnosa. Quare, de Eucharistico pane rectè id enunciabitur, quod de materiali pane scriptum reliquit Auicena. Panis nauseatio pessima. *Sic enim ex Arabico suo textu in latinum vertitur illud satis tam vulgatum inter Phisicos axioma:* Omnis repletio mala, panis autē pessima: *Hoc modo, nimirum:* Omnis nauseatio mala, panis autem pessima: *Sicq; scriptum est præsertim in Arabico quodam Codice, qui in Vaticana bibliotheca asseruatur sicut à fide dignis audiui. Eucharisticum n. panem indeuoti quasi nauseant, Nam eorum indeuotio, est panis eiusdem quasi nauseatio: Et hæc est illis pessima, vt tradit Auicena (sicut circa eundem deuotio est deuotis optima) pessima, inquam, ac damnosissima, quia mortis æternæ causa: sicut n. de illis, sub Iudeorum typo in psalmo dicitur (vt alias declarauimus)* Omnem escam abhominata est anima eorum. *Sic etiam de eisdem statim subditur.* Et appropinquauerunt vsq; ad portas mortis. Et peruenerunt vsque ad portas mortis, *ex Hebreo Pagninus. In horum figura similiter ijdem* Iudei, *Num. 21. super manna, quod Eucharistiam expressè repræsentabat, dixerunt:* Anima nostra iam nauseat super cibo isto leuissimo: Idcirco. *Subditur ibidem statim:* Quamobrem misit Dominus in populum ignitos serpentes, ad quorū plagas, & mortes pluri mortum &c.

AD EVCHARISTIAM PRÆPARATIO.

Ad Eucharistiam primò per Sacramenti considerationem, & cōscientiæ examen nos præparare debemus.

274 Primum itaque illam, præparationem fideles adhibeant, vt discernant mensam à mensa, hanc sacram ab alijs prophanis, cœlestem hunc panem à cōmuni: atq; hoc fit, cum certò credimus, præsens esse verum corpus, & sanguinem Domini, quèm in cœlo Angeli adorant, ad cuius nutum columnæ cæli contremiscunt, & pauent, cuius

 gloria

gloria plenum est cœlum, & terra: Hoc nimirū, est diiudicare corpus Domini, quod Apostolus admonuit. *Sic Ecclesia in Cathechismo.*

Ad idem.

275 *Theophil. illa Apostoli verba Cor. 1. cap. 9.* Non diiudicans corpus Domini, *sic interpretatur*: Hoc est, non explorans non intelligens propositę rei amplitudinem: Si enim disceremus vnquā, quisnā esset, qui proponitur isthic nobis, non indigeremus altero, sed illum ipsum nos, vt sobrij essemus, pararet.

Ad idem.

276 *Idem Theop. illud eiusdem Apostoli.* Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat, *explicās, sic vnumquemq; communicaturum alloquitur.* Non alium tibi Iudicem attribuo, verū te ipsum tibi ipsi comendo; iudica igitur, & explora conscientiam tuam, & sic accede, non quādo fuerint feriæ, sed quando purum te ipsum, ac dignum inueneris.

Ad idem.

277 *Hinc S. Bonauentura noster in 4. d. 12. p. 2. q. 1.* Maiorem efficaciam (*ait*) credo, quod accipiat homo in vna Missa, vel manducatione cū bona præparatione, quam in multis, si non se præparet diligenter.

Peccatorum confessio Eucharistiæ perceptionem præcedat.

278 Apud Gymnosofistas paratis instructisq; mensis, antequam dapes apponant, adolescentes singuli, qui ad epulum conueniunt, quid generi humano satisfecerunt, quodue sapienter dictum, factumue fuerit illa luce, coram senioribus exprimere coguntur: & qui deses nihil in medium, quod frugi sit, affert, impransus manet. *Alex. lib. 5. c. 1. Non adolescentes solum, sed omnes omnino fideles, quando ad epulum Eucharisticum conueniunt, coram senioribus, idest presbyteris confessarijs exprimere coguntur non id, quod bene, & sapienter, sed quod insipienter, & malè omni die, ab vltima saltem confessione fecerunt, vel ab epulo hoc abstinere.*

Fides de veritate Eucharistiæ necessaria est ad eam accedenti.

Apud Germanos, qui scutum amisisset in acie, sacris interesse haud licebat. Cornelius tacitus. 279
In omnibus sumentes scutum fidei *de veritate Eucharistiæ fine, qui ad eam accedunt*: Sine fide autem impossibile est placere Deo: Credere enim oportet accedentem ad Deū, quia est, *inquit Paulus ad Hebreos cap. 9.*

Peccata nobis Eucharistiam prohibent.

S. Hieronimus ad illa verba Marci cap. 3. 280
Conuenit iterum turba, ità vt non possent neque panem manducare &c. *de Eucharistia sic ait*: Turbæ quæ impediunt panem manducare, peccata, & vitia sunt, quia, qui manducat, & bibit indigne, iudicium sibi manducat, & bibit; non diiudicans corpus Domini: vnde Dominus in furorem vertitur, cum dicit, nisi manducaueritis carnem filij hominis &c.

Ad idem.

In Cheronea Sacerdos locum tenens, 281
clamabat, seruum non ingredi, non seruam &c. *Gyraldus*, Qui facit peccatum, seruus est, *peccati. Ioan. 8. Hic ad Eucharistia non ingrediatur.*

Animæ puritas ad Eucharistiam necessaria est.

S. Paschasius de Corp. & sanguine Domini 282
cap. 21. Quia ordinante Deo iam sacris adsistis altaribus, laua inter innocentes, non cum Pilato manus: quia nulla excusatio prodest, vbi testis est conscientia Iudex: & cum probaueris te purum, tum de pane illo ede, & de calice securus bibe: sin autem da honorem Deo, & corrige quanto citius plenitudine cordis maculas erroris, si quomodo vales demum Christi altaria circondare pijs amplexibus; & ad sancta sanctorū mente pura deuotior introire.

Ad idem.

S. Ephrem in Beat. Beatus qui se purum, & incōtaminatum ab omni sorde seruat peccati, vt confidenter, atq; audacter in domum suam.

suam Regem gloriæ Dominum nostrum Iesum Christum suscipiat.

Ante Eucharistiam de virtutibus disputandum est.

283 Persarum Reges ante cibum de modestia disputabant, quemadmodum ante sacrificium de iustitia. *Alex. ab Alex. cap. 21. Ante Eucharisticum sacrificium, & cibum necessarium est, vt nos iusti, & modesti simus, non autem, quòd de iustitia, vel de modestia disputemus.*

Discussis vitiorum tenebris ad Christi Corpus accedendum est.

284 *Venerabilis Beda in Cathena S. Thomæ citatus, ad illa Lucæ verba cap. 24. de S. Mulierib⁹.* Vna autem Sabbati, valdè diluculo venerunt ad monumentum, *& c. sic ait.* Iuxta intellectum vero mysticum, per hoc, quod mulieres valdè diluculo veniunt ad monumentum, datur nobis exemplum, discussis vitiorum tenebris ad Domini corpus accedere: Nam & sepulcru illud figuram Dominici habebat altaris, in quo corporis Christi mysteria, non in serico, non in panno tincto, sed instar syndonis, quo eum Ioseph inuoluit, in linteo puro debent consecrari: vt sicut ipse veram terrenæ naturæ substantiam pro nobis morti obtulit, ità & nos, in commemoratione ipsius, purum de terrę germine, candidumque & multimodo quasi mortificationis genere, castigatum altari linum imponamus.

Ad idem.

Oportet omnibus viribus a peccato mundari, & rectè viuendi iactis fundamentis, magna cum fiducia ad sumendam vitam concurrere. *S. Cyr. Alex. in Ioan. lib. 3. cap. 37.*

Pia S. Francisci adhortatio pro digna communione.

285 *S. Franciscus ad fratres suos dicebat:* Debemus siquidem confiteri sacerdoti omnia peccata: & recipiamus corpus, & sanguinē Domini nostri Iesu Christi, ob hoc, quod, qui non manducat carnem suam, & bibit suum sanguinem, non potest intrare in regnum Dei: dignè tamen vnusquisque manducet, & bibat, quia, qui indignè manducat, iudicium sibi manducat, & bibit, non diiudicans Corpus Domini.

Ad idem.

Idem Sanctus Pater noster. Omnes, qui viderunt Dominum Iesum Christum secundum humanitatem, & non viderunt, neque crediderunt secundum spiritum, & deitatē, ipsum esse verum filium Dei, damnati sunt: Ità & modò, quia omnes, qui vident Sacramentum, quod sanctificatur per verba Domini super altare, per manus Sacerdotum in forma panis & vini, & non vident, & non credunt secundum spiritum, & diuinitatē, quod sit veraciter sanctissimum corpus & sanguis Domini nostri Iesu Christi, damnati sunt, ipso altissimo attestante, qui ait. Hoc est corpus meū, & sanguis noui testamenti: & qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem habet vitam æternam. Qui habet spiritum Domini, qui habitat in fidelibus suis, ille est, qui recipit sanctissimū corpus & sanguinem Domini: Omnes alij qui non habent de spiritu eodem, & præsumunt recipere eum, iudicium sibi manducant & bibunt.

Ante Eucharistiæ sumptionem pænitere debemus, & præ dolere peccatorum plangere.

S. Ambrosius ad illud Psalmi 41. Fuerunt 286
mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, *hæc scribit:* Mitte panem tuum ante faciē aquæ, quia vbi panis cælestis, ibi aqua gratiæ: quoniam rectè accipiunt substantiam verbi, & mysticè rationis alimentum, quibus flumina aquæ viuæ de ventre labuntur; similiter quoq; hic panis ibi viuus, vbi aqua lacrymarum, & fletus est pænitentiæ. *Hinc Iob deuoti cuiuslibet personam assumens, de Eucharistia dicebat:* Antequam comedam suspiro.

A peccatis surgendum, antequam panem Eucharisticum comedamus.

Angelus panem subcinericium, qui Eucharisticum figurabat, Eliæ offerens, dixit prius; 287
surge: *& postea*, comede, *& de eodem Elia similiter legitur, quòd* surgens comedit *simi-*

iter quòd Daniel in lacum leonum, surgens comedit *prandium sibi ab Abachuch iussu Domini miraculosè delatum: quia, qui in peccatis sedent per complacentiam, ab illis surgere debent per pœnitentiam, antequam comedant sacramentalem panem.*

Hinc Dominus in psalmis peccatores eosdem sic affatur: surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris. *Eucharistia n. panis doloris dici potest, quia in tempore doloris Christi, hoc est, passionis eius ab eo instituta est, & ad memoriam etiam eiusdem tam dolorosæ Passionis, sub doloris nomine omnes homines inuitat, dicens:* O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, & videte, si est dolor, sicut dolor meus. *Itaque manducantibus hunc panem doloris, iubet Dominus; vt prius surgant, scilicet, à peccatis, postquam in illis per delectationem, & consensum sederint; ita vt in veritate dicant:* Cum impijs non sedebo.

Ad idem.

188 *Luca 9. prius infirmi a Christo sanati leguntur, & postea alij ab eodem miraculosè cibati: infirmi n. illi peccatores quoslibet adumbrant, illa verò refectio Eucharistiam: nam a peccatis per pœnitentiam primò curandus est, qui a Christo Eucharistia est reficiendus:* Itaque nemo cibum accipit Christi *(inquit hoc loco S. Ambrosius)* nisi fuerit ante sanatus: *& iterum:* Vbique igitur mysterij ordo seruatur, vt per remissionem peccatorum, vulneribus medicina tribuatur, post alimonia mensæ cœlestis exuberet.

Per virtutes, & bona opera ad Eucharistiam nos præparare debemus.

189 Cum factum esset prandium bonum in domo Thobiæ dixit filio suo: Vade, & adduc aliquos de Tribu nostra timentes Deũ, vt epulentur nobiscum. *Tobiæ 12.*

Lyranus hoc loco: Domus Tobiæ, idest, boni prælati est Ecclesia, in qua diebus festis fit bonum prãdium de pabulo sacræ scripturæ, & Sacramento Eucharistiæ. Quid n. bonum eius, nisi frumentum electorum. *& Zach. 19.* Fit de hoc frumento prandium spirituale, quo mens reficitur. *inquit hoc loco Dionys. Ad illud verò adducuntur solum qui sunt ex tribu Tobiæ, nempè, solum fideles. Verum, nec omnes indifferenter, qui sunt ex tribu Christiana, sed solum timentes Deum:* Adduc aliquos de Tribu nostra timentes Deũ, *inquit,* Nemo enim nisi qui timuerit Deum *(inquit Ambrosius in Lucam cap. 16.)* quod est initiũ sapientiæ, nisi signaculum spirituale vel custodierit, vel receperit, nisi Dominum prædicauerit, sacramentis debet interesse cœlestibus. *Hinc de Eucharistia scriptum est,* Escam dedit timentibus se, *& de eadem Cõmẽtator in Damascenum lib. 4. de fide orth. cap. 14. De sanctis, & immaculatis mysterijs.* Cum itaque tanta sit huius sacramenti sublimitas, tam augusta dignitas, & celsitudo, ad ipsũ nonnisi summo cum timore, reuerentia, & sincera fide accedendum est.

Ad idem.

Item ipse Damascenus ibidem. Summo cum metu & pura conscientia, fideq; haud quaquam dubia accedamus, ac profectò sic nobis fiet, quemadmodum firmè ac constanter credimus. Ipsum porrò omni puritate colamus, hoc est, spirituali & corporea. 190

Ad idem.

Item Dion. Carth. in alterum Dion. de Eccl. Hier. cap. 3. Quam firmissima fide, deuotissimo cultu, flamigera charitate, electissima illa primitiua Ecclesia tractauit, celebrauit, sumpsit Eucharistiæ sacramentum; cum quanta etiam charitate, concordia, puritate & reuerentia nos illud suscipere tenemur. 191

Ad idem.

S. Chris. hom. 24. 1. Cor. 10. de Christo in Eucharistia: Accedamus ergo ad eum cum feruore & ardente charitate, & ne subeamus supplicium: Nam quo fuerimus maioribus affecti beneficijs, eò magis puniemur, quando visi fuerimus indigni beneficio.

Ad idem.

Item ipse Dionysius Areop. De cœl. hier. c. 4. ait. Mysteria facta porrigat, & ad sui principij similitudinẽ, quã potest, proximè accedat. 192

Ad idem.

S. Laur. Iust. de triumph. Christi agone cap. 4. 193

Quod

Quod ordinatum est sanctè, sanctificatus accipe, vt sanctificeris adhuc. Numquam qualis sis obliuiscaris: ne tuæ infirmitatis immemor, elata cordis ceruice diuina suscipias: optimum enim susceptionis remedium; mentis humilitatem fore non dubites: eo namq; ad Eucharistiam percipiendam eris dignior, quo corde humilior, mente mundior, dilectione feruentior, virtutibus solicitior, & vita inuctus fueris sãctior.

Ad idem.

293 *S. August. sermone 201.* Quicunque Corpus Christi dignè manducare voluerit, necesse est, vt moriatur præteritis, & viuat futuris.

Ad idem.

Orig. hom. 13. ad illud Luc. 23. de panib. Propositionis: Et manducabunt eos in loco sancto. *sic ait:* locum autem sanctũ ego interius non requiro positum, sed in corde: locus n. dicitur sanctus rationalis anima: Propter quod & Apostolus dicit. Nolite locum dare diabolo: Anima ergo mea locus est, si malè ago, diaboli: si benè, Dei: *ait primo, postea, infra sic subdit.* Tibi lex ista proponitur, vt cum acceperis panem mysticum, in loco mundo mãduces, hoc est, ne anima contaminata, & peccatis polluta dominici corporis sacramenta percipias.

Ad idem.

294 *S. Augustinus ser. 252. de temp.* Rogo vos, fratres, numquid est aliquis, qui in arca sordibus plena velit immittere vestem suam: & si in arca sordibus plena vestis non mittitur prætiosa, qua fronte in anima, quæ peccatorum sordibus inquinatur, Christi Eucharistia suscipitur?

295 *Idem ibidem:* Omnes viri quando communicare desiderant, lauant manus suas: similiter, & mulieres, quomodo nitidum exhibent linteolum, vbi corpus Christi accipiant, sic corpus castum, & cor mundum exhibeant, vt cum bona conscientia Christi sacramenta suscipiant.

Ad idem.

296 *S. Basilius lib. 2. cap. 3.* Oportet igitur accedentem ad corpus, & sanguinem Christi, in commemorationem ipsius, qui pro nobis mortuus est, & resurrexit, non solum purum esse ab omni inquinamento carnis & spiritus, vt ne in iudicium edat & bibat: sed etiam euidenter ostendere memoriam eius, qui pro nobis mortuus est, & resurrexit, in eo quod mortificatus sit peccato, & mundo, & sibi ipsi, viuat autem Deo in Christo Iesu Domino nostro.

Ad idem.

S. Paschasius de corp. & sang. Domini cap. 11. 297
Quisquis rectè vult communicare, sic viuat necesse est, vt templum spiritus Sancti semper esse queat: quia si quis templum Dei violauerit, disperdet illum Deus. *Sic ille. Qui templum est spiritus mali. s. per peccatum, non potest esse templum Spiritus sancti per gratiam. Hinc & Salomon dicebat:* Non est Satan, neq; occursus malus, quamobrem cogito ædificare templum nomini Domini.

Ludouicus Blosius in suo monili cap. 6. hæc de præparatione ante communionem exempla recenset.

Christus Sanctæ Mechtildi ait: Quando 298
sacram communionem perceptura es, desidera & opta ad laudem nominis mei, habere omne desiderium, omnemq; amorem, quo vnquam cor aliquod erga me flagrauit, & ita ad me accede: Nam ego amorem illum in te attendam, atq; suscipiam, nõ sicut est in te, sed sicut velles eum in te esse.

Ad idem.

Corpus Christi aliquãdo sumptura Beata Gertrudis cum se nimis imparatam doleret, rogauit Beatam Virginem Mariam, & omnes Sanctos, vt Domino pro se offerrent omnem dignitatem, quã quilibet ipsorum vnquam paratus fuerat ad gratiam Dei accipiendam: Vnde Dominus ait ad eam; sane verè omnibus cœli ciuibus appares in eo ornatu, quem tibi petisti: Vtile igitur est, vt quilibet percepturus sacram communione, etiam desideret, & petat animam suam exornare meritis, ac virtutibus Iesu Christi, sanctorumq; eius. 299

Ad Eucharistiæ perceptionem principaliter vita commendabilis requiritur, deinde deuotio: etsi vnum sine altero perfectè esse non possit.

300 *S. Laurentius Iustinianus de discip. & perf. mon. conuers. cap. 19.* Etsi de deuotio plurimum huic congruat sacramento, tamen prius vita commendabilis habenda est, deinde deuotio: Nam vita sine deuotione multum confert, absque vita deuotio, nihil: Hoc autem definiendum est, quod nec laudabilis vita sine deuotione esse valet, neque vera deuotio sine recta vita subsistit: Vtramq; verò Christi milites habere semper studeant: Nam ita cautè viuant, vt deuotionis gratiam mereantur adipisci, & sic in deuotionibus occupent se, vt in nullo (si possibile sit) virtutem prætermittant. Deuotionis namque sanctæ testimonium est commendabilis vita, & laudabilis conuersationis adiutorium est interna, & spiritualis deuotio, quæ potissimum percipitur in hoc sacramento: Nemo autem seruorum Dei ab hoc prorsus se subtrahat sacramento, quamuis actualis deuotio desit, nec quisquam eo priuetur: diuersimodè etenim operatur Dei sapientia in sibi famulantibus effectus gratiarum suarum, nulliq; fas est iudiciorum Dei arcana rimari.

Quomodo ad deuotionem excitemur ante communionem.

301 *Idem Iustin. ibidem.* Et quis non excitetur ad mentis deuotionem, qui diligenter consideret tam ineffabilem diuinæ dignitatis charitatem sic inclinari ad se, vt nequaquam horreat hominis vilissimam substantiam, deformatam naturam, & damnabilem culpam? Aut quis non compungatur, cum Dominum gloriæ recogitat venturum ad se corporaliter? Vel quis non corde prostrato totis medullis veneretur tantæ præsentiam maiestatis? cuius vel ferreum pectus, aut adamantina mens non liquescat pre deuotione, cum Deum sibi, & se Deo senserit corporaliter vnitum? Non capit cor, lingua deficit, humanusq; sopitur sensus ad inuestigandum tanti arcana mysterij.

Quando ad Eucharistiam accedamus Passionis Christi meminisse debemus.

Hoc facite in meam commemorationem. 302

Lib. 3. Reg. cap. 17. Cum Elias in Sarepta Sidoniorum veniens petysset bucellam panis a Viduam quandam colligente ligna ad portam ciuitatis, respondit ei Vidua hæc inter alia: En colligo duo ligna, vt ingrediar, & faciam illud mihi, & filio meo, vt comedamus & moriamur. *Subcinericius panis paruulus, quem Elias à Vidua petebat, Eucharistiam manifestè adumbrabat: duo verò ligna, quæ colligebat Vidua ad panem coquendum crucem, & mortem Christi eiusq; memoria, quam in mentem colligere debemus quando Eucharisticum panem sumpturi sumus. Hinc Interlinealis glossa ad hæc verba Viduæ.* En colligo duo ligna, *citans etiam Isidorum, ait:* Et ligni nomine, & lignorum numero, signum crucis exprimitur, quo nobis panis vitæ æternæ est & præparatus. *Sic Glossa. Vidua item Ecclesiam apertè monstrauit, de qua, ratione Ecclesiæ Psalmista ait,* Viduam eius benedicens benedicam, pauperes eius saturabo panibus. Memoria in redemptionis nostræ est (*inquit S. Ambrosius de Eucharistia in prima ad Cor. c. 9.*) vt redemptoris memores, maiora ab eo consequi mereamur.

Ad idem.

303 *Hinc S. Bonauentura in regula Nouitiorum, cap. 4. de hoc ipso sic scribit.*

Si in die Dominico proponis communicare, studeas te ante per triduum ad seruorem spiritus ordinare: vt sis in sexta feria præcedenti ab omni cogitatione immunda abstractus: semper autem habeas mentales oculos ad Iesum crucifixum, spinis coronatum, aceto, & felle potatum, sputis & contumelijs saturatum, à peccatoribus blasphematum, acerbissima morte consumptum lancea perforatum, à mortalibus iam sepultum: Hæc cogita illa die, siuè comedas, siuè bibas, siue aliquid aliud facias, vt cogitando Creatorem crucifixum, dolorem in corde habeas: tota die ostendas tristitiam in corde, & in corpore, dicens cum Apostolo. Mihi autem absit gloriari nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi.

Idem Doctor in opusculo de præparatione ad Missam cap. 13. Hæc enim duo requiruntur ad con-

ad congruam perceptionem Sacramenti, ſcilicet profunda humilitas, cum anihilatione ſui, & compaſſio mortis Chriſti.

Ad indigne Communicantes.

S. Laur. Iuſtin. in ſermone de Euchariſtia.

304 Redeant huiuſmodi præuaricatores ad ſe, & cum maxima cordis humilitate ſe defleant: ſic plorent errata præterita, vt de cœtero lugenda non agant: Carnes & ſpiritus ſui tenes, iuxta Domini ſanctionem, continentiæ cingulo complectantur, deſiderijs cœleſtibus, ac pie deuotionis affectu, animæ ſuæ pedes, vt calceati ſint, muniant, dominicam paſſionem, quæ in ſacramento hoc myſtice cellebratur, memoriter teneãt laudabilis compunctionis emittãt gemitus, atque ad boni operis perſeuerantem exhibitionem, perfectionemq; virtutum ignito amore ſe parent: ſic quippè alienos panes cum lactucis agreſtibus manducantes, atq; calceamenta in pedibus, baculoſq; habentes in manibus, antiquum Paſchæ olim mãdatum in lege ſolemniter celebrarunt: ſic, inquam, expurgato omnis malitiæ fermento veteri, cum profectu ſuo, & Angelorum beneuolentia, Agnum ſine macula annicu-lum comedent.

POST EVCHARISTIAM GRATIÆ AGENDÆ.

Ingratitudo vitium maximum.

305 *Docet Seneca de beneficijs lib. 1. cap. 1.* inter plurima, maximaq; vitia, nullum eſſe frequentius quam ingrati animi.

Sicut ingratitudo inter homines eſt vitium frequentiſſimum, ſic etiam grauiſſimum, procul dubio, vt omnes tradunt: Si verò tam graue vitium eſt ingratitudo erga homines, & hominum beneficia, qualis erit ingratitudo erga Deum, & ſumma beneficia eius, quale eſt Euchariſtia præſertim? Maius n. beneficium *(inquit Petrus Caniſius in ſua ſumma doctrina Chriſtiana de Euchariſtia)* optare non potuiſſemus, quam quòd Chriſtus Ieſus Dominus noſter de Virgine natus, cruci affixus, & in gloriam aſſumptus, ſe nobis totũ ita largiatur; vt etiã nunc corpus eius, ſanguinemq; ſumamus, illique per hoc ſacramentum prorſus incorporemur.

Euchariſtiæ nomen monet nos ad gratiarum actionem.

306 *Ad gratitudinem, & gratiarum actionem monet nos inprimis ipſum Euchariſtiæ nomen, de quo ſic tradit Romanus Catechiſmus:* Interdum enim Euchariſtiam appellant, quod verbum vel bonam gratiam, vel gratiarum actionem latinè reddere poſſumus: Ac rectè quidem bona gratia dicendum eſt; tum quia vitam æternam, de qua ſcriptum eſt: gratia Dei vita æterna, præſignificat: tum quia Chriſtum Dominum, qui vera gratia, atq; omnium Chariſmatum fons eſt, in ſe continet. Nec verò minus aptè gratiarum actionem interpretamur, ſiquidem cũ hanc puriſſimam hoſtiam immolamus, immenſas quotidiè gratias pro vniuerſis in nos beneficijs Deo agimus: atq; inprimis pro eius gratiæ tam excellenti bono, quam nobis in hoc ſacramento tribuit.

Sacra ſcriptura ad hanc gratiarum actionem nos monet.

Pſal. 25. Edent Pauperes & ſaturabuntur & laudabunt Dominum, qui requirunt eũ: 307
Item: Lauda Ieruſalem Dominum; *Ratio infra ſubditur.* Adipe frumenti ſatiat te. *Ioel cap. 2.* Comedetis veſcentes, & ſaturabimini, & laudabitis nomen Dei veſtri, qui fecit mirabilia vobiſcũ: *Et impletur Prophetia iſta, in principali feſto eiuſdem Euchariſtiæ, quando potiſſimum fideles eadem Euchariſtia veſcuntur quando Chriſti corpus comedunt eiuſq; ſanguinẽ bibunt, & ſaturantur, & laudant nomen Domini Dei ſui, qui fecit huiuſmodi mirabilia ſecum, & cantant inſuper cum Eccleſia:* Lauda Sion Saluatorem, lauda Ducem, & Paſtorem, in hymnis, & canticis &c.

Ad idem inuitamur Chriſti exemplo.

Inducit nos ad idem primo Chriſti Domini exemplum; qui poſt Euchariſtiæ inſtitutionẽ, & ſumptionem cum Diſcipulis, hymnum dixit: 308
Et hymno dicto exierunt in montem oliuarum. Quum hymnum cecinissent *(inquit Hebreus textus in Vatablum)* ideſt laudes, *vt idem habet in ſcolijs. Quia ſecundum S. Iſidorum lib. 6. orig. ſiue ethim. cap. 19.* Hymnus eſt

canti-

canticum laudantium: quod de græco in latinum interpretatur pro eo, quod sit carmen lætitiæ & laudis. Propriè autẽ hymni sunt continentes laudem Dei: *Quia enim Eucharistia tale ac tantum est beneficium, quod omnes homines simul, quibus tũc ab eodem data erat, non valerent sufficienter, vel conuenienter pro ea Deo gratias agere, idcirco idem Dei filius hominum omnium supplens defectum, pro illis omnibus gratias Patri suo retulit, & hoc cantans præ lætitia, & exultatione cordis sui, etsi iam morti proximus: tanquam cignus albus enim; singulari prorsus animæ & corporis puritate conspicuus, cantans moritur: Et fuit insuper longa valdè huiusmodi gratiarum actio, more etiam Hebræorum post mensam, multosq; continens psalmos, vt nonnulli tradunt.*

Cur etiam ante Eucharistiæ institutionẽ Christus pro illa gratias egit Patri.

309 *Etsi verò post recepta beneficia solum, non etiam ante soleant referri benefactori gratiæ, nihilominus mundi totius Præceptor, & Doctor Christus, etiam ante Eucharistiæ institutionem gratias egit æterno Patri suo de illa, quia tam ingens, ac singulare donum est, quòd sola etiam voluntas illam dandi in illo, summas gratias exigebat, & vt nos etiam propter hoc idem facere disceremus multò magis, cum pro nobis data sit, & non pro se ipso, qui illa penitus non indigebat: nos vero supra modum.*

Ad idem.

310 *S. Chrisostomus hom. 83. in Matt. ad iam relata verba Matt.* Et hymno dicto exierunt in mõtem Oliuarum: Gratias enim egit (*inquit*) antea quam Discipulis dederat, vt etiã nos ab actione gratiarum actione incipiamus: Gratias egit postquam dedit, & hymnum, cecinit, vt nos quoq; similiter faciamus. *Sic Chrisost. & antè hæc immediate sic scribit de indeuotis gratias debitas non reddentibus post communionem.* Audiant omnes, qui quasi porci cum comederint, euersa calcibus mensa temulenti consurgunt, cum agere gratias debeant, & in hymnum à mensa deuenire. *Et postea illos etiam arguit, qui finem missæ non expectant, scilicet, post communionẽ, & alia: nam tunc Ecclesia orationes quasdam habet, in quibus pro omnibus aguntur gratiæ de ipsa Eucharistia, sic .n. ad illos:* Audiatis etiã quicunq; vltimam mysterij orationem non expectatis, quæ illius symbolum est, gratias enim egit &c.

Gratias nõ reddẽtes Iudæ comparantur.

311 *Non absre huiusmodi homines Iudæ comparabimus, qui post Eucharistiam susceptam, de cœnaculo exiuit, in quo eam alij de manu Domini illam acceperat, non expectato hymno, & gratiarum actione: Et (quòd plus est) alij ipsũ Iudam proditorem factum tradunt, quia gratias pro Eucharistia non egit, ante illas de cœnaculo exiens.*

Etiam in aduersis Deo gratiæ agendæ sunt dupliciter.

312 *Dignum obseruatione est id, quòd de gratiarũ actione tradit idem Chrisost. in ep. ad Eph. hom. 19. nempè, non in prosperis solum gratias agendas esse, sed etiam in aduersis, & præterea, quod dupliciter sunt agendæ gratiæ, verbis scilicet, & factis. Eius verba hæc sunt:* Non solum ergo gratias agamus, dum sunt nobis res secundæ: Non est .n. hoc magnum, & hoc nouit Diabolus, ideoq; dicebat,

Nun Iob gratis colit Deum? Non circumuallasti quæ sunt eius intus, & foris? &c. Sed & quando fuerimus in paupertate, & quando in morbis, & quando nobis insultabitur maledictis, & calumnijs, tunc intendamus, & gratiarum actionem: gratiarum inquam actionem non verbis, nequè linguis, sed rebus, & factis, & cogitatione, & corde, tota anima ei agamus gratias: magis .n. nos diligit, quam, qui nos genuerint: & quantum interest inter prauitatem, & bonitatem, tãta est differentia dilectionis Dei à dilectione patrum nostrorum. *Hæc S. Chris. ibi, & idem in psalm. 144. confirmat, clarius etiam docens, in quonam vera gratiarum actio consistat, quod non minus notandum est: Ad illa .n. psalmi verba,* Laus eius in Ecclesia sanctorũ *sic ait*, Vides, quomodo antè verba requirit gratiarum actionem, quæ fit per vitam, & bona opera, & ea deducit in chorum laudantium. Non sufficit .n. verbis solum gratias agere, nisi etiam factorum virtus concurrat.

Hæc ex Chrisost. notauerimus, melius vt sciamus, quomodo gratissimum Christo Domino pro summo beneficio suo, Eucharistia videlicet, gratiæ esse.

esse. & gratias agere debeamus; & cum etiam id ipsum non solum pro beneficijs eius omnibus id præstare teneamur, sed etiam pro aduersitatibus quibuscunq; ab eodem nobis immissis. Sicut ex eodem Chrisostomo didicimus.

Gratiarum actionum super omnia Deus postulat.

313 *Hæc pauca adhuc ab eodem in psalmo 100. audiamus de gratijs Deo agendis.* Deus .n. nihil æquè ac hoc postulat: hoc est sacrificiũ, hoc oblatio, hoc est pij, & grati animi signum. Hoc vulnus infert Diabolo, ex hoc coronabatur beatus Iob, & prædicabat, quòd cum tẽtationes essent illatę innumerabiles, & vxor quoq; eum supplantare vellet, non auersus est, sed Deo de omnibus egit perpetuò gratias: non solum quando fuit diues, sed etiam quando erat pauper: non quando erat sanus, sed etiam quando carò scatebat vlceribus: non quando omnia ex animi sententia succedebant, sed etiam quando grauis illa tempestas in vniuersam eius domum incubuit, & in ipsam quoq; naturam corporis: Hoc est .n. grati inprimis animi, in rebus aduersis, & afflictionibus Deo perpetuò habere, & referre gratias. *Hæc ibi Sanctus Chrisostomus.*

Eucharistia ob gratiarum actionem dupliciter carbo dicitur.

314 *Eucharistiam diximus alias carbonem esse, siue carbunculum, & ignitum; hoc idem modo repetimus alia ratione speciali, quia, scilicet (vt quidam ait) accendit ad gratiarum actionem; & secundum alios, quia vrit, & consumit ingratum: Hinc Aug. tractatu 62. in Ioan. de Iuda disserens, qui gratias de Eucharistia suscepta non egit, ait, quòd homini ingrato intrauit panis in ventrem, hostis in mentem.*

Ad idem.

Carbones ignis, nempè infernalis super hunc Christi inimicum Diabolus congessit, super quem Christus carbones ignis sui diuini, nempè, Eucharistiam congesserat. Vnde Rup. Abb. Etsi carbonibus non est addactus pœnitentiæ, sed ex beneficio peior factus, attamen combustus est ardore iracundiæ. Siquidem post bucellam intrauit hostis.

Ad gratiarum actionem feruida exhortatio.

S. Laurentius Iust. in sermone de Eucharistia agens de gratijs pro illa Deo agendis, sic quemlibet affatur. Quid igitur retribues Domino pro omnibus, quæ retribuit tibi? Vtiq; nil habes ex te, vt beneficiorum illius debita recompensare sufficias: Verùm, si quid vnde exsoluere beneficia valeas, habere te sentis, ab ipso prorsus recognosce, à quo sũt quæcunq; sunt sancta, quæcunq; amabilia, quæcunq; proficua, quemadmodum Apostolus Iacobus perhibet d cens: Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum. Hoc credè, hoc veraciter confitere: quatenus credulitas hæc ad iustitiam, & ista confessio tibi fit ad salutem. Cæterum quamuis facere, aut cogitare nihil possis à te, tacebis ne? dormitabis præ tedio? seu deprimeris ignauia? surge, consurge, filia Sion, euigila, & expergiscere, filia Hierusalem, excute iugum de collo tuo, solue fasciculos deprimentes, & puluerem pedum tuorum absterge. Non quiescat pupilla oculi tui, amoris, & compunctionis erumpere lacrymas per diem, & noctem: Non taceant labia tua Dei tui mirabilia prædicare, laudare magnalia, & sapientiæ ipsius venerandæ enarrare præconia. Diuinæ quantum vales intende laudationi. Ipsa est, vnde pro tuis potes delictis satisfacere. Pro perceptis muneribus euadere liber, placare iudicem, placere dilecto, imitari Angelos, sanctis coequari, conuersari in cœlestibus, euitare laqueos, hostes superare, acquirere gratiam, introire in gloriam, Dei in te ornare imaginem, illamq; in se honorare magnificè. Hoc vnico præ cæteris omnipotens delectatur obsequijs, sicut per Prophetam ipse testatur Sacrificium (inquit) laudis honorificabit me: non vtiq; labiorum, sed cordis: Parum proficis, si vocè, non cordè deum laudare conaris. Illos imitaris, de quibus per Prophetam conquæritur, dicens: Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longe est à me: Perfectæ laudis regulam si scire desideras, audi Citharedum vatem ex se te laudare docentem: lauda anima mea Dominum, laudabo Dominum in vita mea, psallam Deo meo quandiu fuero: Modis omnibus, & cuncta, qua valet virtute, Deũ

L Se

se velle laudare fatetur, corde, videlicet, voce, & moribus. Nouerat quippe vitam sine vocali benedictione, & exultatione cordis, & sonoram verborum laudationem, absq; mentis eleuatione, & conuersatione probata, atq; interioris sacrificium laudis, sine operibus sanctis, & oratione expressa, minimè placere altissimo. Hæc tria sibi cohærent, tanquam funiculus indissolubilis. Hæc, inquam, ministris Ecclesiæ, omninò conueniunt, qui sacris altaribus assistentes, iugè Deo laudis impendunt obsequium. Sanè nullo alio sacrificio honorificentius laudatur Deus, quam per altaris immaculatam hostiam.

Ad idem.

Sanctus Bonauentura in Opusculo de praeparatione ad Missam cap. 14. & vlt. Post communionem, si non sentis aliquam spiritualem refectionem, signum est spiritualis infirmitatis, vel mortis: Ignem posuisti in sinum, & non sentis calorem, mel in ore, & non sentis dulcedinem: si verò consolationem sentis aliquam, non tibi tribuas, sed suæ bonitati immensæ, quæ etiam & malos, & indignos consolatur: & dicas in corde tuo: Ad meam miseriam detestandam, me conuicit beneficijs suis: si mihi peccatori talia fecit, quid faceret, si vitam meã correxero? Ideo totis viribus volo me mutare, & sibi semper adherere. Hoc autem non repures te posse tuis viribus, sed auxilio gratiæ eius. *Hec omnia Doctor Seraphicus ibi.*

Ante & post susceptam Eucharistiam orandum.

Discimus hoc Christi exemplo, qui ante Eucharistia institutionem, eleuatis oculis in Cœlum ad Deum Patrem orauit: & deinde post illam, non solum cum Discipulis pro gratiarum actione hymnum cecinit, sed cum eisdem praeterea egressus est in montem oliuarum, ibidem prolixius adhuc oraturus. 317

Ad idem.

Beda ly. Hymno dicto exierunt in montem Oliuarum, *Marci cap. 14.* Potest *(inquit)* hymnus ille intelligi, quem Dominus secũdum Ioannem Patri gratias agens, decantabat, in quo & pro se ipso, & pro Discipulis, & pro eis, qui per verba eorum erant credituri, eleuatis sursum oculis precabatur.

Ad idem.

Si pro corporali cibo, & potu ante & post Deo gratias agere consueuimus, quanto magis pro Eucharistia, qua verè est animæ cibus, & potus, id agere debemus?

Ad idem.

Etiam quadam animalia ratione carētia ante, vel post cibum, & potum ad cœlum caput eleuantia, pro hoc videntur Deo gratias agere. Itaque: Interroga iumenta, & docebunt te: & volatilia cœli, & indicabunt tibi *Iob c. 12.*

PRO EVCHARISTIA ORATIONES.

Nonnullæ orationes pro Eucharistia.

Etsi verò instituti mei non sit orationes & preces adducere pro Eucharistia, nonnullas tamen deuotiores, & quæ non sic de facili in libris reperiri possunt, in gratiam deuotorum pariter hoc loco referam: & primò orationem quandam S. Iacobi fratris Domini, & Hierosolimorum primi Episcopi, in eius diuina missa initio, sicut habetur in bibliotheca Patrum, quæ talis est.

318 Peccatorum multitudine inquinatum, ne me spreueris, Domine Deus noster: ecce enim accedo ad diuinum hoc, & semper cœleste mysterium tuum, & indignus quidem, sed de tua bonitate confisus, emitto tibi vocem: Deus sis mihi peccatori propitius: peccaui in cælum & coram te: neque dignus sum, qui oculos abuertam huic sacræ, ac spiritali mensæ, in qua Vnigenitus filius tuus, & Dominus noster Iesus Christus mihi, qui peccator sum, & omnibus maculis labefactatus, mysticè proponitur in sacrificium: Proinde hanc orationem, & gratiarum actionem tibi offero, vt mihi spiritus tuus paraclitus mittatur fortificans, ac instaurans me, ad hanc missam: dignumq; me habeas, qui vocem illam, quam ex te populo annuntiaui, citra meam damnationem proferam in Christo Iesu Domino nostro: cum quo benedictus es vna cum omnibus

nibus modis sancto, & bono, & viuificatore, atq; consubstantiali tibi spiritu, nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

In alia oratione eiusdem Missæ sic ait Sacerdos.

Sanctifica Domine, & animas nostras, corpora, & spiritus, nostras quoq; mentes tange, explora conscientiã, omnemq; malam cogitationem a nobis aufer, omnem impudicam ratiocinationem, cogitationem, omnem inuidiam, ac superbiam, & hypocritim, omne mendacium, omnem dolum, omnem huius vitæ distractionem, omnem auaritiam, omnem vanam gloriam, desidiã omnem, omne vitium, omnem iram, omnẽ iracũdiam, omnem iniuriarum recordationem, omnem blasphemiam, commotionem omnem carnis, & spiritus alienam à voluntate sanctitatis tuæ.

In gratiam Franciscanorum præsertim,

Oratio quam dicere solebat Seraphicus Pater noster S. Franciscus, quando sanctissimum Christi corpus eleuabat Sacerdos; ex 1. tomo Opusculorum illius.

Domine Deus cœlestis Pater, respice in hanc gloriosam Christi tui faciem, & miserere mei, & cæterorum peccatorum, pro quibus benedictus filius tuus, & Dominus noster dignatus est mori, & pro quorum salute, & consolatione in sancto Sacramento Altaris nobiscum voluit remanere, cum quo tu es Pater, & Spiritus sanctus, qui vnus es Deus, & viuis cum Filio, & Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen.

POST EVCHARISTIÆ PERCEPTIONEM quid faciendum.

Audiamus tandem, quæ Aluarez tom. 2. lib. 3. part. 5. sect. 3. cap. 2. docet facienda post communionem.

321 Post communionem (*inquit*) per horã; aut saltem per semi horam ad agendas pro tanto beneficio gratias te colliges. Nam Thomas à Chempis nõ solum defectui dispositionis, sed etiam gratiarum actionis, exiguitatem nostri profectus ascribit. Eius verba: Timedum, quod multi fructum paruum accipiunt de mensa Christi, quia nec antea, nec postea sunt in sufficiẽti custodia sui, nec satis reuerenter præcogitant, quis est, qui venturus est, nec postea ruminant, quia hodie sanctus sanctorum ingressus est ad eos: Qui autem soliciti sunt præparare domum suam, & occurrere lætanter obuiã Christo, ipsi nouerunt, quid efficaciæ, & suauitatis habeat hæc sacrosancta communio; In hoc cognoscitur vniuscuiusq; deuotio, & amor ad Christum, secundum quod ingeniosè se aptare curauerit ad susceptionẽ eius. Christum verum Deum Regem omnium potentissimum, nostrarum necessitatum prouisorem benignissimum in domo cordis hospitem excepimus, & eum solum, & insalutatum relinquemus? Venit ipse vt petitiones nostras exaudiat, miserijs; subueniat, & nihil ab eo postulabimus? amantissimè conclaue mentis nostræ ingressus est, & nulla voce gratiarum actionis ei respondebimus? Ne in tantam ingratitudinem incurras, & talem proficiendi occasionem amittas. Sede vt altera Magdalena ad pedes Domini, quem Hospitem excepisti. Audi attentè sermonem illius, si aliquid te docere dignetur: Alloquere illum de hospitij nuditate, confundere de parua, & tepida dispositione, veniam pete, vires tuas, & membra, ac talenta tua in eius obsequiũ aster: miserias, & necessitates pende, virtutes exopta, ad earum adeptionem auxiliũ implora, & multiuarijs te exercere amoris affectibus. Si ità feceris, non patietur Dominus, vt sine magno fructu ab eius præsentia discedas: immo faciens faciet, & te bonorum suorum copia replebit.

Post communione ad altiorem virtutum altitudinem conscendere debemus.

Ven. Beda ad illud Marci 14. Hymno dicto 322 exierunt in montem Oliuarũ: Pulcrè (*ait*) Discipulos Sacramẽtis sui corporis, & Sanguinis imbutos, & hymno piæ intercessionis patri commendatos, in montem addidit Oliuarum, vt typicè designet, nos per acceptionem Sacramentorum suorum, per

que opem suæ intercessionis, ad altiora virtutum dona, & charismata sancti Spiritus, quibus in corde perungamur, conscendere debere.

VBI EVCHARISTIA IBI ANGELI.

323 *Multi sunt Angeli, vbi Eucharistia sacrificium Deo offertur, ipsum Deum laudantes, ac latãtes de digna ministratione, ac sumptione Eucharistiæ.*

S. Laurentius Iust. Sermone de Eucharistia. Quanta autem circa Altare, maximè tempore, quo sacrificium memoratum cõspectui presentatur altissimi, sit Angelorum Arcangelorumq; frequentia, mortalium nemo valet edicere: lætantur tunc quidem plurimum, si sumentis, ac ministrantis mentem agnouerint non hæsitantem in fide, neque conscientiæ onere prægrauatam, sed eleuatam in excelsis, humilem in se, ab euagationibus alienam, charitate feruidam, deuotione refertam, exorantem pro populo, Deum laudantem, iubilantem in spiritu, & suauitate quadam pij amoris super suum innixa dilectum.

Per oppositum ijdem Angeli indignanter contra indignos, illosq; despiciunt, & ab eis se auertunt &c.

Idem Iust. ibi. Cæterum, quemadmodũ gaudio replentur, & pace pro deuota celebratione iustorum, illosq; vt suos conciues diligunt, ita proculdubio contra eos indignantur, qui sine sui præparatione, cum ariditate cordis, & mentis dubietate, Domini Dei sui audent Sacramenta contingere. Equidem à talium se auertunt consortio, ipsorumq; orationes despiciũt, vt potè Deo odibiles, ac sibimet ipsis contrarios: stupent tamen, & diuinam super eos glorificant patientiam, protellatamq; iustæ animaduersionis sententiam. Nec abs re, si quis .n. dicente Apostolo, templum Dei violauerit, illum destruet Deus, quid de his arbitrandum est, qui sceleribus onerati, absq; vlla deuotionis veneratione, ad Dei, & Domini sui mensam spiritualem audent accedere, corpus ipsius sumere, solutis intentionis hominis manibus, atq; animo infrunito, & irreuerenti mysteria sacrosancta tractare? 324

EVCHARISTIÆ FESTVM, ET PROCESSIO.

Decem rationes pro vtroq; ex Georgio Bartholdo, in sua bibliotheca concionum, circa finem concionis Corporis Christi.

Prima ratio (inquit) est, Publica, & generalis confessio fidei nostræ quã profitemur Christi corpus, & sanguinem verè, & 325 realiter esse in hoc Augustissimo Sacramento, & hoc ore & corde, domi & foris, in Ecclesia, & in plateis, ceremonijs, & ritibus, canticis, & tubis, organis & tympanis, campanis & iubilationibus contestamur, sicut, & pueri Hebræorum, & tota Ierusalem fecit Math. 21: ingrediante Saluatore nostro in Ciuitate Ierusalem, & Angeli, veniente Saluatore in hunc mundum, sicut, & Magi &c.

Secunda ratio est adimpletio figuræ 2. Reg. cap. 6. processionis illius, quæ habita fuit cum Arca Domini per omnes circumstantias, quæ habentur in illa historia &c.

Tertia ratio est, Publica, & vniuersalis adoratio, & cultus Saluatoris nostri Iesu Christi in Sanctissimo Sacramento.

Quarta ratio: Hęc solẽnitas, & apparatus huius processionis est publica concio, & vox clamans in aures omnium de excellentia, & dignitate huius Sacramẽti: quod omnia reliqua, sicut sol planetas, excellit, & postponit, & sicut aurum reliqua metalla, vt omnes homines discant ex hac pompa, & multiplici ritu, quantum hoc sit Sacramentum, & quis in eo contineatur inuisibiliter, quale sit hoc manna, & qualis Angelorum panis. Certum est .n. quòd ceremoniæ molium conferunt ad inculcanda ea, quæ per cæremonias exprimuntur &c.

Quinta ratio: Hæc processio cum omni sua solemnitate, est publicus triomphus cõtra omnes sectarios, & corporis, sanguinisq; Christi in hoc Sacramento hostes, impugnatores,

gnatores, impoſtores, & contemptores, cõtra quos tot Concilia celebrata, tot libri ſcripti, tot diſputationes habitæ &c.

Sexta ratio: Hæc proceſſio eſt inuitatio publica ad hanc cænam magnam, ad frequentem communionem: quaſi dicat Eccleſia: Venite ad menſam Domini, quia parata sũt omnia: Nolite vos excuſare, nolite ſubterfugere, nolite cum Iudæis dicere: Anima noſtra nauſeat ſuper cibo iſto leuiſſimo, ſed dum mãna pluit, colligite, donec in terram promiſſionis æternæ fœlicitatis perueniatis: &c.

Septima ratio. Publicum teſtimonium Chriſtianorum contra Hæreticos, qui negãt Sacramentum eſſe extra ſumptionẽ, quaſi verba conſecrationis nullius eſſent efficatiæ, Sacramentum eſſe poſt verba Conſecrationis, vbicumq; eſt, & quandocumque portatur, aut monſtratur, vel per plateas, vel ad infirmos, prout antiquiſſima conſuetudo fuit.

Octaua ratio. Publica laus, & gratiarum actio pro omnibus beneficijs Dei, maximè autem pro immenſo beneficio ſui corporis, & ſanguinis ſacratiſſimi in hoc Sacramento nobis dati in cibum, & potum &c.

Nona ratio eſt. Hæc proceſſio eſt publica, & valida ſupplicatio ad Deum Patrem, vt pro amore Filij ſui Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, cuius corpus, & ſanguis in hoc Sacramento verè & realiter eſt, noſtri dignetur miſereri, nobis, noſtriſq; domibus, muris Ciuitatibus, turribus, agris, & omnibus noſtris benedicere, iuxta promiſſionẽ: Quidquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.

Decima ratio. Hæc proceſſio eſt figura, & exemplar feſtiuæ ſolemnitatis, & proceſſionis, quæ cum Chriſto in Cælo ab Angelis, & omnibus electis in perpetuum celebrabitur.

326 *Hæc omnia præfatus Doctor; & in fine ſermonis hanc ſubijcit ad eundem Euchariſtiam, orationem huic loco conuenientem.* Demus Deo magnificentiam, & laudem, & dicamus proni, ſupplicesq; cum Eccleſia.

Aue caro Chriſti regis veneranda, eſca gregis nouæ legis adoranda: Tu fidelibus, horis omnibus eſmemoranda: tu caſto corde, ſine ſorde dignè manducanda: Te colit rite panem vitæ Eccleſia. Dux viatorum, & reorum es venia: tu cibus ſalutis nos inte ſatia: tu robur virtutis es, viua hoſtia: tu lapſorum ſubleuamen donans præſidia. Tu mœſtorum es ſolamen, cordis lætitia, magni amoris, & dulcoris es gratia, merces, laboris, & honoris dans præmia: nos de mũdi miſeria duc ad æterna gaudia, vt fruamur præſentia tua, & ſuaui gloria. Amen.

Vbi Euchariſtia eſt, ibi eſt Cælum.

Tradit S. Chriſoſtomus non ſemel in ſuis operibus, ibi Cælum eſſe, vbi Euchariſtia eſt, quia in ipſa eſt id, quod excellentiſſimum, ac ſantiſſimũ eſt inter omnia, quæ ſunt in Cælo, ſicut in ſermonibus latius pertractamus: Eius verba de Euchariſtia iſta ſunt, inter alia multa 36. hom. in primam ad Cor. Eccleſia eſt locus Angelorum locus Archangelorum Regnum Dei, ipſum Cœlum, *& infra.* Nam hic quoque eſt Cœlum &c: *Item hom. 61. ad pop. Ant.* Quod illic (*nempe in cælo*) *eſt* omnium prætioſiſſimum, & maxime honorandum, hoc oſtendam tibi ſitum in terra.

Hoc idem indicaſſe videtur Pius II. in ſolemnitate eiuſdem Corporis Chriſti, quam Viterbij celebrauit, in qua totã ipſam Ciuitatem, & vias eius, per quas Euchariſtia deferebatur, alterum quaſi Cælum apparere fecit Cælum verum viarum operimentis abſcondens: Narrat autem hoc Ant. Cap. in prædicti Pontificis vita, & refertur etiam in Theatro vitæ humanæ vol. 10. lib. 2, hoc modo. Pius ſecundus. Pont. Max. viterbij feſtum Euchariſtiæ peregit inſolito apparatu, ſtrata vndique ſagis purpureis Vrbe, velataque linteis, quibus aureæ ſtellæ, veluti cœleſti affixæ globo, interlucebant, vt excluſo Cœlo inter flores ad digiti craſſitudinem, & diuerſi generis cantus ſupplicatio procederet &c.

EVCHARISTIÆ REVERENTIA.

Quanta reuerentia Euchariſtiæ adhibenda ſit.

Eccleſia in Rituali Romano de Sãctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento ait. Omnibus quidem Eccleſiæ Catholicæ Sacramentis religioſè, ſanctèque tractandis magna, ac diligens cura adhibenda eſt: ſed præcipuè in admini-

ſtrando,

ſtrando, ac ſuſcipiendo ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramento, quo nihil dignius, nihil ſáctius, & admirabilius habet Eccleſia Dei. Cum in eo contineatur præcipuum, & maximum Dei donum, & ipſemet omnis gratiæ, & ſanctitatis fons, authorque Chriſtus Dominus.

Beatus, qui ad Euchariſtiam reuerenter accedit.

319 *Sanctus Ephrem in beatitudinibus.* Beatus, qui ad immaculata myſteria Saluatoris cũ reuerentia, & tremore, atque honore accedit, certò ſciens, vitam in ſe ipſo recipere ſempiternam.

Sacerdotes præſertim reuerenter, quam poſſint, Euchariſtiam frequentent.

330 *S. Laur. Iuſt. in ſermone de Euchariſtia, de Sacerdotibus loquens ait.* Dominici corporis, & ſanguinis ſacroſancta myſteria maximà cum veneratione frequentent: non ex conſuetudine, ſed ſuauitatis illius illecti dulcedine. In his conueniant gradus, & vita, guſtus, & quæſtus, pietas & ſcientia, fides, & charitas.

Contra irriuerentes erga Euchariſtiam, & præſertim iuuenes, & in tempore miſsæ.

331 *Ad horum quemlibet S. Chriſ. ſic hom. 40. ad pop. Antioch.* Et id profectò tremendum eſt, quòd huc non venis ludum, aut choream obiturus, & tamen ſtas incompoſitè: Neſcis quòd cum Angelis conſtituti? cum illis Deum laudas, & ſtas ridens? Quod fulmen non torquetur, nõ tantum in iſtos, verum, & in nos, nõ ne mirandum? ſunt enim iſta fulmine digna. Adeſt Rex, exercitum recenſet, tu ſub illius oculis ſtas ridens, & riſum deſpicis? Quouſque accuſamus? Quouſque redarguimus? nonne tanquam noxios? nonne tanquam corruptores? nonne tanquam pernicioſos, & perditos tales, & innumeris plenos malis ex Eccleſia debebat expelli? Quando iſti ridere deſinent, qui in horroris hora rident? Quando à nugis abſtinebunt, qui in orationis tempore loquuntur, non aſtantes reuerentur, nõ Deũ timent? an non ſufficit nobis mentis negligentia, neque quòd orantes alio circumagimur, verum, & ſubrepere riſum oportet, & ingentem cachinum? nunquid theatrum ſunt præſentia? Sed puto theatra faciunt, hoc infrænes nobis iuuenes conſtituunt, & incompoſitos.

Singularis erga Euchariſtiam reuerentia ac deuotio Hugonis de Sãcto Victore.

Theatrum vitæ hum. vol. 27. lib. 3. hæc de eo notat. Hugoni de Sancto Victore pariſienſi monacho anxiè Euchariſtiam petenti, cũ monachi ob vomitum dare nollent, non conſecratum panem detulerunt: Ille dixit, panem videns: Ignoſcat vobis Deus: Cur mihi illudere voluiſtis? Non eſt iſte Dominus meus. Cum verò illi rubore perfuſi Euchariſtiam detuliſſent, illa viſa, mox expirauit. Ranulphus lib. 7. cap. 19. in Policonico: Addit Schedelius, ætate 6. Ne irreuerentiam Sacraméto faceret, dixiſſe: Aſcendat filius ad patrem ſuum, & ſeruus ad Dominum ſuum, qui fecit illum: & Euchariſtiam diſparuiſſe, eum verò ſpiritum Deo reddidiſſe. 332

Ex ipſis infidelibus fideles reuerentiam, & diligentiam diſcere poſſunt, quam Euchariſtiæ impendant.

Pithagorei prohibent, ne quis obiter adoret, & ſupplicet Dijs: Verũ vt domo ſtatim mente ad id meditatus accedat. Ita cenſuit Numa decere, nihil vt ciues rer Diuinæ audirent, vel viderent perfunctoriè, vel ſolutè: ſed vacui curis alijs, velut ſummo negotio religionis aduerterent animum, viaſque à ſtrepitu, crepitu, gemitu, & omnibus, quæ comitatur, neceſſarias, ac vulgares operas, ad ſacra præſtarent puras. *Sic tradit theat. v. h. vol. 27. lib. 4.* 333

Exortatio S. Patris Franciſci ad hanc reuerentiam.

S. Pater noſter Franciſcus in ſuis opuſculis tomo 1. epiſt. 12. ad Sacerdotes totius ordinis: Deprecor itaque vos omnes, fratres cum oſculo pedum, & cum charitate, qua poſſũ, vt omnem reuerentiam, & omnem honorẽ quantumcunque poteritis, exſbeatis corpori, & ſanguini Domini noſtri Ieſu Chriſti, in quo, quæ in Cœlis, & quæ in terris, ſunt pacificata, & reconciliata omnipotenti Deo. 334

ORA-

ORATIO QVADRAGINTA HORARVM ante Euchariſtiam.

Oratio quadraginta horarum quanta ſit excellentia, & efficacia.

335 *Oratio,quæ fieri ſolet ante Euchariſtiam, cum exponitur per quadraginta horarũ ſpatium (vnde etiam nomen orationis quadraginta horarum ſortita eſt) non ſolum communior eſt, ac frequentior quæcunque alia, ſed eſt etiam,& deuotior,& ardentior,& (quod magis eſt) ipſi etiam Chriſto gratior, & nobis quoque iucundior, ac vtilior. Hoc tradunt multi, hoc ipſa experientia docet, hoc exempla quam plurima demonſtrant.*

Ad idem.

336 *S.Cyprianus in ſermone de Cœna Domini loquens de Euchariſtia,ait.* In huius præſentia non ſuperuacuè mendicant lacrymę veniã, nec vnquam patitur contriti cordis holocauſtum repulſam: Quoties te in conſpectu Domini video ſuſpirantem, Spiritum ſanctum non dubito aſpirantem: Cum intueor flentem, ſentio ignoſcentem.

Orationes hæ priuilegiatæ dicuntur,quia quod petunt,facilius obtinent, quam ſi alibi fierent.

337 *Hinc orationes has quidam priuilegiatas vocant,quia nimirum, etiam data paritate in reliquis, facilius exaudiuntur,quam ſi alibi fierent, & hoc propter Chriſti præſentiam in Euchariſtia: & propter maiorem orãtium reuerentiam,ac deuotionem, Idcirco latro in cruce orans.* Memẽto mei Domine,dum veneris in regnũ tuũ: *ſtatim ab eodem audire meruit.* Hodie mecum eris in Paradiſo: *quod non contigiſſet, ſi alibi, & non ante ipſum Chriſtum immediatè oraſſet: Promptius enim, & facilius Principes ea concedunt, quæ ab eis ore tenus poſtulantur, & præſertim in tempore publicæ audientiæ, vt dicitur,quam,quæ per mediatores ſolum,vel per litteras,& non in eorum præſentia,& ab eiſdem petuntur. Quandocunque verò Euchariſtia exponitur, & maximè in ſolemnitate quadraginta horarum,eſt tempus,in quo Chriſtus quaſi publicam præſtat audientiam omnibus, ideo facilius, etiam ac liberalius concedit poſtulata quæcunq; Eccleſia ad Chriſtum ſibi in Euchariſtia expoſita præſentem, illa Heſther ad Aſſuerum verba vſurpare poteſta.* Valde enim mirabilis es Domine, & facies tua plena eſt gratiarum. 338 *In Euchariſtia Chriſtus eſt mirabilis, quia Euchariſtia memoria eſt Chriſti mirabilium, eius verò facies, hoc eſt,præſentia,dum illa exponitur, plena eſt gratiarum,quas idem confert præſentibus.* Quoties enim Venerandum Chriſti corpus deuotem quis aſpicit, aut alioquin ſi poſſet libenter aſpiceret, tot ſingulares inde gratias,conſolationes,& gaudia habebit,ac poſſidebit in Cœlis. *ait Antonius Hermetius in ſpec. perfec. vt refert Thiepolus in egregijs ſuis de Euchariſtia diſcurſibus. vol. 2. lib. 19. cap. 1.*

339 *Hunc ibidem etiam adducit, Ioannem Corbellinum ſocietatis Ieſu, in libro de Chriſtiana perfectione aſſerentem.* Vtile admodum eſſe, coram Euchariſtia meditari, ac etiam frequenter verſari, vbi certò certius Dominũ noſtrum præſentem eſſe credimus, ex quo pius quidã horror, & veneratio enaſcitur.

340 *Item Beatum Henricum de Suſa dicentem.* Hoc Sanctiſſimum Sacramentum magnam confidentiam præbere orationibus omnibus,quæ ante ipſum fiunt,ob meritum Paſſionis Chriſti, quæ in illo repræſentatur, & propter eiuſdem Sacramenti reuerentiam, quod ibi exponitur.

Solemnitas quadraginta horarum, & quæ in ea præſtare conſueuimus,aliquo modo adumbrata videntur in ijs, quæ de Laconibus narrat Athenæus lib. 4. ſicut refert Theat. v. h. vol. 27. lib. 4. dicens.

341 Lacones per trium dierum ſpatium Hiacinthia, hoc eſt Hiacinthi ſacrificium celebrant: & ob dolorem, quem ex Hiacinthi morte cœperunt,neque coronantur in comis,neque panem inferunt: Sed bellaria, quæque his ſunt ſimilia,apponunt. Neque peana ad Deum canunt,neque ſimile quippiam introducunt, ſicuti in alijs ſolent ſacrificijs: Sed magna cum modeſtia diſcedunt: Multa fiunt hoc die ſacrificia: Atque ciues omnibus, quos norunt, ſuiſque ſeruis conuiuium exhibent: nec quiſpiam eſt,qui ſacrificijs non interſit.

In primis per trium dierum spacium, & nos non Hacinthi, sed Iesu Christi sacrificium Eucharisticum solemnius, ac deuotius celebramus, in hoc quadraginta horarum spatio, & hoc, ob dolorem, quem ex eiusdem Christi morte cœpimus, eiusdem mortis memoriam ab eodem pro nobis toleratam, quæ per quadraginta horas similiter perdurauit, singulariter renouantes. In his diebus communiter non canimus ad Deum eo modo, quo in alijs festiuitatibus, in quibus hoc ipsum Eucharistiæ sacrificium offertur, solemus: sed lugemus magis, ac suspiramus ad ipsum Deũ orantes, & clamantes, misericordiamq; & peccatorum nostrorum veniam, ipsius gratiam, gloriã, & alia multa humiliter implorantes: In hoc eodem trium dierum spatio præsertim magna cum modestia ad Ecclesiam venimus, in illa stamus, eamdem Eucharistiam venerantes, & sumentes, & cum eadem pariter ab Ecclesia discedimus: Præterea, sicut multa solent per horum trium dierum spacium præcipuè, Eucharistica sacrificia a Sacerdotibus ibidem fieri: sic de eisdem sacrificijs suis omnibus, quos nouerunt & suis etiã seruis sacrum conuiuium ijdem exhibent, & tandem, nec quispiam est (si tamen verè fidelis est) qui non solum eisdem sacrificijs intersit, sed etiam & sacrificiorum communioni, & eidem quadragenariæ orationi.

Ad idem.

De qualibet harum quadraginta horarum, & de illa præsertim, in qua ante Eucharistiam deuote oramus, & illam dignè quantum possumus, etiam sumimimus, dici potest illud S. Iustiniani in sæpe citato sermone. O quã beata ab amantibus hora illa censetur, in qua personaliter sponsus Christus cordis ingreditur thalamum: *& illud etiam:* An non horam illam dixerim esse beatam, in qua Diuina Maiestas inclinatur ad hominem, se illi communicat, ipsum pascit, & potat, non alio cibo, quam corporis sui, neq; potu alio, quam proprij sacrati cruoris?

Ad idem.

Tiberius Cæsar duos familiarius à se dilectos, omnium horarum amicos vocare solebat. *Erasmus lib. 6. Apophteg. Etiam Christus Dominus feruidè ante Eucharistiam orantes, & præuia dispositione eam suscipientes, & in hoc tempore præcipuè 40. horarum, amicos vocabit omnium horarum.*

Ad idem.

Singulariter conueniunt solemnitati quadraginta horarum ea, quæ in festis fac enda monet Sanctus Ephrem agens de festis diebus, & de dignitate diuinorum mysteriorum.

In Ecclesia (inquit) estote assidui nocturno, matutino, atque meridiano tempore viri pariter, ac mulieres, diuites atque pauperes, serui ac liberi, senes & iuuenes ad Diuina frequentanda mysteria studiosè concurrite, Domino ex manuum vestrarum laboribus offerrẽtes, in benedictionem domus, omniumque, qui in domo sunt, & state in multo timore, atque tremore, cum nemine tunc quidem congredientes. Sed sicut Angeli, qui in Cœlis sunt, seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore, lacrymantes, suspirantes, supplicantes, inuocãtes ex toto corde, & rogantes, ne quis diuinorum mysteriorum susceptione reperiatur indignus. Sed quemadmodum ait Apostolus Paulus. Probet vnusquisque se ipsũ, ne sibi ipsi in iudicium fiat, & in augmentũ peccati. Qui enim comederit, & biberit indignè, iudicium sibi manducat, & bibit, sicut scriptum est. Cœlum, terra, mare, & omnia, quæ in eis sunt, tremunt, ac se inclinant. Tu autem impudenter accedis? Angeli mundi cum tremore ministrant, facięq; obtegentes, non audent aspicere: at tu immundus cum sis, & impœnitens, ac impudens, non contremiscis? Hominibus quidem, te ritè Eucharistiam sumere, fidem facis: Sed cordium scrutatori quid dices? Declina igitur à malo, frater, defle, & ablue vas tuum, quod peccatis contaminasti, firmumque non amplius peccandi propositũ habe, & sanaberis. Deus enim pœnitentium Deus est. Et dum sanctorum memorias celebratis, reminiscamini quoque imbecillorum, & egentium, viduarum, orphanorum, peregrinorum, pauperum, mutilatorum, claudorum, atque cæcorum: sicut à Domino nobis præceptum est: Et beatus eris, quoniam non habent, quod retribuant tibi: Retribuent autem in resurrectione iustorum: Festiuitas pulchra est, & diuina, pænitentia cum lacrymis: Festiuitas hæc est, quam Christus ipse concelebrat factus pauper, cum esset Deus: Festiuitates hasce dominicas honoratè, studiosè contendite celebrantes eas, non panegyricè, sed diuine,

non

non mondanè, sed spiritualiter, non instar gentilium, sed Christianorum. Quare non portarum frontes coronemus, non choræas ducamus, non forum exornemus: nō tibijs, aut citharis auditum effæminemus, non mollibus vestibus induamur, nec cingulis vndique auro radiantibus cingamur, quemadmodum mandatum nobis est a Domino: ne omnino æs in zonis portemus. Non comessationibus, & ebrietatibus deditissimus: neque ob cibum, & escam, opus Dei dissoluas, aut insatiabilis ventris gratia circa coquinam occupatus, iniuriam diuino mysterio inferas: Nescius etenim es, an aliud videre promereberis. Verum ista relinquamus ijs, quorum Deus venter est, & gloriā in confusione ipsorum. *Hæc omnia S. Ephrem.*

Ad idem.

Pro hac eadem oratione 40. horarum Christianorum facere possunt hæc, quæ scribit Cuspinianus de oratione Mahometarum: Mahometus inquit in Alcorano: Quando die Veneris oratum vocatur, omnis bonus forum, atq; negotium dimittat, & Deum inuocatum eat. *Item:* Deum in singulis rebus inuocate, atq; precamini, vt sic vestra negotia procedant.

EVCHARISTIÆ EXPOSITIO.

In Eucharistia expositione Christus se ipsum, & omnia bona sua exponit, & offert nobis.

344 *De Christo in Eucharistia exposita nobis præsenti dici potest illud Hesther. 5. quod in alio sensu de Aman legitur.* Exposuit illis magnitudinem diuitiarum suarum. *Ad hoc enim tunc se ipsum fidelibus per sacerdotes se exponit in altari, vt illos omnes inuitet, & quasi alliciat non solum ad seipsum deuotius, ac frequentius tunc colendū, ac deprecandum pro re quacūque, sed etiam, & multo magis, vt seipsum pariter sic eisdem expositum confidentius in sancta communione sumant, sicque etiam magnitudinem diuitiarum suarum, gratia, nempe, præcipue & aliorum donorum spiritualium participent abundantius. de quibus Idem ait Prou. 8.* Mecum sunt diuitiæ & gloria, opes superbæ & iustitia: Substantia multa, & iustitia, *legit Fagninus.* Opes duraturæ, *legit Vatablus.*

A Christo nobis in Eucharistia exposita præsenti nullus tristis, vel malecontentus discedit.

Titus Imperator dicere solebat, neminem a 345
Principis præsentia discedere debere tristem, aut mœrentem, siue (vt vulgo dicitur) malecontentum. Et ipse de facto, tanquam humanissimus, ac liberalissimus, omnes, quantum poterat, contentos semper, ac hillares a præsentia sua dimittebat, postulata omnia concedens. Et Tito, & omnibus hominibus est Christus Dominus in infinitum humanior, liberalior, ac benignior: In Eucharistia .n. potissimum apparuit gratia, benignitas, & humanitas Saluatoris nostri Dei: *Idcirco nos eidem in illa exposita præsentes, multò magis nunquam a se dimittet mœstos, vel male contentos: sed lætissimos potius, ac contentissimos, vt sic loquamur, concedens nobis non solum postulata omnia, si honesta sint, sed etiam alia multa: ita vt nos ipsi cum Paulo fateamur.* Habentes alimenta, *scilicet, Eucharistica,* his contenti sumus.

PRO EVCHARISTIAM VITA ÆTERNA.

6 *De quodā non vano solum, sed forte etiam insano, scribunt nonnulli, quod eleuans coram multis aliquando versus cœlum lanceam, dicebat illis:* En lanceæ meæ cuspide cœlum ferio, *vnde illudentes ei dicebant hi ad inuicem:* Abeamus hinc, ne aliqua cœli pars decidens, nos interimat: *Eucharistia, in qua est Dei sapientia humanata, verè cœli pādit ostium illam dignè sumentibus, vt illuc ingressi, vitam habeant sempiternā, eiusdem sapientiæ testimonio:* Qui manducat hunc panē, viuet in æternū.

Itē qui manducat meā carnem, & bibit meum sanguinem habet vitam æternam: *Hinc S. Damascenus de fide orthodoxa lib. 4. cap. 14. de sanctis, & immaculatis Christi misterijs.* Natiuitas quidem nobis *(ait)* per aquam & spiritū, hoc est per sanctum baptismum data est, cibus autem panis ipse

vitæ, hoc est Dominus noster Iesus Christus qui de cælo descendit: *Et infra*, Quo circa his, qui sacramentum istud per fidem digne precipiūt, in peccatorum remissionem, & vitam æternam, animæque & corporis præsidium cedit: ijs contra, qui perfidè, indignèque suscipiunt, in pœnam, ac supplicium. *Hinc Ecclesia in Missa Corporis Christi tradit, Eucharistiæ perceptionem, beatitudinis esse præfigurationem.*

Ad idem.

347 *Confirmantur hæc exemplo S. Ioannis Chrisostomi. De hoc n. loquens Nicephorus Calixtus eccl. hist. lib. 13. cap. 37. sic ait.* Quum iam ad Deum migraturus esset, noctu ei oranti, qui vitæ eius Duces fuerant, & Petrus, & Ioannes assistētes, per quàm amicè cum eo sunt collocuti: eiq; cum aduersus Demones victoriam, tum postremò migrationem ad Deum, & quæ eum exceptura essent, bonorum perceptionem, cum lætitia annuntiauerunt: *Tum cœlesti, & ineffabili eum esca pauerunt, ex quo tempore nihil postea cibi sumpsit.*

Ad idem.

348 *Quia Eucharistia vitam præstat æternam quidam infirmatus ad mortem, illam instanter petebat, conquærens, se ex illius retardatione, diutius in hac vita detineri. s. Serapione quidam.*

Eusebius Cæsariensis Ecclesi. Histor. lib. 7. cap. 76. narrat de illo, quod cum egritudine sic oppressus esset, vt triduo iam sine voce prorsus iaceret, quarto die paululum releuatus, Nepotem ad se accersit, sicq; alloquitur: quousq; fili, me detinetis? properate, obsecro, & me occisus dimittite, aliquem ex Presbyteris aduoca ad me, quę cum dixisset, iterum fuit mutus: cum verò Puer ad Presbyterum abijsset, infirmum reperit: vnde parum Eucharistiæ puero dedit, quòd infusū iussit seni præberi: Hoc redeunte; Serapion denuò voce recuperata dixit. Venisti fili? tametsi Presbyter non potest venire, tum tamen præsta, quod tibi in mandatis dedit, & dimitte me abire: particulam igitur Puer, quam apportauerat, madefactam in os senis infudit: Atque ille simul, atq; eam pedetentim per fauces dimiserat, illico extremum spiritum reddidit.

Ad idem.

349 *S. Ephrem De extremo iudicio, & compunctione, pro Eucharistia sic vnumquemq; monet.*

Attendite igitur tibi ipsi, frater, thalamumq; tuum iugiter immaculatum custodire, & cœlestem sponsum Christum Regem in eo suscipere contende, vt in die aduentus sui, mansionem apud te vna cum cœlesti Patre suo faciat: sitq; tunc laus tibi coram sanctis Angelis, & Arcangelis, ingredierisq; in Paradisum magna cū gloria, ac gaudio.

350 *Sit ultimum mensæ nostræ fragmentum pro omnibus, & pro pijs sacerdotibus, & alijs Eucharistiæ deuotis præsertim id, quod pro eisdem Sacerdotibus de illa scribit S. Laurentius Iustinianus in fine similiter sermonis sui de Eucharistia toties citato dicens.*

Ista si adsint, diligentur à Deo, sublimabuntur à Christo, protegentur ab Angelis, venerabuntur à Populis, visitabuntur in spiritu, ditabuntur donis, complectentur à gratia, beatorum sociabuntur agminibus, interdumq; in cælestibus rapientur. His, & huiusmodi amoris sui præludijs presētis seculi vada pertransibunt, terramq; promissionis introibunt, in qua iam non absconditum manna, non sacramentalis Agnus, neque sub accidentibus percipitur velata maiestas: sed amoto velamine, cessantibus figuris, subtractoque speculo, facie Deus videbitur ad faciem; quod est summum bonum, beata fruitio, vita æterna, gloriæ triumphus, palma victoriæ veris repromissa fidelibus, per Iesum Christum Dominum nostrum, qui cum Patre, & Spiritu sancto immortalis est Deus in sæcula sæculorum. Amen.

FINIS.

INDEX

INDEX

Copiosissimus locorum Sacræ Scripturæ in Opere contentorum.

Littera S. Sermonem indicat: numerus illam sequens, sermonis numerum: secundus numerus, numeros in eodem sermone notatos.

Littera F. fragmentum: numerus eidem additus, fragmenti numerum.

GENESIS.

EXODI.

Quasi

Sero-

Præci-

Parasti

PROVERBIORVM.

Stra-

ECCLESIASTES.

CANTICORVM.

SAPIENTIÆ.

ECCLESIASTICI.

Tran-

Et

DANIELIS.

OSEÆ.

IOELIS.

Index locorum sacræ Scripturæ.

O Accesse-

MARCI.

LVCÆ.

Si quis

II. AD CORINTHIOS.

AD GALATAS.

AD EPHESIOS.

Prop-

Quis

INDEX.

INDEX

Rerum notabilium Mensæ, & Fragmentorum, alphabetica ferie difpofitus.

Littera S. Sermonem denotat, numerus illi appofitus Sermonis numerum, numerus verò fequens, numeros in eodem Sermone fignatos.

Littera F. Fragmentum, numerus illi fubiectus fragmenti numerum.

re

re.

EVCHARISTIA.

Eucharistia interpretatio.

Eucharistia figuratio.

Eucharistia institutio.

Eucharistia veritas.

Eucharistia vt sacrificium.

Quid

ctio

prius.


Iuue-


Maria Virgo.

Missa.

prius-

Taber.


BIBLIOTECA



LVSVS ANAGRAMMATICVS

Pater Philippus à Sancto Columbano.
Praeparat hic pluribus omne bonum.





VAM mensam posuit Christo mandante Philippus,
Pauit quos tantum Gebala clara parit,
Mensa tamen modò, quam parat alter & iste Philippus
Bdoctus Christo, quemque cibare valet,
Vescitur hac nam quisque volens, Romanus, & Indus,
Et sua semotus Regna Britannus habens,
Quique aduersa premunt nostris vestigia plantis,
Et gens Teutonici, quæ colit arua soli.
Mensa semel tum præbuit artubus illa saginam,
Mentibus hæc semper dulcia Lyba parat.
Tradidit illa bonum multis, at pluribus ista.
Paucas Thessitis obtulit illa dapes,
Quemque cibum cupienti hæc parua Cibilla ministrat,
Namque cupit quis mel? Dat quod Hymettus habet,
Si cupit & mala, aut Murænas optat habere,
Pruna dabit quidquid prisca Damascus alit,
Quæ natat in Siculo dabit, & Muræna profundo,
Malaque, Phæaci qualia terra parit,
Dat Cedros Libani, dat, quas parit Ida, cupressos
Datque Rosas, hæc nam floret vbique Rosis

Dat

Dat Lucrini Conchas, dat Bellaria grata,
Cinnama dat, sic dat pluribus omne bonum,
Dat mihi, dat tibi totum, dat totum omnibus vna
Et capit iste idem, quod capit ille quoque.
Nomen prædictum ergò congruit esse ministri,
Hoc est: Præparat hic pluribus omne bonum
Dum Christi Orthostratem sumere corde meraco
Edocet, iste parat pluribus omne bonum,
Quodque bonum, Zacharias & ipse vocauit
Hoc est. Quid pulchrum? quidue Dei omne bonum?
Quid, nisi frumentum Electorum? talia dicens:
Nomine, reque modò pluribus iste parat.





Errorum grauiorum, qui diligentia non obstante, irrepserunt in opere, correctio.

Leuiorum correctione lectori remissa.

Serm. 2.	num. 4.	lin. 4.	Prædicatorum	lege	prædictorum.
	ibi	circa medium.	Propter vnum quod	lege	Propter quod.
ibi	n. 7.	circa finē.	caput	lege	capite.
S. 3.	n. 26.	in medio.	Chrisost	lege	Christus.
S. 6.	in Argum.	l. 2.	tur quoque	lege	turba quoque.
S. 14.	n. 24.	l. 3.	Dominum	lege	domum.
S. 16.	n. 10.	l. 3.	Ecclesiast. 136.	lege	Ecclesiastici 36.
	n. 17.	circa med.	extendunt ad Dei	lege	extendunt,& ad Dei.
S. 18.	n. 12.	circa finē.	potatum	lege	potatus.
	n. 14.	l. 10.	enim	lege	enim nos.
S. 20.	n. 10.	in medio.	Paschas	lege	Paulus.
S. 21.	n. 9.	l. 8.	dixit suas delicias	lege	dixit delicias.
S. 22.	n. 22.	l. 8.	& potus corporalis potus	lege	& potus corporalis.
S. 23.	n. 24.	post med.	posthectionem	lege	potationem.
	ibi.		lamente	lege	ita mente.
S. 24.	n. 31.	l. 8.	enim Libani	lege	enim petra.
S. 29.	n. 15.	l. 8.	mysteria eius piæ	lege	mysteria piè.
S. 30.	n. 2.	in medio.	causa	lege	causat.
S. 33.	n. 8.	post med.	lintgijs	lege	liturgijs.
	n. 14.	circa finē.	cædula	lege	schedula.
	n. 16.	l. 14.	in Oleam	lege	Oseam.
	n. 18.	l. 13.	pedagogum	lege	Pedagogi.
	ibi.		sanguis est quædam	lege	sanguis: & sanguis est (quædam.
S. 34.	n. 29.	circa finem.	vinum non quod.	lege	vinum quod.
	n. 38.	l. 9.	Cantic. 21.	lege	Cantic. 2. (na.
S. 35.	n. 1.	l. vlt.	sapientes vera	lege	sapiētes vera discipli-
	ibi		extinxit	lege	& tinxit.
S. 45.	n. 5.	in medio.	Patrum pro illis,& cum illis Angeli precentur, elogio in possibile est	lege	Patrum elogio, impossibile est, multorū hominum orationes non exaudiri, si pro illis, & cum illis Angeli precentur, quanto magis.
S. 47.	n. 9.	l. 9.	excuter,& atque pugnaret	lege	excuteret, atq; purga-
S. 49.	n. 11.	circa med.	oues	lege	omnes. (ret.
Frag. primo		lin. 1.	Eucharistia	lege	Eucharistica.
F. 158.		ante medium.	Serm.44.	lege	Serm. 4.
F. 182.		l. 7.	Oecimenius	lege	Oecumenius.
F. 234.	p. 2.	l. 2.	lib.21. Sap.8.	lege	lib. Sap.8.
F. 238.		l. penul.	eadem ait	lege	Ecclesia etiam in Missa de eadem ait.
F. 250.		circa medium	pro	lege	primo.
F. 314.	p. 2.	in medio	addactus	lege	attactus.
F. 338.			deficit titulus, qui talis est		Præsentia Christi, dū Euchar. exponitur, est nobis plena gratiarū.
F. 348.		circa medium	occisus	lege	ocyus.
F. 349.		l. 1.	Attendite	lege	Attende.